




Caualier Francesco Vargas Macciucca



Leges, Volumina ex Bibliotheca nostra commodato, accepta, lecturis. Secundum auspicia lata Lictor Lege agito in Legirupionem. Mas vel Fœmina suas, hac tibi lege, Codicis istius usum, non interdicimus.

I. HUnc ne Mancipium ducito. Liber est: ne igitur notis compungito. II. Ne cœsim punctimve ferito: hostis non est. III. Lineolis, intus, forisve, quaquaversum, ducendis abstineto. IV. Folium ne subigito, ne complicato, neve in rugas cogito. V. Ad oram conscribillare caveto. VI. Atramentum ultra primum exesto: mori mavult quam fœdari. VII. Puræ tantum papyri Philuram interserito. VIII. Alteri clanculum palamve ne commodato. IX. Murem, tineam, blattam, muscam, furunculum absterreto. X. Ab aqua, oleo, igne, situ, illuvie arceto. XI. Eodem utitor, non abutitor. XII. Legere, & quævis excerpere, fas esto. XIII. Perlectum; apud te perennare ne sinito. XIV. Sartum tectumq; prout tollis, reddito. XV. Qui saxis, vel ignotus Amicorum albo adscribitor: qui secus, vel notus eradetor. Has sibi, has aliis præscribit leges in re sua, Ordinis Hyerosolimitani Eques Franciscus Vargas Macciucca. Quoi placeas annue, quoi minus, quid tibi nostra tactio est? Facesse.

ILLVSTRISSI-MO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FRIDERI-CO COMITI VVIRTENBER-

gensi & montis Belligardi, Domino suo clementissimo.



N LVBRICO ATque præcipiti vitę huius cursu, Illustrissime Princeps, φιλολογία historica non tantùm mirabili voluptate animos perfundit, sed etiam incredibiles maximorum emolumentorum fructus ad omnia humana negocia suppeditat, ut in alia re nulla plus videatur esse subsidij hominibus constitutum ad vitam quietè & honestè transigendam. Quod tum veteres omnes senserunt, qui hi-

ſtoriam dixerunt vitæ eſſe ſimu-
lacrum & ſpeculum, tum Poly-
bius perſpicuis verbis expreſsit,
cùm inquit, Quia homines ſu-
mus, & præſentem felicitatem (ut
ſunt res humanæ fluxæ atque in-
ſtabiles) labi poſſe intelligimus,
rerum geſtarũ peritiam, non mo-
dò iucundam, verumetiam neceſ-
ſariam eſſe iudicandam. Etenim
quo pacto rectè, prudenter & ſi-
ne incommodo inter homines
vitam inſtitues? quomodo iniu-
riam propulſabis, alios in ſenten-
tiam inflectes, animos devincies,
& ut ſummatim dicam, unde ul-
lũ ſubſidium vitæ humanæ com-
parabis, niſi ut ſingula quæque à
maioribus noſtris geſta ſunt, ita
animo & memoria complecta-
ris? præteritæ quippe res, optima
ſunt

ſunt rerum gerendarum documenta. Quæ publicè & privatim maximum in vita mortalium habent momentum. Inde totius vitę & omnium negociorum doli, aſtus, fraudes, fallaciæ, machinæ, inſidiæ, præſtigiæ, calumniæ, ſcelera, crimina, conſilia, ſtratagemata (quorum omnium nos ſpecimen propediem in peculiari libro exhibebimus,) quaſi in ſpeculo ante conſpectum clariſſimè proponuntur: quibus nos et uti in periculis avertendis, cùm ſimilia uſuveniant, & interdum etiam abuti poſſumus: quod Platoni ipſi non viſum fuit turpe eſſe, ſi in Reipublicæ commodum convertatur. Vt etiã Philippum Macedonem legimus Alexandro filio conſilium dediſſe, ut omniũ

civitatis primariorum hominũ, sine delectu & bonorum & malorum amicitiam consectatus, illis uteretur, his abuteretur. quo pacto quoq; Lysander, quo non pertingit Leonina, assuendã vulpinam suasit. Et alius cancrorum versutiam imitatione nostra exprimendã esse iudicavit, qui mirabili naturæ artificio, ostrea capere dicuntur, lapillis inter conchas interiectis, cùm illas accipiendi solis causa patefecerunt: atque isto modo, quod vi non possunt, assequuntur singularis artis adminiculo. Nam quod multi arbitrantur veterum exempla nihil ad prudentiam conciliandam attinere, perniciosus est error: cũ constet prudentiam nihil esse aliud, quàm præteritorum memoriam,

riam, ratione quadam applicatã ad coniecturam futurorũ. Vt ex multis unum commemorem, legimus Athenienses multorũ hostium armis oppressos, cum nullum aliud perfugium, nullũ præsidium in cuiusquam benevolentia positum haberent, cepisse consilium, ut magnam vim amplissimæ pecuniæ conflarent, eamque in certo loco collocatam, in nullos usus quàm ad publicum hostem arcendũ impenderent: & ideò legem tulerant, ut capitis damnaretur, quisquis aliam in Senatu sententiam dixisset. Quod cum illis salutariter ad optabilem prosperrimumque exitum evenerit, si quis nunc afflictæ & miserè divexatæ Germaniæ, tanquam saluberrimum & necessarium reme

dium applicaret, posset ne cuiquã esse dubium, quin Germania iterum animum erectura, & ab omni hostiũ metu respiratura esset? Cum enim duo in nobis sint amplissima: potestas innumerabilis conficiendæ pecuniæ, & fortissimorum militum infinita multitudo, si Atheniensium exemplum imitatione consequeremur, non video quomodo aut Turca, aut alius Turca potentior, iniuriã nobis facere, vel formidinem incutere posit. Hoc est, si primũ copiosissima pecunia, cõmuni contributione parta, loco aliquo tuto collocaretur; idque sancita lege, ne aliò quàm in hostem publicum imperij abalienaretur: deinde constituerentur ex fortissimis viris, quorũ virtus iam antea do-

mi

mi & militiæ enituisset, belli duces, cum equestribus & pedestribus copijs necessarijs. quod cùm Turca & alij exteri comperissent, quantum essemus & bellicis nervis & viris instructi, & quanta omnium consensione ad depellendos hostes incūberemus, vix bellum inferrent, aut si intulissent, nullo negocio dissiparetur. Ita unum exemplum Atheniensium, imitatione ad nos resque nostras translatum, omnibus annuis exactionibus & turpissimis barbarorum hostium direptionibus, finem tandem afferret. Sed quid opus est in re perspicua multorum exemplorum luminibus? cū nulla sit pars, aut privatæ, aut publicæ vitæ, in qua ad prudentiam & felicitatem historia non primas

teneat partes. Quod cum ita ſit, conſtat non illos tantũ laude eſſe ornandos, qui res geſtas literis traditas & propagatas nobis reliquerunt, verum etiam, multoq́; magis, qui lucem veterũ ſcriptis attulerunt, & nobis ad eorum hiſtorias cognoſcendas aperuerunt viam. Eſt enim ſi quicquã aliud, hiſtoriarũ profectò tractatio maximis difficultatibus obſtructa: ut eum ſit neceſſe in multos errores impelli, qui non diligenter aſſidueq́; animum intenderit: non ſolùm quid acciderit, ſed quãdo, quo loco, modo, conſilio, qua de cauſa, in quem finem ſit quodque factum: quid antecedat, quid ſubſequatur. Verum cùm iſtud non in communi omnium intelligentia poſitum eſſe videretur, cæperunt

runt viri eruditi, & qui plurimũ ſtudij atq; temporis hiſtorijs impertiviſſent, reliquis infiniti laboris modũ oſtendere: & ad ea quæ longiſsimo tempore, ſummaque diligentia percepiſſent, quaſi ſuorum ingeniorũ lumina, cum magna laude, contra hiſtoriarũ tenebras præferre, in illis libris, quos Methodos hiſtoriarum nõ iniuria inſcripſerunt. Quod cùm alij præclarè præſtiterunt, tum præcipuè Bodinus, Patritius, Balduinus, Foxius, Viperanus, Mylæus, Chytræus, & alij, quorum nomina in ſingulis tomis exprimuntur, inter cæteros ad ſummã gloriam & ſempiternam poſteritatis memoriam ſplendent: quorum quidam generaliter communes notiones perſequuntur: alij

etiam in ſpecie exemplorum ap-poſitione, quaſi pulcherrimis li-neamentis expoliverunt. Itaq; e-go illos Reipublicę iuvandæ cau-ſa, nuper in unum librum colliga vi, & clariſsimo Typographo, vi-ro docto, atque de bonis literis optimè merito, Domino Petro Pernæ author fui, ut ſimul diver-ſis tomis in lucem emitteret. De quibus iudicium cuiq; relinquo liberum. Etſi Bodinus, optimus author nimium affectuũ habenas laxaſſe videtur, hoc ipſo quod in criminando aliarũ gentium mo-ribus, modum non tenet; contra, quantum verborum pigmentis poteſt, proprios negligit, & exte-nuat. Nam ut ex multis unum di-cam; quod Germanis duo crimi-na probri loco obijcere videtur,

hebe-

hebetudinem & crapulam: quam nullis unquam legibus emendari potuiſſe dicit: alterũ turpiter per cõmentatitiam calumniã effinxit: in altero, etſi dolemus aliquos noſtros non iniuria culpari, tamen quod perenne & perpetuum eſſe dicit, errore tenetur. neq; potuit homo alioquin doctiſsimus præ nimia inſectandi libidine videre, id multò citiùs futurum, quàm illius populares, levitatem inſitam illis, de omnium penè hiſtoricorum teſtimonio, atque natura ingeneratam exuent. eam quo pacto audeat celeritatem animi, atque alacritatem interpretari, ipſe viderit. Cum ſi rectè perpendas, levitas non poſsit eſſe animi alacritas, ſed vitium gravitati atque conſtantiæ adverſariũ, & crebra

quædam sententiarum, tanquam tempestatũ commutatio. Plaut. in Men. Quid ait homo levior quàm pluma? Et Cicero: Quid est inconstãtia, mobilitate & levitate turpius? Sic raro videmus manticæ, quod in tergo est, & in propriis prorsus cæcutimus. Vt probè Persius:

Vt nemo in sese tentat descendere nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Verùm, ut dixi, sit libera cuique iudicandi potestas. Ad te autem Illustrissime Princeps, librũ tanquam omnium historiarum clavem mittere visum est: quòd virtutum tuarum et studiorum fama per universam Germaniã percrebrescat, & præsertim quanta cupiditate flagres, non solũ cognoscendæ, sed etiam imitandæ in lauda-

dabilibus veterũ Regum & Cæsarum exemplis hiſtoriæ. Quod cum conſtanti multorum ſermone nunciaretur, facere nõ potui, quin ad eam cupiditatem, quam natura in te incendit, & diligens inſtitutio doctiſsimorum auxit, novas tibi faces, pulcherrimis libellis præferrem. Etſi enim te domi tuæ in clariſsimorum hominũ & præſertim Nobilis Samuelis à Reiſchach, viri literarum & familię, & omnium virtutũ ſplendore atque gloria prętantiſsimi, conſuetudine abundare oportet, præceptis inſtitutisq́; omniũ rerum: tamen, ut ipſe ex his libellis ſummam utilitatẽ & voluptatem cepi, ita ſpero tibi incredibilem ſingularis iucunditatis fructũ & nonnihil etiam ſubſidij ad hiſto-


riarum ſtudiũ allaturos eſſe. Orò igitur quanta poſſum animi demiſsione, ut clementiſsimè hanc meam voluntatẽ, in optimam æquiſsimamque partem accipias, & tum autores, tum me gratia tua atq; benevolentia complectaris. Deus Opt. Max. te pulcherrimè floreſcentẽ ad ſummam Germaniæ gloriã diutiſsimè conſervet, ut honeſtiſsimi deſiderij expectationem, quam apud omnes de te commoviſti, explere poſsis. Celerrimè, ex Mundelsheim, menſe Auguſto. Anno M. D. LXXVI.

Celſitudini tuæ

Addictiſsimus

Ioan. VVolfius de Tab. montanis. I. V. L. Phil. Lud. Palatini & Caroli March. Bad. Conſiliarius.

HISTORIARVM AMATORI TYPOGRAPHVS S.



Tiamſi noſtri operis principio non eramus eius ſententiæ, ut quotquot de Hiſtoria ſcripſerát autores, uno volumine complecteremur, ſed recentiores tantùm, Bodinum Gallum, & Patritium Italum, hunc ingenio & acumine, illum methodo & facilitate, nullo noſtri ſeculi ſcriptorum inferiorẽ, coniungeremus: pervicit tamen quotidiana penè virorum doctorum flagitatio, ut turbato licet ordine & ætatũ & ſucceſsionum, pro re nata, uti quemque ſors obtulerat, & Latinos Græcis, & neotericos priſcis illis, omnium artium & diſciplinarum ſeminaria continentibus, poſtponeremus. Quæ quidem fortuita ordinis turbatio ſi apud te, Lector amice, excuſationem merebitur, erit quod nobis gratulemur: ſin verò in conſilium fortunam cadere debuiſſe negabis, at tu viciſsim ſic tibi perſuade, non multum intereſſe, quo quiſque loco ponatur, dum tu in illis nocturna diurnaque manu verſeris, & qui ſparſim & ſine lege coniuncti ſunt, intelligentia methodica ad ordinem nunquam mutabilem reducantur. De uſu porrò & utilitate huius generis ſcriptionum dicere non ſuper-

vacaneum modò, ſed & ineptum planè fuerit: cùm illi ipſi, quos tibi nunc exhibemus, id veluti partitis operis tanta diligentia atque gratia præſtiterint (id quod vel ex præfationibus eorundem, quas ſingulis præfigere voluimus, cognoſci poteſt) ut nihil in hoc genere perfectius deſiderari poſſe videatur. Vale, & laboribus noſtris vel grato, vel ſaltem non ingrato animo fruere.·.

I. TEXTORI CVRIÆ INQVISITIONVM PRAESIDI, I. BODINVS S. P. D.

QVemadmodum flores historiarum legere, ac suavissimos decerpere fructus oporteret, hac methodo, Præses integerrime, complecti propositum erat. quod quidem si consecuti videmur, tibi acceptum ferri debet: qui me renitentem oratione gravi, admista incredibili suavitate bonitatis, excellentisq́ naturæ tuæ, ad id sæpius impulisti. sin res aliter atque vellem cecidit, hoc mea culpa contractum agnosco: quam tamen apud alios iudices leviorem fore putavi, si primùm tibi, hoc est, vestræ Curiæ mitissimo iudici, meam causam probarem: ut si plus esset abs te veritati quàm amicitiæ tributum, eo præiudicio confirmatus, alios exceptione rei iudicatæ summoverem: aut si plus faveres amori erga me tuo, iudicis persona deposita, patrocinio me iuvares. quanquam ne-

que ex mea voluntate, & præter expectationem ab altiore quodam de legibus instituto sum ad hoc genus scriptionis casu delapsus. id autē breviter explicare tibi proposui, tum ut æquior sis erga me futurus (quanquam æquior esse non potes) in hac methodo iudicāda: tum etiam ut eos, quibus ocij satis est, ingenij verò, scientiæ, iudicij, multò plus quàm mihi, ad hæc pulcherrima studia cohorterer. Cùm in forū venissem, ut scenæ, quod dicitur, ac populo servirē, hoc primùm mihi proposui: ut tempus omne vacuum à forensibus negotijs in legitima studia conferrem, ac Reipublicæ, cui post Deum immortalem omnia debemus, sive scriptis, sive quocunque modo possem, gratias referrē. Sed cùm animadverterem triplex omnino scribendi genus esse: unum in rebus inveniendis, & materia suppeditanda: alterū in rebus ordine tradendis, & forma perpoliendis: postremum in maculis veterum librorum eluendis: mirum mihi visum est, tam multos esse ac semper fuisse rerum inventores, qui verò res inventas arte ac ratione traderēt, admodum paucos. Vt enim alias artes omittam,

tam, innumerabiles propè ſcriptores habemus, qui ius civile Romanorũ ſuis commentarÿs tantopere auxerũt, ut nulla re magis, nullo graviore morbo, quàm ſua magnitudine laborare videatur. Nam quò quiſq; magis in ſcribẽdo ineptus, eò maiorem librorũ multitudinem effudit: qui tamen arte concluſerit ea quæ diſperſa diſſectaq; leguntur, video fuiſſe neminem: & eos qui ſpecioſa librorũ inſcriptione artẽ illam ſe traditurος receperant, vadimonium deſeruiſſe: quinetiã ab eo, quod propoſuerant, tã longè abfuiſſe, ut quid ſit ars ipſa, ne ſuſpicati quidẽ videantur. Sunt enim artes ac ſcientiæ, id quod tu minimè ignoras, non ſingulorũ, ſed univerſorũ. at illi iuris civilis, id eſt, ſingularis cuiuſdam civitatis artẽ tradere ſunt conati, quàm ſapienter, nõ diſputo: nihil tamen artis dignitate ac præſtantia potuit alienius cogitari. Omitto quàm ſit abſurdum, ex Romanis legibus, quæ paulo momento mutabiles fuerũt, de univerſo iure ſtatuere velle: præſertim cùm edictorum ac legum infinita multitudine, pòſt etiam Aebutia rogatione, omnes penè duodecim tabularum

leges, ac ſubinde veteres novis renaſcentibus ſublatæ fuerint. quinetiam Iuſtiniani penè ius omne à conſequentibus Imperatoribus abrogatum videmus, omitto quàm multa ſunt, in illis quæ reſtant legibus, abſurda: quàm multa iuſtis populorũ penè omnium decretis, uſuq́ diuturno antiquata: nullius tamen populi, præterquã Romani leges, & quidem ordine perverſo, deſcripſerunt. legiſſent Platonem, qui legum tradendarum, ac moderandæ civitatis unam eſſe formam putavit, ſi omnibus omnium, aut magis illuſtrium Rerumpublicarum legibus in unum collectis, viri prudentes eas inter ſe compararent, atque optimum genus ex ijs conflarent. Ad hoc igitur inſtitutum omnia mea ſtudia, omnes contuli cogitationes. Principiò Iuris univerſi formam ſic adumbravimus in tabula, quam tibi exhibuimus ſpectandam, ut ab ipſis cauſis ſumma genera, generumq́ partitionem, ad infima deduceremus: ea tamen ratione, ut omnia membra inter ſe apta cohærerent. in quo veriſſimè à Platone dictum intellexi, nihil difficilius ac divinius, quã rectè

recte partiri. deinde postulata constituimus, quibus tota disciplina, veluti firmissimis fundamentis niteretur. tum definitiones subijcimus: postremò præcepta, quæ regulæ appellantur, qua brevitate fieri potest, ad propositam formam, velut ad formam exigimus. ex adverso brevissimis notis Romani Iuris interpretes adijcimus, ut ex ijsdem fontibus, quibus ego, haurire ad satietatem quisque possit. altera ex parte leges populorum, qui militari urbanaq; disciplina claruerunt, undique collectas annectimus. quam quidem ad rem, Iurisconsultorum simul & Historicorum ponderibus utimur, ut Persarum, Græcorum, Aegyptiorum, non minus quàm Romanorum legibus tribuatur. ex Hebræorum quoque Pandectis, potissimùm ex libris Sanedrim optima quæque haurire proposuimus: in quo mihi suam operam Ioann. Quinquarboreus, ac Mercerus Hebraicæ linguæ regij doctores, mihi non defuturam spoponderunt. Hispanorum quidem leges & Britannorum, atque omnino clariorum Italiæ ac Germaniæ civitatum iura nobis ne de-

ſint (nam obſcuriores conquirere infinitum ſit) effecturum me nõ diffido, ut cum noſtris ſimul coniungãtur. optarem illud quoque ut Turcarum Iure civili perinde frueremur: aut certè Ius publicũ, quo florens illud ac præpotens imperium ſtabilitum eſt, quodammodo teneremus. his accedet forenſis doctrina, ſummaq́ue auctoritas rerũ, tum in veſtra, tum in Imperiali Curia decretarum: quas partim noſtrorum hominum, partim Guarini, & Mynſingeri opera conſecuti ſumus. ſic enim Polycleti norma, leges et legis actiones: Lesbia verò, æquitatẽ, & iudicis officium examinare decrevimus. Hæc igitur omnia Iuriſconſultorum, atq; Hiſtoricorum probata & confirmata ſententijs, artem illam efficiunt & clariorem, & auguſtiorem, quam ſi ab unius populi Romani arbitrio penderet. tametſi Græculorum figmenta eſſe quæ habemus, magna ſui parte comperiuntur. nam quindecim viri legibus cõſtituendis à Iuſtiniano creati, cùm fœda barbarie omnia premerentur, legum fontes adeò conturbarunt, ut nihil ferè à ſordibus & luto purum hauriatur. ex quo ſecuta eſt immenſa

mensa diffusaq́; legum copia, tum ut legũ inter ipsas discrepantia tolleretur: tum etiam ut ab integro corpore avulsa membra, utcunq; coagmentari possent. ex quo veteres interpretes magno ingenio, labore verò penè incredibili fuisse intelligi potest, tum etiã ex eorũ scriptis, quæ tot ac tam multa effuderunt, ut omne suum tempus in scribendo posuisse, nihil ad legendũ reservaße videantur. sed cùm in miserrima tempora incidissent, quibus nec bonis artibus erat nec humanitati locus: suis scriptis plerosque ab hac scientia deterruerunt. cùm enim iuventus à suavißimis eloquẽtiæ ac philosophiæ floribus & hortulis, ad illa senticeta præruptaq́; saxa vocaretur, animũ planè deÿciebat: et quò quisque elegantius erat à natura, uberius etiã à doctrina perpolitus, eò magis refugiebat ab eius scientiæ aditu, qui vepribus ac spinis interclusus tenebatur. postea verò quã perpurgari cœpit, tum legibus Romanorũ sua prisca dignitas restitui visa est. Ex ÿs ergo interpretibus, quorũ delectũ habemus, quibusq́; ad leges describẽdas utimur, quatuor sunt genera. unũ est eorũ, qui in scho-

lis perpetua disputatione legũ, memoriam comprehensam habent: sed tamen sine usu & exercitatione forensi. sequuntur ij, qui diuturno rerum forensium usu, paucis quibusdam praeceptis, iudicandi prudentiam sibi cõpararunt: tertium genus est eorum, qui ab his quidem usum, ab illis praecepta didicerunt: quales inter nostros habemus Speculatorẽ, Fabrum, Guidonẽ, Chassaneum, Boerium, Baionem, Conanũ, Tiraquellum, eiusq; popularẽ Brissonem, & collegij nostri decus Molinæum; ex quibus uberes in causis civium disceptandis ac iudicandis percipimus utilitates: propè nullas. Nam qui sine forensi disciplina Iuris scientiam se adeptos arbitrantur, planè consimiles sunt ijs, qui seipsos in palæstra semper exercuerũt, nullas tamen acies viderunt, nullos militiæ labores tulerunt. itaq; hostium aspectum ferre non magis possũt, quàm is qui in scholis Biturigũ tanta cum gloria florebat, id est, strabo inter cæcos acutissimè cernebat: cùm in forũ venisset, de levissima quæstione consultus obmutuit, non sine acerba Riandi reprehensione. Tales ergo Iurisconsultos

Io.

Io. Ferrerius tuus collega, vir omni laude cumulatus, & qui nunc legatum apud Venetos agit, gravi testimonio de falsa illa, quam de seipsis cōcipiunt, iuris opinione depellere solebat, cùm multis audientibus ingenuè fateretur, se Ius antè ignorasse, quàm in vestra Curia literas forenses ac senatorias usu diuturno comparasset. non aliter atq; Demades orator, qui Reipublicæ gerendæ scientiam, non in scholis & otio, sed in clarissima populi luce didicisse gloriabatur. Extremum genus est eorū, qui non modò præceptis ac usu forensi, verùm etiam præclaris artibus, & solida philosophia informati, iustitiæ naturam non ad hominū voluntates mutabilē, sed æterna lege definitam amplectuntur: qui normam æquitatis peritè tractant: qui iuris origines ab ultimo principio deducunt: qui omnis antiquitatis cognitionem accuratè tradunt: qui principis, senatus, populi, magistratuúmque Romanorum imperium ac potestatem planè tenent: qui philosophorum de legibus & Republica disputationes ad Ius interpretandum afferunt: qui Græcam & Lati-

nam linguam, quibus descriptæ sunt leges, minimè ignorant: qui deniq; artem universam suis finibus circunscribunt, generibus notãt, in partes distribuunt, verbis designant, exemplis illustrãt. Has dotes eximias si haberẽt interpretes illi veteres, haud dubium est, quin ista, quã terimus, commentariorum squallens sylva, lautis adolescentibus iucundior fuerit, & Reipublicæ utilior futura. ex ea tamẽ aureas definitiones ad instituti nostri rationẽ legimus; & magnam gratiam illis habemus, quòd suorum studiorum qualescunq; fructus liberaliter ad Rempublicam detulerunt. Atq; utinam eorum exemplo vestri quoq; Papiniani, Scævolæ, Labeones (neq; enim alijs nominibus appellãdi sunt) quos ad æquitatem natura genuit, disciplina informavit, usus assuefecit: quantum valent, tantum velint. quid enim tantam sapientiam latere potest? aut qui merito maiore post homines natos Iurisconsultorum nomine fruuntur? neque enim ulla pars orbis terrarum, æquè floret omni disciplinarũ genere, ut Europa: nec ulla pars Europæ legum scientia clarior fuit unquam,

quam, ut his temporibus Gallia (id quod etiamnum peregrini homines cõfitentur) nec theatrum Galliæ ornatius ullum hac ipsa urbe: tum propter lumen huius Curiæ: tum etiam propter urbis, cum univer so terrarum orbe communionem, & quasi societatem. Quæ cum ita sint, non existimo, id quod à Platone de sanandis populis & conformandis legibus scriptum est, à Solone & Lycurgo in summa legum inopia, diuturnaq; peragratione susceptum: à decemviris tota Græcia quæsitum (neque enim Adriano, vel Iustiniano cura fuit iuris alieni) commodiùs, aut faciliùs quàm his eruditis temporibus, & in hac forensi schola confici posse. neq; dubium est, quin Franciscus maior, si diutius vixisset, hoc quoq; suscepturus fuerit, & ad exitũ perducturus. non enim è Græcia Iurisconsultos arcessere, nec aliunde Legumlatores accire oportuisset. sed tali ac tanto Rege nobis abrepto, miseranda conversio secuta est. cùm enim sementem in literarum agros sparsisset, ij qui florentem scientiarum segetẽ, ac fructus pendentes legere debuissent, putredine corrumpi maluerunt: sub-

latis ſcilicet agricolarum præmiјs, ut ignaviſsimis ac turpiſsimis hominibus tribuerentur. neq; enim ſine acerbiſsimo ſenſu doloris reminiſci poſſum, clariſsima ingeniorum lumina, quæ tota Gallia fulgebant, ſquallore & inopia extincta fuiſſe. Reſtat igitur ut vos, quibus nullum tempus à munere publico vacuum datur, Semelorios, Portas, Canaios, Mangones, quibus ocium peperit rerum omnium affluentia, pro veſtra, quæ ſumma eſt, auctoritate urgeatis: ut ſuis quoq; ſcriptis bene de legibus mereri ſtudeant, vel potius gratiam referant bene de ſe meritis, quarū ope tales ac tanti evaſerunt. quòd enim ſuis conſultoribus aſsiduè cavent ne capiantur, faciunt quod ſua virtute ac ſapientia dignum eſt: ſed eſt eiuſmodi virtutis ac ſapientiæ cavere, ut divina illa reſpōſa, quæ in vulgus manare patiuntur, quæq; famam non modò ſempiternam, ſed etiam ſalutem Reipublicæ pariunt, ad poſteros etiam derivari poſsint. quod ab iјs ſperari non debet, quos nemo de iure conſulere velit: qui ſe grammaticos malunt quàm Iuriſconſultos haberi, qui falſam ſcientiæ, nullam

nullam æquitatis opinionem induerunt, qui syllabarum momentis Rempublicam servari, iudicia constitui, lites dirimi putant. quæ sanè pestis grammaticalis, in intimos omnium disciplinarum aditus usque eò serpere cœpit, ut pro philosophis, oratoribus, mathematicis, theologis: minutos de schola grammaticos ferre cogamur. nam qui labes ac maculas de tabulis antiquis leniter detergere debuissent, ut pictura vetus agnosceretur, ferreo stilo turpes notas, & quidem indelebiles, tam altè in libris omnibus impresserunt, ut nulla penè antiquitatis appareat imago. sed ijs omissis, qui sua se voluntate ex albo doctorum hominũ exemerunt, ad historiam, unde nostra fluxit oratio, relabor. Ex hac igitur veterum leges huc illuc dispersas colligimus, ut huic quoque operi coniungamus. & quidẽ in historia iuris universi pars optima latet: quodq́; ad leges optimè dijudicandas magni ponderis est, ac momenti, mores populorũ, ac rerum omnium publicarum initia, incrementa, status, conversiones, exitus ab ea derivantur. in quo præcipuum est huius methodi argumentũ.

propterea quòd fructus historiæ nulli sunt uberiores, quàm qui de statu Rerumpublicarum decerpi consueverunt. atque eo de genere plura quàm de reliquis partibus scripsi, quòd eam disputationem tam necessariam ad intelligendum, pauci, & quidem frigidè tractarunt. quæ disputatio si nimis ampla cuiquam, ac diffusa videbitur, cogitare debebit, ea quæ nullum exitum habent, cuiusmodi est historia rerum humanarum, non posse brevi methodo contineri. quòd si Galenus de sola methodo suæ artis, quæ certis regionibus concluditur, libros plus quàm triginta: Diomedes verò de re grammatica sex millia librorum effudit: profectò non debet id quod de universa historia scripsimus, copiosum videri. quanquam istuc quicquid est, quod iam pridem ad te detuli, modis omnibus exiguum fore confido, præ illa fama, quam de singulari eruditione, deque virtutibus tuis concitasti. quarum virtutum laudes eximias, nec in tam obscuro loco detegere, nec apud te prædicare decrevi. Bene vale. Calend. Febr.

CIϽ IϽ LXVI.

IO. BODINI METHODVS AD FACILEM HISTORIARVM COGNITIONEM.

PROOEMIVM DE FACILITATE, OBLECTATIONE & UTILITATE HISTORIARUM.



VM Historia laudatores habeat complures, qui veris eam ac propriis laudibus exornarunt, ex omnibus tamen nemo verius ac melius, quàm qui vitæ magistram appellavit: nam ea vox omnes omnium virtutum ac disciplinarum utilitates amplexa, significat hominum vitam universam ad sacras historiæ leges, velut ad Polycleti normam, dirigi oportere. certè philosophia, quæ ipsa vitæ dux appellatur, propositis bonorum ac malorum finibus intermortua iaceret, nisi ad rerum præteritarum historias omnia dicta, facta, consilia revocarentur: ex quibus non solùm præsentia commodè explicantur, sed etiam futura colliguntur, certissimaque rerum expetendarum ac fugiendarum præcepta constantur. Itaque mirum mihi visum est in tanta scriptorum multitudine, tamque eruditis temporibus

adhuc fuisse neminem, qui maiorum nostrorum claras historias inter se, & cum rebus gestis antiquorum compararet. id autem fieri commodè poterat, si collectis omnibus humanarum actionum generibus, adhæc exemplorum varietas aptè & suo quicque loco accommodaretur: ut ij, qui se flagitijs penitùs dedidissent, iustißimis maledictis proscinderentur: qui autem ulla virtute claruißent, suo merito laudarentur. hic enim historiarum fructus est vel maximus, ut alij quidem ad virtutem inflammari, alij à vitijs deterreri poßint. tametsi enim boni per se laudabiles sunt, etiam si à nemine laudentur, nihilominus tamen præter ea, quæ virtuti præmia proponuntur, hunc etiam laudis fructum, quem pleriq; solum ducunt, vivos ac mortuos consequi par est: ut indignè ferant scelerati bonos, qui ab ipsis opprimuntur, in cœlum usque tolli: se verò suorumq́ue nomen æterna labe maculari: quod etiam si dißimulant, non tamen sine acerbißimo sensu doloris ferunt. neque enim verum, ac ne verisimile quidem eße puto, quod Trogus Pompeius de Herostrato, T. Livius de Manlio Capitolino tradunt, magnæ quàm bonæ famæ fuiße cupidiores: sed alterum, opinor, vitæ desperatio mentisq; furor, alterum maioris gloriæ spes impulit, ut suis popularibus imperaret. aut sanè fatendum sit homines gloriæ cupidos æquo animo contumelias ferre, quod sibijpsi valde repugnat. nam si recludantur impiorum mentes, ut est apud Platonem, æquè verberum ictus & laniatus, atque cæso corpore cruentæ vibices, aut ferri candentis impreßiones aspici poßint, & qui inter eos gloriæ cupidiores sunt, quanquam veræ laudis gustum nullum habent, sed tamen qui gloriam

in-

inanem captant, incredibile dictu est quantum eos laceret & conficiat infamiæ metus. ac si qui sunt adeò stupidi, ut animos unà cum corporibus interire putent, quandiu tamen vivunt, plurimùm sua interesse arbitrantur, qualem de se opinionem posteritas sit habitura, sæpiusque vota faciunt, ut se mortuis, quanquam Nero id optabat ut se vivo, terrarum deflagratio consequatur. argumento sit Tiberius Augustus, qui etsi multa crudeliter ac libidinosè animi quadam impotentia gessit, sceleratior tamen futurus erat, nisi famæ curam haberet. itaque flagitiorum latebras in remota quadam insula quæsijt, cumque imperio se minime dignum iudicaret, patris patriæ appellationem, & imperium obstinatißimè (ut loquitur Tranquillus) recusavit: ne mox maiore dedecore impar tantis honoribus inveniretur. extat eius oratio habita in Senatu, qua unum ait principi comparandum, prosperam sui memoriam, alioqui famæ contemptu contemni virtutes. extant epistolæ magno cum gemitu ab eo scriptæ, quibus de anteacta vita miserè conqueritur, seque posteritatis graves contumelias iam sentire, nec tamen mores mutare posse. hic autem infamiæ metus in principibus: hæc utilitas historiæ Cornelio Tacito tam magna visa est, ut vel sola homines ad eius lectionem & scriptionem debeat inflammare. At illud quanti est, quòd omnium artium, & earum maximè quæ in agẽdo positæ sunt, inventrix & conservatrix est historia? quæ enim sunt à maioribus usu diuturno percepta & cognita, historiæ thesauris commendãtur: tum posteri observationibus præteritis futuras annectunt, causasque rerum abditarum inter se comparant. earumque effectri-

ces, & cuiusque fines quasi sub aspectum positos intuentur. Quid autem ad immortalis Dei gloriam, quid ad veram utilitatem maius esse potest, quàm quòd ab historia sacra, religio adversus Deum, pietas in parentes, charitas in singulos, iustitia in omnes propagatur? unde verò prophetarum voces & oracula, unde animorum æternam vim ac potestatem, nisi ab historiæ sacro fonte hausimus? Sed præter utilitatem incredibilem, quæ duæ res in omni disciplina quæri solent, facilitas & oblectatio, ambæ in historiarum cognitione ita conspirant, ut nec facilitas in ulla scientia maior, nec par voluptas inesse videatur. facilitas quidem tanta est, ut sine ullius artis adiumento, ipsa per sese ab omnibus intelligatur. nam in alijs artibus, quòd omnes inter se aptæ & ijsdem vinculis colligatæ sunt; altera sine alterius cognitione percipi nequit. historia verò quasi supra scientias omnes in altissimo dignitatis gradu locata, nullius eget ope, ac ne literis quidem ipsis, cùm auditione sola, veluti per manus tradita, posteritati relinquatur. itaque Moses uno capite legis, Narrabis, inquit, hæc filijs tuis: cùm suæ Reipubl. ac librorum interitum augurarettur: cùm autem intereant imperia, Respubl. urbes, historia nihilominus æternùm viget, ut ait ille. ac verissimè Cicero providit prius interituram Salaminam, quàm quæ ad Salaminam gesta memorantur: est enim aquarum voragine penitùs exhausta: non aliter atque Ægiram, Buram, Helicem, Cretæque ipsius, quæ propter nubium frequentiam olim ἑκατόμπολις, nunc Tripolis dici potest. ac nostro seculo Bataviæ magnam partem aquæ absorbuerunt. at historiæ nisi humani generis interitus antecedat, interibunt

bunt nunquam : sed in animis agrestium quoque & imperitorum perpetuò hærebunt. Ad facilitatem accedit ea, quæ ex rerum pulcherrimarum narratione percipitur voluptas, quæ profectò tanta est, ut qui semel historiarum illecebris captus ac delinitus fuerit, nunquam ab earum suavissimo complexu divelli se patiatur. quòd si tanta sciendi cupiditate feruntur homines, ut etiamnum ex ipsis fabulis capiant voluptatem, quantò maior futura est cùm verissimè gesta narrantur? quid autem suavius quàm in historia velut in proposita subiectaque tabula res intueri maiorum? quid iucundius quàm eorum opes, copias, ipsasque acies inter se concurrentes cernere? quæ certè voluptas est eiusmodi, ut omnibus interdum corporis & animi morbis sola medeatur. testes sunt, ut alios omittam, Alphonsus ac Ferdinandus Hispaniæ & Siciliæ reges, quorum alter à T. Livio, alter à Q. Curtio valetudinem amissam, quam à medicis non poterant, recuperarunt. testis est etiam Laurentius Medices (is qui litterarũ parens usurpatur) qui sine ullis medicamentis (quanquam historia salutare est medicamentum) à morbo convaluisse dicitur, ex eius historiæ narratione quæ fertur de Conrado III. Imper. qui cùm Guelphum Bavariæ ducem obsidione diuturna fregisset, nec ullis conditionibus à proposita susceptaque urbis eversione deduceretur, ad extremum victus nobilium fœminarum precibus permisit, ut inviolatæ abirent, ea lege, ut nihil ex urbe, nisi quod humeris possent, exportarent, tum illæ confidentia maiore dicam an pietate, ducem ipsum, maritos, liberos, parentes ab humeris suspensos gestare cœperunt: ex quo Imperator tantam voluptatem cœpit ut effu-

sis præ gaudio lachrymis, non modò feritatem & iracundiam ex animo penitùs deposuerit, verumetiam urbi pepercerit, & amicitiam cum hoste omnium acerrimo contraxerit. Quis igitur dubitet quin historia hominum quoque ferocium ac stupidorum animos suavissima compleat oblectatione? ac verendum potius est, ne dum nimis magna voluptate capimur, utilitatem (quanquam in oblectatione quoque utilitas est) deseramus. id autem accidit ijs, qui rerum levissimarum narrationibus, quasi cellarijs & condimentis, neglecto solidiore cibo pascuntur. Igitur omissa historiarum oblectatione ad utilitatem relabor. quæ quanta sit, non solùm in verissimis narrationibus, verumetiam in illis, in quibus historiarum imago & lux aliqua veritatis affulserit, non infinitis argumentis planum faciam, cùm ex ijsdem fontibus illa, quibus ego, haurire quisque possit, sed unius tantùm Scipionis Africani exemplum proponam. Is enim cùm Cyripædiam Xenophontis animo penitùs haberet comprehensam, ex eaq; omnes omnium virtutum ac laudum cumulos collegisset, tantus vir evasit, ut non modò bellum ingens in Hispania (sic enim Livius scribit) non alia de causa exarserit, quàm ex admiratione Scipionis, aliorum imperatorum orto contemptu: verumetiam latronibus ipsis sanctus & inviolatus extiterit. cùm enim piratæ ad eius ædes rusticas adijssent, eosque ab aditu quasi Scipioni vim illaturos servi obsessi strenuè propulsarent, illi supplices à servis petierunt, ut sibi divinum illum hominem contueri ac venerari liceret: quod ille re intellecta permisit, ut latronum barbariem (tametsi ne barbari essent iam sua virtute perfecerat) ad huma-


nita-

nitatem revocaret. hunc igitur veræ gloriæ fructum attulit historia Cyri maioris, non tam vera, quàm ad iustißimi & fortißimi regis ideam expreßa. Sed ne vetera conquiramus, nullum recentius exemplum aut illustrius est, quàm de Selimo Turcarum principe; cuius maiores cùm ab historia velut à fabulis semper abhorruißent, primus ipse gesta Cæsaris in linguam vernaculam transferri curavit, ac eius imitatione, brevi magnam Asiæ minoris & Africæ partem cum imperio maiorum coniunxit. Quid autem Cæsarem ipsum ad eam virtutem impulerat, nisi æmulatio Alexandri? cuius victorias cùm legeret, lachrymas uberiùs effudit, quòd ea ætate, qua ille terrarum orbem domuerat, nihil dum geßisset. quid item Alexandro tot victoriarum caußa fuit, nisi virtus Achillis ab Homero (sine quo ne somnum quidem capiebat) ad Imperatoris optimi exemplar efficta? quid denique Carolum V. Imper. ne peregrinis utamur exemplis, ad tantam gloriam extulit, nisi Ludovici XI. Regis Gallorum ab historia Cominij æmulatio? Iam verò cùm historia infinitam habeat utilitatem, facilitatem maximam, maiorem etiam oblectationem, nullius umquam probris est appetita: & cùm cæteras artes quasi perniciosas aut inutiles plerique sint calumniati, nemo tamen est inventus, qui antiquitatis memoriam ulla infamiæ labe notârit: nisi fortaße is, qui cum omnibus virtutibus ac disciplinis bellum indixißet, historiam mendacij coarguit. sed ea reprehensio fabularum sit non historiarum, quæ nisi veræ sint ne historiæ quidem appellari debent, ut Platoni visum est. is enim omnem rationem ait veram eße aut falsam, hanc appellat poesim, illam verò historiam.

Quanquam quid argumenter, cùm ex ipsis Homeri fabulis, quæ historiæ ac veritatis imaginem præ se ferunt, tanta utilitas eruatur? quales ab historia fructus sperare oportet? Quare cùm ab historia penitùs erudiamur, non solùm artes ad vitam degendam necessarias, verumetiam quæ omnino sunt expetenda, quæ fugienda, quid turpe, quid honestum, quæ optimæ leges, quæ optima Respublica, quæ beata vita: postremò cùm sublata historia, Dei cultus, religiones, oracula temporum decursu tollantur. huius ego scientiæ utilitate incredibili ad hanc scriptionem adductus sum, cùm magnam historicorum ubertatem & copiam animadverterem non deeße, qui tamen historiæ artem ac methodum tradidißet, fuißc neminem: ac plerosque temerè & sine ordine miscere historias, nullosque ex ijs percipere fructus. anteà quidem fuêre nonnulli, qui de instituenda historia libros scripserunt: quàm sapienter non disputo. habent illi fortaße sui consilij causam probabilem. mihi tamen si iudicium ferre liceat, consimiliter facere videntur, ut medici nonnulli, qui omni genere medicamentorum ægrotanti præposito, rursus de medicina facienda disputant, nec earum quæ tot ac tam multæ proponuntur, vim aut naturam docere, morbisque præsentibus accommodare conantur; sic illi quoque de scribenda historia libros instituunt, cùm pleni sint omnes omnium antiquitatum libri, plenæ bibliothecæ historicorum, quos utilius ad intuendum & ad imitandum proponere potuissent, quàm de exordijs, narrationibus, verborumque ac sententiarum luminibus oratoriè disputare. Vt igitur aliquam doctrinæ viam habeat hoc quicquid est quod de historica methodo scribere

here aggredimur principiò hiſtoriam partiemur ac definiemus: deinde hiſtoriarum ordinem trademus: ad hæc communes humanarum actionum locos, ut memoriæ conſuli poßit, ad hiſtorias accōmodabimus: pòſt hiſtoricorum delectum ſingularem habebimus: tum de recto hiſtoriarum iudicio diſputabimus: conſequenter de ſtatu Rerumpublicarum dicemus, in quo potiſſimum hiſtoriæ totius diſciplina verſatur: tum eos qui quatuor monarchias & aurea ſæcula nobis invexerunt, refellemus: quibus explicatis, ut ſciri poßit unde hiſtoriarum origo peti, quóve referri debeat, temporum ordinem obſcurum & involutum illuſtrare conabimur: denique errorem eorum confutabimus, qui gentium origines pro veris tradiderunt: poſtremò ad hiſtoricorum collectionem & ordinem labemur, ut qua quiſque de re ſcripſerit, quáque floruerit ætate planè intelligatur.

QVID HISTORIA
sit & quotuplex.
CAPVT PRIMVM.



Istoriæ, id est, veræ narrationis, tria sunt genera: humanum, naturale, divinum, primum ad hominem pertinet, alterum ad naturam, tertium ad naturæ parentem. unum actiones hominis in societate vitam agentis explicat: alterum causas in natura positas, earumq; progressus ab ultimo principio deducit: postremũ præpotentis Dei, animorumq; immortalium in se collectam vim ac potestatem intuetur. ex quibus assentio triplex oritur, probabilis, necessaria, religiosa: totidemq; virtutes scilicet prudentia, scientia. religio, una quidẽ turpe ab honesto: altera verum à falso: tertia pietatem ab impietate dividit. primam ex imperio rationis & usu rerum agendarum, humanæ vitæ moderatricem vocãt: alteram ex abditarum causarum inquisitione, rerum omnium inventricem: postremam ex unius Dei erga nos amore, vitiorũ expultricem. ex his tribus virtutibus inter se coniunctis, conflatur vera sapientia, summum hominis extremumq; bonum: cuius boni qui sunt in hac vita participes, beati appellantur. & quoniam eius fruendi causa in hanc lucẽ venimus, ingrati simus, nisi bonum illud divinitùs nobis oblatũ amplectamur, miseri si ab eo deserimur. eius autem adipiscendi magnũ est ab historia triplici adiumentum, maximè verò à divina, quæ hominem per se ipsa beare potest, sine usu rerum agendarum, sine occultarum causarũ cognitione: quæ tamen si accesserint, magnũ, opinor, ad hominis fœlicitatẽ allatura sunt incrementum. consequens erat igitur, ut ab historia rerũ divinarum primordia peteremus: sed quoniã hominibus primùm studium conservandi sua natura parens ingeneravit: deinde paulatim à rerum naturaliũ admiratione ad causarum investigationẽ impulit: tum ab ijs illecebris ad ipsius rerum omnium moderatoris cognitionem

nem pertraxit: ob eam causam ab historia rerũ humanarum nobis auspicandum videtur, cũ primũ de summo Deo cõprehensiones, non solũ probabiles, sed etiã ad assentiẽdum necessariæ in puerorum animis radices egerint. ita fiet, ut à cogitatione nostri primũ, deinde familiæ, tum communis societatis ad naturę inspectionẽ, ac postremò ad immortalis Dei verã historiã, id est, cõtemplationem, abducantur. atque hoc postremum quàm difficile sit ijs, qui nondũ veræ philosophiæ sacris initiati fuêre, satis intelligunt, qui se in rerum magnarum meditatione aliquantũ exercuerunt. ut enim mentẽ paulatim supra sensus quasi supra fluctus, quibus immergitur magna pars hominũ, erigãt: nunquam tamen se ab ijs ita liberare possunt, quin à sensibus emissæ species, tanquã nebulæ, se lumini veritatis opponant. quo fit, ut qui omissa rerum humanarum ac naturaliũ cogitatione ab historia divina auspicantur, & pueris aut ignaris hominibus arduas rerum divinarũ quæstiones explicant, non modò spe fallantur, verumetiã earũ magnitudine plerosq; deterreant. quod igitur ijs, qui ex atra quadã ac densa caligine in lucẽ veniunt, suademus ut prius solis splẽdorẽ in terra, tum in nubibus, pòst in luna cõspiciãt, ut bene cõfirmato visu solem ipsum aliquando contueri possint: idem quoq; adversus imperitos faciendũ est, ut primũ Dei bonitatem ac præstantiam in rebus humanis animadvertant: deinde in perspicuis naturæ causis: tum in cœlestium corporũ descriptione & ornatu: postea in mundi totius admirabili ordine, motu, magnitudine, concentu, figura: ut ijs gradibus ad eam, quę nobis est cum Deo, cognationem ac generis stirpem aliquando redeamus, rursusq́; cum eo penitus coniungamur. qui aliter historiam instituunt, naturæ leges æternas perrumpere mihi videntur. Et quoniam triplex illud historiarũ genus viri graves & eruditi accuratè scriptis mandarunt, illud tantũ mihi proposui, ut in ijs legendis, ac studiosè dijudicãdis ordinem & modum servarem; præsertim in historia rerum humanarum. Nam cùm divinę ac naturales historię ab humanis plurimũ

differunt,tum hoc maximè quòd illæ non modò caussis,verumetiam finibus certis sunt contentę. naturales enim necessariam habent & stabilem causarũ consecutioné,nisi divina potestate prohibeantur vel paulo momento ab ea deferantur, & quasi fluentis materiæ principi omniumq; malorum parenti permittantur.ex altero quidem ostenta depravatę naturę & immania monstra: ex altero egregia Dei miracula:ex utroq; religionis aut superstitionis origo ac numinis cuiusdã metus in nobis ingeneratur, ut Dei maiestas illustris & clara:quanquã illustrior aut clarior esse nõ potest:sed ut hominum generi magis conspicua sit.at humana historia quòd magna sui parte fluit ab hominum voluntate, quæ semper sui dissimilis est,nullum exitum habet: sed quotidie novæ leges, novi mores, nova instituta, novi ritus oboriuntur; atque omnino humanæ actiones novis semper erroribus implicantur,nisi à natura duce,id est,à recta ratione,vel cùm depravari cœperit, ab ea quæ propius abest ab ortus sui principio,divina prudẽtia sinę cõsequentib. causis dirigantur:à qua si aberravimus,pręcipites in omne dedecus labemur. tametsi enim mens hominis ab æterna divinaque mente delibata se quàm longissimè potest ab hac terrestri labe seiungit, quia tamen impurę materiæ penitùs est immersa,eius contagione sic afficitur,& perturbationibus secũ dissidentibus adeò distrahitur,ut sine ope divina nec seipsam erigere,nec ullam iusticiæ partem adipisci, nec quicquã naturæ congruenter agere possit.ex quo efficitur,ut quandiu sensuum impedimentis & falsa rerum imagine obruimur,nec utile ab inutili, nec verũ à falso, nec turpe ab honesto discernere queamus: sed verborũ abusu prudentię tribuimus quo minus peccatur.quam quidem ad prudẽtiam comparandam cùm nihil sit maius,aut magis necessarium historia, propter humanos casus qui velut in orbem sui similes aliquãdo recurrunt:in ea prę sertim elaborandum ijs esse iudicamus, qui nõ solitariam vitam agant, sed ad hominum cœtus ac societates accommodatam. Itaq; è tribus historiarũ generi-

neribus,divinum quidem theologis;naturale philoso phis tantisper omittamus, dum in humanis actionibus earum q; præceptis, diu multumque fuerimus exercitati. Est autem humana historia communis aut propria:hæc unius hominis,aut ad summũ unius populi dicta factaq;memoratu digna complectitur.nam ut sapienter Academici rerum aniliũ nullas ideas posuerunt:ita futilibus actionibus historia constare non debet. communis plurium hominum vel civitatum gesta narrat;idque bifariam:aut enim plurium populorum,puta Persarum,Græcorum,Aegyptiorum : aut omnium quorũ modò res gestę proditę sunt,vel maximè illustrium: quod item multis modis fieri solet, cùm unius temporis, scilicet diei cuiusq;, vel mensis, vel anni:unde ephemerides sive diurna,& annales dictæ:aut ab ortu cuiusque civitatis,vel ab extrema memoria,vel ab orbe condito Rerumpublicarum initia, incrementa,status,conversiones, exitus memorantur: quod bifariam quoq; fit,breviter aut copiosè: ex quo nomen habẽt chronica &chronologiæ.Alij paulò aliter,eodem tamen relabuntur.nam Verrius Flaccus historiam diffusam narrationem vocat,in qua rerũ,personarum,ac locorum momẽta ponderantur ab eo qui rebus interfuit.Annales verò à Cicerone dicũtur,cùm sine ullis ornamẽtis,sine anxia causarum disquisitione, gesta cuiusq; anni narrantur. erat,inquit Cicero, historia nihil aliud nisi annalium cõfectio. Diaria sive ephemerides diei cuiusq;gesta,ut Asellio apud Gellium interpretatur. Fasti verò annales sunt, in quibus res quæque memorabiles,magistratus maximi,clarissimæ victoriæ,offensiones,triũphi,ludi seculares brevissimè continentur:quales sunt Verrij Flacci, Cratoris,Ausonij, Cassiodori,Cuspiniani. in universum tamen historiæ appellãtur:& superior illa partitio naturali ac divinæ historiæ peræquè cõgruit,cùm vel unius religionis (quanquã plus una esse non potest quæ superstitionem inter & impietatẽ medium ferit) scilicet Christianæ,vel plurium,vel omnium, aut maximè illustrium origines ac progressus memorantur.

Confimiliter unius rei natutalis historia colligi potest.puta unius stirpis aut animantis:vel omnium stirpium aut animantiū,quales sunt historiæ Theophrasti & Aristotelis : aut etiam omnium elementorum, quæque ex his conflantur corporum: vel denique totius naturę descriptio,qualem Plinius complexus est. Aut si quis nolit cum naturalibus disciplinis mathematicas confundere, quatuor genera constituet historiarum: humanam quidem incertam & confusam: naturalem certam,interdum tamen materiæ vel mali genij contagione incertam ac sui dissimilem:mathematicā,quòd à concretione materiæ libera sit, certiorem:sic enim veteres hanc ab illa diviserunt.postremò divinam certissimam & sui natura planè immutabilem.Atque hæc de historiarum partitione.

De ordine historiarum.

CAPVT II.


Vod in artium tradendarum ratione ac modo fieri solet,idem nobis est, opinor,in historiarum disciplina faciendū. neque enim satis est magnum historicorum cumulum domi habere, nisi cuiusque usus, & quo quisque ordine ac modo legi debeat intelligatur.& quemadmodum in epulis tametsi magna condimentorum suavitas est, nihil tamen insuavius si misceantur : ita quoque providendum erit, ne historiarum ordo confundatur:id est, ne postrema priore loco,vel media postremo,ad legendum proponantur.quod qui faciunt,non solùm res gestas capere nullo modo possunt,sed etiam memoriæ vim penitus labefactant : ut igitur plena sit & facilis historiarum scientia, principio adhibeatur præstans illa docēdarum artium magistra, quæ dicitur Analysis : quæ universum in partes secare, & partis cuiusq; particulas rursus dividere,totiusq; ac partium cohærentiam quasi concentum inter ipsa mira facilitate docet. nihil

hil enim in synthesi nobis est elaborandum, cùm historiarū ferè omnium membra inter se apta sint, magnoque studio ab eruditis in unum veluti corpus coagmentata: sed imperitè à nonnullis separantur. est autem partium ac totius tanta cohærentia, ut si divellantur à seipsa, nulla modo constare possint. Itaque Polybius Fabium Maximum, aliosq; Punici belli scriptores ob id etiam coarguit, quòd eius belli partem unam vel alteram complectantur. ijsq; similes videri scribit, qui capitis oculum, vel aliam particulam ab animante avulsam ostentant, ut cuius sit pars illa non satis intelligatur. eadem reprehensione utitur Dionysius Halicarnassæus adversus Polybium, Silenum, Timæū, Antigonum, Hieronymum, qui Romanæ historiæ commentarios laceros & imperfectos reliquerant. cōsimili quoque oratione quis adversus Dionysiū utatur: tametsi reprehensione carent: quia nec ab omnibus omnia scribi debuerunt, nec certè potuerunt, cùm tantum quisq; collegerit, quantum infinito labore ac diligentia decerpere potuit. nec illud opinor, ad scriptionem pertinet, sed ad lectionem historiarum, quarum partes si distrahātur, nec secum ipsæ, nec cum toto cohærebunt. quod igitur illi de Romana, idem nos de universa populorum omnium historia statuamus, universam historiam appello, quæ vel omnium, vel maximè illustrium populorum, vel quorum facta prodita sunt, ab ortus cuiusq; principio res bello domique gestas complectitur. tametsi enim multo plura sunt omissa, quàm ullius scriptione comprehensa, nihilominus tot ac tam multa restant, ut ijs legendis hominum vita quantumvis diuturna vix sufficere possit. Primū igitur communem velut omnium temporum tabulam, nudam illam ac simplicem nobis ad intuendum proponamus, in qua mundi origines, eluviones, Rerumq; publicarum ac religionum, quæ magis claruerunt, initia duntaxat & exitus, si modò exitum habuerunt, contineantur: quæ tum Orbis & Vrbis conditione, tum Olympiade, vel etiam si ratio postulat, anno Christi & Arabum Hegira (quæ in vulgatis

chronicis omiſſa eſt) definiantur. eiuſmodi ferè ſunt chronica quę vulgò feruntur, linearum ſpatijs diſtincta, brevia illa quidem, ſed auſpicantibus facilia. ac tametſi nō exactam continent temporū rationem, proximè tamen ad rei veritatē accedunt. poſt hanc deſcriptionem uberiore aliquantū & accuratiore libro utemur, qui non tantùm illuſtrium, ſed omnium populorum initia, ſtatus, converſiones, & lapſus cōplectatur, ea tamen brevitate, ut eodem penè intuitu qualis cuiuſq; Reipublicę ſtatus fuerit, videri poſſit: in quo genere plures ſcripſerunt, nemo tamen, ut mihi videtur, accuratiùs quàm Ioan. Funccius, qui certiſſima ratione temporum ea collegit quæ ab Euſebio, Beda, Lucido, Sigiſmundo, Martino, Phrigione tradita fuerunt: in quibus multa diligenter emendavit. ſed cùm in rebus ſingulis aliquando hęreat, ea prætermittēda ſunt, & ſumma quæque leviter attingenda. Ab eo ſcriptore aliquantùm informati de ſtatu rerum omnium publicarum, Carionis aut veriùs Melanchtonis hiſtoriam conſimili diligentia percurremus. Eſt enim aliquanto copioſior in diſputationibus de religione, [redacted], quæ ſi odioſa videntur, præteriri facilè poſſunt: cætera quæ in univerſum de Rebus publicis clarioribus dici potuerunt, breviter & accuratè complexus mihi videtur. ac ſi quis alius ſcriptor (ſunt autem nonnulli) qui univerſam mundi hiſtoriam Melanchtone copioſius ſcripſit, hunc ego legendū cenſeo Deinde ab univerſis paulatim ad ſingula delabemur, eo tamen ordine quo in tabulis Chronicorum ſunt comprehenſa. Et quoniam à Chaldæis, Aſſyrijs, Phœnicibus, & Aegyptijs Reipublicę gubernandæ ratio, diſciplinę, humanitas deniq; ipſa profecta eſt, imprimis illorum antiquitates inveſtigabimus; non ſolùm in ſcriptoribus qui propriè de illis ſcripſerunt, ut Beroſus, Metaſthenes, Herodotus: ſed etiam in Hebręis, quorum res geſtæ cum reliquis ferè communes ſunt. etenim multò plura certioraq; in Ioſippi antiquitatibus, & in libris adverſus Appionem de finitimis illis populis quàm in ullis ſcriptoribus cōmemorantur.

tur. post Hebræorum historias inquiremus; sed ita ut initiò Reipublicæ instituendæ rationem, potius intelligamus, quàm religionem, quæ tertium historiæ genus spectat, & altiorem desiderat contemplationem. deinde ad Medorum, Persarum, Indorum & Scytharum imperia veniemus. Ab his ad Græcos, qui ab Araxe, Euphrate, & Syriæ portis ad Hellespontum usque, rursus ab Hellesponto, usque ad Danubium, Acroceraunios & Aemi montes, suum genus propagarunt, & insulas Asiæ atque Europæ adiacentes, tum Italiam ipsam coloniarum multitudine compleverunt. horum appellatio triplex est: primi quidem Iones: alteri Aeoles: postremi Dores dicti sunt. A Græcis ad Italos, qui Alpibus & utroque mari cinguntur. Et quoniam populos omnes imperij magnitudine ac rerum gestarum gloria superarunt, tantaq; iusticiæ opinione valuerunt, ut nō modò legibus & institutis, sed etiam linguæ dignitate reliquis gentibus adhuc imperare videantur, omnis illorum antiquitas diligenter erit excutienda. cùm autem maxima diuturnaque bella cum Pœnis gesserint, utriusque gentis historia ferè est ab ijsdem scriptoribus comprehensa. His opinor, proximi sunt Celtæ, atque haud scio, an Italis ipsis antiquiores; certè quidem prius militari disciplina claruerunt, quàm Romani, neque in Italiam modò, sed etiam in Hispaniam, Germaniam, Græciam & Asiam colonias miserunt, ut suo loco dicemus. ac tametsi Garumna & Sequana fluminibus à Cæsare definiuntur, nihilominus imperiū à Pyreneis & Oceano ad Rhenum & Alpes protulerant. Sequuntur Germani, qui Alpibus, Rheno, Vistula, Carpatho monte, & Suevico mari cinguntur, quique Germanis sunt finitimi Dani, Norvegi, Suecij, Scandi: tum populi, qui ab illis originem traxerunt, Gothi, Franci, Vandali, Hunni, Heruli, Longobardi, Burgundiones, Angli, Normani: à quibus res maximæ gestæ sunt, & imperia florentissima constituta in Gallia, Britannia, Hispania & Italia. tametsi enim Hispani ac Britanni sua vetustate nobiles sunt, nō tamen rebus ita gestis claruerūt ut illi: quem-

admodum Arabes, qui generis antiquitate clarissimi fuerunt, sed in otio semper anteà delituerant, quousque erumpentes è desertis, Persas & Græcos de Asiæ & Africæ imperio depulerunt, magnasque victorias in Europa sunt consecuti. neque tantùm arma, sed etiam religiones, mores, instituta, linguam deniq; suam toto terrarum orbe disseminarunt. vulgus Saracenos appellavit, qui tametsi ex varijs populis coaluissent, nihilominus Arabes ipsi principatum tenuerunt, ut posteà planum faciemus. Ab his ad Turcas delabemur, qui ab oris Caspijs in Asiam influentes, paulatim Asiæ minoris, Græciæ totius & Aegypti regiones armis invaserunt. Neq; imperia Tartarum omittemus, qui ultra Imaum montẽ & mare Caspium longè latè imperant: neque Moscovitarum, qui à Volga flumine & Tanai, usque ad Boristhenem arma protulerunt, ac nuper Livoniam imperio adiunxerunt. postremi sunt Americi, & qui oras Africæ Australis ac Indiæ tenent, quorum historias quoque intelligere utile ac iucundum erit. Quæ omnia primò quidem leviter percurrenda sunt, deinde accuratiùs examinãda. ut cùm summa veluti capita rerum tenuerimus, ad singula paulatim veniamus. neque tantùm maximas, sed etiam mediocres ac minimas quasque Respublicas inquiremus; puta Rhodiorum, Venetorum, Siculorum, Cretensium, Helvetiorum, Achæorum, Genuensium, Florentinorum, & id genus similium. Græcorum quidem singulas satis accuratè Pausanias conscripsit. Percepta historia rerum omnium publicarum; restabit ut eorum res gestas inquiramus, qui vel imperio, vel generis splendore & opibus, vel denique virtutibus ac ingenij laude floruerunt: quorum suo quisque iudicio delectum habebit, & ad suas vitæ rationes optimi cuiusque dicta factáve accommodabit. Post historiam rerum humanarum, si cui tantùm est otij, ut naturæ pulcherrimas historias scrutari possit, multò faciliores aditus ad historiam divinam habiturus est: sin rei difficultas illum & vitæ rationes ab incepto revocabunt, ad res gerendas accedet; aut si

nullus est in hac vitæ fabula locus ei relictus, sit aliorum spectator, & vt res humanas, quarum mortuam imaginem in libris viderit, oculis ipsis intueatur. aliter fieri nequit, vt suauissimos ab historia fructus percipiamus, nisi prius mediocriter in rebus agendis, aut diligenter spectandis, vt monebat Pythagoras, exerceamur. Postremum erit, vt cognita rerum humanarum ac naturalium historia, quasi lotis manibus, ad diuinam accedamus. acprimùm cuiusque religionis summa capita colligamus: tum videamus quis cuiusque autor fuerit, quæ initia, quos progressus, quem denique statum & exitum habuerit: quid in vnaquaque virtuti consentaneum, quid alienum sit. ad hæc illustrium philosophorum de religionibus & summo bono sententias adiungemus, vt omnium opinionibus in medio positis, veritas magis elucescat. iuuabit etiam ex illis multa decerpere, quibus, velut Hebræi de spolijs Aegyptiorum, præpotenti Deo sacra faciemus. Sed in eo genere historiarum, plus oratione frequenti & purgatæ mentis in Deum cõuersione, quàm vllo studio proficiemus. Hæc autem quæ à nobis de ordine historiarum dicta sunt, Cosmographiæ similitudine facillimè intelliguntur. huius enim tanta est cum historia cognatio & affinitas, vt altera alterius pars esse videatur. & verò Scytharum, Indorum, Aethiopum, Americorum historias, à geographis duntaxat hausimus & expressimus. præter hæc historici geographicis descriptionibus vtuntur, & historici terrarum regiones semper describunt, vt si ars vlla historico necessaria sit, profectò geographia summè necessaria videatur. quemadmodum igitur qui Cosmographiam intelligere volet, hunc necesse est mundi totius imaginem breui tabula comprehensam sub aspectum collocare: deinde habitudinem cælestium corporum ad hæc elementaria videre: & vranographiam ab elementari diuidere; ab aere inquam, aquis ac terris: ab ijsque anemographiã, hydrographiã, & geographiam deducere: illam verò in decem orbes, totidemque circulos partiri: posteà ventorum or-

dinem ac naturam tractusque maris vtriusque ac terrarum descriptionem diligenter intueri. deinde orbem terræ pingui minerua primùm in quatuor aut quinque partes, in Europam scilicet, Asiam, Africam, Americam & Australem terram partiri, earumque situs inter se & cum cœli facie conferre: tum eam terræ partem quæ temperatior est & populorum nobilitate clarior, puta Europam, in Hispaniam, Galliam, Italiam, Græciam, Germaniam, Scythiam, Scandiam, Daniam, & in insulas vnicuique regioni adiacentes diuidere. consimiliter Asiam, in minorem & maiorem: hanc in Assyriam, Persiam, Parthiam, Mediam, Hircaniam, Arianam, Gedrosianam, Indiam & Scythiam cis & vltra Imaum tribuere: minorem in Phrygiam, Lydiam, Lyciam, Ciliciam, Cariam, Pamphiliam, Syriam, Galatiam, Cappadociam, Pontũ, Armeniam. eodem modo Africam in Mauritaniam, Lybiam, Cyrenaicam, Aegyptum, Aethiopiam, Numidiam, Nigritarumq; regiones. in qua diuisione satis erit insignes fluuios, mõtes, maria veluti terminos figere, ac cœli meridianos & parallelos cuique regioni congruentes designare. A Geographia tandem ad Chorographiam, id est, regionum descriptionem, facilis erit accessus. igitur telam subtilius retexentes, vnamquanq; regionem describemus: puta Hispaniam, quæ prima pars est Európæ, in Beticam, Lusitaniam, Tarraconensem partiemur. hanc rursus in Galliciam, Castiliam, Nauarram, Aragoniam, fluuiorum limitibus positis, Ibero, Anate, Tago, Beti, Durio, & eo monte (vulgò Adriani vocant) qui citeriorem ab vlteriore Hispania seiungit. tum mediam regionis latitudinem partibus xl. longitudinem verò xv. amplitudinem in longum partibus xiiij. in latum vij. definiemus. simili ratione in alijs regionibus vtendum erit. Postremò à Chorographia ad Topographiam & Geometricam, id est, ad singulorum locorum descriptionem & dimensionem dilabemur. ac primùm claras vrbes, portus, littora, freta, sinus, isthmos, promontoria, campos, colles, cliuos, rupes, vertices, agros, pascua,

syluas,

ſyluas, nemora, ſaltus, prata, virgulta, ſpineta, viuaria, pomaria, viridaria, ſalicta, omniaque oppida, colonias, præfecturas, municipia, caſtella, baſilicas, vicos, pagos, villas (ſi res ita poſtulabit) complectemur. Non aliter hiſtoriam vniuerſam partiemur ac definiemus. & quemadmodum falluntur, qui regionũ tabulas prius intuentur, quàm totius vniuerſi orbis partiumque ſingularum inter ſe & cum toto rationem accuratè didicerint: ita non minus errant, qui ſingulas hiſtorias prius intelligere ſe poſſe putant, quàm vniuerſæ hiſtoriæ omniumque temporum ordinem ac ſeriem velut in tabula propoſita iudicarint. eadem vtemur analyſi in ſingulari gentis cuiuſque hiſtoria. vt ſi quis Romanorum hiſtorias planè intelligere ac memoriæ mandare velit, prius Sextum Rufum legat, qui quatuor paginis, totam hiſtoriam complexus eſt. hinc ad Flori epitomen: deinde ad Eutropium, pòſt ad Liuium & Polybium accedat. conſimiliter de hiſtoria Francorum iudico, quam Io. Tillius breuiſſimè complexus eſt vno libello. hunc igitur prius legendum putem, quàm Paulum Aemilium: & Xiphilinum, quàm Dionem: Iuſtinum, quàm Diodorum vel Trogum, cuius tamen ſcripta penitus interciderunt. neque tamen ſatis eſt vniuerſam hiſtoriam intelligere, niſi ſingula quoque intelligamus. vtraque verò coniuncta, incredibilem, inquit Polybius, afferunt vtilitatem. id quod antea pleroſque fefellit, qui ſumma capita Rufi vel Flori collegerunt; Liuium neglexerunt: qui propterea penè totus intercidit. conſimiliter Iuſtinus Trogo Pompeio: Xiphilinus Dioni propè interitum attuliſſe videtur. Poſtremum erit, vt omnia dicta factaque memoratu digna in communes quoſdam memoriæ locos, velut in theſaurum reponamus, & ex ijs quantuncunque iudicio noſtro videbitur eruamus. id autem commodius fieri nequit, quàm ſi humanarum actionum partitionem nobis ad intuendum proponamus.

De locis historiarum rectè instituendis.

CAPVT III.



VONIAM de humana historia potissimùm futura disputatio est, historiæ verbum latè patens angustis hominum actionibus, & ad popularem loquendi modum rerum antè gestarum vera narratione definiamus. humanarum autem actionum tanta varietas est & confusio, tanta historiarum vbertas & copia, vt nisi certis quibusdam generibus hominum actiones ac res humanæ distribuantur, nec planè historiæ percipi, nec perceptæ memoria diu contineri possunt. Quod igitur viri docti facere solent in alijs artibus, vt memoriæ consulant, idem quoque in historia faciendum iudico: id est, vt loci communes rerum memorabilium certo quodam ordine componantur, vt ex ijs, velut è thesauris, ad actiones dirigendas exemplorum varietatem proferamus. & quidem nobis hominum eruditorum studia non defuere, qui ex historiarum lectione argutas sententias, quæ apophthegmata vocant, expresserunt. sed cùm in humanis actionibus tria potissimùm spectari consueuerint, consilia, dicta, facta, ex quibus bene sentiendi, bene dicendi ac bene agendi virtutes inquirimus, illi verba quidem collegerunt, quæ verò in factis & consilijs posita sunt, omiserunt. nonnulli dicta, factaque illustrium virorum, sed tenuiter admodum & sine ordine scripserunt; tum etiam humana diuinis, & vtrisque naturalia confuderunt. consilia verò ne attigerunt quidem, cùm tamen in vnius consilio sæpe salus Reipublicæ posita sit. Itaque hunc ordinem instituendum puto, vt tribus libris locorum omnium rationem complectamur. priore quidem res humanas: altero naturales, quæ in historia sæpe occurrunt: tertio diuinas. & quoniam major est in rebus humanis quàm in reliquis obscuritas & confusio, placet omis-

sa na

sa naturali ac divina historia, rerum humanarum & actionum partitionem à capite arcessere: deinde his ordine constitutis, indicare quonam modo historiam flores aptè & suo quicque loco accommodari possint. Actionem definiunt, quæ in seipsam vertitur, nec ullum opus relinquit, ut sermo: effectionem verò quæ opus molitur, ut scriptio. sed remota verborum subtilitate, quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, latiùs actionis verbum definiendum nobis est, ut consilia, dicta, facta, quæ prodeunt ab hominis voluntate, complectatur: sive pura sit, & ab omni ægritudine libera, qualis est in sapiente: sive perturbationibus, puta libidine aut ira, distrahatur, ut in plerisque, qui intemperantes & insani appellantur, qui nihil sceleratè sponte agunt, ut dicitur, sed animi quadam impotentia feruntur, volunt tamen: sive metu mali impendentis quid agatur, ut qui iactum faciunt rerum pretiosarum, nec sponte agunt, nec ægritudine animi, sed suscepto consilio malunt opes, quàm seipsos interire. quòd si quis à mente fuerit omnino alienatus, cuiusmodi sunt furiosi, ac rerum quæ geruntur ignari, eorum actiones non tam humanæ, quàm divinæ, aut naturæ depravatæ, aut dæmonis ipsos agitantis esse videntur. & quemadmodum naturales actiones attrahendi, aut expellendi, non sunt humanæ, ita ne illæ quidem. nec rursus si quis alterum præcipitem dederit ab altero impulsus, non eius est actio, nec peccatum ullum. consimiliter quem Deus aut furor divinus ad vaticinandum afflaverit, non humana, sed divina est actio, quia non ab hominis voluntate regitur. actiones igitur humanæ sunt, quæ ab hominum consilijs, dictis, & factis præeunte voluntate oriuntur. est enim voluntas, humanarum actionum magistra, sive ad rationem, sive ad vim animæ inferiorem sese converterit in rebus expetendis ac fugiendis. Et quoniam primum studium conservandi sui natura unicuique ingeneravit, primæ hominum actiones ad ea pertinent, sine quibus vivi nullo modo potest: deinde ad ea sine

quibus vivi quidem, sed non satis commodè; aut commodè, sed non splendidè; aut splendidè, non tamen ad eam, quæ suavissimè sensus oblectat, voluptatem. hinc opum augendarum cupiditas. sed quia voluptatum nulla satietas, aut ea communis est beluarum æquè ac hominum, quò quisque generosior est, eò longius se à beluarũ societate disiungit, ac paulatim gloriæ cupiditate fertur, ut reliquis præstare possit. hinc dominandi libido, & tenuioribus vis illata: hinc dissidia, bella, servitutes, cædes. sed cùm hoc vitę genus turbulentum sit ac periculis plenum, tum verò inanis ea gloria, quæ hominem excelsi animi explere non possit, consequens est, ut homo bene à natura informatus, paulatim feratur ad virtutis actiones, quæ in vera laude & solida gloria versantur, in qua plerique finem extremum constituunt. sed quoniam natura quietis est appetens, planum est eas virtutis actiones ad quietem aliquando dirigi oportere. quo fit ut homo paulatim à curis & hominum societate distractus solitudinem quærat, ut tranquillitate naturæ consentanea fruatur. itaque res humanas despiciens earumque inconstantiam ac temeritatem, naturæ causas certissimas intuetur, in quibus contemplandis tantam percipit voluptatem, ut talium studiorum conscientia fretus, regum opes ac fortunas negligat: quinetiam plerique cùm maxima imperia gessissent, ad hoc vitæ genus spontè relabi, quàm regnare maluerunt. hinc illæ scientiæ ac virtutes, quæ quòd in veri sola cognitione acquiescunt; θεωρικαὶ vocantur. Neque verò id satis est homini bene à natura instituto, ut in ijs scientijs, quarũ subiecta materia sub sensum cadit, acquiescat; sed his veluti gradibus ad ea fertur, quę sola mente percipiuntur, id est, ad animorum immortalium vim ac potestatem, quousque pernicibus alis sursum abripiatur, ac suæ originis primordia repetens, cum Deo penitùs coniungatur: in quo finis humanarum actionum & quies extrema, summaque fœlicitas consistit. huc omnia consilia, dicta, facta: huc humanæ actiones, huc disciplinæ ac virtutes referuntur. Ac tametsi

etsi contemplatio minus propriè actio dicitur, sic tamen Aristoteles appellavit, ne à se ipse discrepans, aliter quàm actione beatam vitam definiret. Hæc igitur ordine colligamus. Primi generis actiones ad eas artes referuntur, quę ad tuendam hominũ vitam, morbosque & offensiones depellendas pertinent: ut venatio, pecuaria, agricultura, ędificatio, gymnastica, medicina. secũdum genus ad institoriam, gubernatoriam, lanificia & fabriles artes. tertium ad cultum & victum splendidiorem atque omnino ad quæstuarias artes, quibus opes parare, & partis magnificè uti docemur: in quo superiorum artium perfectio versatur. sequuntur actiones voluptatum effectrices: quæ vel sensum, vel animum, vel utrunque molliter afficiunt. ad gustum quidem] Apicianæ artes: ad tactum sordida Milesiaca: ad odoratum unguentariæ: ad visum ductus linearum & colorum varietas decenter confusa, quæ pertinent ad picturam, cælaturam, topiariam, fusoriam, statuariam, tum etiam ad varias artes tingẽdi & acu pingendi: ad aures dicendi venustas, numeris, aut figuris, aut utrisq; comprehensa, aut etiam mollis ac depravatus arte nimia concentus, cùm simplex & naturæ congruens graves animorum ægritudines sanare, contrà verò sonorum varietate ac celeritate numerorum abreptus, mentem de sanitate deturbare soleat. quod ijs accidit, qui aurium voluptati nimis inservientes Dorios modos & graves numeros aspernantur, Ionicos affectant, ut mirum videri nõ debeat, si multi ad insaniam perducantur. Cùm autem eas vitæ utilitates, ac delicias nec singuli à singulis, multò minus à seipso idem consequi posset, hinc coeundę societatis occasio quęsita, cuius tamen non hic finis extitit. nam illa quoque bona cœtus animantium, quæ gregatim coeunt, consequuntur. homo verò cùm sit immortali animorum munere à Deo subornatus, eique similitudine quadam coniunctus, alienum est eius præstantia cum beluis summi boni societate copulari: quod quidem fieret si in civitatibus beatè tantùm, non etiam bene viveretur. non mirum igitur si

in communi societate tuenda tot ac tantarum utilitatum effectrice, præcipuæ hominum actiones conspirant. sunt autem in civili, domestica & morali disciplina positæ: una sibi ipsi imperare docet: altera familiæ: tertia Reipublicæ. prius enim apud se rationis imperium stabilire consentaneum est, in quo quidem iustitiæ totius ac legum omnium summa consistit, quàm uxori, liberis ac servis imperari possit: & familiæ prius imperium habere quàm Reipublicæ. prima quidem hominis est ad hominem: altera unius ad plures, qui charitate mariti uxorem, pietate paterna liberos, imperio herili servos moderari, tum etiam opes ad vitæ præsidia parare, & partis frugaliter uti possit. postrema longè latè patet, nec solùm unius familiæ, sed plurium inter se coniunctionem affinitatibus, & commerciorum usu complexa fovet ac tuetur. id autem fit civili disciplina, id est, imperandi prohibendiq́ue summa ratione. Civilem disciplinam voco, non Iurisprudentiam, ut plerique (est enim illius particula) sed illam artium omnium ac humanarum actionum moderatricem, cuius tria sunt capita, imperium, consilium, executio. imperium multiplex est, sunt tamen omnino quatuor partes, ac totidem actionum genera, in quibus elucet imperij maiestas. prima in creandis magistratibus & imperio cuique tribuendo: altera in legibus iubendis aut abrogandis: tertia in bello indicendo ac finiendo: postrema in præmijs ac pœnis decernendis, summaq́ue vitæ ac necis potestate. consilium autem capi solet de ijs, in quibus imperium versari diximus. aliud est enim legem ferre, aliud de lege ferenda consultare. hoc senatus, illud populi vel principis est, vel illorum qui Reipubl. summam habent. consulitur quoq; de vectigalibus imperandis aut minuendis, de exercitu cogendo, de legationibus admittendis, vel dimittendis, de propugnaculis & sartis tectis: postremò de alijs artibus & civium actionibus in Republ. dirigendis, quæ non possunt omnia legibus comprehendi. harum autem actionum præcipuę sunt
impe-

imperandi, ius dicendi, concionandi, sacrificandi: quæ quidem superiores ad cogendum, sequentes ad suadendum spectant: sed quæ non minorem, interdum etiam maiorem vim habent. illæ quidem legibus & armis à flagitio deterrent, aliæ rationibus & religioso ritu ad honestatem & virtutem impellunt. primùm enim homines agrestes ac barbaros quasi feras, militari manu à crudelitate & iniuria prohiberi oportuit: deinde iuris disceptatione & æquitate; postea concionibus & religionis metu. & quemadmodum arte imperatoria, iurisprudentia, oratoria, & religione humana societas maximè continetur, si milites fortiter, iudices æquabiliter, pontifices religiosè, oratores prudenter se gerant: ita quoque facilè soluitur, nisi ciuili arte ac imperio regantur. ciuili quoque disciplina regitur institoria in communium rerum euectione & inuectione: agricultura, pecuaria, medicina, gubernatoria: pòst opificia, quibus aut necessaria, aut commoda vitæ præsidia quæruntur. rem quoque literariam moderatur ciuilis scientia, puta diuini & humani iuris interpretes, & eós qui à veteribus sophistæ, postea Grammatici vno verbo sunt appellati, Rhetores inquam, poetas, Grammaticos, philosophos, mathematicos. ac propterea vocarunt veteres ciuilem hanc disciplinam Architectonicen propriè, quòd omnibus omnium artium magistris leges præscribat, vt ad communem vtilitatem suas actiones dirigant, néve contra Reipublicæ commoda quid moliantur. præterea vniuscuiusque munus ciuilis scientia definit. sunt autem vrbana vel militaria munera. hæc rem militarem curant: illa verò domestica imperia, consilia, iudicia, vrbis annonam, expensas, ærarium, vias, sarta tecta, iuuentutis educationem, religionem. omnis autem illa partitio munerum septem generibus continetur. primum genus est sine honore, sine quæstu, sine imperio, quod subire coguntur ij, qui tributa, militiam, excubias, vrbis custodiam, & id genus munera sine stipendio curant: alterum genus

ad eos pertinet,qui munus quidem publicum habent cum quæstu, sed parum honesto: cuiusmodi sunt lictores quique sordes vrbis egerere solent. tertium genus eorum est,qui publicum munus cum quæstu nõ inhonesto quidem,sed sine dignitate coniunctum habent,vt publicani,scribę,notarij,apparitores,cornicularij. quartum genus cum honore ac mercede coniunctum est, sed tamen sine imperio: vt pontifices ac legati. quintum in magno est honore sine quęstu ac imperio,quale munus est principis Senatus,aut ducis Venetorum. sextum honorem & imperium habet sine stipendijs,quod proprium est magistratuum; quales sunt Consules,Prætores, Censores, Tribuni, Archõtes, Ephori,& id genus alij. extremum est eorum, qui cum honore & imperio stipendia merentur: vt cxx. viri litibus iudicandis apud Venetos, & vbique ferè ij, qui iurisdictionem exercent. quæ omnia munera eius imperio ac potestate, qui Reipublicæ summam habet,diriguntur. neque tamen existimare debemus religionem disciplinæ ciuilis partem esse, si pontifices & sacerdotes imperio magistratuum contineri videmus: quod eò pertinet,vt sacrificia ritusque in Republica probatos acerrimè tueantur. religio verò ipsa,id est,purgatæ mentis in Deum recta conuersio,sine ciuili scientia,sine cœtu,in vnius hominis solitudine esse potest, ac magnorum virorum consensu beatior is putatur,quò lõgius est à ciuili societate remotus. sed quoniam vita ciuilis eget actione perpetua,nec potest in contemplatione tota ciuitas occupari: vt neque corpus ipsum aut animæ vires omnes intelligere: non erit hominis & totius ciuitatis eadem felicitas, si sola contemplatione bonum definiamus: id quod Aristotelem valde conturbauit, nec seipsum ex ea difficultate explicare potuit. Itaque ex Varronis autoritate, quam Marsilius Platoni quoque tribuit, bonum hominis vitam agentis,neque otio, neque negotio; sed misto genere definiendum nobis erit,si volumus idem esse vnius hominis,ac totius ciuitatis bonum. neque enim mens pura illa contemplatione

prius

prius frui poteſt, quàm à corpore penitus auulſa fuerit. His igitur generibus actiones humanæ continentur: aut ſi quæ reſtāt, ad ea referri facilè poſſunt. Quare tribus libris ad humanas, naturales ac diuinas hiſtorias accommodatis, priore libro ſingulares hominum actiones & caſus humanos eo, quo diximus, ordine conſtituemus. Primus locus erit de generis obſcuritate ac nobilitate: alter de vita & morte: tertius de vitæ commodis: tum de opibus & inopia: deinceps de vitæ ſplendore ac parſimonia: de ludis & ſpectaculis: de voluptate ac dolore: de gloria & infamia: de corporis fœditate ac forma: de robore ac imbecillitate: de barbarie & humanitate: de ignoratione ac ſcientia: de ingenij dotibus & inopia: tum de morali diſciplina, atque omnino de virtutibus & vitijs: conſequenter de domeſtica diſciplina: de mutua charitate mariti & vxoris: de mutua pietate parentum & liberorum: de imperio herili & obſequio ſeruorum: aut, ſi placet, de potentium ac tenuium mutuis inter ſe officijs: de quęſtuarijs artibus: de amore & odio: de ſocietatibus & commercijs: de affinitate & cognatione. poſtea de ciuili ſcientia. ac primùm de imperio: de regia poteſtate & tyrannide: de populi ſtatu & ſeditioſæ plebis: de optimatum imperio & libidine paucorum. de conſilijs pro Republica capiendis: de legibus rogandis aut abrogandis: de magiſtratibus ac priuatis: de bello & pace, atque omnino de ciuibus tuendis ac arcendis hoſtibus: de offenſione ac victoria: de præmijs ac pœnis: de vectigalibus imperandis aut minuendis: de legationibus admittendis aut dimittendis: de collegijs & corporibus inſtituendis aut tollendis: de regendis artibus ac diſciplinis: de iudicijs publicis & priuatis: de ſuppliciorum acerbitate ac lenitate: de aſylis & venia: de concionibus & oratoribus. pòſt etiam de agricultura & pecuaria; quibus Reſpublicæ maximè iuuantur: de mercatura & re nautica: de architectura & fabrili: de lanificijs & textoria: de medicina & pharmacopœia: de muſica & gymnaſtica: de pictura & ſtatuaria: de vnguentaria alijsq;

artibus efficientibus voluptatem. de re literaria: de iuris diuini & humani interpretibus: de philoſophis & mathematicis: de poetis & grammaticis. Liber ſecundus rerum naturalium hiſtorias, quæ ſæpius in legendis hiſtoricis occurrunt, partitione congrua complectetur: primùm de naturæ principijs: de tempore & loco: de ortu & interitu, atque omnino de motu & mutatione: de elementis & eorum natura: de imperfectis corporibus: de metallis & lapidibus: de genere ſtirpium: de animantibus triplici ordine diſtinctis: de cœleſtibus corporibus: de mundi magnitudine & figura. quæ omnia ſubtiliori partitione explicare facile eſt, propter ſummam rerum naturalium certitudinem. Poſtremus liber erit de rebus diuinis, ac primùm de mente humana, quæ rerum naturalium culmen eſt: diuinarum autem extrema, tum de intelligentiarũ triplici ordine: poſtea de Deo, deque illius factis & oraculis: poſtremùm de religione & impietate. His locis in capite cuiuſque libri hoc ordine, aut vt cuique commodius videbitur, conſtitutis: conſequens erit, vt quicquid in hiſtoriarum lectione memoratu dignum occurret, ſuo loco inſeramus, & in margine libri rerum humanarum notas adijciamus conſiliorum, dictorum, ac factorum (ſic enim res ipſæ ad actiones commodè referentur) idque literis maioribus. deinde videndum erit, quid in ſingulis honeſtum, turpe, aut adiaphorum ſit: & eo modo notandum, C. H. id eſt, conſilium honeſtum. aut ſi quis malit repudiata Stoicorum diſciplina, honeſtum ab vtili, turpe ab inutili diſiungere, non repugnabo. conſtituet igitur quatuor genera, turpe, honeſtum, vtile, inutile. itaque conſilium Themiſtoclis de nauibus exurendis, quod pro Republica iubente populo Ariſtidi communicarat, quia vtile viſum eſt Ariſtidi, non tamen honeſtum: locum hunc ad caput de conſilijs pro Republica capiendis referemus, adiectis in margine notis C. T. V. id eſt, conſilium turpe vtile. Conſilium autem dictorum & factorum veluti fundamentum quoddam eſt, quod ſine his cõ-

ſiſtit:

sistit: illa verò sine consilio non item, nisi quid temerè dicatur aut fiat, & consilia rerum magnarum ferè secreta sunt, nec sine scelere produntur, nec item nisi re gesta planè intelliguntur. ut Cincinati utile consilium sæpe Rempublicam Romanorum in maximis fluctibus & procellis servavit. cùm enim plebs elata Tribunorum numerum duplicari vellet, eique Appius consul acerrimè resisteret: tum Cincinatus consilio cum paucis communicato, Annue, inquit, nam quò plures erunt Tribuni, eò debilior futura est uniuscuiusque potestas, cùm unius intercessio potentiam omnium frangeret ac retardaret. plebs autem non intellexit se deceptam, sed veluti pro maximo beneficio Senatui gratias egit. eiusmodi consilia de Republica, utilia honesta vocentur. factum verò Q. Mutij cùm domum emeret, ac plus venditori daret, quàm peteretur, religione adductus, honestum inutile dicatur: sic consilium Temistoclis quum regem Persarum clàm admonuit, pontem illum, quo Asiam Europæ coniunxerat, Græcos excindere velle, non solùm honestum, sed etiam utilissimum fuit tum ipsi Themistocli, ad gratiam principis, si Græcos domuisset, retinendam; tum universæ Græciæ: quia de fuga statim Xerxes cogitavit. sed ferè utilia cum honestis congruunt. Interdum in eadem historia, consilia, dicta, facta, sui similia sunt. ut Sexti Tarquinij consilium adversus Lucretiam turpe est, dictum etiam turpius, factum verò turpissimum. interdum repugnant dicta consilijs aut factis. ut cùm Augustus perpetuum imperium stabilire vellet, victo ad Actium M. Antonio, mirabiles artes excogitavit, orationi quam habuit in Senatu, planè contrarias. verbo quidem imperium pertinaciter recusabat, vacationem à Republica petebat, ad extremum victus eorum precibus, quos subornarat, Deos obtestatus est, se post decennium pacatis rebus imperio cessurum. hinc vota illa decennalia, quibus imperium in annos quadraginta quinque sibi prorogavit. hic Cicero servitutis impatiens diceret, hone-

ſtam orationem turpi conſilio minimè reſpondere. Et quoniam plerumque eadem hiſtoriæ pars in diverſis capitibus cenſeri poteſt, cauſam præcipuam intueri oportet: ut ea quam de Antiocho refert Plutarchus in vita Demetrij, & Appianus in Syrio. cùm enim Antiochus Stratonices incredibili amore flagraret, tabe conficiebatur, ac iam moriturus videbatur, niſi Eraſiſtratus Ariſtotelis ex filia nepos, amoris vim ex ipſo pulſu iudicaſſet. patri Seleuco refert actum eſſe de vita filij: tum Seleucus, quid ita? meam, inquit Eraſiſtratus, uxorem deperit. an ego, inquit Seleucus, tam malè de te meritus ſum, ut adoleſcentis amori non indulgeas? tum ille; tu ne quidem amori alterius inſervires. Vtinam, inquit Seleucus, dij ſuum amorem in chariſſimam Stratonicem converterent. hic Eraſiſtratus, ergo pater idem & medicus eſſe potes. itaque Seleucus Antiocho novercam deſpondit. Eraſiſtratus verò donatus eſt ſexaginta millibus aureorum. hæc hiſtoria pertinet ad amorem, ad curationem morbi graviſſimi, ad paternam pietatem, ad filij verecundiam, ad prodigalitatem, denique ad argutam & urbanam Eraſiſtrati orationem. ſed quia his omnibus cauſam præbuit ſumma vis amoris, hanc hiſtoriam iucundam ac memorabilem non ad capita virtutum, aut prodigalitatis, aut medicinæ, ſed ad caput amoris referemus, ne ſit infinitum rem eandẽ toties uſurpare. Sunt etiam in dictis pleraque amara, putida, ſcurrilia, quæ turpia quoque cenſentur: quædam verò urbana & faceta, quæ honeſta. ſed quæ arguta ſunt aut ſalſa, ſi neque turpium neque honeſtorum adpellatione veniant, inter adiaphora collocare ſoleo. ut illud Demoſthenis ad Phocionem, Perdet te populus ſi quando furere cœperit. quin te potius, ſi reſipuerit. & illud ſtultè quærenti quis civium optimus? tui maximè diſſimilis. hæc atque ſimilia pertinent ad dicendi lepôres. Caſus autem fortuitos (quanquam nihil fortuitum eſſe poteſt, ſed populari oratione utimur) qui ad homines pertinent, & partim à rebus divinis, partim etiam à

natura

à natura duci videntur, ad humanos casus referri commodius est: vt illud, quod scribit Tacitus, apud Fidenates vnius theatri casu quinquaginta hominum millia occidisse; ad locum quem de morte inscripsimus, spectat. idem iudicandum erit de iactura, naufragijs & fortuitis offensionibus. Contraria verò ijsdem locis coniunximus, quòd ea ferè in historia coniunguntur. scilicet virtutes ac vitia: turpia & honesta, vt eorum facta diuisione, simul ac semel de contrariis dici possit, puta de stultitia, prudentia & malitia: de ignauia, fortitudine, temeritate: de confidentia, spe, desperatione: de leuitate, constantia, pertinacia: de stupore, temperantia, intemperantia: de arrogantia, modestia, deiectione: de crudelitate, clementia, misericordia, quam prudenter Seneca vitium animi vocat: de auaritia, liberalitate, prodigalitate: de scurrilitate, vrbanitate, rusticitate: de adulatione, affabilitate, contentione. ac tametsi pleraque nomine carent, mediocrium tamen appellatione statim extrema percipiuntur. vt in animi excelsi magnitudine, in amicitia, in virtute, in mansuetudine, in fide: quæ aut nullum, aut vnum duntaxat extremum habent nomine comprehensum. in quibusdam extrema sine mediorum appellatione vsurpantur, vt inuidiæ, maleuolentiæ: garrulitatis, taciturnitatis: impudentię, pudoris; quem à virtutibus excludunt, propterea quòd non quamuis decet ætatem: id quod in virtutis definitione necesse est. Quòd si quem minùs delectat ea vitiorum ac virtutum partitio, quatuor generibus complectatur, scilicet, prudentia, temperantia, fortitudine & integritate. sic enim Philo maluit verborum ambiguitate sublata iusticiam illam, quę aliud nihil est quàm in omnibus consilijs, dictis, & factis, rectitudo quædam & integritas, ἀγαθότητα vocare. cùm enim Plato iustitiam in se quenque prius stabilire doceret (sic enim Hebræi charitatis à se quenque initium ducere volunt) prudentiam in anima superiore, veluti normam expetendorum ac fugiendorum collocauit, fortitudinem in corde, temperantiam

in hepate: iustitiam verò quæ rationi quidem imperium, alijs obsequium, id est, suum cuique tribueret, omnium communem fecit. sed ea aut nulla est, aut omnino cum prudentia cōfusa. sic enim virtutem illam, quæ iudicare potest quid quenque cuique præstare oporteat, iurisconsulti non virtutem moralem, sed prudentiam vocarunt. neque verò bonus est qui alijs suum restituit, aut restitui iubet, cùm sceleratus sit qui aliter faciat: nisi dicamus virtutem esse latronum, qui iactant se ijs vitam dedisse quibus non ademerunt. Illud etiam incommodum sequetur, si quis illam iustitiam inferiori animæ tribuat, quòd animantia bruta, quæ vim illam inferiorem habent, iuris ac iustitiæ societate cum hominibus coniungemus. quòd si qua virtus est vtriusque animæ communis, profectò prudentia est vtriusque animæ, tum etiam virtutum ac scientiarum commune vinculum, quod quidem si demus, obscuram illam disputationem, vtrum prudentia virtus sit nec ne, de philosophia sustulerimus. eiusque opinionis authorem habebimus Platonē ipsum, qui extremo libro de Legibus, omnes omnium actiones sola virtute, virtutes omnes sola prudentia metitur. virtutes autem ipsius intellectus proprias, quæ disciplinæ vocantur, in theoricas, practicas, & operum effectrices, eo quo dixi modo partiemur, repudiata Stoicorum opinione. Ita fiet vt nihil in historiarum lectione occurrat, seu laude, seu vituperatione dignum, quod non aptè, & suo loco accommodari possit. Quòd si turpia cum honestis, vtilia cum inutilibus in historia coniungi videātur, sublata disputatione ad popularem loquendi modum accommodare oportebit. vt consilium Romani senatus, qui Gallo Proconsuli mandarat, vt Achæos à communi societate diuelleret, quos tametsi naturæ bonitatem sequeretur, in eadem amicitia tueri ac discrepantes conciliare debuisset: Romanis vtile fuisse dicemus, cùm eodem consilio Lacedęmonij, Veneti, ac ferè populi omnes vtantur: idque Athieniensibus vtile fuisse docet Demosthenes aduersus Aristocratem,

& in oratione de libertate Rhodiorum. ſi tamen iura gentium violarentur, inutile ac turpe iudicandum eſſet. ut Carolo V. Imperatori utile fuit imperitorum iudicio Rinconem & Fregoſium legatos occidere, aut à ſuis cæſos diſſimulare, quòd Turcarum opes & copias evocare dicerentur: facinus tamen illud non modò turpe, ſed etiam ſibi ac Reipublicæ pernicioſum erat, & belli maximi, quo Reſpublica Chriſtiana conflagravit, occaſionem afferebat: non alia de cauſa Corinthi excidium, ac Tarentinorum clades contigerũt, quàm ob illatas legatis offenſiones. At ſi quis eſt qui non populi, ſed ſapientium iudicia ſequi malit (quanquam quid turpe aut honeſtum, ne ſapientibus quidem inter ipſos convenit) ſæpiſſimè in gerenda Republica labetur. Extremum illud eſt, ut in legendis hiſtoricis, ne ſæpius à lectione ad ſcriptionem avocemur, notas communium locorum in margine adijciamus: deinde otioſè ſingula in locos referamus. nam hunc quoque fructum conſequemur, ut optima quæque altius memoria repetita defigamus.

De hiſtoricorum delectu.
CAP. IIII.



VNA res eſt quæ maximè Scythas impulit, ut literas omnes ac monumenta veterum à ſtirpe convellere conarétur, quòd acerbè ferrent Græcorum ac Latinorum bibliothecas & parietes rerum à ſe geſtarum magnitudine repleri: reliquos omnes, tametſi res quoque magnas ac memorabiles geſſiſſent, turpiter omiſſos, vel etiam atroci verborum contumelia notatos. fuerunt enim Græci ac Latini ſuarum laudum præcones: cæteri, præter Hebræos, nihil ferè de ſeipſis anteà prodiderunt. Ac fit neſcio quo modo, ut qui bellis & rebus gerendis occupantur, à ſcriptione refugiant: & qui plus aliquantò ſe literis dediderunt, earum illecebris ac dulcedine capti, vix unquam ab ijs divellantur. &

quidem sæpissimè cõtigit,ut quæ nationes arma diutissimè coluerant,postea quàm literas amplecti cœperunt, animi vim ac robur amiserint: vel quòd otio & inertia languerent; vel quòd ij qui in rerum divinarum & naturalium contemplatione versantur, non modò à cæde & sanguine abhorreant, sed etiam barbariem ac feritatem omnino deponant.quod quidem Græcis primùm, deinde Latinis,pòst etiam alijs usuvenisse constat. Itaque Phocio imperator, Athenienses belli magis cupidos quàm peritos, hortabatur,ut verborum copia qua præstabant, cum hostibus certarent, non armis quibus inferiores erant. Demades verò tibiarum similes esse dicebat, quibus exempta lingua, nihil inesset rationis.molliores etiam Asiatici, à quibus fluxit orationis ubertas. at Lacedæmonij disciplinarum ac literarum omnino imperiti res preclaras domi forisq; gesserunt, non ab ipsis,sed ab hostibus decantatas.Celtarum autem & Germanorum; tum etiam Arabum ac Turcarum illustria facta, bella, victorias oblivione sepultas, aut una pagina comprehensas, idque ab eorum hostibus factum videmus; contrà quàm Grecis accidit,qui Salaminiam aut Maratoniam pugnam tanta copia verborum amplificarunt,ut nihil unquam memorabilius gestũ esse videatur. sed quemadmodum Alexander magnus cùm victor in solio regis Persarum sederet,urbanè respondit Græcorum legatis, qui maximo bello Græciam ardere nuntiabant,sibi murium ac ranarum bella videri: similiter Alexandri bella contra molles Asiaticos & Persas (quos Cato mulierculas appellare; Cæsar contemnere solebat) exigua sint, præ ijs quę à Celtis, Germanis, Turcis ac Tartaris gesta sunt. id quod facilè intelligi potest ab ijs qui eorum victorias ab hostibus levissimè scriptas meminerunt.Vt igitur ab historijs rerum veritas habeatur, singulari non modò scriptorum delectu, sed etiam in ijs legẽdis illud meminisse debemus, quod ab Aristotele sapienter dictũ est,in historia legenda,neque nimis credulum,neque planè incredulũ esse oportere.nam si omnia omnibus

aſſentiemur, ſæpe vera pro falſis habebimus, ac turpiter in Republica gerenda labemur: ſin fidem omnem hiſtoriæ detrahemus, nullos ab ea fructus conſequemur: in altero quidem peccarunt ij qui fabulis omnia vetuſtatis monumenta compleverunt: in altero Turcæ, qui nec ullam antiquitatis memoriam habere, & curam penitùs abieciſſe feruntur: quòd putant hiſtorias ab ijs ſcribi non poſſe, qui alienam fidem ſequuntur; multò minùs ab illis qui rebus affuerunt aut præfuerunt, cùm de ſe ipſi multa mentiantur: aut principum metu, vel præmijs, vel odio diſtracti à vero deflectant: quæ Plutarchus ipſe ſibi obiecit, & quaſi foveam tranſilijt. ſed quid vetat poſteritati non ſuis æqualibus ſcribere? illud autem ne veriſimile quidem eſt, in tanta ſcriptorum multitudine reperiri neminem, qui nec prece, nec pretio, nec invidia, nec perturbatione abducatur ad ſcribendum. Prudens igitur hiſtoriarum lector, inter hæc vitia quorum alterum vanitatis eſt; alterum ſtuporis, medium feriet, & optimi cuiuſque ſcriptoris delectum ſingularem habebit: nec prius de hiſtoria ſententiam feret, quàm hiſtorici mores ac ingenium planè intellexerit. intereſt Reipub. iudicia de ſcriptorib. qui in publicũ exeunt, incorrupta minimeque depravata videri: ne cùm alienæ induſtriæ modum ponere volumus, optimos quoſque à ſcriptione deterreamus. Neque verò in ſcriptorum delectu, quem adhibere quenque oportet, ipſe iudicium ferre velim (eſt illud maioris cuiuſdam artis ac ingenij) ſed coniectura quadam & argumentis ad aſſentiendum probabilibus uti; quæ ſi nonnullis minùs probabuntur, ſententiam mutare non gravabor. quemadmodum enim pictis tabulas earumque ductus, lineamenta, colores ſtudioſè intuentem, picturæ minimè ignarum eſſe oportet, ut iudicium ferat; cùm acutiſſimi cuiuſque ſenſus & oculos multa fugiant: ita quoque neceſſe eſt, non modò in omni genere hiſtoriarum, ſed etiam in rebus agendis diu verſatum eſſe, qui virtutes hiſtoricorum ac vitia notare velit. Sunt autem hiſtori-

corum, ut opinor, tria genera: unum eorum qui optimè à natura, uberius etiam à doctrina informati ad res gerendas accesserunt: alterum eorum quibus literæ quidem, sed nec usus defuit, nec natura: postremum est eorum qui aliquantùm adiuti à natura, rerum gerendarum usu caruerunt, incredibili tamen studio ac labore se propè in historia colligenda ijs æquarunt, qui totum vitæ suæ tempus in Republ. gerenda consumpserunt. est autem uniuscuiusq; generis infinita varietas, eoq; maior quò quisque plus habet aut minùs integritatis, eruditionis, experientiæ. optimum genus est eorum qui omnibus abundant, si modò in historia scribenda seipsos ab omni perturbatione liberare possint. difficile est enim de sceleratis virum bonum scribentem abstinere maledicto: vel bonos amore & gratia non complecti. atque hæc amplificandæ historiæ initia fuerunt, cùm honesto mendacio ad laudem bonorum, & malorum contumeliam uti pulchrum putaretur. quòd si in eo genere boni labuntur, quid de improbis iudicandum erit? non parum igitur interest utrum historicus de seipso an de alijs: de civibus an de peregrinis: de hostibus an amicis: de re militari an urbana: denique utrum suæ ætatis an superioris: æqualibus an posteris historias scripserit. Rerum autem gerendarum peritum voco, qui consilij publici, aut imperij, aut iudiciorum particeps est vel conscius. nam in his tribus vertitur summa Rerumpublicarum. peritior tamen futurus est, si per se Rempublicam gesserit: peritissimus si plurimam literarum ac publici iuris cognitionem cum usu coniunxerit. vix est enim ut sine literis difficillimam Reipublicæ gubernandæ scientiam adipiscamur, cùm brevius sit vitæ humanæ spatium, quàm ut diuturna regionum peragratione, & varia cognitione populorum id assequamur, quod sine libris Licurgo, Soloni & Vlyssi contigit. hic enim prudens ab Homero appellatur, quòd mores hominum multorum vidit & urbes. plerique regionum varietatem aut animantium ac stirpium naturas, vel ædificio-

rum & pyramidum substructiones, aut erosa veterum numismata mirantur; leges ac iura populorum, Rerumque publicarum status & conuersiones pro nihilo ducunt. at ex his solida prudentia moderandæ ciuitatis comparatur. Neque verò imperij duntaxat aut consilij publici, sed etiam iudiciorum communione maximè omnium mores ac Reipubl. status intelligitur. etenim qui in litibus versantur, vt loquitur Arcadius, omnia mala norũt: nec mala dũtaxat, sed etiam bona, sine quibus illa consistere aut percipi nullo modo possint. bonorum autem & malorum finibus omnis humana prudentia continetur. ex quo intelligitur deterrimum esse genus illud historicorum qui sine vsu rerum, sine bonarum literarum scientia manibus illotis ad scribendam historiam accédunt. atque hoc præcipuum est in historicorum delectu argumentum. sed quoniam difficile est admodum omni perturbatione carere (quod in eo historico quem quærimus necesse duco) cauendum imprimis erit, ne scriptori de se suisque ciuibus & amicis quæ laudabilia sunt, aut de hostibus turpia scribenti facilè assentiamur. contrà verò minimè dubia fides est eorum quæ de hostibus laudabiliter & gloriosè gesta confitemur. in reliquis domestica vel hostium iudicia nolo: sed vt in arbitris tertium aliquem qui ab omni perturbatione liber sit. Itaque Dionysium Halicarnasseum (qui nullos in Republic. magistratus adeptus est) de Romanis multò veriùs ac melius scripsisse constat, quàm Fabium, Salustium aut Catonem, qui in sua Republ. opibus & honoribus floruerunt. nam Polybius homo Græcus sæpe mendacij coarguit Fabium & Philinum: quòd alter Romanus, alter Chartaginensis de bello Punico ita scripserunt, vt hic præclara omnia de Romanis: de Pœnis contrà Philinus Pœnos omnia laudabiliter ac fortiter (sic enim Polybius) Romanos autem turpiter & ignauiter gessisse scribit. at Fabius iudicio Polybij magnæ vir integritatis ac prudentiæ fuit, quemque nulla Reipubl, nulla hostium consilia

latuerunt.vterque tamen ad scribendum ita se comparauit vt oratores,qui hoc imprimis cauent ne quid contra seipsos dicant aut sentiant. sed fieri nullo modo potest,vt idē boni oratoris ac historici officio fungatur. Neque eas historias probare possum quæ perpetuas laudes ac virtutes eiusdem; nulla vitia commemorant: cùm nullus sit tanta integritate ac prudentia, vt non sæpissimè offendat. nam Eguinardus & Acciæolus Carolum Magnum, Eusebius Constantinum, Nebrissensis Ferdinandum, Iouius Cosmum Medicem, Philostratus Apollonium, Procopius Bellisarium, Staphylus & Leua Carolum V. Imper. tantis laudibus cumularunt, vt oratores non historicos agere videantur. ergo prudens existimator laudes cuiusque non domesticorum aut amicorum duntaxat, verumetiam hostium ponderibus examinabit. neque omnia Philippo Cominio de Ludouici XI. laudibus scribenti assentietur: sed etiam Meierum Belgicarum rerum scriptorem adhibebit: neque hunc tantum, verumetiam Paulum Aemilium: propterea quòd vnus quidem plenus est Ludouici laudibus: alter eas omnino reijcit; tertius medium ferit. Meierus perfidum hominem ac fratris interfectorem vocat, & cui nihil prius esset quàm violato iure diuino & humano, scelere tyrannidem occupare. quinetiam Cominium ipsum patriæ proditorem ac transfugam appellat. neque huic, neque illi in eo genere credendum puto, quòd alter opibus & honoribus maximis à rege cumulatus est: alter hostis & odio maiore quàm decuit historicum, ad sceleris atrocitatem verborum contumelias adduxit. Aemilius nec hostis nec amicus (fuit enim Veronensis) prudenter ac moderatè hunc in modum, Dux, inquit, inuidiam regi conflabat, parricidij insimulans; fratris filios corrupisse, per eos illum veneno necasse. nihil temerè affirmat: rumores vbique peruulgatos non omisit. illi florente Ludouico scripserunt, hic centesimo pòst anno, vt nulla vel gratia, vel metu, vel odio commoueri posset. itaque Cornelius Tacitus

citus profitetur res Tiberij, Claudij, Caij, Neronis, gliſcente adulatione ac florentibus ipſis ob metum, & poſtquam occiderant recentibus odijs compoſitas, falſas fuiſſe: atque inde ſibi conſilium ſine ira vel ſtudio ea tradere, quorum cauſas procul haberet. ſcripſit enim centeſimo pòſt anno quàm illi floruerant. ac fortaſſe illud voluit Ariſtoteles cum diceret, hiſtorias nō minus vetuſtate nimia, quàm nouitate fabuloſas & iniucundas eſſe. ſanè vix eſt vt qui præſentium rerum hiſtorias in vulgus manare patiuntur, veri ſcribant, ne cuiuſquam nomen hiſtoria læſura, aut famam violatura ſit, ac propterea Cicero neminem eorum qui vixerent inter claros oratores enumerauit, ne qui ab eo præteriti eſſent, vt ipſe ait, ſuccenſerēt. quis autem ab hiſtoricis in ea Republica veritatem exquirat, in qua dicere quod nolis, turpe; quod velis, miſerum ac periculoſum ſit? præſtat igitur omni metu ſublato rerum præſentium ſcripta poſteris mandare: aut ſi quis eſt qui ſuorum laborum gloria ſe viuo frui malit, ſuperioris ætatis res geſtas, collectis omnibus omnium commentarijs publicis ac priuatis, diuturnaque fama ſeniorum, hiſtoriam componat: id quod fecerunt clariſſimi ſcriptores Liuius, Tranquillus, Tacitus, Arrianus, Dionyſius Halycarnaſſæus. atque huius etiam maior fides eſt quàm illorum; quòd de aliena non de ſua Republica ſcripſit, & omnium commentarios, ac ciuitatis arcana ex actis publicis collegit: in quo genere eſt etiam Polybius, Plutarchus, Metaſthenes, Amianus, Polydorus, Cteſias, Aemilius, Aluareſius, Ludouicus Romanus. eorum verò minus probandę ſunt narrationes, qui nihil aliud habent, quàm quod ab alijs audierunt, ἐκ τῶν ἄλλων ἀκροαμάτων, vt loquitur Polybius; nec publica monumenta viderunt. itaque optimi ſcriptores, quò maior fides ſcriptis haberetur, è publicis monumentis ea ſe collegiſſe aiunt. ſic Amianus ſe Gallorum antiquitates è publicis illorum monumentis in lucem eruiſſe profitetur. ſimiliter Arrianus ſtatim initiò ſcribit ſe Regis Ptolomæi, qui Alexandri magni rebus vbique interfuit, commentarios

non prius euulgatos legisse. itidem Appianus Augusti scripta: Metasthenes & Ctesias publica Persarum monimenta: Diodorus Aegyptiorum, de quibus scripsit, arcana se vidisse testatur. Onesicratus & Aristobulus Alexandri magni legatus, quæ ipsi in Aegypto & India viderunt. Itaque Palæphatus sæpe κἀ ἡμᾶς, inquit, ἐθεασάμεθα. non quòd historiæ veritas ex regum commentarijs exquiri debeat: cùm de se ipsi multa iactent: sed ea quæ nihil aut parum admodum ad eorum gloriam aut vituperationem pertinent: vt ratio temporum, prouinciæ, imperia, regum ætates, series, atquæ omninò publicæ rationes, in quibus imperij arcana latent. huc verba Metasthenis referenda sunt, Neque tamen, inquit, omnes probandi sunt, qui de regibus scribunt, sed solùm sacerdotes penes quos publica fidès est annalium suorum, vt Berosus, qui omne tempus Assyriorum ex antiquorum annalibus digessit. hæc ille. Quòd si qua historia tot actam multos testes habet, vt refelli minimè possit, tametsi videtur incredibilis, magnum præ se fert veritatis argumentum, præsertim si in reliquis alios alij refutant. quis crederet Senatum Romanorum rustici cuiusdam somnio commotum, qui se ab Ioue monitum diceret, vt ludi instauraretur, quod in prioribus præsultor indoctè saltaret? ad eius somnium decreuit Senatus instaurari ludos. vni fortassis non crederetur: sed in eo conueniunt Plutarchus, Liuius, Dionysius, Valerius, Plinius; qui in tanta S.P.Q.R. consensione errare minimè potuerunt. quid si dicat aliquis, alter alterius errore ducatur? id sanè fieri potest, non modò in humana, sed etiam in naturali narratione, fama vetus est Olores morituros suauiter næniam canere, id quod omnes non modò poetæ ac pictores inde vsque ab Aeschylo, sed etiam principes ipsi philosophorum, Plato, Aristoteles, Chrisippus, Philostratus, Cicero, Seneca testantur: illud tamē Plinius primùm, deinde Athenæus fabulosum esse experientia diuturna tradiderunt, idque compertum habemus. sed historię naturales verę sint nec ne, facillimè

lime intelliguntur: humanæ verò, quæ semper sui dissimiles sunt, non item. multi Carolum Ducem Aureliorum ob læsæ maiestatis crimen supplicio affectum, idque Lutetiæ, scripserunt: neque unus tantùm aut alter, sed xx propè historici: quem tamen anno pòst trigesimo quàm ab Anglis captus fuisset, in Galliam rediisse, ac feliciter obiisse constat. atque in eo G. Bellaius meus civis, magnam historicorum negligentiam coarguit: quòd quæ fama recens evulgarat pro comperto scripserunt. eiusdem erroris Possidonius, Eratosthenes, ac Metrodorus à Strabone arguuntur, quòd levissimorum hominum mendacia pro vera historia tradiderunt. At Possidonius Cn. Pompeij auctoritate usus est, ne quid temerè scriberet. in qua re igitur scriptores à se ipsi dissentiunt, posterioribus credendum putem, si argumentis aut necessarijs, aut certè ad assentiendum probabilibus utātur. est enim veritatis ea vis & natura, ut non nisi longo ac diuturno tempore in lucem eruatur; cùm scilicet vulgi errores, adulationes & odia planè conquierunt. & quoniam capitales sunt hominum inter se de religione discrepantium inimicitiæ, non placet Ethnicorum de Iudæis, aut Iudæorum de Christianis, vel etiam nostrorum de Mauris ac Muhameticis exquirere opiniones: sed collatis inter se probatissimis quibusquę scriptoribus, qui qualesque sint, & utrum res ipsi compertas habent, videre. quanquam plerique in eo genere magis errore labuntur, & antiquitatis ignoratione, quàm quòd mentiri velint. ut quæ Græci veteres de Romanis & Celtis, aut Romani de Chaldęis & Hebreis tradiderunt, magna ex parte refelluntur; cùm alij aliorum antiquitatis ignari essent. quum verò de hostibus vituperatione digna leguntur, cohibenda est assensio, nisi valde perspecta fides est autoris. sed ut hostium scripta non omnino probanda; ita nec penitùs improbanda sunt. ac prudenter Caligula, qui Cassij & Labieni de Cęsare historias Senatusconsulto damnatas evulgari iussit, cùm diceret interesse Reipubl. uniuscuiusque res ab omnibus intelligi. neque tamen

huius aut illius de Cæsare testimonia si extarent. omnino mihi probarentur: nec Cæsaris, qui Pompeianos divina & humana miscuisse, pecunias fanis abstulisse scribit, cùm ipse nullo religionis ac Deorum metu omnia templa Gallorum spoliasset, ac ærarium sanctius, quod Pompeius aperire noluerat, diripuisset. hæc enim Cæsar atque his similia iactabat, ut iustam belli suscipiendi causam (tametsi nulla iusta causa cuiquam esse potest adversus patriam arma capiendi) habere videretur. quæ verò de bellis à se gestis conscripsit, ex magna parte vera iudicantur, præsertim cùm Imperator lege Portia prohiberetur falsum cæsorum numerum ad ærarij tribunos deferre, alioqui triumpho & imperio (cuius causa Cæsar sceleratum esse iustum putabat) caruisset. quæ lex ut impunè violata sit, attamen infamiæ metus hominem gloriæ cupidissimum retinebat, præsertim cùm se vivo sua scripta in vulgus manare pateretur, & innumerabiles hostes haberet, qui se mendacij coarguere potuissent. argumento est, quòd Ciceronis Catoni Anticatonem reposuit; sed ita scripsit quasi reus apud iudices, ut ait Tacitus, causam agere videretur. Quæ igitur de hostium scriptis diximus, locum habent, nisi quis transfuga subornatus & pecunia corruptus sit, ut de Frossardo nonnulli putant, cui dubium est utrum plus Angli, an ipse plus Anglis debeat: cùm apertè fateatur se ab illis maxima præmia consecutum. non aliter atque Aretinus, qui quem laudabat: id quod faciebat invitus: ab eo quoque se muneribus affectum gloriabatur. sic tamen existimo verissimè omnia scribere potuisse, cùm vel in rebus gerendis & militia magnam partem ętatis consumpsisset. patrię verò laudes penitùs obliuisci, aut ęquo animo præterire posse puto neminem. etenim Polybius, qui inter optimos scriptores verissimus habetur, cùm de suis civibus ageret, sibi temperare non potuit, quin adversus Phylarchum acerbissimè inveheretur, quòd Megalopolitanorum virtutem & fortitudinem in bello contra Aristomachum dissimulasset. Eadem causa, ni fallor, Plutarchũ im-

impulit, ut adversus Herodotum περὶ κακοηθείας scriberet, in quo nihil æquè reprehendit atque scripta de Bœotis & Cherronæis. Quis autem risum tenere possit, qui Sabellici scripta legat, ubi Venetorum bella cum Romanorum gestis comparat? at ne Donatus quidem Gianotus civis Venetus istam comparationem ferre potuit. eodem morbo (si morbus est suorum popularium dignitatem honesto mendacio tueri) omnes ferè historici laborant. itaque libenter Cæsari de Gallorũ moribus scribenti: aut Tacito de Germanis: aut Polybio de Romanis: aut Amiano de Francis assentior, cùm peregrini essent, & eorum de quibus scripserunt, antiquitates planè cognitas haberent. Sed magna dubitatio me angit, utrum historici laudare, vituperare, ac de re proposita sententiam ferre, an verò legentibus iudicium integrum relinquere debeant. quod cùm præcipuè ad historicorũ delectum pertineat, rationes utrinq; probabiles afferam, & cuique iudicium relinquam. Nam cùm historia nihil aliud esse debeat, quàm veritatis imago, & rerum gestarum veluti tabula, quæ in clarissima populi luce omnibus ad iudicandum proponitur: profectò præiudicium historicorum plurimùm de rebus gestis detrahit: propterea quòd imperatorum animos varijs opinionibus præoccupare velle videntur: prudentibus verò, qui falli nolunt, ob id ipsum, quia non rogati sententiam ferunt, valdè suspecti sint. illud etiam non parum obest, quòd plerique historici cùm rethoras aut philosophos agunt, filum abrumpunt propositæ narrationis, & legentium cogitationes ac memoriam aliò distrahunt: ut iure Timæus utroque vitio notatus sit: & cùm ab historia sæpius ad reprehensiones digrederetur, ἐπιτιμαῖος & obtrectator est appellatus. cùm autem nihil difficilius sit, quàm rectè iudicare, quis non graviter ferat historicum, qui nullam publici muneris aut consilij partem attigerit, de summis Rerumpublicarum moderatoribus sententiam ferre? quid autem ineptius, quàm eos qui nunquam acies viderunt, imperatorum offensiones inter ipsos & victorias

disceptare? nam is qui Henrici bella cum Carolo V. Imperatore gesta complexus est(eius nomen prætereo)iudicem utriusque se ferens,tot ac tantis laudibus Regem cumulavit, vel potius obruit,ut eas laudes ne ipse quidem Henricus sine fastidio ferre posset: Carolum verò quasi sceleratum & ignavum hominem contumelijs omnibus lacerat,nec intelligit vir bonus eiusmodi convitia in suum principem redundare,cui turpe sit cum tali hoste bellum gerere; turpius ab eo vinci;affinitatem verò contrahere turpissimum. quare nec bonus historicus, & iniquus iudex omnium suffragijs existimatur.non minus audacter Iovius qui Selimi & Ismaelis Sophi, tum etiam Caroli quinti & Pauli Pontificis max.atque aliorum principum odiosas comparationes suo iudicio metitur.his ego Xenophontem,Thucididem,Tranquillum,Cęsarem,Guicciardinum, Sleidanum oppono, qui raro admodum, nec nisi obliquè ac prudenter iudicium ferunt. Cæsar quidem bellicis laudibus abundans,&optimus artis imperatoriæ magister, suo quodam modo iure de re militari sententiam ferre potuit: nec vereri debuit reprehensiones imperitorum: illud tamen valde prudenter ac moderatè facit.cùm enim P.Sylla victoriam adipisci potuisse diceretur, si Pompeianos insecutus esset, heic Cæsar;Eius consilium reprehendendū non videtur.aliæ enim sunt legati partes atque imperatoris: alter omnia agere ad præscriptum;alter liberè ad summam rerum consulere debet. cùm item Pompeius in acie Pharsalica militem consistere, non progredi; hostem excipere,non lacessere iussisset; Quod nobis, inquit Cæsar, nulla ratione factum videtur, propterea quòd est quædam animi incitatio atque alacritas naturaliter omnibus innata: quæ studio pugnæ incenditur: hanc non reprimere, sed augere imperatores debent. heic non solùm armis, sed etiam arte belli gerendi cum Pompeio contendit. non desunt exempla, quæ Cæsaris testimonium confirmare possint, atque imprimis Epaminondæ victoria contra Lacedęmonios:sed ut sint innumerabilia,quid

tam

tam ineptum, quàm si Phormio aliquis, qui castra nunquam viderit, de talibus viris quasi arbiter datus sententiam ferat? vel homo de schola Lycurgi ac Solonis sapientissimorum Reipublicæ moderatorum leges emendare velint? quod quidem cùm fecisset Aristoteles, in multorum offensionem incurrit: & à Polybio tacitè: à Plutarcho apertè reprehensus est. quàm sapienter, nescio: illud tantùm, de rebus parum sibi compertis opinari, lubricum; iudicare, periculosum videri. atque in eo ipso Viues Caroli V. preceptor Cominium reprehendit, quòd sæpius ab historia proposita digrediatur, deque principum moribus ac virtutibus, atque omnino de beata vita philosophorum in modum disputet. is tamen aliter atque Viues omne tempus in Republica gerenda, aut in bellis, aut in maximis legationibus obeundis consumpserat, vt rectè, si quis alius, iudicium ferre potuerit. quòd si iusta reprehensio est, præstabilius sit historico narratione proposita timidè iudicare, vel assensionem omnino cohibere. At in contrariam sententiam me Polybij autoritas abducit. is enim propterea Phylarchum reprehendit, quòd debitas cuique laudes omisisset, ac præcipuam annalium vtilitatem esse putat, vt boni laudibus sui similium ad virtutem inflammari; sceleratí vituperatione, & infamia terreri possint. quam rationem Tacitus & Procopius amplectuntur: & grauissimi quique scriptores de re proposita sententiam ferunt. quinetiam Agathias (quod miror) nudam historiam, vetulatum nugis similem sibi videri scribit. sed is author non tanti est apud me, vt eius oratione persuaderi possim: præsertim cùm Ciceronis grauissimo testimonio Cæsar omnes historicos superasse videatur, ob id ipsum, quòd eius historia nuda, simplex, recta, & quasi omnibus detractis ornamentis vnicuique iudicanda proponatur. consimilis est historia Xenophontis, quam Thucydidi connectit, in qua nullum suum iudicium interponit, nusquam digreditur, nulla orationis adhibet ornamẽta. & quoniam pleriq; bonorũ laudes, ac vitupe-

rationes malorum ad historiæ fructum pertinere putant, verius ac melius à philosophis, quorum illud precipuè munus est, quàm ab historicis fieri poterit. quãquam plus satis vituperat Neronem, qui iustissimos quosque viros, præceptorem, duas vxores, fratrem Britannicum, matrem denique interfecisse narrat. quę omnia Tranquillus purè, simpliciter ac sine vlla verborum amplificatione scribit. Appianus verò cùm Mithridatem scripsit matrem, fratrem, tres filios impuberes, totidemque filias interfecisse, subijcit: Sanguinolentus & crudelis in omnes fuit. superioribus fidem non minus detraxit, quàm Iouius, qui oratione longa Selimi Turcarum principis crudelitates omnes cum summa contumelia verborum amplificauit. mihi satis ad æternam sui nominis labem & quidem credibilius videretur simpliciter narrare tres ab eo Bassas summa fide & affinitate sibi coniunctos, duos fratres, quinque fratrum filios ac parentem senio fractum ab eo necatos, quàm oratoris in modum, quòd minimè historicum decet, historiam amplificare, quæ legentibus falsa, vel suspecta videatur. Atquę hæc cum bona eorum venia dicta sint, qui nuda historia nihil magis insipidum esse putant. neque enim magnorum virorum de rebus gestis iudicia reprehendo, si modò tales sunt, qui rectè iudicium ferre possint. in vrbana disciplina laudatur Dionysius Halicarnasseus, Plutarchus, Liuius, Zonaras, Dio, Appianus. in militari, Cæsar, Paterculus, Amianus, Frossardus, Hircius, Bellaius. in vtraque Xenophon, Polybius, Thucidides, Tacitus, Cominius, Guicciardinus. in principum arcanis & aulica vita, Tranquillus, Lampridius, Spartianus, [redacted]. in moribus populorum & regionum varietate, Diodorus, Mela, Strabo, Leo Afer, Boemus, Aluaresius. in religione, Philo, Iosippus, Eusebius, Theodoritus, Socrates, Sozomenus, Nicephorus Calistus, Orosius, Sidonius, Gregorius Turonensis, Abbas Vrspergensis, Gulielmus Episcopus Tyri, Antoninus Florentinus, [redacted] sed vt optimè ab antiquis, Ne sutor vltra

crepi-

trepidam:ita nec Polybij de religionibus,nec Eusebij de re militari iudicia probare possum.Hæc in universum de historicis. Nunc optimi cuiusque delectum adhibeamus. meliores quidẽ ijs quos habemus sperare amentiæ:optare,sceleris esse videatur,nec eorum studia valde utilia duco, qui sibi fingunt ideam historici consummati,qualis nemo fuerit unquam,nec verò esse possit:eos autem quos in manib.terimus,omittunt.quis enim dubitat,quin historicus vir gravis,integer,severus,intelligens,disertus, & quasi vitæ communis ac privatæ, omniumque rerum magnarum scientia instructus esse debeat?ineptius tamen qui nihil in historia præter eloquentiam, aut fictas conciones, aut egressiones iucundas admirantur. sic enim statuo fieri nullo modo posse,ut qui ad voluptatem,idem quoque ad rei veritatem scribat. quod in Herodoto reprehendunt Thucydides, Plutarchus ac Diodorus. miror tamen hunc unum historiæ parentem à Cicerone appellari, quem omnis antiquitas mendacij coarguit.nullum est enim mendacis historici maius argumentum, quàm ab omnibus scriptoribus apertè confutari, neque tamen omnino reijciendum puto. est enim in eo præter eloquentiam & suavitatis Ionicæ lepôres plurima vetustatis imago: multa quoque in posterioribus libris verissimè ab eo scripta memorantur. Optimi vero scriptoris indicium est ab omnibus probari, eo præsertim tempore, quo vigent ij,qui rebus gestis interfuerunt. in quo genere sunt, opinor,Thucydides,Salustius,Xenophon,Cominius, Guicciardinus,Cæsar, Sleidanus.nam quòd Athenienses querebantur Thucydidem multa in gratiam Lacedæmoniorum scripsisse,magnum veri scriptoris testimonium tulerunt. cùm enim Atheniensis fuerit non Lacedæmonius, & legationes in bello Peloponesiaco ac Praeturas obierit: magnisque opibus & regia stirpe clarus extiterit: tum etiam res ipsas velut è specula viderit: & magnis sumptibus ingeniosos exploratores ad inquirendam rei veritatem aluerit:postremò spirantibus ijs,qui rebus interfuerant,sua scri-

pta in libera civitate iudicanda propoſuerit, quis eius hiſtoriæ fidem elevaret? neque verò Lacedæmonijs ita favit, ut ſuorum civium penitùs obliviſceretur; à quibus tametſi erat in exilium relegatus cùm hiſtoriã ſcriberet, ſui tamen exilij autorem atq; adverſarium omnium maximum Periclem, non modò à calumnijs vindicavit, ſed etiam tantis laudibus mortuum cumulavit, ut eius interitu Rempubl. interituram veriſſimè auguraretur. concionum tamen apparatum tacitè reprehendit Diodorus. eadem reprehenſione utitur Trogus Pompeius (ut eſt apud Iuſtinum) adverſus Livium & Salluſtium, quòd directas & obliquas conciones operi ſuo inſerendo, hiſtoriæ modum exceſſerint. Nihil eſt enim, ut ait Cicero, in hiſtoria pura & illuſtri brevitate dulcius. ſin conciones de Livio detraxeris, exigua fragmenta reſtabunt. quę cauſa Caligulã impulit, ut ſcripta Livij & imagines de bibliothecis omnibus propè amoveret. idq; magis mirum debet videri, cùm libro uno & quadrageſimo teſtatum reliquerit, ſe nihil præter hiſtorias Romanorum ſcribere decreviſſe. De Salluſtio, quòd eius omnia ſcripta ferè interciderunt, non ita facilè iudicari poteſt. ex ijs tamen quæ habemus, integerrimum ſcriptorem, & rerum magnarum uſu prȩditũ fuiſſe conſtat. ut enim Iugurthinum bellum verius ſcriberet, in Africam uſque navigavit. liberè tamen de rebus iudicat. quid enim liberius eſt, quàm in uno Cæſare & Catone Romanorum omnium illius ætatis collocare virtutem? At Thucydides Periclem; Sleidanus Franciſcum regem, ducem Saxonium, Bellaium, Alaſconem veriſſimis ac proprijs laudibus extulerunt, comparationes tamen odioſas reiecerunt. ac ſi quid eſt, quod cuiquam infamiam afferat, neceſſarijs confirmant argumentis, aut obliquè rumoribus acceptum ferunt. hoc verò commune illis eſt cum Guicciardino, Plutarcho, Machiavello, Tacito, ut multa multorum conſilia fraudesque quantumvis occultas in clariſſimam lucem proferant. fuit enim Sleidanus Franciſci regis interpres, & pro ſua Republ. legationes ſæpiſſimè

luſce-

suscepit. cùm autem præcipuè de religionibus ([redacted]) scribere proposuisset, non modò conciones directas & obliquas, sed etiam libros vtrinque de religione scriptos, qua breuitate potuit complexus est: id quod multis fastidium parit. sed homini antiquitatis ac rerum magnarum auido nihil debet molestum videri. est enim in nostris scriptoribus; Annonio, inquam, Monstreleto, Froissardo, Carterio magna farrago rerum leuissimarum, in quibus tamen latet antiquitatis ac vetustatis imago non penitus contemnenda; quam non reperias apud Aemylium, qui profitetur se multa prætermisisse, quæ alij prodiderunt. eiusmodi est etiam historia Leonis Afri, Aluaresij, M. Gazi, qui maxima, mediocria, minima complectuntur, infinitaque rerum varietate aures hominum curiosorum explere possunt. sed hæc rarius in Græcis aut Latinis, qui duntaxat vrbanam aut militarem disciplinam tractant, & quæ memorabili casu quodam contigerunt. vt apud Liuium Capitolij deflagratio in bello sociali. apud Tacitum incendium illud, quod duodecim vrbis regiones absumpsit. interdum tamen prodigia planè incredibilia narrant, non modò infimi, verũ etiam clarissimi quiq; scriptores: vt Cæsar ipse, qui bello ciuili Tralib9 statuas sudasse scribit; vir alioqui Deorum & hominum contemptor. sed in eo genere Liuius nimis religiosè dicã, an superstitiosè omnes superauit. nihil enim frequentius, quàm boues loquutos, scipiones arsisse, statuas sudasse, quod pluuio cœlo frequenter accidit: Deum Annibali apparuisse, infantem semestrem triumphum clamasse: vt non immeritò Polybius eiusmodi scriptores Tragœdos appellarit, qui cùm Annibalem è salebris expedire non possent, Deos è machina quadam accirent. quanquam Polybius de religionibus nefariè scripsit. illi venia digniores, quòd superstitione præstat, quàm impietate obligari; & falsam quàm nullum habere religionẽ. Est etiam Liuius aliquantò copiosior in laudibus alienis. cũ enim P. Semproniũ ciuibus omnib9 antetulisset (in quo reliquis iniuria fieri videtur) omnĩ

bus humanis à natura fortunaque bonis congeſtis inſtructum fuiſſe tradit. nec eo contentus ſingula copioſè amplificat à generis ſplendore, opibus, eloquentia, forma, ætate, animi magnitudine, diſciplina militari. Furium verò Camillum in cœlum vſque; Africanum ſupra cœlum tollit: vt mirum videri non debeat, ſi Auguſtus Pompeianum appellauit: quòd in Pompeio laudando ſatietatem explere non potuiſſet. at in reprehenſionibus parcus eſt & grauis. vt cùm M. Liuius & C. Claudius ante cenſuram ſe mutuis accuſationibus impeterent; hic ille, Ibi fœdum certamen inquinandi famam alterius cum ſuæ famæ diſpendio factum eſt. idem alibi de antiqua plebis in patricios reuerentia; Hanc modeſtiam, inquit, animique altitudinem vbi nunc in vno inueneris, quæ tum vniuerſi populi fuit? & de Caluino Campano, Improbum, ſed non ad extremũ perditum, qui mallet incolumi, quã euerſa patria dominari. eſt autem quod in Liuio miremur dicendi varietatem. interdum valde copioſus eſt; interdum verò conciſus. nam prioribus decem libris CDLX. annos ab V. C. comprehendit. altera decade LXXIIII tertia XVIII. quaſi feriò ad hiſtoriam aggrederetur, reliquis decem & centum libris CXCII. annos complectitur. neque enim vllo tempore populus Romanus à bellis conquieuit, quinetiam multò plura geſta ſunt ab exactis vrbe regibus vſque ad Appium Cæcum, quàm inde ad Cæſarem: ſed id factum opinor, quòd veterum commentarios, qui naſcente imperio pauci; florente innumerabiles extiterunt, in vnum quaſi corpus coaptauit. cùm autem in eos incideret, qui melius ſcripſerant, ijs ſe totum addixit: vt videre eſt in Punico bello; quod quidem ad verbum de Polybio tranſtuliſſe videtur. At Polybius non modò æqualis vbique ac ſui ſimilis: ſed etiam intelligens, grauis, in laudibus parcus, in reprehenſionibus acerbus, ac veluti prudens legiſlator, & bonus imperator, multa de militari vrbanaque diſciplina; multa de hiſtorici officio diſputat. ſcripſit autem hiſtorias omniũ ferè populorũ, qui ſuis temporibus floruerunt, & paulò

lò antè ab Olympiade CXXIIII. siue ab Orbe condito ter millesimo sexcentesimo octogesimo, vsque ad annum ter millesimum septingentesimum sexagesimum sextum. sed ex libris XL. quos scripsit XXXIIII. interciderunt. videtur autem non minus philosophi quàm historici personā induisse. nam in fœdere Carthaginensium principes ac Rerumpublicarum moderatores admonet, vt diligenter prouideant vtrum ij, quibus cum fœdera iungunt, necessitate coacti, an spe amicitiæ ducantur. plenus est eiusmodi præceptis liber sextus, in quo de militari & vrbana Romanorū disciplina copiosè disserit. locorum verò ac regionum descriptiones nemo veterum diligentius explicauit. tum etiam superiorum temporum & historicorum ignorantiam sæpe coarguit, qui fabulosè multa de Romanis scripserant. ex eodē T. Liuij & Appiani pudendum errorem deprehendimus, qui Galliorum legiones à Brenno deletas prodiderūt, nec tantæ cladi nuntium quidem superfuisse, qui Vrbem à se captam gloriaretur. consimili errore lapsus est Iustinus, Callimachus & eius scholiastes, qui Brenni copias Italia vastata in Græciam influentes spoliato Delphorum templo fulgure percussas omnino interijsse fabulantur. nam Polybius clarissimis argumentis ijsque necessarijs docet, easdem copias incensa Vrbe ad Hellespontum vsque progressas, & locorum opportunitate pellectas circa Bizantium constitisse, Thracibusque deuictis regnum vsq; ad Clyari tempora tenuisse. quod mirum videri non debet: cùm Balduino duce non ita pridem Bizantium cœperint, & imperio Græcorum diutissimè præfuerint. Polybium secutus est ætate nostra Paulus Iouius, quod attinet ad vniuersam sui temporis historiā. sed hoc inter vtrumque interest, quòd ille vel rebus gestis interfuit vel præfuit, vel publica vbique monumenta vidit; hic audita & inaudita plerūque scripsit: ille in militari ac domestica disciplina diu se exercuit; hic neutram attigit: ille in sua Republica princeps; hic priuatus: ille imperator; hic medicus: ille magnam Europę partem, oram Africæ & Asiam mi-

latuerunt. vterque tamen ad ſcribendum ita ſe comparauit vt oratores, qui hoc imprimis cauent ne quid contra ſeipſos dicant aut ſentiant. ſed fieri nullo modo poteſt, vt idẽ boni oratoris ac hiſtorici officio fungatur. Neque eas hiſtorias probare poſſum quæ perpetuas laudes ac virtutes eiuſdem; nulla vitia commemorant: cùm nullus ſit tanta integritate ac prudentia, vt non ſæpiſſimè offendat. nam Eguinardus & Acciæolus Carolum Magnum, Euſebius Conſtantinum, Nebriſſenſis Ferdinandum, Iouius Coſmum Medicem, Philoſtratus Apollonium, Procopius Belliſarium, Staphylus & Leua Carolum V. Imper. tantis laudibus cumularunt, vt oratores non hiſtoricos agere videantur. ergo prudens exiſtimator laudes cuiuſque non domeſticorum aut amicorum duntaxat, verumetiam hoſtium ponderibus examinabit. neque omnia Philippo Cominio de Ludouici XI. laudibus ſcribenti aſſentietur: ſed etiam Meierum Belgicarum rerum ſcriptorem adhibebit: neque hunc tantum, verumetiam Paulum Aemilium: propterea quòd vnus quidem plenus eſt Ludouici laudibus: alter eas omnino reijcit; tertius medium ferit. Meierus perfidum hominem ac fratris interfectorem vocat, & cui nihil prius eſſet quàm violato iure diuino & humano, ſcelere tyrannidem occupare. quinetiam Cominium ipſum patriæ proditorem ac tranſfugam appellat. neque huic, neque illi in eo genere credendum puto, quòd alter opibus & honoribus maximis à rege cumulatus eſt: alter hoſtis & odio maiore quàm decuit hiſtoricum, ad ſceleris atrocitatem verborum contumelias adduxit. Aemilius nec hoſtis nec amicus (fuit enim Veronenſis) prudenter ac moderatè hunc in modum, Dux, inquit, inuidiam regi conflabat, parricidij inſimulans; fratris filios corrupiſſe, per eos illum veneno necaſſe. nihil temerè affirmat: rumores vbique peruulgatos non omiſit. illi florente Ludouico ſcripſerunt, hic centeſimo pòſt anno, vt nulla vel gratia, vel metu, vel odio commoueri poſſet. itaque Cornelius Ta-

citus profitetur res Tiberij, Claudij, Caij, Neronis, gliſcente adulatione ac florentibus ipſis ob metum,& poſtquam occiderant recentibus odijs compoſitas,falſas fuiſſe:atque inde ſibi conſilium ſine ira vel ſtudio ea tradere, quorum cauſas procul haberet. ſcripſit enim centeſimo pòſt anno quàm illi floruerant.ac fortaſſe illud voluit Ariſtoteles cum diceret, hiſtorias nõ minus vetuſtate nimia, quàm nouitate fabuloſas & iniucundas eſſe.ſanè vix eſt vt qui præſentium rerum hiſtorias in vulgus manare patiuntur,veri ſcribant,ne cuiuſquam nomen hiſtoria læſura, aut famam violatura ſit,ac propterea Cicero neminem eorum qui vixerent inter claros oratores enumerauit,ne qui ab eo præteriti eſſent,vt ipſe ait,ſuccenſerét. quis autem ab hiſtoricis in ea Republica veritatem exquirat, in qua dicere quod nolis,turpe;quod velis,miſerum,ac periculoſum ſit?præſtat igitur omni metu ſublato rerum præſentium ſcripta poſteris mandare: aut ſi quis eſt qui ſuorum laborum gloria ſe viuo frui malit, ſuperioris ætatis res geſtas, collectis omnibus omnium commentarijs publicis ac priuatis,diuturnaque fama ſeniorum, hiſtoriam componat: id quod fecerunt clariſſimi ſcriptores Liuius,Tranquillus,Tacitus, Arrianus, Dionyſius Halycarnaſſæus. atque huius etiam maior fides eſt quàm illorum;quòd de aliena non de ſua Republica ſcripſit, & omnium commentarios, ac ciuitatis arcana ex actis publicis collegit: in quo genere eſt etiam Polybius,Plutarchus, Metaſthenes, Amianus,Polydorus,Cteſias,Aemilius,Aluareſius, Ludouicus Romanus:eorum verò minus probandę ſunt narrationes,qui nihil aliud habent, quàm quod ab alijs audierunt, ἐκ τῶν ἄλλων ἀκρουμάτων,vt loquitur Polybius; nec publica monumenta viderunt. itaque optimi ſcriptores,quò maior fides ſcriptis haberetur,è publicis monumentis ea ſe collegiſſe aiunt.ſic Amianus ſe Gallorum antiquitates è publicis illorum monumentis in lucem eruiſſe profitetur.ſimiliter Arrianus ſtatim initiò ſcribit ſe Regis Ptolomæi, qui Alexandri magni rebus vbique interfuit, commentarios

non prius euulgatos legisse. itidem Appianus Augusti scripta: Metasthenes & Ctesias publica Persarum monimenta: Diodorus Aegyptiorum, de quibus scripsit, arcana se vidisse testatur. Onesicratus & Aristobulus Alexandri magni legatus, quæ ipsi in Aegypto & India viderunt. Itaque Palæphatus sæpe καὶ ἡμᾶς, inquit, ἐθεασάμεθα. non quòd historiæ veritas ex regum commentarijs exquiri debeat: cùm de se ipsi multa iactent: sed ea quæ nihil aut parum admodum ad eorum gloriam aut vituperationem pertinent: vt ratio temporum, prouinciæ, imperia, regum ætates, series, atque omninò publicæ rationes, in quibus imperij arcana latent. huc verba Metasthenis referenda sunt, Neque tamen, inquit, omnes probandi sunt, qui de regibus scribunt, sed solùm sacerdotes penes quos publica fides est annalium suorum, vt Berosus, qui omne tempus Assyriorum ex antiquorum annalibus digessit. hæc ille. Quòd si qua historia tot actam multos testes habet, vt refelli minimè possit, tametsi videtur incredibilis, magnum præ se fert veritatis argumentum; præsertim si in reliquis alios alij refutant. quis crederet Senatum Romanorum rustici cuiusdam somnio commotum, qui se ab Ioue monitum diceret, vt ludi instaurarētur, quod in prioribus præsultor indoctè saltaret? ad eius somnium decreuit Senatus instaurari ludos. vni fortassis non crederetur: sed in eo conueniunt Plutarchus, Liuius, Dionysius, Valerius, Plinius; qui in tanta S.P.Q.R. consensione errare minimè potuerunt. quid si dicat aliquis, alter alterius errore ducatur? id sanè fieri potest, nōn modò in humana, sed etiam in naturali narratione. fama vetus est Olores morituros suauiter næniam canere, id quod omnes non modò poetæ ac pictores inde vsque ab Aeschylo, sed etiam principes ipsi philosophorum, Plato, Aristoteles, Chrisippus, Philostratus, Cicero, Seneca testantur: illud tamē Plinius primùm, deinde Athenæus fabulosum esse experientia diuturna tradiderunt, idque compertum habemus. sed historię naturales verę sint nec ne, facilimè

lime intelliguntur: humanæ verò, quæ semper sui dissimiles sunt, non item. multi Carolum Ducem Aureliorum ob læsæ maiestatis crimen supplicio affectum, idque Lutetiæ, scripserunt: neque unus tantùm aut alter, sed xx propè historici: quem tamen anno pòst trigesimo quàm ab Anglis captus fuisset, in Galliam rediisse, ac feliciter obiisse constat. atque in eo G. Bellaius meus civis, magnam historicorum negligentiam coarguit: quòd quæ fama recens evulgarat pro comperto scripserunt. eiusdem erroris Possidonius, Eratosthenes, ac Metrodorus à Strabone arguuntur, quòd levissimorum hominum mendacia pro vera historia tradiderunt. At Possidonius Cn. Pompeij auctoritate usus est, ne quid temerè scriberet. in qua re igitur scriptores à se ipsi dissentiunt, posterioribus credendum putem, si argumentis aut necessarijs, aut certè ad assentiendum probabilibus utātur. est enim veritatis ea vis & natura, ut non nisi longo ac diuturno tempore in lucem eruatur; cùm scilicet vulgi errores, adulationes & odia planè conquierunt. & quoniam capitales sunt hominum inter se de religione discrepantium inimicitiæ, non placet Ethnicorum de Iudæis, aut Iudæorum de Christianis, vel etiam nostrorum de Mauris ac Muhameticis exquirere opiniones: sed collatis inter se probatissimis quibusque scriptoribus, qui qualesque sint, & utrum res ipsi compertas habent, videre. quanquam plerique in eo genere magis errore labuntur, & antiquitatis ignoratione, quàm quòd mentiri velint. ut quæ Græci veteres de Romanis & Celtis, aut Romani de Chaldęis & Hebreis tradiderunt, magna ex parte refelluntur; cùm alij aliorum antiquitatis ignari essent. quum verò de hostibus vituperatione digna leguntur, cohibenda est assensio, nisi valde perspecta fides est autoris. sed ut hostium scripta non omnino probanda; ita nec penitùs improbanda sunt. ac prudenter Caligula, qui Cassij & Labieni de Cęsare historias Senatusconsulto damnatas evulgari iussit, cùm diceret interesse Reipubl. uniuscuiusque res ab omnibus intelligi. neque tamen

huius aut illius de Cæsare testimonia si extarent. omnino mihi probarentur: nec Cæsaris, qui Pompeianos divina & humana miscuisse, pecunias fanis abstulisse scribit, cùm ipse nullo religionis ac Deorum metu omnia templa Gallorum spoliasset, ac ærarium sanctius, quod Pompeius aperire noluerat, diripuisset. hæc enim Cæsar atque his similia iactabat, ut iustam belli suscipiendi causam (tametsi nulla iusta causa cuiquam esse potest adversus patriam arma capiendi) habere videretur. quæ verò de bellis à se gestis conscripsit, ex magna parte vera iudicantur, præsertim cùm Imperator lege Portia prohiberetur falsum cæsorum numerum ad ærarij tribunos deferre, alioqui triumpho & imperio (cuius causa Cæsar sceleratum esse iustum putabat) caruisset. quæ lex ut impunè violata sit, attamen infamiæ metus hominem gloriæ cupidissimum retinebat, præsertim cùm se vivo sua scripta in vulgus manare pateretur, & innumerabiles hostes haberet, qui se mendacij coarguere potuissent. argumento est, quòd Ciceronis Catoni Anticatonem reposuit; sed ita scripsit quasi reus apud iudices, ut ait Tacitus, causam agere videretur. Quæ igitur de hostium scriptis diximus, locum habent, nisi quis transfuga subornatus & pecunia corruptus sit, ut de Frossardo nonnulli putant, cui dubium est utrum plus Angli, an ipse plus Anglis debeat: cùm apertè fateatur se ab illis maxima præmia consecutum. non aliter atque Aretinus, qui quem laudabat: id quod faciebat invitus: ab eo quoque se muneribus affectum gloriabatur. sic tamen existimo verissimè omnia scribere potuisse, cùm vel in rebus gerendis & militia magnam partem ętatis consumpsisset. patrię verò laudes penitùs obliuisci; aut ęquo animo præterire posse puto neminem. etenim Polybius, qui inter optimos scriptores verissimus habetur, cùm de suis civibus ageret, sibi temperare non potuit, quin adversus Phylarchum acerbissimè inveheretur, quòd Megalopolitanorum virtutem & fortitudinem in bello contra Aristomachum dissimulasset. Eadem causa, ni fallor, Plutarchũ im-

impulit, ut adversus Herodotum περὶ κακοηθείας scriberet, in quo nihil æquè reprehendit atque scripta de Bœotis & Cherronæis. Quis autem risum tenere possit, qui Sabellici scripta legat, ubi Venetorum bella cum Romanorum gestis comparat? at ne Donatus quidem Gianotus civis Venetus istam comparationem ferre potuit. eodem morbo (si morbus est suorum popularium dignitatem honesto mendacio tueri) omnes ferè historici laborant. itaque libenter Cæsari de Gallorũ moribus scribenti: aut Tacito de Germanis: aut Polybio de Romanis: aut Amiano de Francis assentior, cùm peregrini essent, & eorum de quibus scripserunt, antiquitates planè cognitas haberent. Sed magna dubitatio me angit, utrum historici laudare, vituperare, ac de re proposita sententiam ferre, an verò legentibus iudicium integrum relinquere debeant. quod cùm præcipuè ad historicorũ delectum pertineat, rationes utrinq; probabiles afferam, & cuique iudicium relinquam. Nam cùm historia nihil aliud esse debeat, quàm veritatis imago, & rerum gestarum veluti tabula, quæ in clarissima populi luce omnibus ad iudicandum proponitur: profectò præiudicium historicorum plurimùm de rebus gestis detrahit: propterea quòd imperatorum animos varijs opinionibus præoccupare velle videntur: prudentibus verò, qui falli nolunt, ob id ipsum, quia non rogati sententiam ferunt, valde suspecti sint illud etiam non parum obest, quòd plerique historici cùm rethoras aut philosophos agunt, filum abrumpunt propositæ narrationis, & legentium cogitationes ac memoriam aliò distrahunr: ut iure Timæus utroque vitio notatus sit: & cùm ab historia sæpius ad reprehensiones digrederetur, ἐπιτιμαῖος & obtrectator est appellatus. cùm autem nihil difficilius sit, quàm rectè iudicare, quis non graviter ferat historicum, qui nullam publici muneris aut consilij partem attigerit, de summis Rerumpublicarum moderatoribus sententiam ferre? quid autem ineptius, quàm eos qui nunquam acies viderunt, imperatorum offensiones inter ipsos & victorias

disceptare? nam is qui Henrici bella cum Carolo V. Imperatore gesta complexus est (eius nomen prætereo) iudicem utriusque se ferens, tot ac tantis laudibus Regem cumulavit, vel potius obruit, ut eas laudes ne ipse quidem Henricus sine fastidio ferre posset: Carolum verò quasi sceleratum & ignavum hominem contumelijs omnibus lacerat, nec intelligit vir bonus eiusmodi convitia in suum principem redundare, cui turpe sit cum tali hoste bellum gerere; turpius ab eo vinci; affinitatem verò contrahere turpissimum. quare nec bonus historicus, & iniquus iudex omnium suffragijs existimatur. non minus audacter Iovius qui Selimi & Ismaelis Sophi, tum etiam Caroli quinti & Pauli Pontificis max. atque aliorum principum odiosas comparationes suo iudicio metitur. his ego Xenophontem, Thucididem, Tranquillum, Cesarem, Guicciardinum, Sleidanum oppono, qui raro admodum, nec nisi obliquè ac prudenter iudicium ferunt. Cæsar quidem bellicis laudibus abundans, & optimus artis imperatoriæ magister, suo quodam modo iure de re militari sententiam ferre potuit: nec vereri debuit reprehensiones imperitorum: illud tamen valde prudenter ac moderatè facit. cùm enim P. Sylla victoriam adipisci potuisse diceretur, si Pompeianos insecutus esset, heic Cæsar; Eius consilium reprehendendũ non videtur. aliæ enim sunt legati partes atque imperatoris: alter omnia agere ad præscriptum; alter liberè ad summam rerum consulere debet. cùm item Pompeius in acie Pharsalica militem consistere, non progredi; hostem excipere, non lacessere iussisset; Quod nobis, inquit Cæsar, nulla ratione factum videtur, propterea quòd est quædam animi incitatio atque alacritas naturaliter omnibus innata: quæ studio pugnæ incenditur: hanc non reprimere, sed augere imperatores debent. heic non solùm armis, sed etiam arte belli gerendi cum Pompeio contendit. non desunt exempla, quæ Cæsaris testimonium confirmare possint, atque imprimis Epaminondæ victoria contra Lacedęmonios: sed ut sint innumerabilia, quid

tam

tam ineptum, quàm si Phormio aliquis, qui castra nunquam viderit, de talibus viris quasi arbiter datus sententiam ferat? vel homo de schola Lycurgi ac Solonis sapientissimorum Reipublicæ moderatorum leges emendare velint? quod quidem cùm fecisset Aristoteles, in multorum offensionem incurrit: & à Polybio tacitè: à Plutarcho apertè reprehensus est. quàm sapienter, nescio: illud tantùm, de rebus parum sibi compertis opinari, lubricum; iudicare, periculosum videri. atque in eo ipso Viues Caroli V. præceptor Cominium reprehendit, quòd sæpius ab historia proposita digrediatur, deque principum moribus ac virtutibus, atque omnino de beata vita philosophorum in modum disputet. is tamen aliter atque Viues omne tempus in Republica gerenda, aut in bellis, aut in maximis legationibus obeundis consumpserat, vt rectè, si quis alius, iudicium ferre potuerit. quòd si iusta reprehensio est, præstabilius sit historico narratione proposita timidè iudicare, vel assensionem omnino cohibere. At in contrariam sententiam me Polybij autoritas abducit. is enim propterea Phylarchum reprehendit; quòd debitas cuique laudes omisisset, ac præcipuam annalium vtilitatem esse putat, vt boni laudibus sui similium ad virtutem inflammari; scelerati vituperatione, & infamia terreri possint. quam rationem Tacitus & Procopius amplectuntur: & grauissimi quique scriptores de re proposita sententiam ferunt. quinetiam Agathias (quod miror) nudam historiam, vetularum nugis similem sibi videri scribit. sed is author non tanti est apud me, vt eius oratione persuaderi possim: præsertim cùm Ciceronis grauissimo testimonio Cæsar omnes historicos superasse videatur, ob id ipsum, quòd eius historia nuda, simplex, recta, & quasi omnibus detractis ornamentis vnicuique iudicanda proponatur. consimilis est historia Xenophontis, quam Thucydidi connectit, in qua nullum suum iudicium interponit, nusquam digreditur, nulla orationis adhibet ornaméta. & quoniam pleriq; bonorũ laudes, ac vitupe-

rationes malorum ad historiæ fructum pertinere putant,verius ac melius à philosophis,quorum illud prçcipuè munus est,quàm ab historicis fieri poterit.quãquam plus satis vituperat Neronem , qui iustissimos quosque viros,præceptorem,duas vxores,fratrem Britannicum,matrem denique interfecisse narrat.quę omnia Tranquillus purè,simpliciter ac sine vlla verborum amplificatione scribit. Appianus verò cùm Mithridatem scripsit matrem,fratrem,tres filios impuberes,totidemque filias interfecisse,subijcit: Sanguinolentus & crudelis in omnes fuit. superioribus fidem non minus detraxit,quàm Iouius,qui oratione longa Selimi Turcarum principis crudelitates omnes cum summa contumelia verborum amplificauit.mihi satis ad æternam sui nominis labem & quidem credibilius videretur simpliciter narrare tres ab eo Bassas summa fide & affinitate sibi coniunctos,duos fratres,quinque fratrum filios ac parentem senio fractum ab eo necatos,quàm oratoris in modum , quòd minimè historicum decet,historiam amplificare,quæ legentibus falsa,vel suspecta videatur. Atquę hæc cum bona eorum venia dicta sint,qui nuda historia nihil magis insipidum esse putant.neque enim magnorum virorum de rebus gestis iudicia reprehendo , si modò tales sunt, qui rectè iudicium ferre possint. in vrbana disciplina laudatur Dionysius Halicarnasseus, Plutarchus , Liuius,Zonaras,Dio, Appianus.in militari , Cæsar,Paterculus,Amianus,Frossardus,Hircius,Bellaius.in vtraque Xenophon,Polybius,Thucidides,Tacitus,Cominius,Guicciardinus. in principum arcanis & aulica vita,Tranquillus,Lampridius , Spartianus,[redacted]. in moribus populorum & regionum varietate,Diodorus,Mela,Strabo,Leo Afer,Boemus,Aluaresius. in religione , Philo,Iosippus, Eusebius,Theodoritus,Socrates,Sozomenus, Nicephorus Calistus, Orosius,Sidonius , Gregorius Turonensis, Abbas Vrspergensis,Gulielmus Episcopus Tyri , Antoninus Florentinus,[redacted] sed vt optimè ab antiquis,Ne sutor vltra

crepi-

trepidam:ita nec Polybij de religionibus,nec Eusebij de re militari iudicia probare possum.Hæc in universum de historicis. Nunc optimi cuiusque delectum adhibeamus. meliores quidē ijs quos habemus sperare amentiæ:optare,sceleris esse videatur,nec eorum studia valde utilia duco, qui sibi fingunt ideam historici consummati,qualis nemo fuerit unquam,nec verò esse possit:eos autem quos in manib.terimus,omittunt.quis enim dubitat,quin historicus vir gravis,integer,severus,intelligens,disertus, & quasi vitæ communis ac privatæ, omniumque rerum magnarum scientia instructus esse debeat?ineptius tamen qui nihil in historia præter eloquentiam, aut fictas conciones, aut egressiones iucundas admirantur. sic enim statuo fieri nullo modo posse,ut qui ad voluptatem,idem quoque ad rei veritatem scribat. quod in Herodoto reprehendunt Thucydides, Plutarchus ac Diodorus. miror tamen hunc unum historiæ parentem à Cicerone appellari, quem omnis antiquitas mendacij coarguit.nullum est enim mendacis historici maius argumentum, quàm ab omnibus scriptoribus apertè confutari, neque tamen omnino reijciendum puto. est enim in eo præter eloquentiam & suavitatis Ionicæ lepôres plurima vetustatis imago: multa quoque in posterioribus libris verissimè ab eo scripta memorantur. Optimi vero scriptoris indicium est ab omnibus probari, eo præsertim tempore, quo vigent ij,qui rebus gestis interfuerunt. in quo genere sunt, opinor,Thucydides,Salustius,Xenophon,Cominius, Guicciardinus,Cæsar, Sleidanus.nam quòd Athenienses querebantur Thucydidem multa in gratiam Lacedæmoniorum scripsisse,magnum veri scriptoris testimonium tulerunt. cùm enim Atheniensis fuerit non Lacedæmonius, & legationes in bello Peloponesiaco ac Præturas obierit: magnisque opibus & regia stirpe clarus extiterit: tum etiam res ipsas velut è specula viderit: & magnis sumptibus ingeniosos exploratores ad inquirendam rei veritatem aluerit: postrem ò spirantibus ijs,qui rebus interfuerant,sua scri-

pta in libera civitate iudicanda propoſuerit, quis eius hiſtoriæ fidem elevaret? neque verò Lacedæmonijs ita favit, ut ſuorum civium penitùs obliviſceretur; à quibus tametſi erat in exilium relegatus cùm hiſtoriã ſcriberet, ſui tamen exilij autorem atq; adverſarium omnium maximum Periclem, non modò à calumnijs vindicavit, ſed etiam tantis laudibus mortuum cumulavit, ut eius interitu Rempubl. interituram veriſſimè auguraretur. concionum tamen apparatum tacitè reprehendit Diodorus. eadem reprehenſione utitur Trogus Pompeius (ut eſt apud Iuſtinum) adverſus Livium & Salluſtium, quòd directas & obliquas conciones operi ſuo inſerendo, hiſtoriæ modum exceſſerint. Nihil eſt enim, ut ait Cicero, in hiſtoria pura & illuſtri brevitate dulcius. ſin conciones de Livio detraxeris, exigua fragmenta reſtabunt. quę cauſa Caligulã impulit, ut ſcripta Livij & imagines de bibliothecis omnibus propè amoveret. idq; magis mirum debet videri, cùm libro uno & quadrageſimo teſtatum reliquerit, ſe nihil præter hiſtorias Romanorum ſcribere decreviſſe. De Salluſtio, quòd eius omnia ſcripta ferè interciderunt, non ita facilè iudicari poteſt. ex ijs tamen quæ habemus, integerrimum ſcriptorem, & rerum magnarum uſu prędit ũ fuiſſe conſtat. ut enim Iugurthinum bellum verius ſcriberet, in Africam uſque navigavit. liberè tamen de rebus iudicat. quid enim liberius eſt, quàm in uno Cæſare & Catone Romanorum omnium illius ætatis collocare virtutem? At Thucydides Periclem; Sleidanus Franciſcum regem, ducem Saxonium, Bellaium, Alaſconem veriſſimis ac proprijs laudibus extulerunt, comparationes tamen odioſas reiecerunt. ac ſi quid eſt, quod cuiquam infamiam afferat, neceſſarijs confirmant argumentis, aut obliquè rumoribus acceptum ferunt. hoc verò commune illis eſt cum Guicciardino, Plutarcho, ~~Machiavello~~, Tacito, ut multa multorum conſilia fraudesque quantumvis occultas in clariſſimam lucem proferant. fuit enim ~~Sleidanus~~ Franciſci regis interpres, & pro ſua Republ. legationes ſæpiſſimè ſusce-

suscepit. cùm autem præcipuè de religionibus ([redacted]) scribere proposuisset, non modò conciones directas & obliquas, sed etiam libros vtrinque de religione scriptos, qua breuitate potuit complexus est: id quod multis fastidium parit. sed homini antiquitatis ac rerum magnarum auido nihil debet molestum videri. est enim in nostris scriptoribus, Annonio, inquam, Monstreleto, Froissardo, Carterio magna farrago rerum leuissimarum, in quibus tamen latet antiquitatis ac vetustatis imago non penitus contemnenda; quam non reperias apud Aemylium, qui profitetur se multa prætermisisse, quæ alij prodiderunt. eiusmodi est etiam historia Leonis Afri, Aluaresij, M. Gazi, qui maxima, mediocria, minima complectuntur, infinitaque rerum varietate aures hominum curiosorum explere possunt. sed hæc rarius in Græcis aut Latinis, qui duntaxat vrbanam aut militarem disciplinam tractant, & quæ memorabili casu quodam contigerunt. vt apud Liuium Capitolij deflagratio in bello sociali. apud Tacitum incendium illud, quod duodecim vrbis regiones absumpsit. interdum tamen prodigia planè incredibilia narrant, non modò infimi, verũ etiam clarissimi quiq; scriptores: vt Cæsar ipse, qui bello ciuili Tralib⁹ statuas sudasse scribit; vir alioqui Deorum & hominum contemptor. sed in eo genere Liuius nimis religiosè dicã, an superstitiosè omnes superauit. nihil enim frequentius, quàm boues loquutos, scipiones arsisse, statuas sudasse, quod pluuio cœlo frequenter accidit: Deum Annibali apparuisse, infantem semestrem triumphum clamasse: vt non immeritò Polybius eiusmodi scriptores Tragœdos appellarit, qui cùm Annibalem è salebris expedire non possent, Deos è machina quadam accirent. quanquam Polybius de religionibus nefariè scripsit. illi venia digniores, quòd superstitione præstat, quàm impietate obligari; & falsam quàm nullum habere religioné. Est etiam Liuius aliquantò copiosior in laudibus alienis. cũ enim P. Semproniũ ciuibus omnib⁹ antetulisset (in quo reliquis iniuria fieri videtur) omnĩ

bus humanis à natura fortunaque bonis congestis instructum fuisse tradit. nec eo contentus singula copiosè amplificat à generis splendore, opibus, eloquentia, forma, ætate, animi magnitudine, disciplina militari. Furium verò Camillum in cœlum vsque; Africanum supra cœlum tollit: vt mirum videri non debeat, si Augustus Pompeianum appellauit: quòd in Pompeio laudando satietatem explere non potuisset. at in reprehensionibus parcus est & grauis. vt cùm M. Liuius & C. Claudius ante censuram se mutuis accusationibus impeterent; hic ille, Ibi fœdum certamen inquinandi famam alterius cum suæ famæ dispendio factum est. idem alibi de antiqua plebis in patricios reuerentia; Hanc modestiam, inquit, animique altitudinem vbi nunc in vno inueneris, quæ tum vniuersi populi fuit? & de Caluino Campano, Improbum, sed non ad extremũ perditum, qui mallet incolumi, quã euersa patria dominari. est autem quod in Liuio miremur dicendi varietatem. interdum valde copiosus est; interdum verò concisus. nam prioribus decem libris CDLX. annos ab V. C. comprehendit. altera decade LXXIIII tertia XVIII. quasi seriò ad historiam aggrederetur, reliquis decem & centum libris CXCII. annos complectitur. neque enim vllo tempore populus Romanus à bellis conquieuit, quinetiam multò plura gesta sunt ab exactis vrbe regibus vsque ad Appium Cæcum, quàm inde ad Cæsarem. sed id factum opinor, quòd veterum commentarios, qui nascente imperio pauci; florente innumerabiles extiterunt, in vnum quasi corpus coaptauit. cùm autem in eos incideret, qui melius scripserant, ijs se totum addixit: vt videre est in Punico bello; quod quidem ad verbum de Polybio transtulisse videtur. At Polybius non modò æqualis vbique ac sui similis: sed etiam intelligens, grauis, in laudibus parcus, in reprehensionibus acerbus, ac veluti prudens legislator, & bonus imperator, multa de militari vrbanaque disciplina; multa de historici officio disputat. scripsit autem historias omniũ ferè populorũ, qui suis temporibus floruerunt, & paulò

lò antè ab Olympiade CXXIIII. siue ab Orbe condito ter millesimo sexcentesimo octogesimo, vsquead annum ter millesimum septingentesimum sexagesimum sextum. sed ex libris XL. quos scripsit XXXIIII. interciderunt. videtur autem non minus philosophi quàm historici personã induisse. nam in fœdere Carthaginensium principes ac Rerumpublicarum moderatores admonet, vt diligenter prouideant vtrum ij, quibus cum fœdera iungunt, necessitate coacti, an spe amicitiæ ducantur. plenus est eiusmodi præceptis liber sextus, in quo de militari & vrbana Romanorũ disciplina copiosè differit. locorum verò ac regionum descriptiones nemo veterum diligentius explicauit. tum etiam superiorum temporum & historicorum ignorantiam sæpe coarguit, qui fabulosè multa de Romanis scripserant. ex eodẽ T. Liuij & Appiani pudendum errorem deprehendimus, qui Galliorum legiones à Brenno deletas prodiderũt, nec tantæ cladi nuntium quidem superfuisse, qui Vrbem à se captam gloriaretur. consimili errore lapsus est Iustinus, Callimachus & eius scholiastes, qui Brenni copias Italia vastata in Græciam influentes spoliato Delphorum templo fulgure percussas omnino interijsse fabulantur: nam Polybius clarissimis argumentis ijsque necessarijs docet, easdem copias incensa Vrbe ad Hellespontum vsque progressas, & locorum opportunitate pellectas circa Bizantium constitisse, Thracibusque deuictis regnum vsq; ad Clyari tempora tenuisse. quod mirum videri non debet: cùm Balduino duce non ita pridem Bizantium cœperint, & imperio Græcorum diutissimè præfuerint. Polybium secutus est ætate nostra Paulus Iouius, quod attinet ad vniuersam sui temporis historiã. sed hoc inter vtrumque interest, quòd ille vel rebus gestis interfuit vel præfuit, vel publica vbique monumenta vidit; hic audita & inaudita plerũque scripsit: ille in militari ac domestica disciplina diu se exercuit; hic neutram attigit: ille in sua Republica princeps; hic priuatus: ille imperator; hic medicus: ille magnam Europę partem, oram Africæ & Asiam mi-

norem, vt populorum mores intelligeret, peragrauit, hic annos septem & triginta, vt ipse gloriatur, in Vaticano cõsedit: ille Scipionis Africani moderatur ac bellorum vbiq; socius; hic Pontificum perpetuus comes. cùm autẽ rogaretur cur simularet falsa, vera dissimularet: amicorum gratia id à se factum respondit. ac tametsi superstites intelligeret suis scriptis fidem derogaturos, ea tamen intelligebat infinitæ posteritati credibilia fore, quæ sibi suisque popularibus laudem essent allatura, illud certè ad sempiternam memoriam testatum reliquit Gorræus Parisiensis, qui quas finxit Amadisi fabulas, non minus veras ac probabiles, quàm Iouij scripta fore confidit. ferendum quidem esset, si pro salute Reipub, mentiretur: id quod magistratibus Xenophon & Plato permiserunt: sed assentationis causa mentiri cùm omnibus turpe, tum verò historicis turpissimum. nam vt Bessario Cardinalis cùm inter Diuos inepta quadam ἀποθεώσει Romæ quàm plurimos referri videret, quorum vitam improbarat, se valde dubitare dixit, vtrum vera essent, quæ ab antiquis prodita fuerunt: ita mendaces historici faciunt, quo minus fidei reliquis habeatur. si Polybium imitaretur meminisse debuerat, quod ille historiarum initio profitetur, eum qui de historia veritatem detraxerit, pulcherrimi animantis oculos detraxisse. quàm verè scripserit, non ex eo qui fabularum autorem appellat, aut ex Sleidano vel Bruto Veneto, qui hominem mendacij sæpe coarguunt: quòd alter religione, alter odio tyrannidis permoueatur: sed ex ipso historiæ parente Guicciardino, qui omnium iudicio verissimè scripsisse putatur, conuinci potest. cuius scripta si cũ Iouio conferantur, non magis congruent, quàm rotunda quadratis: præsertim in concionibus, epistolis, fœderibus, decretis, quæ Iouius suo arbitratu fingit, in quo tamen decorum ita confudit, vt imperiti milites ipsius Alciati sui laudatoris iudicio, declamatores scholastici esse videantur. omitto ineptam Caroli Imperatoris ad Iouium cohortationem; Expedire te, inquit, Ioui calamos oportet, &c. tum eius querelas

relas & colloquia cum Iovio, quæ tam vera mihi videntur, quàm ducentos amplius leones à Muleasse interfectos: aut ex agro Brixiano sexcenta millia minoris pecoris, maioris verò ducenta millia à Gallis abducta, ut ipse affirmat, nec alijs acceptum refert. multa de Persarum Abissinorum ac Turcarum imperio quę utrum vera sint, ne ipse quidem scire potuit, cùm rumoribus fidem habuerit: nec consilia principum, nec cóciones, nec epistolas, nec res gestas, nec ulla publica monumenta viderit: sic tamen scribit quasi rebus interfuisset, nec ullum dubitationi locũ relinquit. quæ igitur verissimè scribere potuit, noluit: puta res in Italia gestas. quæ voluit, nó potuit: scilicet externa. nihilominus tamen graviter se laturum scribit, si cũ sui temporis scriptoribus conferatur: quod Arriani exemplo scriptum opinor. is enim tantò se reliquis historicis, qui vitam Alexandri magni scripserant, superioré putat; quantò reliquis imperatoribus Alexander. fuit certè Arrianus summo vir ingenio, summaq; doctrina prę ditus, ut planum fit ex eius commentarijs in Epictetum. præterea usum cum eruditione coniunxit: ac propter summam prudentiam ab Adriano Augusto per omnes honorum gradus ad consulatum florente Republica provectus est. omitto flores Attici sermonis & eloquentiam, quæ in eo tanta fuit ut alter Xenophon appellaretur. neq; tamen si Iovius ulla re cum Arriano comparandus esset, molestè ferre debuit se cum alijs conferri: quod ei per me licebit. non quòd multa non sint verè & eleganter ab eo scripta: sed hunc mendacij fructum tulit, ut etiam cùm vera scribit, suspectus habeatur. hoc tamen acerbius est ac indignius, quòd cùm historiam venalem prostituisset, uberiores tulit mendacij fructus, quàm quis alius vera scribendo. Sed ad veteres redeo, quos cum nostris, & inter se, ut casus feret, comparabo. Ac primùm quidem occurrit Dionysius Halicarnassæus, qui præter moderatum dicendi genus & Atticam puritatem, antiquitates Romanorum ab ipsius Vrbis origine tanta diligentia conscripsit, ut Græcos omnes ac La-

tinos superasse videatur. nam quæ Latini quasi pervulgata neglexerunt, puta sacrificia, ludos, triumphos, magistratuum insignia, tum universam Romanorum in gubernanda Republica disciplinam, censum, auspicia, comitia, totiusque populi difficilem in classes ac tribus partitionem: postremò Senatus auctoritatem, iussa plebis, magistratuum imperia, populi potestatẽ unus omnium accuratissimè tradidisse mihi videtur. quæ ut planius intelligerentur, Græcorum leges ac ritus cum Romanis institutis comparat. ut cùm iura clientelarum, quæ Romulus instituit (quanquam ea quoq; Gallorum communia fuisse tradit Cæsar) ab Atheniensibus & Thessalis altius repetit: ac Romanorum Dictatorem parem potestatem habuisse atque Harmosten Lacedæmoniorum, Archum Thessalorũ, Aezymneten Mitylenæorum. leges autem Romuli, Numæ, Servij unà cum antiqua Romanorum origine sine hoc auctore penitùs interijssent: quæ Latini quasi pervulgata negligenter omiserunt. atque id ferè omnibus historicis contigisse videmus, ut quę vulgò cognita sunt Reipublicæ instituta prætermittant: quasi exteris æquè ac civibus nota, vel etiam immutabilia fore iudicarent. rectè Sleidanus, qui quòd Argentinæ missa xx. annos intermissa fuisset, deinde prementibus armis rursus admissa, plebe magno concursu velut ad nova spectacula confluente; occasione accepta profitetur se posteritati Missæ arcana relicturũ, ne si rursus dimissa, vel omissa, vel planè amissa fuerit, quę qualisque sit postea ignoretur: quanquam pleraque sunt ab eo negligenter prætermissa: sed venia dignus est, si eius sacrificij oblitus sit, cui non nisi puer interfuerat. ita Dionysius, Plutarchus, Polybius, Dio Græci homines Romanorũ disciplinam universam, quã Latini neglexerant, diligenter pertractarunt. idẽ quoq; in nostris & Italorum scriptis sępe desideravi, ut Dionysium sibi proponerent ad imitandum: qui singulas historiæ utilitates, ubique colligens, omnia dicta, facta, consilia ad bene institutæ civitatis formam revocavit: maximè verò ad religionẽ & numinis metum.

tum.

tum. quid enim diviniùs & ad religionem magis accommodatè dici potuit: cùm de iustitia Romanorum ageret, quàm æterna quadam lege naturæ nunquam interitura decretum fuisse, ut imperia Rerumpublicarum ab iniustis possessoribus ad iustos deferantur? illud quidem est Syrachi sapientiæ magistri vetus oraculum. ex quo Dei bonitatem, & eam, qua in rebus humanis utitur, procurationem admirari debemus: cùm omnibus ætatibus ac seculis dominatum optimo cuique cum summa utilitate infimorum tributum videamus. sic enim Deus angelis imperat, hi hominibus, homines belluis, & in universum anima corpori, ratio libidini, mens rationi. atque hæc de historia Dionysij: quę si integra extaret, nihil esset quur Varonis thesauros interijsse quereremur. fuit enim Dionysius non solùm Pompeio magno ac Tuberoni, sed etiam magistro Varoni tanta benevolentia coniunctus, ut ab eius spatijs & colloquijs præclara omnia hausisse videatur. Parem ferè diligentiam in Romanorum antiquitate adhibuit Plutarchus: de eo quid iudicandum sit, satis unicuique perspectum opinor. cùm enim Traiani optimi principis moderator extiterit, & in aula principum diutissimè versatus, ad extremum etiam Istriæ præfectus, dubium non est quin ad summum sapientiæ studium, rerum quoque gerendarum usum adiunxerit. populorum verò maximè illustrium historiam complectitur: tametsi non perpetuam, sed abruptam, & ad principũ similitudines accommodatam. est autem quod in eo miremur liberum de re quaque iudicium, ut non tam historicus quàm principum censor esse videatur. sic tamen existimo, si quis idoneus est earum rerum arbiter, aut Plutarchum esse, aut neminem. quid enim tantam sapientiam latere potuit? patet hoc quidem omnibus qui modò gravissimas illius de Republica, deque intima philosophia disputationes legerint. bellorũ verò causas, initia, progressus, offensiones, victorias non aliter ac bonus imperator diligenter explicat. interdum etiam ad minima quæque rei familiaris mo-

menta delabitur: cuiusmodi est illud de Catone Censorio, qui dedita opera dissidia inter servos serebat, ne quid deteriùs in eadem voluntate conspirantes molirentur. ac de Pericle qui fructus annuos, quos ex prædijs percipiebat, suo commodo vendere, ac victui necessaria emere consuevisset, sæpe incredibilia & planè fabulosa narrat, sed utitur verbo φασὶ, ne quis temerè assentiatur. ut in Lycurgo scribit puerum Lacedæmonium crudelissimam lacerationem & iliorũ distractionem ad necem usq; pertulisse, ne vulpis furtum detegeretur. & Agesilaum ab Ephoris mulctatũ, quòd suorum ciuium animos & voluntates unus sibi conciliarat. illud tamen animadversione dignum est quòd Græcos principes cum Græcis, & Romanos inter se bona fide comparavit: Græcos verò cum Romanis non item. idque facilè intelligi potest in comparatione Demosthenis ac Ciceronis: Catonis & Aristidis: Syllæ ac Lysandri: Marcelli ac Pelopidæ. quid autem aliud est Agesilaum Pompeio, quàm muscam Elephanto conferre? interdum etiam in Romanorum antiquitate labitur: quod in homine Græco, qui se linguam Latinam non satis intellexisse in vita Demosthenis confitetur, mirum videri non debet. scribit Gracchum equites cum senatoribus rogatione Sempronia de iudicijs coniunxisse: qua tamen adempta sunt iudicia senatoribus & ad equites omnino translata: ut Velleius, Appianus, Asconius, Tacitus & Florus confirmant. itaque legem Liviam pro Sempronia: & Gracchum pro Druso usurpavit. simile est illud quòd Romanorum denario drachmam; libræ minam æquavit in vita Fabij & Antonij. id quod Budæo magnam præbuit errandi occasionem. nam his fundamentis malè iactis, infiniti errores consequuntur. quòd item in Catone Vticensi mutuam dare uxorem apud Romanos licuisse tradit: idque fecisse Catonem erga Hortensium, ut ex Martia Catonis nobili ac fœcunda matrona liberos susciperet, vix adduci possum ut credam, præsertim cùm Romuli lege de adulterijs ac more veterũ, quem Tibe-

Tiberius reuocauit, agnati adulteras vxores pro suo arbitratu coercerent. & quidem satis audacter Cuiacius, qui P. Manutium fabrilia tractare iubet, quòd lege Romilia de adulterijs capitalem pœnam vxori à marito & propinquis infligi licuisse putet: ea tamen lex à Gellio his verbis concepta est. In adulterio vxorem tuam si deprehendisses, impunè sine iudicio necares: illa te si adulterares, digito non auderet contingere, neque ius est. & in oratione Catonis de veteri mulierum victu & moribus: In adulterio vxores deprehensas ius fuisse maritis necare, neque enim ζημιοῦν multare significat, vt voluit Cuiacius, sed quoquomodo punire. hoc verò planius intelligitur ex ipso Halicarnassæo, qui maritũ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον fuisse scribit adulterij & ebrietatis causa. quibus verbis ius vitæ ac necis tribuitur. quanquam mitiùs agi & à propinquis vltra ducentesimum lapidem relegari adulteras consueuisse scribit Tacitus libro II. idem Plutarchus & Strabo Parthos æquè ac Lacædemonios mutuas vxores amicis dare consueuisse aiunt. sed eum morem non tulit opinor seueritas Romanorum: neque Appiano idem quoq; de Romanis scribenti assentior, cùm in eorum antiquitate sępissimè offendat. Nam libro secundo bellorum ciuilium scribit, Cæsarem cum Marcello in senatu dissentientem gladij capulo manũ admouisse, ac minitãtem senatui dixisse, Nisi dederitis, hic dabit: quæ verba sunt Antonij, cùm eo tempore Cæsar esset in Gallia. idem P. Clodium cum Calphurnia Cęsaris stupri commerciũ habuisse, & in sacris bonæ Deę deprehensum tradit, quæ ad Pompeiam pertinent. fuit autem Aegyptius, posteà Romæ Aurelio principe forensium causarum actor, vt ipse in Libyco profitetur. vnus est tamen ex omnibus historicis qui Romanorum prouincias, opes, exercitus, totiusque imperij descriptionem ad intuendum velut in subiecta tabula proponit. Strabo quidem, Plinius ac Rufus prouincias attigerunt, opes omiserunt. sic enim in Libyco Appianus: Habent, inquit, Romani equitum qua-

draginta, peditum ducenta millia: armorum vim duplo maiorem. minorum nauium duo millia: triremes mille, quinqueremes quingentas: armamenta naualia multò plura, præter octoginta naues aurea puppe ac prora insignes. adhæc trecentos elephantes, & curruum armatorum duo millia. talentorum verò in thesauris Aegypti quatuor & septuaginta millia. sed magnam eius historiæ partem amisimus. nam Siculus, Macedonicus, Hiberius, & Carthaginēsis desiderantur. Atque hæc Dionis Cassij opera sarciri poterāt, nisi maior esset huius quàm illius iactura: tametsi Xiphilinus in epitomen quæ potuit coniecit. cùm enim Dio totum vitæ suæ tempus in Republica gerēda consumpserit, ac per omnes honorum gradus bis ad Consulatum euectus, deinde Proconsul factus prouincias summa cum sua laude gubernarit, magnam denique bonarum artium scientiam cum vsu cōiunxerit, quis dubitet eum inter optimos scriptores censere? profectò comitiorum ac magistratuum Romanorum, totiusque publici iuris disciplinam accuratè collegit. principum verò consecrationes & ἀποθεώσεις vnus tradidit & ea, quæ Tacitus imperij arcana vocat, penè solus euulgauit. fuit enim publici consilij diligens indagator. videtur tamen vbique partes Cæsaris aduersus Pompeium; & Antonij aduersus Ciceronem data opera tueri voluisse. illa verò portenta quæ in acie Marcomanorum contigerunt, Arnupho Aegyptio, non Christianis tribuit, contrà quàm Tertullianus, Eusebius, Orosius, Iustinus, Paulus Diaconus, ac Marcus ipse Aurelius in suis ad Senatum litteris testantur. Sunt qui Diodorum superioribus conferendum, plerique anteferendum putant, non video tamen quid in eo tantopere admirentur: siue dicendi genus, quo nihil magis vulgare dici potest, siue rationem historiarum spectent. rectè quidem & ordine proponit ea quæ initio cuiusque libri dicturus est, seque ipsum breuiter colligit. vt videre est initio primi libri, vbi totum opus in libros XL. partitur. sex prioribus tempus omne complectitur ante bellum Troianum. vndecim sequen

ſequentibus à bello Troiano ad Alexandri mortem. reliquis X X I I I I. ab Alexandro vſque ad bellum Gallicum quod quidem tempus annos centum ac triginta ſupra mille comprehendit; pręterea quæ fabuloſa veteres appellant ante bellum Troianum. ex quo ad Heraclidarum reditum annos ſupputat X C. ſecutus Apollodorum. hinc vſque ad primam Olympiadem C C C X X V I I I. à prima Olympiade ad bellum Gallicum D C C X X X. hæc diligenter. illuſtrium quoque philoſophorum hiſtoricorum ac poetarum ætates ſolus è veteribus ad hiſtoriam adiunxit. vt libro decimoquarto ſcribit Cteſiam à Nino hiſtoriarum initia duxiſſe, Archonte Lyſiade: huius etiam libros ſex Aſſyriarum, totidem Perſicarum rerum. in quibus ab Herodoto vbique ferè diſſenſerat, in vnum collegit. nam Plutarchus, Pauſanias, Athenæus, & Gręci ferè omnes auctoritate Cteſiæ vtuntur. quanquam eius epitomen habemus. Thucydidem verò initium hiſtoriarum feciſſe tradit Archonte Charite, Q. Furio, & M. Papyrio Coſſ. Ephorum ab Heraclidarum reditu ad Perinthi expugnationem: Theopompum ab anno primo Philippi Macedoniæ regis, Archonte Callimede, Olympiade quinta & centeſima, Cn. Genutio & L. Aemylio Coſſ. ſed quod Diodorus in Theopompo reprehendit, idem in Diodoro coargui poteſt. ait enim ex libris octo & quinquaginta, quinque eſſe quorum dubia ſit fides: ita ex libris X L. Diodori quorum vix duodecim integros habemus, quinque priores penè ex fabulis cõflati videntur, vt Viues nihil eo ſcriptore nugacius eſſe putet. tametſi primus eſt inter Græcos qui Plinij iudicio nugari deſijt. cùm verò vniuerſitatis hiſtoriam ſcribere propoſuiſſet, totus eſt tamen in hiſtoria Græcorum. quinetiam prolixior eſt in vnius Gilippi Lacedęmonij concione (Laconicæ breuitatis, & ſuæ in Thucydidem reprehenſionis oblitus) quàm in hiſtoria bellorum quæ per Italiam geſta ſunt annis ferè trecentis: cùm tamen longa digreſſione de peſte Athenienſium & eius cauſis diſputet. omitto quàm abſurda ſit eius interpretatio

de anno Lunari, cùm homines annos mille ducentos aliquando vixisse crederentur: quasi non his quoque temporibus hanc ætatem multi superarent. sed cùm annos xxx. in historia scribenda & regionibus obeundis se consumpsisse fateatur, miror quur Italiæ finitimæ historias adeò negligenter tractarit: præsertim cùm florente Romanorum imperio, id est, Cæsare Dictatore, claruerit. nam si quis Liuium ac Dionysium cum Diodoro comparet, vbique ferè in Romanorum antiquitate discrepantes iudicabit: maximè in ratione Fastorum & Olympiadum, in quibus sæpissimè labitur: idque fortassis imperitia linguæ Latinæ contigisse puto, quò minùs scripta Romanorum diligentiùs inquireret, argumento est quod vbique φεύριον pro Furio scribit, quasi Græca vox esset. idem Ancum Horatium pro Marco: S P. Manium pro Melio: Lactucam pro Luctatio: Trigeminum pro Tricosto. quod vt librariorum vitio tribuatur (sic enim opinor) non tamen potest in Consulibus, Decemuiris, ac Tribunis militum Consulari potestate eadem excusatio habere locum, in quibus enumerandis modò tres modò quatuor omittit, totamque Fastorum Consularium rationem confundit. sed hæc Caroli Sigonij & Onuphrij Panuinij studijs ac labore facilè possunt emendari. vterque profectò in Romanorum antiquitatibus explicandis summam ingenij laudem est adeptus. In quo genere magnum etiam Cornelius Tacitus nobis attulit adiumentum. cùm enim à Tiberio vsque ad Neruam vnius sęculi resgestas cõscripserit, omnia maxima, mediocria, minima studiosè persecutus est. libro quarto profitetur se nec bella, nec vrbium expugnationes, nec fusos exercitus, nec certamina plebis & optimatum narrare, suumque laborem inglorium fore non tamen inutilem. & paulò pòst, Nos sæua iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, & easdem exitu causas coniungimus. quanquam omnia bella, quæ illis temporibus contigerunt, & quibus ferè interfuit aut præfuit, studiosè de-

scribit

ſcribit. nec poſt Actiacam victoriam ullus eſt hiſtoricus qui militarem aut forenſem rationem copioſius tractarit. floruit enim diutiſſimè in militari urbanaque diſciplina, & Proconſul Germaniam inferiorem obtinuit; quo tempore Germanorum mores, inſtituta, ritus tanta diligentia perſcripſit, ut uni Tacito ſuam antiquitatem Germani acceptam ferant. eſt etiam gloria maiore dignus, quòd Tacitus Auguſtus, qui ob ſummam ſapientiam magna conſenſione Senatus ac legionum Imperator creatus eſt, ad hunc ſuę ſtirpis originem detulit, eiusque libris bibliothecas omnes complevit: tametſi efficere non potuit ut integrum haberemus. eſt autem oratio Taciti mirum in modum arguta & prudentiæ plena. argumento ſit illud, Proclivius eſt iniuriæ quàm beneficio vicem exoluere, quia gratia oneri; vitiũ in quæſtu habetur. quid autem de Seiano brevius & acerbius dici potuit, quàm eius voluntatem non niſi ſcelere quæri potuiſſe? aut de Poppæa, maritos & adulteros non diſtinxiſſe, ſed unde utilitas oſtenderetur, illuc libidinem tranſtuliſſe? Vitellij ſtuporem, libidinem, temulentiam, crudelitatem acerbè inſectatur, ſed nihil acerbè dici poteſt in eum qui præter naturæ vitia, quæ in eo maxima fuerunt, legem inceſtus ac nuptias avunculi cum ſororis filia Senatui perſuaſit. idem cùm inter cadavera cæſorum civium iter haberet, nec quiſquam præter eum teterrimum odorem ferre poſſet, palàm dixit bene olere interfectum hoſtem; melius civem. Si de legibus & Republ ſententiã Taciti exquirimus, quid graviùs dici poteſt quàm omne magnum exemplum habere aliquid ex iniquo, quod contrà ſingulos utilitate publica rependitur? Plato paulò aliter, Hydriæ caput eos amputare, qui de legibus omnia incommoda detrahi poſſe opinantur. ſi forenſes ac ſenatorias artes, ſi antiquitátem non Romanorum modò, ſed aliorum quoq; populorũ quærimus, nuſquam uberior ſeges. ut cùm de fœderibus apud Armenios ſanciendis agit; Mos eſt, inquit, regibus implicare dextras, polliceſque inter ſe vincire,

nodoque perstringere, mox ubi sanguis in artus extremò se effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. quid multa? nullus profectò historicus magistratui ac iudici utilior videtur. sed me lacerat & conficit quorundam reprehensio, quæ refutatione minùs egeret, nisi auctoritate plurimùm valerent. nam ausus est Alciatus historiam illam planè divinam senticeta vocare, in ea epistola quam ad Iovium scripsit. & quidem propter asperum dicendi genus ab ijs repudiari solet, qui leviores Grammaticorum nugas malunt, quàm gravissimas eorum narrationes, qui totum vitæ suæ tempus in Republ. gerenda consumpserunt. quanquam non video cur Alciatus tantum virum contemnere; ipse de eloquentia triumphare debeat: nisi quòd Decius illum ex albo Iurisconsultorum eximens Ciceronianum vocavit: non aliter ac Hieronymus qui se ante Christi tribunal verberibus cæsum scripsit, quòd Ciceronianus esset non Christianus. sed hic verberibus; ille contumelia nullo suo merito affectus est. extra iocum. Budæus acerbè Tacitum scriptorem omnium sceleratissimum appellavit: quòd nonnihil adversus Christianos scripsit. quæ ratio fecit, opinor, ut eum Tertullianus mendacissimum, Orosius adulatorem appellaret. sed quemadmodum Marcellus I.C. meretricem turpiter facere respondit, quòd sit meretrix; non tamen turpiter accipere cùm sit meretrix: ita quoque impiè fecit Tacitus, quòd non fuerit Christianus: sed non impiè adversus nos scripsit, cùm gentili superstitione obligaretur. ~~ego verò impium iudicarem nisi quãcunque religionem veram iudicaret, non eam quoque tueri & contrarias evertere conaretur~~. cùm enim Christiani & Hebræi quasi venefici & omnibus sceleribus ac stupris infames ad supplicia quotidie raperentur, quis historicus à verborum contumelijs abstineret? quòd si excusationem meretur ignorantia, profectò excusandus est Tacitus, qui Iudæos ab Ida mõte Cretensium quasi Idęos deducit: ut Nicolaus Damascenus

scenus qui Hierosolyma quasi ἱερόσυλα παρὰ τῦ ἱερὰ συλᾶν dici putat. Hoc igitur si scelus est, multò maiori scelere obligaretur Vlpianus, qui septem libros de Torquendis Christianis, non ad historiæ cognitionem, sed ad suppliciorum acerbitatem scripsit. Sceleratus quoque Tranquillus vbi agit de Christianis: cuius tamen historia tantopere laudatur, vt æqui rerum æstimatores nihil vnquam accuratius ab vllo historico scriptum fateantur. Non placet quibusdam quòd leuissima quæque persequitur: sed in principum dictis & factis, nihil leue, nihil paruum videri debet; propterea quòd in vulgus manant, & principis exemplo mores populi semper reguntur. hoc fortassis improbari potest, quòd fœdissimas quasque principum libidines nimis studiosè consectatur quas Cornel. Tacitus omisit. sed in eo genere longè à Lampridio superatur. is enim tot portenta nouarum voluptatum ab Heliogabalo inuecta describit, vt non magis ea narrare, quàm vnicuique ad imitandum proponere videatur. vterque tamen in intima principum aula educatus est; præsertim verò Tranquillus qui Adriano fuit ab epistolis, ex eoque statu depulsus, quòd cum Imperatoris vxore familiariùs egisse ferebatur, quàm decus aulicæ consuetudinis postularet. nam qui consequentium Imperatorum vitas ordine scripserunt, scilicet Dio Spartianus, Capitolinus, Herodianus, Trebellius, Vopiscus, Eutropius, Lampridius, Volcatius, Amianus, Pomponius Lætus, Orosius, Sext. Aurelius; non eo fuerunt gradu quo Tranquillus: idque ingenuè Vopiscus confitetur, cùm Tranquillum emendatissimum scriptorem appellat. ac meritò. sic enim scribit vt nec dignitate cuiusquam, nec vitijs, nec vlla omnino perturbatione commoueri videatur. Caligulæ virtutes animi & corporis tantas initio contigisse scribit, vt nemini maiores: eiusdem tot ac tanta vitia quæ posteà consecuta sunt commemorat, vt nullum in natura monstrum fœdius fuisse videatur. idem Neronis laudabile quinquennium prædicauit. Clau-

dium adeò ſtupidum fuiſſe ſcribit, vt illum pro tribunali ſedentem leues cauſidici ſtultum appellarent. eiuſdem nobile iudicium illud commemorat, quo fœminam filium non agnoſcentem, dubia vtrinque argumentorum fide, indicto matrimonio filij ad confeſſionem impulit. quid ab ipſo ſapientiæ magiſtro Salomone potuit ſapientius iudicari? Non idem fuit in Herodiano ſtudium veritatis inquirendæ: nec ferè poteſt eiuſdem principis virtutes ac vitia recenſere, ac ſæpius erroris coarguitur à Spartiano & Capitolino. Eſt etiam in Tranquillo plurima Romanæ vetuſtatis & antiqui iuris imago, multę leges, edicta, ſenatuſconſulta quę nuſquam alibi reperiuntur. quæ verò qualisque fuerit principum cognitio ac iuriſdictio, ſolus penè Tranquillus cum Tacito ſcribit: ex quo plurimum lucis accedit ad ſcripta Iuriſconſultorum. His, opinor, commodè Velleium Paterculum coniungemus, qui præter liberalem eruditionem, magiſtratus & honores maximos domi ac militiæ geſſit. vt enim dicendi genus, quo nihil purius ac ſuauius fluere poteſt, omittam; antiquitates Romanorum ab vltimo principio tanta breuitate ac perſpicuitate (ſiquidem integer extaret) comprehendit, vt nemini ſecundus eſſe videatur. laudes etiam illuſtrium virorum egregia quadam oratione & magno viro digna commendare ſolet, vt videre eſt in laudibus Pompeij, Cæſaris, Ciceronis. quæ tamen ab eo ſcripta ſunt, non hiſtoriæ, ſed propoſitionis locum habent, ad vniuerſæ hiſtoriæ comprehenſionem. Atque huius exemplo G. Bellaius Prorex Inſubrum, breui libello Gallorum antiquitates complexus eſt ad hiſtoriæ formam, vel potius ἰχνογραφίαν, qua hiſtoriarũ ſcriptoribus ſingulare quoddam exemplar dedit ad intuendum & ad imitandum. ſcripſit etiam Latino ac vulgari ſermone Caroli V. Imperatoris expeditionem in Prouinciam mira quadam ingenij vbertate ac prudentia. neque verò alius eſſe potuit, cùm ingenij vim acerrimam, ſummam erudi-

tionem, & incredibilem rerum gerendarum usum haberet. totum enim vitæ suæ tempus in consilio principis, aut in obeundis legationibus, aut in munere imperatorio, aut in optimarum artium studijs consumpsit. denique perfecisse dicitur, ut Gallica nobilitas non minùs literarum quàm armorum gloria floreret, primusque apud nos arma literatis, & literas dedit armatis. sed ne quis meum civem (fuit enim natione Andegavus) à me plùs æquo laudari putet, multò plura Sleidanus; qui cùm hominem omni genere laudum cumulavisset, tum verò Gallicæ nobilitatis decus appellavit. hunc igitur Polybio, Thucydidi, Xenophonti, Cæsari, Tacito coniungemus, in eo maximè quòd rerum causas, initia, progressus, inclinationes, atque omnia omnium consilia, dicta, facta, iustissimis ponderibus examinavit. nec refert ad historici delectum quòd hic noster pauca scripsit, cùm ex ungue leonem. Copiosè Guicciardinus, quem ad illius imitationem scripsisse putarem, nisi ijsdem quibus ille temporibus floruisset. ac tametsi finibus Italiæ semper sese continuit, nec bellicis laudibus cum Bellaio comparari potest, attamen in scribenda historia iudicio gravissimorum virorum suos æquales (atque haud scio an veteres quoque historicos) superavit. nam ubi quid in deliberationem cadit quod inexplicabile videatur, illic admirabilem in differendo subtilitatem ostentat, & graves ubique sententias veluti sal accommodatè perspergit. & ut pauca de multis colligam; cùm militaris & urbanæ disciplinæ peritissimus esset, nostros homines imprudentiæ tacitè coarguit, quòd armis imperia facilè propagarent, ea tamen retinere non possent: nec viderent partum imperium ijs, qui domestica disciplina uti nescirent, non modò inutile, sed etiam grave ac perniciosum semper fuisse. egregia sanè & magno viro digna sententia; quæ utinam principibus bene cognita esset. alio loco Venetorum arguit imprudentiam his verbis: Veneti perturbatis Italiæ

rebus bellorum exitum otiosè spectabāt, ut ipsi quoque prædam abigerent, rati fore neminem qui se lacessere auderet. at potentiorem esse aut cum potentioribus in eadem amicitia conspirare oportet. quæ reprehensiones nihil habent contumeliæ vel acerbitatis. nullius verò nisi mortui nomen laude prosequitur aut vituperatione, idque facit sine ulla perturbati animi significatione: ut videre est in Leone Pontifice, à quo magnas opes, maiores etiam honores ac magistratus adeptus erat (ab eo enim legionibus sacris & provincijs ecclesiasticis cum summo imperio præfectus est) nihilominus principem fuisse scribit, in quo multa laudare, multa vituperare possis. quinetiam eius perfidiam adversus Franciscum regem in fœdere percutiendo solus detexit. neque tamen Carolo V. minùs infidum fuisse tradit, quòd eius ope Gallos Italia expulisset, ut posteà Hispanos facilius eijceret. quid autem de Ferdinando verius dici potuit, quàm omnes suas cupiditates religionis ac publicæ utilitatis specie texisse? aliud argumentum est eius integritatis & animi ægritudine vacui, quod cùm Gallis vehementer infensus esse debuisset (ab ijs enim diutissimè obsessus est cùm Parmam strenuè tueretur, ac de vita deque fortunis omnibus periclitaretur) nihilominus tamen Pauli Iovij de morbo quem Gallicum vocat orationem refellit. par est, inquit, Gallorum nomen ab hac infamiæ labe vindicare; cum Hispani ab Hesperijs insulis in Italiam hoc morbi genus invexerint. est autem mirum in eo studium veritatis inquirendæ. nihil enim temerè, sed omnia necessarijs argumentis confirmat. fertur enim epistolas, decreta, fœdera, conciones ex ipsis fontibus hausisse & expressisse. itaque frequenter occurrit illud, LOCVTVS EST IN HAEC VERBA: aut si ipsa verba defuerint, LOCVTVS est in hanc ferè sententiam. quo fit ut Iovio planè dissimilis sit, qui ut magnam historiæ partem; ita conciones vel potius declamationes scholasticorum in modum finxit. argumento est concio Balio-

nis

nis ei planè contraria quam Guicciardinus ab exemplari descripsit. fuit enim & rerum, & locorum, & personarum atque adeò consiliorum & factorum tam diligens investigator, ut omnes Italiæ urbes, municipia, castra, fluvios, quodque maximum duco, publica monumenta penitùs inspexisse videatur. quæ verò fama dissiparat in vulgus, nusquam prætermisit. ut in acie Mauritana qua Galli Helvetiorum exercitum fregerunt, cæsorum numerum scire non potuit; propterea quòd, inquit, magna pars invidia, vel studio, vel errore ducebatur. plerique XIIII Helvetiorum millia: nonnulli decem: alij octo: fuêre qui tria duntaxat millia referrent. cùm autem scripserit res in Italia gestas annis ferè XL. externa modicè, aut etiam intra modum attigit. Turcarum quoque ac Persarum bella, quæ multò meliùs illi quàm Iovio nota fuerunt, prudens omisit, ne de rebus parum sibi compertis temerè affirmaret. sed ne penitùs ignorarentur; ita levissimè commemorat; Ferebatur Selymus Syriam & Aegyptum invasisse. videtur tamen nonnullis aliquantò prolixior: sed ijs qui statum Rerumpublicarum atque omnino casus humanos intueri volunt, brevissimus: propterea quòd nulla pars orbis terrarum plures casus, aut maiores Rerumpublicarum conversiones illis temporibus pertulit quàm Italia. at illud quanti est ab eo tantarum rerum veritatem intelligere, qui totius Italiæ consensu summa prudentia, eruditione, integritate, rerumque gerendarum usu floruisse fertur? nam cùm alius aliter & ferè suo quisque arbitratu fingeret historias, unus inventus est qui tam altè ædificavit, ut non modò levissimorum hominum, sed etiam Iovij ac Bembi luminibus obstruxisse videatur. Vt enim Bembus vir clarus, & in luce totius Italiæ diu multumque versatus sit (omitto singularem eius eloquentiam) nihilominus aut multa in gratiam suorum civium aliter atque gesta sunt scripsisse, aut certè Guicciardinus sæpe mentitus esse convincitur. cuius rei unum aut alterum argumentum sit, quòd cùm Galli ad Forum

Novij auxiliares Venetorum copias fudissent, ferroque, ut dicitur, viam sibijpsis aperuissent; Bembus nec victos, nec victores fuisse scribit, & eorum in Galliam reditum fugam appellat. Guicciardinus argutè hunc in modum; Si vincere est ea re potiri cuius caussa bellum suscipitur, Galli vicerunt, cùm ob eam duntaxat caussam prælium suscepissent; ut in Galliam Rege incolumi redirent. cùm igitur hostes in fugam converterint, partim prostraverint, partim in Tarum flumen adegerint, seque in patriam tutò receperint, quis de victoria quærendum putet? rei quoq; veritatem dissimulavit Bembus in prælio Ravennati, cuius victoriam tam claram & illustrem nemo Gallis unquam præripuit. Militum, inquit Bembus, & equitum millia supra decem & octo interfecta sunt pari ferè utrorumque numero, fortuna dispari. quod igitur Venetos nunc Italiȩ columen, nunc publicum orbis terrarum ornamentum vocat, ac eorum modò æquitatem, fidem, modò magnificentiam & opes, uniusque navis Venetæ incredibilem adversus Turcarum opes, fortitudinem, omnium denique civium pietatem, modestiam, religionem, prudentiam ubique extollit; rem facit non tam bono historico, quàm bono cive dignam. quòd verò Gallos ubique verborum contumelia insectatur; quòd nihil sanctum ab illis aut tutum fuisse: quòd fidem Venetis & Alfonso Avalo datam fregisse tradit; scriptoris est non seipsum laudantis, sed vituperantis. ac siquidem militari iure infamis est, qui nationem verborum contumelia violavit, quantò magis hoc historico fugiendum? præsertim si in eo ipso quod alijs obijcit, falsa pro veris tradere convincitur? nam Guicciardinus, violati fœderis crimen in Venetos regerit: non tantùm propter perfidiæ nimiam adversus Gallos suspicionem, sed etiam quòd Alvianum acerrimum Gallorum hostem, non modò triumphantem de Gallis in urbem admiserant, sed fœderis quoque legibus complecti rege Gallorum invito conarentur. quæ igitur de perfidis Gallorum oratoriè scribit, tam vera sunt

ra sunt quàm in Apulia bello Veneto coruos ac vultures tanta ex aere vi, tantisque agminibus inter se conflixisse, vt carri duodecim eorum cadaueribus explerentur: qua de re non ambigit Bembus, sed planè affirmat. & verò cùm inuitus, vt ipse testatur, annosque natus sexaginta ad scribendum se contulisset, eum laborem, quem in historia scribenda quærimus, ægrè ferebat: Tædet me, inquit libro quarto, eius belli leuiora consectari. quis enim legat sine fastidio singula? hæc planè sunt oratoria: cuiusmodi est etiam Lauredani concio aduersus Minium, qua nihil fieri potest ornatius. puritatem enim dictionis ita consectatur, vt verbis quidem parum Latinis, sed tamen ad significandum necessarijs vti nolit. Turcarum Imperatorem regem Thraciæ, quæ vix centesima pars est eius imperij; & Mediolani Ducem, regem quoque vocat. id quidem Latinè, sed non satis, opinor, ad id quod decuit accommodatè. At Bembi omnino dissimilis est Procopius, qui ornamenta historiarum & Græci sermonis puritatem aut nescisse, aut neglexisse videtur: sed quæ ad historiam pertinent singula commemorat, ac res quoque leuissimas magno studio consectatur. & quoniam in rebus gerendis perpetuus Belisarij comes, ac totius publici consilij particeps fuit, sæpius etiam pro Republica legationes obiit; denique mediocriter est à doctrina informatus, vt non dubitem illum inter selectos recensere: cum verò singulas epistolas, decreta, fœdera, conciones vario dicendi genere ac stilo describit, magnum verissimi scriptoris præbet argumentum: nisi quòd suum Belisarium sæpius quàm decuit, & ineptis plerumque laudibus onerauit: ineptiùs quoque cædem Constantiani, qui apud Iustinianum stabuli magistrum egit, Belisarij iussu perpetratam ita excusauit, vt in fatis esse diceret, Constantianum sic mori debuisse. ridiculas quoque xxx. porcorum & statuæ Theodorici coniecturas eximo; quodque Thulen decies Britannia maiorem facit,

quæ tamen altero tantò minor eſt. ſed illud fidem omnium ſuperat, cineres Veſuuij montis, qui citra Neapolim ſitus eſt, Bizantium vſque vento delatos, ac populum ita exterritũ, vt annuis ſupplicationibus Deum placaret, quæ prodigia ſapiunt Græcam vanitatem, & hiſtoricis non modò prophanis, verumetiam eccleſiaſticis fidẽ ſæpe derogarunt. Plenus eſt eiuſmodi fabulis Nicephorus Calliſtus, quibus etiam Zonaras, alioqui probatus hiſtoricus, & Nicephorus Gregoras ſæpe delectantur; ac interdum Euſebius Cæſarienſis: cuiuſmodi eſt illud quod ſe vidiſſe omni aſſeueratione confirmat; Plantam in baſi qua nitebatur ænea Christi ſtatua (quã ante annos CCC. fœmina ſanguinis profluuio curata SERVATORI dicarat) ſponte natam, quæ cum primum extremam ſtatuæ veſtem attigiſſet, omnia morborum genera curabat. Talibus nugis referti ſunt Antonini, Adonis, Saxonis Grammatici, Sigeberti, Phriculphi, Naucleri, Mariani, Merlini, Vrſpergenſis, Annonij, Turpini; Guaguini, ac veterum annalium libri; quibus omnino carere non poſſumus: in eo genere tamen alij alijs longè præſtant. Nam Grægorius Turonenſium, Antoninus Florentinorum, Gulielmus Tyri Pontifex, Abbas Vrſpergenſis, hiſtorias tametſi portentis ac miraculis refertas; vtiles tamen ac fructuoſas ſcripſerunt, præſertim illis temporibus quibus barbaries omnia cumularat. fuerunt etiam in Republica gerenda & publicis conſilijs diu multumque verſati. aliorum reliquias veluti gemmas è ſtercore colligere debemus, ſi deſunt meliores. qui enim Tartarorum geſta ſcripſerit, præter Paulũ Venetum & Haytonum habemus ferè neminem: ea tamen exigua ſunt, & fabulis confuſa. verior Haytonus. detrahamus igitur de Paulo Veneto quòd mare Caſpium piſcibus ſemper vacuum eſt, præterquam ieiunij temporibus: quòd vrbis Quinſeæ ambitus ſuperat milliaria ſeptuaginta: quòd eadem duodecim millia pontium habet tantæ altitudinis, vt naues onerarias explicatis velis facilè admittant:

quòd

quòd Zipangrini aduersus hostium exercitus annulis vtuntur, quorum ea vis est, vt inuiolabiles sint. his detractis Tartarorum gesta, mores, leges, ac religionis descriptionem vtcunque intelligamus. At Fr. Aluaresius multò maiori fide ac diligentia res Aethiopum primus scripsit, quæ nunc à peregrinis & optimis quibusque scriptoribus probantur, nec sine magna voluptate leguntur. Consimiliter Zieglerus, Cromerus, Crantius, Olaus; Gothorum, Saxonum, Neruiorum, Sarmatarum seu Polonorum ac Danorum historias anteà incognitas euulgarunt. cæteri quidem valde probabilia; Olaus sæpe incredibilia narrat. sunt tamen nonnulla quæ scriptorum ac testium multitudine & consensu quodammodo persuaderi possunt. nam quæ de Neruiorum (hi nunc Liuones appellantur) in lupos configuratione, & μετεμψυχώσει ab Herodoto, Pomponio Mela, & alijs historicis olim peruulgata sunt, ea iuniores comprobarunt. hoc enim Gaspar Peucerus vir magnæ eruditionis & minimè vanus, tum etiam Linguetus non minus doctrina, quàm diuturna totius Europæ peragratione clarus, se ab incolis accepisse mihi confirmauit. quòd vtrum fiat occulta quadam vi naturæ potentis, vt de Parrhasio traditur: vel vltione diuina, vt de Nabuchodonosore; nondum mihi compertum est. Aluaresium proximè secutus est Leo Afer. hos igitur cùm Pomponio, Strabone & Pausania propter scribendi rationem Geographistoricos appellare soleo, propterea quòd historiam vnà cum geographia complectuntur. Strabo quidem Respublicas & imperia orbis terrarum leuiter attingit; Pausanias vniuersæ Græciæ prouincias, Rerumq; publicarum status & conuersiones, populos, vrbes, castra, fluuios, montes, vertices, fontes, fana, statuas, tam curiosè describit, vt in eo genere omnium superarit opinionem. ita quoque Leo Afer genere Maurus, natione Hispanus, religione Muhameticus, deinde Christianus; posteaquàm totam penè Africam & Asiam minorem, bonam quoque Europæ partem diuturnis itineribus obijsset, captus est à piratis, & Leoni Pon-

tifici Max. dono datus, apud quem ea, quę incredibili studio ac diligentia de Africa, deq; Africę populorum moribus, legibus, institutis, totiusque regionis situ ac descriptione Arabica lingua composuerat, in Italicam transtulit. militarem disciplinam leuiter tractat: sed offensiones & victorias imperatorum inter ipsos sine vllis concionibus & ornatu, nō vt historicus, sed quasi geographus breuiter commemorat: ac perpetua rerum nouarum voluptate inuitum detinet lectorem: nihil admodum incredibile narrat præter Asini Aegyptij, vel potius aurei, stupendam docilitatem. quòd enim se vidisse affirmat ouium Aegyptiarum caudas, quæ pondere libras quinquaginta, interdum verò centum viginti æquarent, cum Bellonio & Hieronymo Cardano consentanea scribit. profectò vnus est ex omnibus, qui Africam post annos mille infœlici barbarie ac nostrorum hominum ignorantia sepultam aperuit, & omnium oculis patefecit. His coniungo F. Leandrum & Munsterum, quorū alter vniuersam Italiam; alter Germaniam in tabula veluti sub aspectum collocarunt, & populorum historiam cum geographia coniunxerunt. sed cum Munsterus suam Germanographiam inscripserit Cosmographiam: totus est tamen in Germanorum & Heluetiorum regionibus, oppidis, situ, & populorum origine ac descriptione, quibus detractis nihil ferè orbi terrarum vniuerso reliquum sit. Sed animaduersione dignum est quòd omnes non modò historici, sed etiam geographi, quos mihi legere contigit (excipio Polybiū & Ptolemęum) insularum ac regionum magnitudinem ex ambitu colligunt; & quarum circuitus æqualis est aut maior, æquales esse putant aut maiores: quo nihil absurdius dici potest. id tamen necessarium plerisque, ac mihi sæpe visum est, quousque geometrica demōstratione animaduerti sæpissimè fieri, vt vnius insulæ circuitus triplo maior sit alterius circuitu, cuius tamen decuplo minor sit magnitudo. Vt autem Geographistorici regiones cum historia, sic Philosophistorici rerum gestarum narrationem cum sapientiæ præceptis cumularunt.

runt. in quo genere Xenophontis magna laus, eoque maior, quò neminẽ habuit, quem imitaretur, ut Velleius scribit de Homero; nec postea fuit qui illum imitari posset. hunc secutus est Plutarchus, deinde Laërtius, postea Philo Iudæus, quem inter & Platonem, opinor, veteres non modò præiudicium, sed planè iudicium tulerunt. Huius ęqualis Iosippus laude quidem philosophiæ secretioris inferior, antiquitatis tamen cognitione longè superior videtur. & quidẽ miratur Hieronymus tantum Græcæ antiquitatis in homine Iudęo fuisse. id autem ex libris eius contra Appionẽ Grammaticum intelligi potest. in quibus scripta Mosis (tametsi ad fidem faciendam se ipsa contenta sunt) Græcorum, Persarum, Aegyptiorum & Caldæorum testimonijs ita confirmavit, ut nihil ad origines intelligendas utilius scriptum esse videatur. quę verò de hominum ętatibus à Mose prodita sunt, ne cuiquam incredibilia viderentur, duodecim historicorum auctoritate confirmavit. populum verò Hebræorum antiquitate, fide, religione, doctrina, integritate populis omnibus superiorem facit, non tantùm ut gloriam suorum civium intermortuam; sed etiam ut rei veritatem ab oblivione vindicaret: nam ex eius scriptis Herodoti, Diodori ac Iustini fabulæ refutari facilè possunt. Post ea tempora, Hegesippus Iudæus bellum Iudaicum libris quinq; complexus est, quos Ambrosius Latinos fecisse fertur. verius tamen ac melius Iosippus, qui non modò affuit, sed etiam præfuit, & captivus à Vespasiano ac Tito ius civitatis & nomen Flaviæ gentis ac statuam adeptus est. in eo certè fuerunt historici virtutes illæ, quas anteà diximus: summa eruditio, eximia integritas, & maximus rerum agendarum usus. quanta verò integritate ac fide scripserit, ex eo planum est, quòd qui religione Iudæus esset, de Christo grave imprimis ac laudabile testimonium tulit. at ecclesiastici ferè scriptores cum de adversarijs nostræ religionis scriberent, tantis odijs exarserunt, ut non modò laudes eorum obruere, verumetiam omnibus contumelijs lacerare

conarentur. argumento sit Iulianus Augustus, is qui transfuga usurpatur, qui tametsi capitali odio ac supplicijs omnibus dignus esset, quæ tamen ab eo preclarè gesta sunt, historias scribentem non decuit præterire, quod nostri fecerunt. In quo certè Ammiani Marcellini candorem ac studium inquirendæ veritatis imitari debuissent. is enim principum virtutes ac vitia, ut optimus quisque scriptor, summa fide notavit. Iulianum accusat, quòd religionem Christianam absolutam ac simplicem (sic enim loquitur) anili superstitione confudisset: quòd Christianis literas crudeliter ademisset: quòd Palatinos Constantij comites occidi iussisset: eiusdé tamen virtutes egregias oratione singulari commendavit; summam temperantiam, fortitudinem, continentiam, sapientiæ studium, ac iustitiam opinione maiorem. quę gravissimis exemplis ac testimonijs confirmat: cuiusmodi est illud cùm Delphidius Gallus orator acerrimus, Numerium Narbonensis Galliæ Præsidem apud Iulianum, qui tum Lutetiæ agebat, vehementer accusaret, ac testium inopia premeretur, tum Delphidius; Ecquis, florentissime Cæsar, nocens erit usquam si negare sufficiet? cui Iulianus: Ecquis innocens erit si accusasse sufficiet? fuit autem Ammianus natione Græcus, & ut ipse confitetur, miles; Vrsicini magistri equitum comes perpetuus: quippe omnibus ferè bellis, quæ à Romanis in Europa & Asia suis temporibus gesta sunt, interfuit. & ea quidem integra restant libris XVIII comprehensa, id est, ab anno trigesimo imperij Constantij usque ad exitum Valentis. nam superiores tredecim ex aliorum scriptis facilè sarciuntur. cœperat autem à Nerva in quo desierat Tacitus; quem unum ex omnibus ad intuendum & ad imitandum sibi proposuisse videtur: hoc tamen ab eo differt, quòd Tacitus Romani sermonis dignitatem, ut tempora ferebant, assecutus est; Ammianus verò Latinis verbis, ac sæpius ne Latinis quidem Grecè scripsit. & à re proposita longius ac sępius digreditur: quo tamen vitio summi quoque viri laborant: idque in ipso Cicerone Possidonius graviter

ter notavit. ſed huic reprehenſioni Ammianus ſi non Latinè, ſatis tamen ad id quod voluit accommodatè huncin modum occurrit; Quod autem eſt, inquit, paulò prolixior textus, ad ſcientiam proficiet plenam. quiſquis enim affectat nimiam brevitatẽ ubi narrantur incognita, non quid ſignatius explicet, ſed quid debeat præteriri ſcrutatur. Ex hac igitur hiſtoricorum tanta varietate ſingularem delectũ adhibere pro ſuo quenque iudicio neceſſe eſt, ne in tam brevi huius vitæ curriculo, ſcriptorum multitudine obruamur. nam ſi perſpectum habebimus Polydorum de rebus Anglicis (tametſi Scotis & Francis valde ſuſpectus eſt) Rhenanum de Germanis, Aemylium de Gallicis veriſſimè ſcripſiſſe, non magnopere laborandum erit de Beda, Guaguino, Gazo, Saxone, & eiuſmodi ſcriptoribus, qui res eaſdem inconditè ſcripſerunt. at neſcio quo naturæ ingenio contigit, ut cùm iiſdem temporibus maxima hiſtoricorum ubertas effloruiſſet; ſic evaneſceret eodem penè momento. ſcribit enim Plutarchus, trecentos hiſtoricos Marathoniam pugnam ſcripſiſſe: ita res Italicas ſuperioris ætatis xxx ferè ſcriptores literis prodiderunt. unum tamen Guicciardinum, cuius omniũ opinione perſpecta fides eſt, omnibus anteferendum putem. & nunc tota penè Europa hiſtoricorum multitudine abundat, qui res quaſque leviſſimas ſcribunt: cùm multis antè ſeculis habuiſſet ferè neminem. ſed ne infinitum ſit omnes omnium commentarios evolvere, optimum quemque iis, quas diximus, vel etiam melioribus coniecturis aſſequemur. Illud etiam admonendi ſunt, qui ad hiſtoriarum ſcriptores accedunt, pleroſque eandem hiſtoriam continua ſerie complexos fuiſſe. cuiuſmodi ſunt libri Iudicum, & libri Regum. idque ſæpius factum unius ſcriptoris appellatione, ut liber Samuelis: nam capita xv. poſteriora mortuo Samuele ſcripta fuiſſe planum eſt: ut etiam poſtrema Deuteronomij periodus. ac liber Ioſue propter eam cauſam alterius ſcriptoris eſſe putatur. quia liber Recti citatur de Solis ſtatu: quẽ tamen librum quingenteſimo pòſt anno ſcriptũ fuiſ-

ſe apparet ex primo capite libri primi Regum, niſi dicamus librum Recti plurium fuiſſe ſcriptorum & ante Ioſua inceptum. Eadem ratione Hæmo, qui corruptè à noſtris Amonius appellatur, ex pluribus ſcriptoribus cōflatus eſt, cùm trecentorum annorum res à ſe viſas commemorat: idem iudicium eſt de Regi-none & Carione. Atque hęc de hiſtoricorum delectu: quæ ſic à me ſcripta velim, ut integrum cuique iudicium relinquatur.

De recto Hiſtoriarum iudicio.
CAP. V.


OCVS hic poſtulare videtur, ut de recto hiſtoriarum iudicio dicamus. ſi enim ea fuiſſet in ijs, in quibus ſumma eſſe debuerat, opinio veritatis ac fidei; nihil erat cur de hiſtoria dubitare, aut aſſenſionē cohiberi oporteret: ſed quoniam tanta eſt hiſtoricorum inter ipſos diſcrepantia, ut nō modò alij ab alijs, verumetiam à ſe ipſi plerunque vel ſtudio, vel animi ægritudine, vel errore diſſideant: ſtatuendum nobis eſt in univerſum, quæ qualisque ſit omnium aut maximè illuſtrium populorum natura, ut hiſtoriarum veritatem iuſtis ponderibus examinare, ac de rebus ſingulis rectiùs iudicare poſſimus. Atque id paulò aliter faciendum nobis eſt, quàm Diodorus, Volaterranus, Cælius, Sabellicus, Boëmus; qui de populorum varijs legibus, religionibus, ſacrificijs, epulis, inſtitutis, leviſſimè ſcripſerunt, de quibus tamen, quòd in infinita ſunt varietate, ac paulo momento per ſeſe vel principum arbitrio mutabilia, nihil certum ſtatui poteſt. quæramus igitur illa quæ non ab hominum inſtitutis, ſed à natura ducuntur, quæque ſtabilia ſunt, nec unquam niſi magna vi, aut diuturna diſciplina mutantur; & mutata nihilominus ad priſtinam redeunt naturam. quo de genere nihil à veteribus ſcribi potuit, cùm regionum ac locorum, quæ

non

non ita pridem patuerunt, penitùs essent ignari: sed tantum quisque assecutus est quantum probabili coniectura potuit. Primùm igitur explicabimus naturam populorum, qui ad Septentriones & Austrum positi sunt: deinde eorum, qui ad ortum & occasum: pòst etiam propria loca, montana scilicet, palustria, ventosa, quieta. tum quanta vis inest in disciplina ad immutandum hominum naturam: postremò Ptolemæi ac veterum errores confutabimus, qui mores populorum ad Zodiaci partes, quas cuique regioni tribuunt, referri putant oportere. quibus intellectis ac perceptis, magnam partem historiarum intellectam, perceptamque fore confido. atque haud scio an vlla disputatio magis ad vniuersam historiarum cognitionem, & incorruptum earum iudicium necessaria videatur. Sed imprimis illud statuo, nullam esse locorum aut cœlestium syderum tantam vim, quę necessitatem sit allatura (quod ne cogitare quidem fas est) ab ijs tamen homines sic affici, vt naturæ legem, nisi ope diuina, aut diuturna disciplina superare non possint. falsum est enim quod Galenus & Polybius affirmant; aeris temperiem necessariò nos immutare. magnam quidem vim ad immutandos animos habere, necessitatem tamen non adferre, argumento fuit Anacharsis Scytha. atque ad hanc locorum varietatem referre debemus ea quę Plato libr. quinto de legibus scribit, alios alijs meliores ac deteriores effici ex ipsa locorum varietate, quos propterea legibus sæpe contrarijs ac repugnantibus moderari necesse est: eam quoque dissimilitudinem ab aquis & aëre, tum etiam à ciborum varietate manare. Tradunt igitur veteres vno ferè consensu, homines ad Aquilonem positos corpore quidem maiores ac robustiores; ad meridiem verò imbecilliores: alijs tamen ingenio præstare. id autem vsu diuturno compertum, propterea quòd facilis est eius rei animaduersio: sed quousque vis illa Septentrionum & Austri pertineat: quid ortum & occasum finiat quidve de moribus ac insita cuique natura sentiendum sit, difficile dictu est, eoque difficilius, quòd

nullus est, qui in tantis tenebris facem prætulerit. Nam Hippocrates cuius summa semper fuit autoritas, homines ad Septentrionem exiles, & fuscos esse tradit. Aristoteles in quæstionibus æquè barbaros esse qui æstu, atque ij qui frigore nimio rigent: quæ superioribus valde repugnare videntur. nam quomodo ingeniosi sint Australes & barbari? verè tamen vterq;. sed vt planius intelligi possint, constituamus quatuor huius hemisphærij fines; Austrum in æquatoris circulo, Septentriones in vertice poli, ortum in insulis Molucarum, occasum in insulis Hesperidum. Strabo aliter: Indos in ortu, Celtas in occasu, Scythas in Septentrione, Aethiopes in Austro collocauit. Ptolemęus ab illa partitione non longius discessit. sed non ita pridem compertum est antiquos vehementer in eo lapsos esse. negant etiam Mathematici, ortus aut occasus vllum esse discrimen, quàm verè, suo loco dicemus. nūc satis est à nobis ortus & occasus medium in America collocari, quòd ea regio ab India & Africa infinitis spatijs diuellatur. Septentrionis verò & Austri medium esse Aequatorem, quòd ad vniuersitatem attinet. huius autem hemisphærij quod citra Aequatorem est, quintum & quadragesimum latitudinis gradum: vt quicquid infrà supraque polum versus interiacet, Septentrionibus: cętera Austro tribuantur. & quoniam antiqui, præter Possidonium & Auicennam, hominū sedes tropicis & polaribus circulis definierunt, rati vlterius nullum salutis esse, aut habitandi locum: eripiendus est hic error. compertum est enim crebris nauigationibus, Aequatoris saluberrimā esse regionem: sub Tropicis verò regiones incredibili æstu flagrare, & quidem ratio est in promptu. nam sol euehitur altius in Aequatore, ac multò celerius fertur propter circuli magnitudinē, quàm in Tropicis. quin etiam Aluaresius scribit aquas illic Iunio mense concrescere gelu, modò flauerit Auster. accedit imbrium magna vis, mentium incredibilis altitudo ac syluarum copia. postremò color & vultus hominum minimè ater, sed velut olearum. contrà verò sub Tropicis

picis vehementes æstus, nulli imbres, nullæ sylvæ, rara flumina, perpetua planicies arenarum, præterquam in Arabia fœlice & quibusdam Indiæ locis, propter orientis & montanæ regionis naturam. denique incolarum atra cutis, non modò Aethiopum, sed etiam Indorum, ut Ctesias tam pridem ac nostri experti sunt. vix enim persuaderi possum, quod quidam vir doctus tradit, ab execratione Chusis homines atros fieri. ac iampridem irrisa est Herodoti sententia, qui Aethiopum semen nigrum esse putavit. oportere enim Aethiopes in Scythia nigros, & Scythas in Aethiopia candidos nasci: cùm omnes populi coloniarum multitudine ac frequentia confusi iam pridem fuerint. at videmus homines æquè ac stirpes mutato solo paulatim degenerare. & eandem esse rationem, cur ignis & sol, id quod Aristoteles tradit, homines inficiant atro colore. quin etiam Plinius scribit, Leones in Aethiopia nigros esse, qualem se vidisse testatur Oppianus poëta in libro de Venatione. quos ego libros cùm Latino versu & commentarijs illustrassem, quidã grammaticus eosdem libros oratione soluta, quantum libuit de meo labore detrahens, iterum pervulgavit. Vt igitur veterum errorem fugiamus, triplicem regionem ab Aequatore ad Polum, quæ nonaginta partibus constat, æquali ratione complectemur, sic tamen ut xxx partes calori, totidem frigori tribuamus: restabunt triginta temperatissimæ regionis, in qua commodè beatéque vivi possit, præterquam in ijs locis, quæ vel præruptis montibus aspera, vel paludibus immersa, vel ariditate deserta, vel aquarum aut soli vitio perniciosa & infrugifera sunt. est enim tanta soli ubertas in quibusdam Tropici regionibus, ut incolæ cœli graves iniurias minus sentiant. rursus triginta partes caloris ac frigoris regionisq; temperatæ bifariam dividemus. ut quindecim citra Aequatorem temperatiores sint: quindecim circa Tropicum ardentiores: & in regione temperata, quindecim priores lenitate cœli moderatiores: consequẽtes à quadragesimo quinto gradu ad sexagesimũ,

aliquantò frigidiores. rursus è triginta partibus frigidissimæ regionis, quindecim coluntur, ulterius nullæ urbes, nulla oppida, nullus denique hominum tuendæ salutis locus. hanc partitionem ut inirem ipsa natura usúsque docuit. nam trigesimus ab Aequatore gradus, quasi limes secat Atlantem, qui ab extremis Africæ oris in Aegyptum usque procurrit, séque Solis ardoribus opponens oram Africę citeriorem innumeris fluminibus rigat. idem limes Arabiæ iuga, totiusque littoris Persici ac Indici extrema dividit. pars verò ab Aequatore sexagesima, Gothorum fines, Livoniam, Moschoviam, Orcades insulas, & montis Imai extrema lambit. hinc usque ad septuagesimum quintũ gradũ ægrè, ultrà nullo modo habitari potest, si geographis & historicis fidem habemus. ob id etiam triginta quasque partes bifariam divido, quòd Tropici & Polares circuli quindecim gradus hinc inde septem partitè secant; si quis eam quam dixi partitionem admittat. Et quoniam sub Tropicis & utroque Polo summa est intemperies frigoris & caloris, sub Aequatore temperies eadem erit atq; eorum qui sub trigesimo gradu positi sunt. nam heic & illic Leucoęthiopes esse feruntur: sub Tropicis supra modum atri: sub Arcto ratione contraria fusco sunt colore. pòst ad gradum usque sexagesimum rubicundi evadunt: inde ad quadragesimum quintum, candidi: pòst ad trigesimum flavescunt: & cùm flava bilis atræ confusa est, subvirides fiunt, quousque fusci ac penitùs atri evaserint sub Tropicis. Itaque quod ait Hippocrates ad Septentrionem homines pallore ac macie deformes esse, absurdum erit, nisi ad extrema loca Septentrionis referamus. quod item veteres robustos & proceros esse aiunt, ad citeriora. Atque hoc mihi dubitanti confirmavit Gaspar Holster Suecus metropoli urbe Stocolmię, in intima Gothia oriundus, qui liberalis doctrinæ gloriam, linguarumq; varietatem cum armorum laude coniunxit. est enim toto vultu ac pilo ruber, & planè φοινικόρυγχος sine vitio cutis, mediocri statura, latis humeris, oculis admodũ glaucis,

hebe-

hebeti visu: laborat enim perpetuo glaucomate. idipsum quoque Linguetus Gallus, literis æquè ac totius Europæ peragratione nobilis, mihi sæpe narravit, ultra Gothiam homines fuscos esse, ac macie tabescere. in ipsa verò Gothia & Suecia rubescere, neque tamen Germanis magnitudine comparandos. atque illud etiam Galenum valde exercuit, quòd Hippocrates & Aristoteles scripserint, πάντες περὶ ἄρκτον πυῤῥότριχες, καὶ λεπτότριχες, quasi omnes flavi essent: cũ plerique ab extremo Septentrione φοινικότριχες viderentur. nam quibus pili rubescunt in Britãnia & Germania, hos aiunt incolæ, vt ab illis accepi, à Danis & Norvegis, qui finitimas regiones occuparunt, originẽ traxisse, ab ijsque diligentius sibi cauent. multi quoq; tales sunt in Gallia, præsertim Vvestria siue Normannia; quæ Danis cessit. Germani verò ac Britanni ferè omnes pilo flavescunt: de quibus Lucani dictum illud intelligi potest:

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos,

nam Svevia vetus & mare Svevicum ad quinquagesimum quintũ gradum pertinet: ultra quẽ nihil terrarũ esse arbitrabantur. hæc autẽ corporis forma, tũ ad mores populorum, tum ad historiarũ cognitionem ac iudicium, magnum nobis adiumentum est allatura. cætera videamus. Hoc etiam differunt Scythæ ab Australibus, quòd hi nigros; illi glaucos & cæruleos oculos habent: qui verò in medio positi sunt, caprinos. Amiotus, vir summæ eruditionis, in Mario Plutarchi, ὀμμάτων χαροπότητα castaneos & rufi coloris oculos vertit. ego truculentiam oculorum dicerem. sic enim Tacit. de Germanis, Truces & cærulei oculi, rutulæ comæ, magna corpora. & Iuvenalis;

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem & madido torquentem corpora cirrho?

at cæruleus color nihil habet cum rufo commune, sed vox ambigua χαροπότης, oculorum crudelitatem, & colorem significat, vt scribit Eustathius in illud Homeri:

ἄρκτοί τ' ἀγρότεροί τε σύες χαροποί τε λέοντες.

quòd ita Latinè redderem:

Syluestresque sues, Vrsæque, trucesque Leones.

Catullus cæsios vertit, utroq; modo rectè. nam vt Oppianus ἀλλὰ χαροπὴν; ita Seneca mare cærulæum dixit. habet Amiotus Gazam auctorem, qui χαροπὸν modò rufum, modò fulvũ reddit, Scaliger ravum, Hesychius χαροπὸν cesium & flavum significare scribit: ut Aristoteles uno loco caprarum ὄμματα χαροπὰ dixit, quæ flava sunt. sed huiusce confusionis & erroris initium est ab Homero perperã intellecto: qui quòd Leones χαροποὺς appellat, ad oculos referens, vt illud γλαυκῶπις ἀθήνη, putarunt pleriq; de cute intellexisse, quam Aristoteles omnib⁹ Leonibus πυῤῥὸν esse tradit. hinc à Latinis fulvi Leones appellati. Leonis autem oculi non tantùm Homeri, sed etiam Oppiani testimonio γλαυκιόωσι. itaque Symon Portius simili errore lapsus est, qui χαροπὸν ravum interpretatur, & cineritium colorem esse putat, ex eo quòd Horatius lupam ravã appellavit. sed ad oculos pertinet, quos Varro in gallo rustico ravos (id est, flavos, ut apud Festum rava frumenta) esse voluit. sunt autem subfulvi, quales ferè habent accipitres & aquilæ, quæ in solem intuentur. Ravi coloris, inquit Festus, appellantur, qui sunt inter flavos & cæsios, quos Plautus appellat Ravistellos. nuper quidam in postremis adversarijs frumenta rava apud Festum interpretatus est arida: tùm rationem subiecit, quòd rauca. i. rava vox ab arido gutture fiat: in quo nec bonus Grammaticus & malus Physicus videri possit. est enim flava ceres, & rauca vox ab humidò gutture. igitur vt Aristoteles oculos Æthiopibus atros, Scythis glaucos: ita mediæ regioni caprinos, id est, flaventes seu raros tribuit, quos Plinius Rufos appellat. tametsi media regio infinitam habet varietatem ab extremis conflatam: extrema nullam. est autem in Scytharum vultu maximũ argumentum, quo ab alijs differant, scilicet oculorum glaucus colòr; id est, vt Plato voluit, cæruleus albicans, quales sunt oculi Noctuarum, quæ propterea γλαυκὲς appellantur, atque ij hebescunt ad lucem. tales etiam habent Cimbri, teste

Plu-

Plutarcho. atque id in plerisque Danis animaduerti. Germani verò ac Britanni non ita glaucos & albicantes, sed conspicua quadam obscuritate cæruleos habent: qui color etiam aquilus ab aqua dicitur. est autem color glaucus in oculis magnum caloris indicium, ut scribit Aristoteles in quęstionibus: niger verò qualis est in Australibus, caloris significat inopiam. qui sunt in media regione, caprinos habent siue ravos. atque hi omnium acutissimè cernũt: & quidem tradit Plinius capras lippire nunquam. præterea mores optimos Aristotelis iudicio significant: glauci verò crudeles, cuiusmodi Syllæ, Catonis & Augusti oculos fuisse Plinius & Plutarchus tradunt. itaque Plutarchus ancipiti verbo χαροπότητος & colorem & crudelitatem Cimbrorum significavit; cùm haberet γοργότητος καὶ γλαυκότητος. sunt igitur tres præcipui colores oculorum in tribus populis: ater, glaucus, ravus: ex quibus infinita varietas miscetur. Vitruvius hæc partim confirmat, Sub Septentrionibus, inquit, nutriuntur gentes immanibus corporibus, candidis coloribꝰ, directo capillo, & rufo, cæsijs oculis, sanguine multo. qui autem sunt ad axem meridianum, brevioribus corporibus, colore fusco, crispo capillo, nigris oculis, cruribus invalidis, sanguine exiguo, solis impetu perficiuntur. hæc ille. Sanguis quoque Scytharum fibris plenus est, ut in apris ac tauris: unde robur & audaciam ingenerari tradunt. Australes tenui sunt sanguine, ut lepores, cervi. quo fit ut timidiores sint ac imbecilliores. Hoc igitur teneamus, eos omnes, qui à quadragesimo quinto gradu, ad quintum & septuagesimum versus Septentriones positi sunt, intus magis ac magis calescere: Australes verò quò plus habent caloris à sole, eò minus à seipsis habere. nam hyeme calor intus cogitur, æstate diffluit. quo fit vt hyeme vegetiores ac robustiores; æstate languidiores simus: eadem ratio facit ut hyeme plus appetere & coquere, quàm æstate soleamus: præsertim flante Aquilone. Auster contrarium efficit, ut scilicet minus appetant animantia, vt Aristoteles scribit. atque hinc

ſit, vt cùm Germani in Italiam, aut Galli in Hiſpaniam proficiſcuntur, frugalius veſci, aut ſuffocari videamus: quod Philippo duci Auſtriæ contigit, cùm in Hiſpania ſuo more epularetur. Hiſpani verò, qui frugaliſſimè in patria vivunt, in Gallia voraciores ſunt Gallis. argumento ſit etiam illud, quòd paſtores vulgò ferunt, armenta gregeſque macie tabeſcere cùm ad Auſtrum proficiſcuntur: ad Aquilonem vegetari. nec mirum ſi Leo Afer ſcribit, nulla ferè boum aut equorum armenta, raros etiam greges ovium in Africa videri; aut parum admodum lactis habere. contrà verò laudantur ab omnibus ferè ſcriptoribus Germanorum & Scytharum armenta: non quòd habeant paſcua meliora quàm Auſtrales, vt Plinius putat, ſed cœlo tribuendum illud eſt. Facit igitur vis interni caloris, vt qui ad Septentrionem vergunt, vegetiores ac robuſtiores ſint Auſtralibus. quod etiam in aduerſa parte ultra Capricorni circulum æquè contingit, vt homines quò ab Aequatore longius diſcedunt, maiores fiant, ut in terra Patagonum, qui Gigantes appellantur, eadem latitudine qua Germani. Hæc igitur cauſa eſt cur Scythæ graves ſemper incurſiones fecerunt meridiem verſus; quodque incredibile videatur, verum tamen ſit; imperia maxima verſus Auſtrum propagata ſemper fuerunt: vix ab Auſtro verſus Septentriones. Nam Aſſyrij Caldæos, Medi Aſſyrios, Græci Perſas, Parthi Græcos, Romani Pœnos, Gothi Romanos, Turcæ Arabas, Tartari Turcas fregerunt. at Romani vltra Danubium progredi noluerunt. Traianus quidem ponte lapideo miræ magnitudinis ſupra Danubium extructo (nam xx. pilas, quarum fragmenta etiamnum reſtant, habuiſſe dicitur) Dacos fortiter domuit: ſed cùm Adrianus intelligeret gentes illas nec facilè vinci, nec victas acquieſcere, pontem dirui mandavit. ſed domeſticis utamur exemplis. Galli ſæpe ab Anglis maximas in ipſa Gallia clades acceperunt, ac penè imperium amiſerunt, nunquam in Angliam, niſi ab incolis acciti, penetrare potuerunt. Angli verò ſæpe à Scotis victi ſunt

ſunt: & cùm annos amplius mille ducentos de imperio acerrimè inter ſe dimicarint, eos tamen de inſulæ particula depellere non potuerunt: tametſi opibus ac legionibus tantò ſuperiores ſunt, quantò Gallis inferiores. neque eſt quòd Angli ſe à Gallis impeditos querantur, cùm excuſſo Romanorum imperio, Britanni Auſtrales, ne in Scotorum ſervitutem venirent, ſint coacti Angloſaxones ad præſidium evocare, qui Scotorum impetus cohibuerunt, domi laceſſere noluerunt. Omitto graviſſimas Scytharum, Parthorum, Turcarum, Tartarorum, Moſchovitarum, Gothorum, Hunnorum, Sueſſiorum in Europam & Aſiam incurſiones, in quibus enumerandis infinitus ſim. Atque illud eſt, ni fallor, quod Ezechiel, Hieremias, Ieſaias, ac reliqui Prophetæ toties comminantur; ab Aquilone bella, legiones, equitatus, & Rerumpublicarum venturas everſiones. Quæ omnia verius pertinent ad eam, quam dixi, regionem, quæ à quinto & quadrageſimo, ad quintum uſque & ſeptuageſimum gradum porrigitur, ubi ſita eſt Biarmia. nam qui ulteriora incolunt, qui tamen aut nulli, aut admodum rari ſunt, frigore æquè aduruntur, ut ſcribit Hippocrates, atque ij, qui ad Tropicum accedunt: non, ut putavit Ariſtoteles libro quarto Meteororum, propter vim caloris interni ἐκ τῆς ἀντιπεριστάσεως (id enim plantis æquè accidit, ut frigoribus perinde atque ignibus utantur) ſed frigore ad intima penetrante, & humorem perurente; unde Pompeio pruina dicitur. quæ tamen Hippocrates pertinere putavit ad eos, qui ſub Vrſa verſantur: propter ignotas illis temporibus regiones. Cæſar verò non ignoravit regionem, ſed falſam cauſam attulit, cùm ſcriberet, Germanos ſtaturam, ac robur augere, quòd animi libertate fruerentur, nec honeſtis diſciplinis à puero imbuerentur: cùm tamen id calori & humori tribuendum ſit. idem calor efficit, ut ad eum reſtinguendum potu ſæpius utantur. ſitim appellant, humidi & frigidi appetitum. neque enim illa perpotandi forma, qua Germani præſertim Saxones, & accolæ Baltici maris

utuntur, ullis unquam temporibus aut legibus potuit emendari. Diem, inquit Tacitus, cõtinuare potando nulli probrum: crebrę ut inter vinolentos rixæ. Athenæus verò, ἀκρατοποσίαν ex vetere proverbio Scythis obijciens, ait, Lacones ὅταν βούλονται ἀκρατέστερον πίνειν ἀποσκυθίσαι λέγουσι. & Heracleotes in libro de Ebrietate, καλῶς μὲν οὖν, inquit, ἄρτι σκυθιστὶ πίνειν. nam pro ὑπόχυσον, id est, infunde aquam, Lacones dicebant ὑποσκύθισον, hoc est, plurimum vini fundito. humore quoque abundant, unde fames, quæ in appetitu calidi & sicci versatur; minus tamen cibo, quàm potu delectantur; quia plus habent caloris. quæ ratio est cur Hippocrates fieri non posse putet, ut idem cibo ac potu copiosè utatur. quod in Germanis cùm animadvertisset Tacitus, causam non intellexit. Inediam & frigus, inquit, cœli ac soli consuetudine ferunt: quia cœlum frigidum ac solum sterile. imò verò calor internus ambienti frigori validius resistit; humor vegetans famem propellit. humore abundare argumento est incrementum, quo belluæ marinæ, propter humiditatis copiam, reliquis animantibus præstant: tum etiam rauca vox & gravis, quæ in Hispanis, Pœnis, & Aethiopibus supra modum tenuis est & clara: quod in his frigiditatem & siccitatem arguit: in illis humorem & calorem. nam humor nimius in plumbo & ligno virenti sonum gravem efficit, calor etiam interiores meatus aperit, frigus cogit. hinc fœminæ natura frigidiores, clarius quàm viri loquuntur. media temperie vox suavis efficitur & canora, qualis est in Asiaticis, Italis, & Gallis. humor quoque multus facit, ut Septentrionales, cùm ad Austrum iter faciunt, aut in regionibus calidis bella gerunt, sudore diffluant. habent, inquit Tacitus, miram Germani naturæ diversitatem, cùm ament inertiam, & oderint quietem. aut enim bella gerunt; aut cùm à bellis abstinent, dediti sunt somno ciboq;. nam calor intimus ad agendum impellit, ut videre est in pueris, quos nõ sinit quiescere calor: humor verò mollitiem affert, & in sudorẽ abit. atq;
hæc

hæc Plutarchus in Mario confirmavit, ubi fluxa corpora Cimbrorū caloribus & ſudoribus ſolvi conſueviſſe ſcribit. Quamobrem Hiſpani & Itali, ſi Gallorum & Germanorum primos impetus ſuſtineant, eos facilè frangunt: ut Polybius primùm animadvertit: deinde Marius & Cæſar clariſſimis victorijs comprobarunt. atque hic de Gallis; Initio pugnæ pluſquam viri, poſteà fœminis molliores. idem Tacitus de Germanis; Magna, inquit, Germanorum corpora, & tantùm ad impetum valida: laboris atq; operum non eadem patientia, minimeq; ſitim & æſtum tolerant, frigus tamen facilè ferunt. & ut Pomponius Mela ſcribit, ad pubertatem uſq; nudi vagantur. Galenus verò miratur in frigidam à parentibus mergi ſimul ac nati ſunt. Sed hoc explicat Iulian. Auguſt. in epiſtola ad Antiochum miſopogona, ſpurios ſcilicet Germanorum Rheno impoſitos mergi, legitimos natare ſcribit. ſed illud ὑπερ βολικῶς & ſolus ſcribit. Afri ſicco, frigido, ac præduro corpore, laborem & æſtum patienter ferunt; ut Aphrodiſæus in quæſtionibus ſcribit: frigus tamen ferre non poſſunt, cùm nihil habeant caloris interni, contrà quàm Scythæ, qui calorem externum ęgrè patiuntur, cùm urgeantur ab interiore. ut equi ſuapte natura calidi & humidi, ægrè in Aethiopia; optimè in Scythia vivunt: Aſini verò frigidi ac ſicci, alacres ſunt in Africa; lauguidi in Europa, nulli in Scythia. Qui mediam regionem tenent, impatientes ſunt frigoris & caloris; quia medium cum utroq; pugnat extremo: utrumque tamen æquè ferunt. mediam appello regionem non quæ inter Polum & Aequatorem, ſed quæ Tropicum inter & Polum medium tenet: quia calor vehemēs ſub Aequatore eſt, ut planum fecimus, ſed ſub Tropico. non erit igitur regio temperatiſſima, quæ à trigeſimo gradu ad quadrageſimum, ſed quæ à quadrageſimo ad quinquageſimum fertur: eoque temperatior, quò magis ad ortum ſpectat. In eo tractu ſita eſt Hiſpania ulterior, Gallia, Italia, Germania ſuperior uſque ad Mœnum, utraque Pannonia, Illyricum, Myſia utraque, Dacia, Moldavia, Macedonia,

Thracia, Asiæque minoris bona pars, Armenia, Parthia, Sogdiana, & magna pars Asiæ maioris. sed quò propius ad ortum spectant regiones, eò sunt temperatiores, tametsi ad Austrum magis inclinare videntur, ut Lydia, Cilicia, Asia, Media: sed de ortu suo loco. erunt igitur Australes citeriores Hispani, Siculi, Peloponnesij, Cretenses, Syri, Arabes, Persæ, Susiani, Gedrosij, Indi, Aegyptij, Cyrenæi, Pœni, Numidæ, Lybici, Mauri, & qui Floridam incolunt Americi, sed ita, ut qui in eadem latitudine, ad occasum pertinent, temperie sint frigidiore. Septentrionales verò qui à quinquagesimo gradu ad sexagesimum positi sunt. temperatiores tamen quàm qui deinceps ad septuagesimum sedes habent. nam in priore tractu sita est Britannia, Hybernia, Dania, Gothiæ pars, Germania inferior à Mœno & Hypani fluminibus, usque in extremam Scythiam & Tartariam, quæ Europæ & Asiæ maioris bonam partē occupat. Restant ij qui sub quindecim Tropici partibus hinc inde sedes habent; sed quoniam ardentissimo calore utuntur, separatim de ijs agendum erit. reliqui sub triginta partibus cis & ultra Aequatorem, parem ferè temperiem sortiuntur, atque ij qui sub trigesimo gradu positi sunt, ut ex ipsa ratione caloris, & historiarum cognitione planum faciemus. Sed de ijs populis qui à trigesimo gradu ad sexagesimum continentur, præcipua disputatio est, quòd eorum historias, de quibus iudicandum nobis est, habemus, nullas ferè aliorum: de omnibus tamen quid sentiendum sit, hac veluti demonstratione consequemur. Sunt igitur Australes, quod ad formam corporis attinet, frigidi, sicci, duri, glabri, debiles, colore fusco, parvo corpore, crispo capillo, nigris oculis, voce clara. Septentrionales calidi, humidi, pilosi, robusti, colore candido, magno corpore, carne molli, fluxo capillo, cæsijs oculis, voce gravi. qui inter utrosque versantur, omnia moderatè consecuti sunt. Sed illud dubitationem habet, quòd Australes omnium consensione debiles, duri sunt

sunt tamen: Septentrionales robusti quidem, sed molles. at Hippocrates & reliqui fere scriptores, Scythas & montanos homines, qui ad Scytharum naturam accedunt, duros, agrestes, & ad laborem perferendum natos esse scribunt. in his igitur historicorũ & philosophorum à se dissidentium opinionibus, rectè de historia iudicabimus, tùm etiam Livium, Tacitum, Polybium, Plutarchum, Cæsarem, qui Gallos & Germanos laboris impatientes esse tradunt; cum Hippocrate & Alexandro conciliabimus huncin modum, si demus Septentrionales in regione frigida, laborem patienter ferre: in calida verò sudore diffluere ac languere. cui congruit illud Agathiæ de Germanis, & Crantij de Scandis, quòd libenter hyeme; rarò æstate bella gerunt. Australes verò calorem facilè perferunt suæ naturæ congruentem, tametsi vegetiores evadunt in regione frigida, languidi in calida. itaque Hispanæ fœminæ Germanos, ut audio, sua lingua pisces molles appellare consueverunt, quinetiam Celtæ ac Belgæ, cùm in Italiam aut Provinciam veniunt, mirum in modum à culicibus & cimicibus cruciantur, propter cutis mollitiem; indigenæ propter duritiem minùs appetuntur. Atque hæc de forma corporis; ex qua mores animi, & recta historiarum iudicia colliguntur. Cùm enim corpus & intellectus contrario modo afficiãtur, quò maior vis est huius; eò minor est illius: & quò quisque plus intellectu; eò minùs corpore viget, si modò sensus integri fuerint. igitur planum est Australes intellectu, Scythas corpore præstare. id enim Aristoteles librò septimo de Republica innuit; homines robustos & animosos, minus ingenio valere, nec Rempublicam rectè moderari. Afri verò plus satis habent consilij, virium non item, quæ tamen necessariæ sunt, tum ad hostes repellendos, tum etiam ad cives tuendos. Tertium genus est hominum qui pulcherrimas parendi & imperandi artes habent, qui viribus Australium calliditatem frangere, & consilio Scytharum impetus coercere possunt. Ex eo genere Vitruvius

militem legendum putat, qui non minus prudentia quàm viribus præstet. quàm rectè, aliorum esto iudicium. hic tamen in historia iudicandum relinquitur, cur Gothi, Hunni, Heruli, Vandali; Europam, Asiam, & Africam armis invaserunt: sed inopes à consilio retinere non potuerunt. qui verò prudentium consilia sibi asciuerunt, gentes ad civilem societatem idoneas nacti, florentissima imperia diutissimè tenuerunt, neque enim frustra Palladem armatam, aut Achillem ab ea comprehensum Poetæ fingunt. Et quoniam Scythæ ferè semper à litteris: Australes ab armis abhorruerunt, nullum magnum imperium stabilire potuerunt. vtrumque Romani summa quadam fœlicitate sunt consecuti, & gymnasticem cum musica, ut Plato voluit, prudenter coniunxerunt. à Græcis quidem leges ac litteras, id est, urbanam disciplinam, veluti palladium acceperunt: à Pœnis & Siculis navalem scientiam: militarem verò perpetuis bellis sibi compararunt. & cùm anteà cæsim duntaxat Scytharum more ferirent, post etiam punctim ab Hispanis, ut est apud Polybium, ferire didicerunt. itaque mirum videri non debet, si populos omnes rerum à se gestarum gloria superarint, cùm pulcherrimas naturæ dotes ad disciplinam adiunxissent. Sed illud divina quadam bonitate dicam an prudentia factum est, vt Afri plus ingenio, Scythæ corporibus valerent: ne si barbaris hominibus quasi tauris vulpinam calliditatem: aut Pœnis, quasi vulpibus magnam vim ac robur dedisset: eius donis ad perniciem vtrique abuterentur. nihil est enim crudelius, inquit Aristoteles, iniustitia armata. quibus autem vires moderatas dedit, humanitate voluit ac iusticia reliquis præstare. id quod regioni temperatæ tribuit Aristoteles in quæstionibus; Quamobrem, inquit, barbari sunt qui nimio frigore vel æstu laborant? an quia temperies optima mores optimos facit? Quid igitur historici omnes innocentiam ac iusticiam Scytharum tantopere laudant, Australium mores execrantur? hic iudicium in historia requiro, ne philosophos & historicos discre-
pantes

pantes habeamus; neque res dubitatione caret: sunt enim homines obesi minimè mali, ut rectè Cæsar de Antonio ac Dolobella iudicabat: Brutum verò & Cassium macilentos homines metuendos esse. at Septentrionales obesi sunt, Australes macilenti: verum est igitur quod ait Tacitus de Germanis: Gens, inquit, non astuta nec callida: aperit enim secreta pectoris licentia ioci, & nuda omnium mens postera die retractatur, salva utriusque temporis ratione. quinetiam hæc una ratio est, cur reges ac tyranni olim hisq; temporibus ad præsidium corporis Thraces, Scythas, Germanos, Circassios, Helvetios, magna mercede semper quæsierunt; non quòd viribus suorum, vt ineptè plerique arbitrantur, diffidant: sed quòd intelligunt, in illa vastitate corporum, minimum calliditatis ac malitiæ latere; eosque potius militis quàm imperatoris munere delectari. quo igitur modo crudeles ac barbari appellantur? ratio est in promptu, nam quò quisque plus abest ab humanitate, id est, ab hominum natura, eò propiùs ad ferarum similitudinem accedit, quæ cùm ratione careant, iracundiam & appetitus cohibere nequeunt. ita fit ut Septentrionales ad crudelitatem impetu ferantur. hinc Thucydides Thracas, vbi nihil extimescant, φονικώτατον γένος appellat. Tacitus verò de Germanis; Occidere solent, inquit, non disciplina & severitate, sed impetu ac ira ut inimicum. nam Hungari cæso Gritto penulas militares & hastas in eius cruore gentili more tinxerunt. Britanni ex regibus XL. civili conspiratione duodecim interfecerunt: principes verò innumerabiles, centum quidem annis XXX. posteà quàm ab externis bellis paululum conquievissent. Transylvani (si vera sunt Polonorum & Iovij chronica) ut Georgium seditiosorum ducem acerbius tractarent (is enim nobilissimos quosque Hungaros palis transfixerat) triduo maceratos inedia milites eò crudelitatis adegerunt, ut dentibus spirantis ducis artus dilacerarent atque deglutirent: deinde exenteratum in frusta secantes verubus coctum captivis apposuerunt. omitto Draculæ Transylvaniæ

principis sæuitiam omni opinione maiorem. Omitto Gothorum & Hunorum crudelitates anteà inauditas, non modò in homines, sed etiam in belluas, vrbes, arces, lapides, & sepulchra Romanorum, quæ funditùs euerterunt: Neque magis iracundiã quàm alios appetitus coercere possunt. Tacitus de Germanis; Aleam, inquit, sobrij inter seria exercent, tanta lucrandi perdendiue temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo iactu de libertate contendant. hinc etiam illa quæ in Germanos & Francos iactatur à Procopio cupiditas habendi, quæ tanta est, ut vitam auro; bellum pecunia commutent. Australes non tam auari, quàm parci ac tenaces: Scythæ prodigi ac rapaces. & quoniam ab ingenio se deseri sentiunt, supra modum suspiciosi euadunt. atque id nostri homines anteà satis intellexerunt. Holster hoc amplius mihi retulit in hospitijs publicis speculatores & ἀπεκευστὰς in Gothia latêre. oritur enim suspicio ab inopia consilij. atque non nisi ieiuni cum Australibus contrahunt: cumque se deceptos sentiunt, calculum reducunt, aut plerunque decipiendo præoccupant, aut denique vim afferunt. quo fit ut æquè perfidi atque Australes omnium opinione habeantur. id quod veteres historici, quòd nulla cum Scythis haberent cōmercia, penitus ignorarunt. posteà verò relictis sedibus seipsos patefecerunt. sic igitur Procopius de Francis, cùm è Germania in Galliam venissent (hos enim Germani à seipsis originem traxisse gloriantur) Ea gens, inquit, ad fidem prodendam omnium aptissima. & Vopiscus; Francis, inquit, familiare est fidem ridendo frangere. hinc Alciatus caudam scorpionis in Germanos iactari scribit. atque hoc proverbium in Gallia vulgatum retinemus. quod cum bona illorum venia dictum sit, ne cuiusquam gentis nomen oratio nostra læsura videatur. neque enim de re ipsa, sed de insita cuique natura scribo. quanquam in eo genere Germani à Danis & Norvegis, quibus maximè diffident, longè superantur. nusquam profectò perfidia aut crudelitas populi erga principes, aut principum inter se maior exarsit,

quàm

quàm inter Christiernum & Gostavum, Danos & Suecos. ab ijs etiam Normanni, quos vulgus fidẽ minùs colere suspicatur, originem traxerunt. Quòd si ab inopia rationis & consilij Septentrionales appetitum cohibere nequeunt, ac propterea intemperãtes, suspiciosi, perfidi, crudeles habentur: quænam ratio est cur Australes multò crudeliores sint, magis etiam perfidi quàm illi? hic rursus iudicium in historia requiro. constat enim Australes maximas habere à natura dotes ingenij, sic enim Columella lib.1.cap.11. constat, inquit, Pœnos gentem acutissimam dixisse, imbecilliorem agrum quàm agricolam esse debere. Et Hircius de Aegyptijs contra Cæsarem dimicantibus; Ipsi homines, inquit, ingeniosissimi, quæ à nobis fieri viderant, ea solertia efficiebant, ut nostri illorum opera imitari viderentur. idem paulò pòst; Aptissimum est genus Aegyptiorum ad proditionem. quis autem nescit quibus artibus, & quandiu Romanorum potentiam eluserunt Pœni? nihilominus crudelitatem in hostes incredibilem semper exercuerunt; ut videre est tum in bello Punico, tum etiam in eo quod Spendij & Carthaginenses utriq; Pœni, mutuò gesserunt; omnium, ut ait Polybius, quæ nos audivimus crudelitate, ac omni scelerum genere maximum. sed ludicra videri possint, quæ à Polybio de crudelitate Pœnorũ narrantur, si quis cum historia Leonis Afri compararit: vel etiam cum Muleassis & filiorum inaudita crudelitate, quam non ita pridẽ tum in cives, tũ in seipsos exercuerunt. Nam Muleasses de regno, unde patrẽ deiecerat, expulsus, ab immani fratris iniuria exustorũ oculorum orbitate miserabilis, supplex ad Carolum Imperatorem venit. A Pœnis igitur profectæ sunt exoculationes, membrorum avulsiones, excoriationes, sectiones, lentæ ustiones, & palorum traiectiones. totius verò corporis in rota confractio à Germanis, ut videre est apud Munsterũ in Coloniæ descriptione: à quibus supplicijs Itali, Galli, Hispani, Græci, Asiatici semper abhorruerunt, aut ab alijs inviti acceperunt. Nam Romani sontes ante legem Portiã (quę etiam-

num verbera civium corpore amovit) ad ſummum ſécuri, vel gulæ confractione, pòſt etiam inedia necabant: tandem eſt exilium permiſſum. apud Græcos cicutę uſus erat: quam etiam a qua temperabant Chij, ut ait Theophraſtus, quò mortem ſine dolore accirent: quia in ipſa morte plus ſatis acerbitatis ineſſe iudicarent: niſi quis novo quodam & immani ſcelere obligaretur. ac ne quis à prava diſciplina tantam crudelitatem manare credat, ut Polybius; Americorum Auſtralium naturam ſpectet, qui in cæſorum hoſtium ſanguine pueros mergunt, deinde ſanguinem ſugunt, & membris conciſis epulantur. Eſt igitur Auſtralium & Scytharum crudelitas longè diſſimilis, quòd hi ſolo impetu ad iram, & generoſa quadam animi audacia feruntur ad vindictam; tum etiam irritati facillimè placantur. illi nec facilè irritantur, & irati difficilimè leniuntur: tum hoſtes invadunt vulpina calliditate, non vi aperta: victosq; immani ſuppliciorum acerbitate cruciant: quæ immanitas partim ab ea tyrannide proficiſcitur, quam prava educatio & immoderati appetitus in homine ſtabiliunt: ſed multò magis ab inæquali humorum confuſione: hæc autem ab elementis inæqualiter affectis: elementa vi cœleſtium corporum agitantur. in elementis verò corpus humanum continetur, ſanguis in corpore, ſpiritus in ſanguine, anima in ſpiritu, mens in anima. quę tametſi eſt ab omni concretione libera, contagione tamen ex illa cohærentia plurimùm afficitur. ita fit ut qui ſunt in extremis regionibus, ad vitia procliviores ſint. & quemadmodum atra bilis non aliter à ſanguine, quàm fex à vino divellitur: ita perturbationes animi, quæ ab atra bile proficiſcuntur, tenaciſſimè hærent. Auſtrales verò atra bile abundant, quę exhauſtis ardore cœli humoribus, quaſi fex in imo ſubſidet, & perturbationibus magis ac magis augetur, ut qui ſunt hunc in modum à mente conſtituti, planè implacabiles ſint. talem fuiſſe Aiacem ferunt, & Martium Coriolanum: quorum alter non prius leniri potuit, quàm patriæ fines ac ſocias civitates ferro flammaq; dele-

delevisset:alter cùm hostes ulcisci non posset, in furorem conversus greges & armenta cædebat. Hinc igitur facile est de historia iudicare percepta causa furoris. constat autem Australes furore faciliùs capi quàm Septentrionales; ut faciliùs homines insaniunt quàm beluæ. scribit enim Leo Afer infinitam esse in Africa furiosorum hominum multitudiné, & ubique publicas ædes furiosis constitui; quibus etiam abundat Hispaniæ pars illa quæ Australior est. in inferiori Germania, nulli fere ab atra bile furiosi, sed à sanguine; quod genus furoris vulgus morbum sancti Viti appellat: qui ad lascíviam & inconditam saltationem impellit, quam musica lyrá imitantur, deinde numeris ac modis gravioribus utuntur, usque sensim faciunt, quousque modi ac numeri gravitate planè conquiescant. qui verò medias habent regiones, à bile flava, cum aduri cœperit, aguntur in phrenesim, quæ ad cædes & vulnera prorumpit. qui sub Vrsa vivunt, cùm abundent pituita, necesse est furore lenum, id est, lethargia laborare, quod genus dementiæ stuporé ac oblivioné affert. insania verò ubique grassatur. insaniam appello, cùm ratio appetitum vincere non potest, quod maximè Septentrionalibus contingit. nam furor in sapiétem cadere potest, ut ait Cicero, insania non potest: quod nostri admodum ineptè interpretãtur, cùm imperitos ac simplices homines incurabiles esse aiunt. Quæ omnia in universum dicta sint. ubique enim furiosi, melancholici, phrenetici, lethargici, ubique sapientes, fortes ac temperantes homines; sed alibi longè plures, alibi pauciores. quæ igitur à medicis de abradente melancholia, & ab Aristotele de melancholicis dicta sunt, Australibus ferè conveniunt, ad eaque iudicium historiarum debet accommodari, quæ à nobis prætermittuntur: ea tantùm quæ sunt omissa, vel non satis intellecta planiùs explicemus: cuiusmodi est illud; Australes omnibus voluptatibus ac veneri maximè deditos; Scythas verò negat Hippocrátes ad venerem aptos esse, ob nimiam, ut ipse scribit, ventris frigiditatem ac humiditatem: tum etiam

ob equitationẽ,ac propterea infœcundos esse: & cùm frustra venerẽ tentaverint,odio veneris seipsos castrare. castrationem vocat alibi venæ cephalicæ, quæ sub auribus latet,sectionem, qua his quoque temporibus uti quosdam accepimus. Hæc tamen omnibus ferè historicis repugnant. adhibeamus igitur rectum illud,quod quærimus, iudicium historiarum; & philosophorum ac historicorum discrepātiam tollamus. nam Gothorum, Scytharum & Germanorum tanta fœcunditas est,vt non modò Septentrionis vastas solitudines ac sylvas maximis urbibus decorârint, sed etiam in universam Europam colonias miserint: non tantùm Germani ultra Danubium,verumetiam Scandi in extremis Scythiæ finibus positi. Illinc Methodius & Paulus Diaconus exercitus quasi apum examina erumpere consuevisse tradunt. Iornandes verò & Olaus appellant hominum officinam: quòd inde Gothi,Gepidæ,Hunni,Cimbri,Longobardi,Alani, Burgundi,Normanni,Picti,Heruli,Suevi, Sclavi, Sviceri, Rugi originẽ traxerunt. cùm autem Scythæ calidi sint & humidi,unde fœcunditas ingeneratur,dubium non est quin omnium populorum fœcundissimi sint. ac nescio quonam modo Hippocrates Scythas ventre frigidos esse putat. id enim falsum esse natura ipsa demonstrat. nam quæ ratio est vt hyeme maior sit in visceribus, quàm æstate calor (id enim fervens ore fumanti halitus significat) eadem est ijs qui Septentriones incolunt, ac propterea sunt hyeme viri ad gignendum aptiores,non salaciores, ut putavit Aristoteles. nam salaciores sunt æstate viri (propter acrimoniam flavæ bilis, quæ æstate copiosior est) minùs tamen idonei: ita quoque Australes salaciores: Septentrionales verò magis idonei.quod summa Dei prudentia factum est,quòd ijs qui satis habent ad gignendum facultatis, voluptas non magnopere esset necessaria:ijs verò qui minus habent humoris & caloris,maiores stimulos voluptatis optima parens natura dedit: alioqui nec suum genus propagare, nec societatem colere vellent. eadem natura fecit,vt hyeme

me viri, æstate fœminæ ad venerem procliviores sint, ut aiunt medici, non ad voluptatem propter se expetendam, quo nihil fœdius est: neque solùm ad procreationem, quod reliquis animantibus commune esse videmus: sed etiam ut esset fruendæ societatis, ad quam nati sumus, perpetuum desiderium. poterat enim voluptas societatem ad breve tempus conciliare, ut cæteras animantes, non tamen diutiùs retinere, aut mutuum amorem tueri. Sed Hippocratis rationem cur Scythæ ad venerem minùs idonei sint, quia bracis & equitatione perpetua utuntur, probare non possum: cùm Aristotelis testimonio, & quidem certissima ratione, quam affert in quæstionibus, salaciores sint qui equitare consueverunt. Ex his intelligitur quid de Cæsare, Volaterrano, ac Tacito indicandum sit, qui Germanorum continentiam tantopere laudant. Tacitus; Sera iuvenum venus, inquit, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur. quod tamen continentiæ tribui nullo modo potest, cùm anteà docuerimus Septentrionales suapte natura intemperatissimos esse in potu, cibo, ira, alea, rapinis. nam qui temperans, idem quoque continens est, non contrà. nullus est autem continentiæ locus, ubi nullæ sunt quæ appetantur libidines ac voluptates: ut nemo fortis dici possit, nullo proposito periculo vel labore. at Australes, qui plus habent rationis & consilij, à ratione impetrarunt, ut liberiùs peccare suavitatis causa liceret. cùm enim difficilimè se continere possint, tum verò in libidinem proiecti execrandis voluptatibus abutuntur. ab illis enim promiscuè beluarum & hominum concubitus, unde tot monstra nobis pariunt Africæ regiones. hinc Australium, hinc Pœnorum apud Leonem incredibilis zelotypia, à qua Germani longissimè absunt. de quibus sic Cæsar; Ante xxv. annum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus, cuius rei nulla est occultatio. Altamerus quoque, Poggius & Munsterus in descriptione Badensi tradunt, Germanos promiscuè & peregrinos quoque cum uxoribus sine suspicione perlui. nomen

zelotypia, inquit Munsterus, apud istos locum non habet. addit Irenicus homo Germanus. Illa consuetudo, inquit, nostro tempore in balneis ubique observatur. Cæsar quoque scribit Britannos duodenas uxores habere communes, & fratres cum sororibus, parentes cum liberis. Itali hunc morem ferre nunquam potuerunt, multò minùs Hispani: qui amore ac zelotypia sæpe insaniunt. Pœni verò & Americi mortem præstabiliorem ducunt. quare nihil mirum si Persarum, Pœnorum & Hebræorum reges semper infinitam habuerint multitudinem uxorum: ut Diodorus lib. II. Herodotus lib. III. Iosippus lib. IIII. cap. XVII. Scythæ verò vel communes vel singulares: quibuscum tamen ita vivunt, ut etiamnum in ipsis regibus, ex quibus populi mores intelligimus, incredibilia continentiæ exempla ferantur. scribit enim Tacitus, Germanos ex omnibus barbaris penè solos singulas uxores habere: & Volaterranus, Casimirum Poloniæ; Vvenceslaum Bohemiæ reges, cœlibes castos semper vixisse: Henricum verò II. Imp. non modò ab alienis uxoribus, sed à sua quoque perpetuò abstinuisse. est igitur causa generationis à calore & humore: libidinis, ab utraque bile. à flava quidem propter acrimoniam, ab atra verò propter spumam & flatum, qui plurimus est in eo genere bilis: atque id voluit, opinor, Aristoteles in ea quæstione qua disputat, cur melancholici salaciores sint. argumento est quòd qui acribus & flatulentis cibis utuntur, salaciores evadunt; eoque magis si bilis ex adustione acris & salsa evaserit. hinc fortassis Poëtæ Venerem fingunt maris spuma natam. atque ob eam causam factum opinor, ut ex omni genere bestiarum, nullum præter leporem mascula venere utatur: quinetiam, teste Varrone ac Aeliano, concipit ac parit: fœmina verò sola ex omnibus animantibus superfœtat. constat autem nullum atra bile magis abundare. quare non mirū si Australes qui ea bile pleni sunt, ad venerem procliviùs feruntur; quam propterea Ptolemæus potissimum in Africa coli, & Scorpionis sydus, quod ad pudenda

denda pertinet, Africæ præesse tradit. Habent etiam Australes ex atra bile quòd lepra laborãt, qui proptereà morbus Punicus à veteribus appellatur: non propter ruborem, cùm Australis lepra iudicio Mosis & Plinij nihil habeat ruboris, sed quoniam illinc originem habet. illinc etiam morbus Arabum, qui ἄλφος à quibusdam, ab alijs λεύκη & vitiligo appellatur. nam ante Pompeium magnum nullos Italia, teste Plinio, viderat leprosos, quem morbum Aegypti peculiarem esse tradit. argumento sit, quòd Moses omnium antiquissimus scriptor, leges de leprosis infinitas, Græci ac Romani nullas tulerunt. & quidem in eo consentiunt Leo Afer & Alvaresius: nam alter ædes infinitas in utraque Mauritania leprosis constituit; alter leprosos Abyssinorum cum populo versari scribit, ut vulgaris morbus esse videatur. Americam verò nostri homines testatum reliquerunt leprosis, aut, ut ipsi aiunt, Neapolitano morbo laborantibus abundare; quem morbum Scaliger Indicum, Indi Pua vocant: quòd ab illis insulis invectus est in universam Europam & Africam: ac paulatim in Syriam & Scythiam, usque pervasit. quòd autem ab atra bile ingeneratur, ex eo planum est, quòd qui plus habent melancholici humoris, eò difficiliùs curantur. facit etiam atra bilis ut Australes tristes sint, ac demisso vultu, incessu tardi & cogitabundi: Septentrionales læti & alacres, propter sanguinis copiam. Ex his perspicuum fit, cur omnes omnium historiarum scriptores tradunt, Australes ad maxima corporis & animi vitia proclives esse, ratio est in promptu, scilicet cùm malè fuerint ab atra bile constituti: sin bene temperata fuerit ea melancholia quæ dicitur abradens (sunt autem multa genera) egregias corporis & animi vires adipiscuntur. primùm liberi sunt ab infinitis morborum generibus, quæ à repletione, fluxione, & sanguine putri derivantur. sunt in Africa rarissimæ ac levissimæ febres, propter humoris interni & caloris inopiam. quartana verò, quæ melancholiæ propria est, semel curata, ut ait Hippocrates, nunquam

recurrit. In Septentrionibus putres à sanguine febres, tumores, & œdemata, morbi comitiales, convulsiones, cæcitates, quò longiùs à medio receditur. quorũ una ratio est, crassi humoris & excrementorum copia. quæ exigua sunt in Australibus. In media regione grassantur pestes, propter aëris frequentes mutationes, cùm in extremis perpetua sit hyems aut æstas; in medio, veris etiam & autumni magnæ mutationes. hinc etiam morbi articulares, tertianæ, herpes, & gangræna, quam ineptè dicam an impiè, nostri acceptam ferunt D. Antonio, [redacted]. Ac falluntur qui putant mediæ regionis homines, quòd ab extrémis longiùs absunt, salutem aut vitam habere diuturniorem. Australium natura congruit cum calore: Scytharum cum frigore: qui in medio sunt, tametsi cæteris temperatiores videntur, nihilominus à calore & frigore oppugnantur; & frequentes habent aëris mutationes, quæ morbos pariunt & senectam præmaturam. hinc historicorum discrepantes opiniones de vitæ brevitate. putavit Aristoteles diutiùs ad Austrum vivi: Plinius ad Septentrionem: Galenus in media regione, quam ipse in Asia minore collocavit, ubi homines optimo esse temperamento putat. Gallos verò, Scythas, Aegyptios, Arabes, ne per somnium quidem eiusmodi temperamentum attigisse. idem tradit Hippocrates, omnia pulchriora, maiora ac meliora in Asia nasci, quæ partim vera, partim etiam falsa mihi videntur. nam maiores sunt qui ad Septentrionem, ut anteà docuimus, & quidem præstantiore forma: idque Iosippus, Cæsar & Tacitus, de Germanorum mira magnitudine testantur; & veteres formam Gallorum (quos à calore candido lacteos seu Galactas ipsi Asiatici vocarunt) & Gallicos vultus quasi proverbio Tertullianus usurpavit, in eo tamen genere Britannis inferiores videntur. sed Galeno ignota fuit Gallia, quam ut videret, à M. Aurelio rogatus adduci nõ potuit. Cùm autem vita diuturna calido & humido sustineatur,

par

par esset ad Septentrionem diutiùs vivi. atque hinc fortasse Plinius Hyperboreos annoso ævo vitam protrahere putavit. & quidem notum est in Britannia ultra centesimum annum vivi: nec dubito quin Scytharum vita lōgè diuturnior esset futura, nisi potu ac cibo seipsos obruerent. Australium quoque vitam longissimam esse veterum ac iuniorum scripta testantur. tametsi enim calore & humore copioso minimè abundant, excrementa quoque multa desunt, quæ senectam & interitum afferre omnium consensu putantur. nam quò minùs plantæ habent incrementi, eò diutiùs vigent, ut est apud Theophrastum. Alij temperatiore cœlo vitam protrahi longiorem arbitrantur. nam Italia multos alit qui centesimum annum his quoque temporibus superarunt. Plinius ex censu Romanorum annos centum & quadraginta quosdam vixisse tradit. qui tamen iuniores historicos cum veteribus, & veteres inter se contulerit, tum etiam physicas rationes adiunxerit, certissimum de historia iudicium feret: scilicet australes longiore vita frui, maximè tamen Numidas. id quod credibile est, cùm annosæ Cornices, quæ nihil ferè caloris minùs etiam humoris habent, quatuor hominum ætates implere dicantur. prætereà Elephantes qui Aristotelis ac Iubæ testimonio vitam omnium animantium superant, non alibi quàm ad Austrum reperiuntur. itidem Palma; quæ interdum annos mille vigere dicitur, non nisi ad Australem plagam ali potest. quin etiam aurum & Adamas quæ à seipsis nunquam interitum sentiūt, ad Austrum optima; nulla ferè ad septentrionem. neque enim verum est ab optimo temperamento, vt putat Galenus, vitam effici longiorem: alioqui lapides plantis, plantæ animantibus, elephas & cervus homine tēperatiores essent, quod absurdū sit: cùm ingenij præstantiam ab optima temperie iudicari putet. Iam verò cùm animus corpori præstet, maiorque vis ingeniorum sit ad Austrū quàm ad Septentrionē, dubium non est quīn potior mundi pars ad Austrum posita sit: & maiores sint in Australibus quàm in Scythis

virtutes, vitia quoque maióra in quãcumque partem inclinarint. atque hinc facilè iudicium de historia Livij colligemus, qui cùm Annibalis virtutes commemorasset, Has, inquit, tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plusquàm Punica, nihil veri nihil sancti, nullus Deûm metus, nullum iusiurandum, nulla religio. falsum est enim quod Machiavellus scribit, homines ad summũ sceleratissimos esse non posse, exemplo Pauli Balionis Perusiæ tyranni, qui cùm Iulium Põtificem vnà cum suo comitatu occidere facilè potuisset, dominatum amittere, quàm tantum scelus perpetrare maluit. hoc Annibal non fecisset. idem Machiavellus Italos, Hispanos, & Gallos sceleratissimos omnium gentium appellat. Germanorum iustitiam & prudentiam mirum in modum extollit uno loco. alibi perfidiam eorum, avaritiam, superbiam insectatur. quæ ab ignorantia morũ & naturæ cuiusque populi profecta sunt. Neque enim stupidi homines & rustici valde flagitiosi esse possunt, sed in magnis ingenijs, vt est apud Platonem, magnæ virtutes aut vitia inesse consueverunt. & quemadmodum fœcunda tellus nisi excolitur, magnam nocentium herbarum vim profert: & modicè culta valde frugifera fit; sterilis verò neque salutares, neque noxias herbas, nec quicquã omnino nisi maximo labore parit: ita quoque de Australium ac Scytharum ingenijs iudico. Quare non mirũ si omnes propè historici ac poetæ, iam inde ab Aeschylo, magnam Scytharum innocẽtiam laudant, malitiã Australium insectantur. Plus valent, inquit Tacitus, apud Germanos boni mores, quàm alibi bonæ leges. at illis temporibus omni disciplina caruere Germani, vt parum à bestijs discreparent, quod ipsi confitentur. cùm igitur in summa ignoratione versarentur, non video cur tantopere laudabilis sit eorum innocentia, qui nec valde mali, nec boni esse potuissent: sed is summa laude dignus est, qui virtutes, quarum vim animo comprehensam habet, sponte colit, cùm iniustus esse possit: vel quòd virtutis aditus unus est, veluti recta

linea,

linea, circa quam hinc inde obliquæ sunt innumerabiles: vel quòd homines propositis bonorum & malorum finibus, multò magis ad scelera feruntur, à quibus non solùm crudelissimis supplicijs, æternaque morte proposita deterreri nō possunt; sed ne præmijs quidem immortalibus ad iustitiam impelli, vt plerique putent, homines in summa innocentia victuros, ac multò beatiores futuros, si malorum fructus (sine quibus tamen natura bonorum percipi non potest) nunquam degustassent: sed, vt cæteræ animantes, naturæ suæ congruenter vixissent. quam quidem ad naturam, Scythas & montanos homines nulla disciplina informatos propiùs accedere videmus. Ex quo relinquitur quid iudicandum sit de historicis, qui Græcorum, Aegyptiorum, Arabum & Caldæorum superstitionem, impietatem, magiam, flagitiosas libidines & crudelitates insectantur, quæ laudabilia sunt, omittunt. ab ijsdem enim litteræ, bonæ artes, virtutes, disciplina, philosophia, religio, humanitas denique ipsa, in orbem terrarum velutà fonte profluxit. neque tamen Scythis sua industria defuit, neque item ijs, qui mediam regionem tenent, sed egregias à Deo immortali dotes sunt cōsecuti, quæ melius intelligi non possunt, nec certius historiæ iudicari, quàm si humani corporis, aut Reipublicæ bene constitutæ, aut mūdi syderumque cœlestium imaginem proponamus. Fingamus igitur tribus his populis, eo, quo diximus, ordine constitutis, præesse quosdam Planetas, idque tantùm doctrinæ gratia: deinde Australibus Saturnum, sequentibus Iovem, Septentrionalibus Martem tribuamus. tum in orbem redeundo rursum Australibus Venerem (nam Sol veluti fons luminis omnium communis erit) sequentibus Mercurium, Septentrionalibus Lunam. ex hac veluti distributione trium populorum, vim quandam vniuersæ naturæ planius intelligem⁹. aiūt enim Chaldæi Saturni vim in comprehensione positam, Iovis in actione, Martis in effectione. id autem ex Hebræis naturę optimis interpretibus intelligitur. illi enim Saturnum שׁבתאי

vocant, id est, quietum, quo nihil ad contemplationem maius esse potest. Iovem צדק, id est iustum, appellant: quod Græci cùm ab Hebræis, vt optima quæque, accepissent; Iustitiam Iovi assidere finxerũt. Martem verò מאדים, id est, fortem & robustum; quem propterea Caldæi & Græci bellis præesse putarunt. Saturnus quidem frigidus, Mars calidus, Iuppiter utroque dicitur esse temperatior. primus ad scientias & ea quæ in sola contemplatione veri acquiescunt: alter ad prudentiam, quæ in agendo posita est, quæque virtutes omnes complectitur: tertius ad artes & opificia, quæ in manu ac robore posita sunt, pertinet: primus ad mẽtem, alter ad rationem, postremus ad φαντασίαν. Nam Australes populi diuturno contemplandi studio, quod atræ bili congruit, pulcherrimarum scientiarum autores ac principes fuerunt: naturæ arcana detexerunt: mathematicas disciplinas invenerunt: denique religionis cœlestiumque syderum vim & naturam primi perspexerunt. Scythæ quòd essent ad contemplationem minus idonei, propter sanguinis & humoris copiam (quibus ita mens obruitur ut vix unquã emergat) ad ea quæ sub sensum cadunt, id est, ad artes & opificia tractanda, spontè ferri cœperunt. hinc à Septentrionibus ea quæ mechanica dicuntur, belli tormenta, fusoriæ artes, typographia, quæq; pertinent ad metallicam disciplinam, quam ita tractavit Georgius Agricola, homo Germanus, vt Aristoteles ac Plinius in eo genere nihil intellexisse videantur. nec mirum videri debet, si Germanos & Britãnos accire solent Itali & Hispani, quòd cœlesti quodam munere occultas terræ venas invenire, & inventas aperire norunt. ijdem quoque alumni Martis militarem disciplinam antea semper, & nunc quoq; incredibili studio colunt, arma tractant, montes æquant, aquas derivant, seque totos venationibus, agriculturæ, pecuariæ, aut ijs artibus, quæ opera moliuntur, dare consueverunt, vt illorum ingenium in manu positum esse videatur, quod satis indicat omne genus supellectilis & instrumẽtorum, quæ ab illis tam artificiosè, tam affabre fiunt, ut

ea cæteri populi mirentur; imitari non possint. atque id fortasse voluit Plato, cùm diceret Martem & Vulcanum artes reperisse. quòd si Astrologis habenda fides est, qui Martem nativitatis principem habent, aut milites sunt, aut opifices futuri. At mediæ regionis homines, neque ad occultas scientias ita nati, ut Australes; neque opificijs ita dediti sunt, ut Septentrionales, sed ad res agendas omnium aptissimi. nam si quis omnia historicorum scripta collegerit, iudicabit ab eiusmodi hominibus primùm profecta esse instituta, leges, mores, atque optimam Reipubl. moderandę rationem, tum etiam mercaturam, gubernatoriam, oratoriam, dialecticam, imperatoriam denique disciplinam. harum autem disciplinarum magistri esse feruntur Iuppiter ac Mercurius; & qui Iovem aut Mercurium, aut utrunque originis dominum habet, ad hæc suapte natura ferri dicitur. & quidem constat ex historiarum lectione, in Asia, Græcia, Assyria, Italia, Gallia, Germania superiore, quæ Polum inter & Aequatorē, à quadragesimo ad quinquagesimum gradum interiacent, maxima imperia semper floruisse; & ab illis regionibus summos imperatores, optimos legumlatores, æquissimos iudices, prudentes Iurisconsultos, disertos oratores, sagaces mercatores, clarissimos denique histriones & fabularum actores ortum habuisse. nulli ab Africa, multò minus à Scythia iurisconsulti, nulli oratores, rari poëtæ, pauciores historici, paucissimi qui copiosam & uberem exerceant mercaturam, qualem Itali, Græci, Hispani, Asiatici. hæc igitur cum historia conferamus, ut rectiùs de re tota iudicari possit. queritur Galenus nullos unquam à Scythia philosophos pręter Anacharsim, innumerabiles à Gręcia fluxisse. scribit quoq; Iulianus Aug. ubi de Gallis agit, quorum naturam usu diuturno cognitam & plane compertam habebat; Celtas nec philosophiæ, nec disciplinis mathematicis operam dare: sed in Dialecticis ferè ac Rhetoricis acquiescere. hinc Iuvenalis:

Gallia caußidicos docuit facunda Britannos.

quin illa ipsa religio qua utebantur planũ facit. Deum

Mercurium, inquit Cæsar, Galli maximè colunt: huius plurima sunt simulachra: hunc inventoré artium ferunt: hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. has igitur historias experientia diuturna comprobavit. neque enim usquam terrarum plures causidici, nusquam civilis scientia maiore studio colitur. occultę verò scientiæ ac mathematicæ disciplinæ valde frigent. Contrà verò Australes, quòd assiduè contemplantur propter insitum atræ bilis humoré, seipsos à rebus agendis spontè subducunt, ac desertissimas solitudines quærunt. contemplationis autem ac meditationis (quæ Pretiosa mors ab Hebræis & Academicis appellatur) ea vis est, ut ingenium acuat, & hominem ab homine seiungat: quod cùm adeptus est, non modò rerum naturalium arcana videt sed etiam pernicibus alis in cœlum purgata mente fertur, rerumque divinarum scientia repletur: pòst à Deo immortali subornatus, res arduas & admirabiles ignaris hominibus revelat. quare mirum videri non debet ex historiarum lectione, ab illis regionibus summos philosophos, mathematicos, prophetas, omnes denique religiones in orbem terrarum, velut ab uberrimo fonte fluxisse. non quòd alibi quoque divina mens hominem cœlesti spiritu afflare nolit: quod dictu nefas est; cùm vigeat ubique Deus, non aliter ac Solis splendor: sed quemadmodum idem splendor in aqua limpidissima sese magis ostentat, quàm in turbida: ita quoque divinitas in purgata mente clarius elucet, quàm in ea quæ deorsum vergens contagione corporis afficitur; ac perturbationibus secum dissidentibus implicatur. quibus enim sanguinis & humoris copia maior, illi sese difficilius ab hac terrestri labe seiungunt; ut non immeritò siccas animas sapientes appellârit Heraclitus. ridiculum est enim ac minimè philosopho dignũ, quòd H. Cardanus hominem sapientissimum esse ait, quòd sit humidissimus & calidissimus: cùm bestias ipsas quò sunt frigidiores, ut Aristoteles scribit lib. 2. de Partibus animantium, eò prudẽtiores esse videamus.

argu

argumento ſit prudentiſſimus elephas, cuius ſanguinem omnium frigidiſſimum eſſe Plinius autor eſt. Quæ cùm ita ſint, facile eſt ad iudicandum, an vera ſint, quæ de religione Auſtralium hiſtorici tradunt, atque imprimis Leo Afer, ubi agit de templorum ſubſtructionibus; Sunt, inquit, in urbe Feſſa, templa ſeptingenta, quorum maximum milliarij unius ambitum, unamq́ue & triginta portas habet: lampades verò nongentas diu noctuq́ue ardentes. Credibile quoque eſt id quod Alvareſius in Abyſſinorum hiſtoria tradit, de inaudita magnitudine templorum: de multitudine infinita monachorum, qui non modò in locis deſertis, ſed etiam in pagis, in circulis, in foro, in caſtris verſantur: ex quibus etiam exercitus ſæpe conſcribuntur: cùm principes ipſi hoc vitæ genus ſequantur. Rex autem qui Negus & Iochan Belul, id eſt, gemma pretioſiſſima, vocatur; quaſi pontificem ageret, non aliter quàm ornatu & veſtitu pontificio præeuntibus pontificibus, & religionis inſignia præ ſe ferétibus iter facit. ieiunia verò totius populi planè incredibilia narrat, ſi quis ea cũ noſtris comparârit: ſi tamen iudicium ad hiſtoriam adhibeas, valde credibilia iudicabis. multi enim vitam lente cruda vel holeribus aqua pura coctis, & planè inſipidis ſine pane ſuſtentant. alij circulos ferreos quaſi cingulũ nuda cute geſtant. plerique ieiuniorum tempore, id eſt, anni tertia parte, noctes inſomnes ducũt. quidam collo tenus in aqua dormiũt, non deſunt qui ſtantes horas xxiiij. cœlum cõſtanter intuentur. omnes ſtatis diebus verberum ac flagellorum crebris ictibus ſe lacerant. qui verò in religionem vel minimùm peccant, aut qui ligneam crucem oſculari dedignantur (uti ſunt nonnulli) flammis ultricibus comburuntur. poſtremò, quòd ad Rempublicam tuendam & beatam vitam plurimũ prodeſt, res adverſas æquè ac proſperas ab unius præpotentis Dei voluntate fluere arbitrantur. At in rebus agendis, & Republica gubernanda quàm inepti ſint, ex eo planũ fit, quòd apud eos, qui deliquerunt, non prius verberari deſinunt, quàm mulctam verbe-

rantis arbitrio ſolvant. princeps autem iudicum, qui veluti Cancellarius maxima quæque moderatur, ſępe iuſſu regis verberibus cæditur. homicida propinquis interfecti cruciandus traditur. omnia verò iudicia ſine ullis actis aut ſcriptura conficiuntur. debitores, niſi ſolvendo fuerint, creditoribus in ſervitutem addicuntur. nulla ſtipendia militibus dantur, nulli commeatus, ſed hordeum quiſque, aut quid ſimile ferre tenetur. nullæ ſunt urbes, nulla caſtra, nulla propugnacula: populus in pagis, princeps in tentorijs huc illuc vagatur: tametſi pretioſiſſimam ſupellectilem, & theſauros habet infinitos. nullus papyri uſus, ſed rationes publicæ pellibus conſignantur. quæ arguunt eiuſmodi homines rebus agendis parum idoneos eſſe. Minus etiam Scythæ, qui omnia vi & armis ſervilem in modum, ac belluarum more exequuntur: ut de veteribus Germanis Tacitus ſcribit: Nihil magiſtratus publicè aut privatim gerit ſine armis; cui Boëmus Germanus, & Munſterus his quoque temporibus his verbis ſubſcribunt; Iniurias illatas rarò iure, ſed ferro & rapinis ulciſcuntur, nec prędari erubeſcũt. quid eſt autem iniquius aut magis barbarum, quàm quod Clageni fieri ſolet, ſi quis furti ſuſpectus ſit, necatur, deinde quæſtio habetur? hunc morem Hunnis & Gothis acceptum ferunt. Ab illis etiam duelli leges profectæ. neque enim de omnibus iniuſtitiæ generibus ullum turpius aut maius eſſe poteſt, quàm ut imbecillus ac tenuis accepta iniuria ſit infamia dignus, niſi cum adverſario, quantumcunq; viribus prętet, armis decertarit, ac vitam periculis obiecerit. nam iſta ratione Scythæ, ſi cum belluis, quæ robore præſtant, conferantur, iure infames ſint. Sed natura ſic comparatum eſt, ut Scythæ, qui minimum rationis, plurimũ roboris habent, ſummam omnium virtutum in bellica laude conſtituant: Auſtrales in pietate ac religione: medij verò in prudentia. ac tametſi omnes modis omnibus Rempublicam tuentur, nihilominus tamen alij viribus, alij metu divino; reliqui legibus ac iudicijs magis utuntur. Itaque mirum videri non debet, ſi Ca-

Calipharum, ſeu Pontificum Iſmaeliticæ religionis tanta fuit maieſtas, vt nõ modò legum ac religionum, verumetiam imperij & armorum, omniumque poſſeſſionum, libertatis denique & ſervitutis, poſtremò vitę ac necis ius in omnes haberent. ſed ab eorum imperio Turcæ, Scytharum progenies, ac Mameluchi genere Circaſſij, primi deſciverunt, eosque de veteri poſſeſſione deturbarunt. ac fortaſſe illud eſt, quod à poetis iactatur; Saturnum ab Iove de imperio deturbatum, id eſt, religioſos ac ſapientes homines primis temporibus iuſtitię fruendę cauſa reges eſſe creatos: ſed cùm ſola pietate homines in officio continere ſe poſſe arbitrarentur, neque tamen id præſtare poſſent, cùm ſcilicet plerique nec metu diuino, nec ulla religione ducerentur, prudentiores accepta poteſtate Rempublicam regere: religioſi verò ac philoſophi, ſacrificijs & contemplationi operam dare, plebs militiam, agriculturam & opificia tractare cœpit. ex quo factum eſt, vt ſapientes precibus & monitis; prudentes imperio ac iuſſu; robuſti viribus & executione Rempubl. tuerentur. nam his tribus partibus, decretis inquam, edictis & executione Reſpublica continetur. monent Pontifices ac ſapientes: iubent magiſtratus: exequuntur miniſtri. ſic Anaxagoras Periclem, Plato Dionem, Iſocrates Nicoclem, Plutarchus Traianum, Polybius Scipionem, atque omnino Magi Perſas, Brachmanæ Indos, Mantes Græcos, Pontifices Romanos ſalutaribus ſapientiæ præceptis, aut quacũque religione informabant: qui tamen ad res agendas inepti erant, quod Plato ſapientiſſimus accepta civitate, quæ ſe illi commiſerat, planum fecit. Itidem Ariſtoteles Anaxagoram ſapientiſſimum virum prudẽtia caruiſſe ſcribit, etenim ſeipſum fame ac inopia, præ negligentia rei familiaris interire paſſus eſt; id quod Theodoro Gazæ in extrema ſenectute contigit. Itaq; Philo Moſem magnis laudibus commendat, quòd unus omnium mortalium fortiſſimus imperator, prudentiſſimus legiſlator, ac diviniſſimus propheta extiterit. Quod igitur de una civitate, idem quoque de mundana Republica

iudicandũ relinquitur,vt distributis populorum muneribus,australium sapientia, Scytharum robur,mediorum prudentia quodammodo propria sit.id quod etiam in animæ partibus videre est. etenim mẽs ipsa monet,ratio iubet:sensus autem veluti satellites ad exequendum adhibentur & in triplici animæ facultate,animali,vitali & naturali; vna quidẽ à cerebro motum & sensum:altera spiritum à corde vitalem : tertia ab hepate vegetationem.neque enim melius, opinor, insita populo cuique natura intelligi potest, nec de historia quaque iudicium certius ac verius fieri,quàm si microcosmus hic cum magno homine, id est, cum mundo conferatur.quod igitur Plato in sua,idem nos in mundana Republ.faciemus,sed paulò aliter quàm ille.voluit enim penes custodes imperium esse, quos in cerebro quasi palladem in arce collocavit: in quo videtur Saturnia regna restituere voluisse:hinc eius illa vox ab omnibus laudata,sed à paucis intellecta; Aut reges philosophari,aut philosophos regnare.at philosophia, id est, rerum pulcherrimarum perpetua contemplatio,vt omnes Academici volunt, nihil habet cum negocijs militaribus aut civilibus commune. militibus autem arma tribuens, in corde stationem dedit,quòd illic irascendi vis posita sit.postremò agricolas & opifices in hepate,vt res necessarias & alimenta Reipublicæ suppeditent. sed sine magna perturbatione fieri non possunt,ut suo loco dicemus. nunc illud tantùm quod ad mundanam Rempublicam, & populorum naturam spectat,videamus: ac si fieri potest;hunc mundum velut hominem congruenti situ constituamus.Nam in eo quoque scriptores à seipsis plurimùm discrepant. Homerus, Aristoteles, Plato. Galenus Pythagoras, Averroes,mundi huius, quem Animal vocant,dextrum latus in ortu posuere ; sinistrum in occasu. Plinius & Varro contrà statuunt,in ortu læva, in occasu dextra : ex veterum Latinorum more. Sinistra,inquit Varro, in templis ab oriente, dextra ab occasu.templa vocat cœli regiones ab auguribus lituo divisas.sic Muhametici precantur. Augu-

res

res tamen ad ortum se convertebant, ut Livius libro primo scribit. Augur dextras ad Meridiem partes, lævas ad Septentrionem. cui sanè congruere videtur Davidis Psalmus LXXXIX. vers. XIII. צפון וימין אתה בראתם, id est, aquilonem & dextrum tu creasti eos. ubi omnes interpretes plagam intelligunt Australem pro dextro. sic enim Caldæus interpres. huc accedit, quòd orientem, פנים, id est, faciem appellāt; ex quo sequitur Austrum lateri dextro tribui facie ad orientem conversa, quo more utimur in votis concipiendis. sed cùm nullam sui dicti rationem afferant, Philonem sequemur, cui etiam consentiunt Empedocles, Lucanus, Cleomedes, Solinus. nam Moses sacrarij sinistrum ad meridiem, dextrum ad Septentrionem convertit: idque optima ratione, quia motus rapidus est ab ortu versus occasum: hominis verò gressus, non in terga fit, aut latera, sed ad anteriora. hinc Lucanus:

Vmbras mirati non amplius ire sinistras.

Græcis quidem dextra sinistris meliora: sed apud Latinos sinistra in augurijs valde prospera existimantur, ut Plutarchus & Plinius tradunt: non quia sol oritur sinistra, ut Plinius voluit; sed quia pars sinistra vergit ad Austrum. quæ mundi plaga reliquis præstat sive stirpium, sive metallorum, sive gemmarum, sive hominum, sive animorum, sive cœlestium corporum dignitate: ac propterea versus Austrum Abrahæ profectiones dirigi putant Hebræi: ab Aquilone verò, inquit Ezechiel, venit omne malum. quinetiam Arabes & Mauri, ut est apud Picum Mirandulam, malos dæmones ad Austrum, aut nullos, aut raros esse aiunt; sive propter lucis copiam, qua fugari putantur; sive propter aëris tenuitatē, quo sustineri nequeunt. ad Septentrionem verò nusquam copia maior dæmonum & maleficarum, si Saxoni Grammatico & Oloa fidem habemus. Præterea posuimus Septentrionales robustiores, Australes debiliores. at sinistra quoque pars hominis debilior est, dextra validior, ut Macrobius lib. vij. cap. 4. Saturnal. scribit: & in utero dextro

mares, in sinistro fœminas moveri Plinius cum Varrone, Aristotele & Hippocrate scribit. Et Artemidorus dextrum oculum filium: sinistrum fœminam significare scribit in somniorum interpretatione. & dentes dextros amicos, sinistros amicas interpretatur. & in universum lib. xxvij dextras partes viris, aut iunioribus: sinistras fœminis aut senioribus tribuendas esse. & Aristoteles libro iiij. cap. iij. & ix. & libro iiij. cap. j. & lib. j cap. xv. de Historia animal. ait, dextram partem esse masculam, sinistram fœminam. pes quoque dexter, & brachium dextrum maius est (id quod sutores etiamnum intelligunt) & vegetius sinistro. deinde planum fecimus Scythas rubicundos esse, ac multo sanguine abundare: Australes verò exangues & atra bile plenos: at in dextro latere situm est hepar: in sinistro lien: hic atræ bilis; illud sanguinis conceptaculum. demonstravimus quoque Scythas intemperantes & iracundos esse, & impetu ad vindictam ferri: Australes consilio suscepto. id quoq; dextro; illud sinistro lateri congruit: nam atra bilis quietos, fel iracundos, iecur intemperantes efficit. consequens est igitur, ut in hac Republica mundana Scythas quasi milites & opifices in dextro latere, Australes in sinistro: tum mediæ regionis homines in corde, veluti magistratus in media civitate, constituamus. est enim cor medium inter cerebrum & iecur, atque inter iecur & lienem. fecit autem natura, inquit Aristoteles, quosdam servos, & eorum robusta corpora ad necessarios usus, alios debiles, sed valde utiles ad vitæ societatem. nec me movet quòd Hebræi perinde, ut reliqui populi dextra sinistris præstare putant: uti videre est Psal. cix. Matth. xxij. Marc. xij. Matth. xxv. xxvj. & Actor. vij. ad Colossen. iij. ad Hebræos j. & x. ad Ephes. j. Hostien. Ioan. Andr. Panorm. in cap. solitæ de maioritate & obedient. Aristoteles lib. xxxj. cap. xj. xiij. xix. xxv. & libro xxxij. cap. vij. & Iacobus dextram capiti Ephraim superposuit benedicendi causa. In eadem sententia fuit Baldus ad l. decernimus. de sacrosanct. ecclef. c. & Curtius senior con

fil.

fil.LXXIIII. honoratiorem locũ esse à dextris. Plaut. in Pseud. Omnes ordines sub signis ducã: legiones meas avi sinistra, auspicio liquido atq; ex sententia. Cicero Legib. iij. Is ave sinistra dictus populi magister est, rationem reddit Cicero. Quanquam haud ignoro, quæ bona sint, sinistra nos dicere, etiamsi dextra sint: sed certè nostri sinistrum nominaverunt, externi dextrũ. clarius etiam M. Varro lib. iv. epist. quæst. A deorũ sede cùm in meridiem spectes, ad sinistrã sunt partes mũdi exorientes, ad dextrã occidentes, factũ arbitror, inquit, ut sinistra auspicia meliora, quã dextra existimentur. Nihilominus tamen ex Latinis plerique sinistra mali ominis esse opinantur. Maro:

Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.

& Cicero. Nemo me sinistris sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo nisi unum me.

Sæpe sinistra cava prædixit ab Ilice cornix.

Sed ea ratio est, quòd dextra sinistraque variè acceperunt. Nam ubique Hebræi omnium populorum morem secuti dextra in meridie, sinistra in Aquilone posuerunt: quia populi omnes solem adorabant facie ad orientem conversa: quod vetuit Moses. sed utcunque sit, Meridiem hoc vel illo modo Aquiloni præstare cõstat, & hominis dextram Aquilonis esse. hoc igitur à Platone dissentio, quòd ille milites in corde, magistratus in cerebro, plebem in iecore: ego pontifices ac sapientes in cerebro malim, magistratus in corde, opifices ac milites, qui ex plebe leguntur, in iecore. neq; enim vis animosa cordis robur efficit, quod sanguinis ac iecoris propium est, sed ad actionem impellit. certè Machiavellus optimum imperatorem ab Italia, non militem deligi voluit, quòd maiore prudentia, quàm robore valent: corporis autem munus, inquit Ammianus, à milite: ab imperatore animi poscitur. nec verò imperatoris est, ut ait Plutarchus in Pelopida: cominus cum hoste pugnare: nec magistratus lictorem agere, sed imperare ac iubere. cùm autem Plato Philosophis ac sapientibus imperium tribueret, quos ad contemplationem idoneos; ad actiones ineptos

esse ex historia docuimus, consequens erat in corde milites collocare, qui tamen optimi ex agricolis, ut Plinius scribit de veteri Romanorum disciplina, vel ex opificibus, ut nostra ætate, leguntur: quòd ad labores obduruerunt. nam Aristoteles operarios & opifices inter plebeios recenset. Et quidem videmus Scythas, aut Germanos milites antea semper atque his temporibus magna mercede quæri. ut planum sit, milites optimos ex agricolis & plebeis, quorum vis in manu posita est, semper legi cõsuevisse. Atque hæc si ad cœlestia referantur, æquè sibi congruent. nam si demus lieni Saturnum, cordi Iovem, Cystifelli Martem, Lunæ iecur: recurrent illa quæ ab Astrologis cuique parti corporis tribuuntur. est enim Mars cum Luna, quasi folliculus fellis cum iecore: quod universum corpus alit ac vegetat, ut luna mundum elementarem: quæ lumine aucta stirpes, aquas, animantia vehementer auget. qui verò Lunam habent in ortu, robore & optima valetudine præstare dicuntur, quæ omnia Scythis optimè conveniunt. accedit illud quod scribit Cæsar de Germanis: Vita omnis, inquit, in venationibus atque in studijs rei militaris consistit. quid autem Dianæ ac Marti magis proprium esse potest? illud etiam animadversione dignum, quod Plinius scribit: fulgurá tonitruaque in media regione fieri, nulla in Aethiopia & Scythia. idque ab incolis compertum habemus. Iovis autem propria sunt fulmina & tonitrua, non modò poetarum, sed etiam physicorum opinione. Quòd si quis Solem, quem omnium communem posuimus, cordi tribuat: tum quòd in medio planetarum, vel ut Copernicus, in centro mundi positus sit: tum quòd vitam omnium maximè diuturnam significet, & calorem temperatũ habeat, non ut Mars urentem, nihil repugno: ac fieri potest, ut sit omnium communis & partis cuiusdam proprius: quæ tamen omnia non extremis, sed tẽperatæ regionis hominibus congruunt. Hæc rursus populorum ratio triplex ad mundum triplicem referri potest, scilicet intellectilem, ubi mentes: cælestem, ubi sydera, elementarem, ubi rerum

ortus

ortus ac interitus. huc etiam pertinet triplex animorum ordo (præter eum qui est extra ordinem, qui nulla mundi contagione violatur) primus quidem puras hominum mentes in Deum convertere: alter Respublicas moderari: postremus circa materiam & formam occupari videtur. Quæ cum ita sint, triplex hoc hominũ genus, Scythæ, inquam, Australes & mediæ regionis homines, ad triplicem animæ vim scientiæ, prudẽtiæ & artis, quæ in cõtemplatione, actione & affectione posita sunt: ad νοητικὸν, θυμικόν & ὑποθυμητικὸν ex ipsius cerebri, cordis & iecoris, cœlestiumq; syderũ vi commodè, vt opinor, & ad historiarum omnium certissima iudicia referri possunt. & quemadmodum sex annorum millibus mundi elementaris cõversionem ex Heliæ cuiusdam Rabbi coniectura fore aiunt: ita quoque duobus annorum millibus homines religione ac sapientia præstiterunt, syderumque cœlestium motus, ac naturæ vim universam magno studio conquisierunt. duobus item annorum millibus in constituendis civitatibus, in legibus sanciendis, in colonijs deducendis occupati fuerunt, quibus temporibus à Saturno ad Iovem; ab Australibus ad mediæ regionis homines imperia sunt delata. consequentibus annorum millibus, id est, à Christi morte, variæ artes antea incognitæ, & opificia in lucem venerunt: tum etiam bellorum motus ingentes, idque toto terrarum orbe, cùm scilicet superstitio Iovis atque imperia, ut ita dicam, abrogata, & ad Scythas Martis alumnos translata fuerunt, atque hinc repentè legiones Gothorum, Burgundionum, Herulorum, Francorum, Longobardorum, Anglorum, Britannorum, Hunnorum, Vandalorum, Gepidarum, Normannorum, Turcarum, Tartarorum, Moschovitarum, Europam & Asiam impleverunt. Sive igitur ulla vis est cœlestium corporum in hæc inferiora, ut etiamnum theologi confitentur; sive nulla, ut plerique putant: nihilominus id, quod est, ut aiunt, & ὅτι ἐστί, sensu percipimus, tametsi causæ sunt obscuriores. Ex quo multa non modò historicorum, sed etiam philosophorum &

astrologorum scripta intelliguntur: historiæ verò falsæ sunt nec ne, facillimè iudicantur: ut illud Ptolemęi; Asiani Australes, animis cōsilijsq; excelsis, fortes, bellicosi: Septentrionales sapientes, magi, rerum divinarum periti & iusti. hæc planè falsa aut penitùs sunt inversa. falsum quoque id quod Plinius scribit, corporum proceritatem æquè in Austro ac Septentrione; quòd heic humoris alimentum; illic ignium vis maior est: non modò in historia, sed etiam in ipsa ratione peccat. infinita sunt eiusmodi apud Aristotelem, Hippocratem, Galenum, Diodorum, Herodotum, Volaterranum, Sabellicum, quæ singula si persequar infinitus sim. satis est digitum ad fontes intendisse, ut quid de universa populorum omnium historia iudicandum sit, verius ac melius intelligatur. Sed cùm alij ab alijs, & secum ipsi sæpe dissentiant, in eo tamen omnes præter D. Hieronymum conveniunt, Gallos esse leves idque à Cæsare scriptum, à Tacito & Trebellio confirmatum, ab Italis & Germanis sæpe repetitum: maximè tamen à Sleidano in concione Caroli Imp. alij tamen alias quoque gentes leves appellant: Syri, inquit Livius, Asiatici, Græci, levissima omnium genera. de Scythis quibusdam nihil habuêre commercij, nihil prodiderunt. Si igitur levitatem appellant animi quandam alacritatem ac celeritatem, quæ mediæ regionis homines omnium aptissimos ad agendum reddit, sanè Galli, Itali, Pannonij, Asiatici, Caldæi, Parthi, qui à scriptoribus hoc vitio notantur, leves sunt. & quidem Iulius Scaliger Veronensis de Gallis in hunc modum scribit; Gallos videmus ad omnia momenta eventuum, disciplinarum promptos & versatiles; qui animorum vigor igneus maturaque celeritas, nulli alij nationi data est. quocunque incubuêre fœlicissimè se dant, ocyssimè proficiunt, gnaviter exercent mercaturam, literas, arma, eruditionem, candorem, eloquentiam; omnium tamen gentium ac nationum fide sunt maxima, integra & constanti. hęc ille. At Scythæ crassis humoribus quasi pondere obruuntur, ne animi vis emergat. Australes ab atra bile

in

in pulcherrima rerum magnarum contemplatione retinentur. quo fit ut celeres motus animorum quiescant. idque videmus non modò in Mauris & Pœnis, sed etiam in Hispanis, quò propiùs ad Austrum accedunt. tanta est in illorum oratione, gestu, incessu, & ab omnibus actionibus tarditas, ut inertia languere videantur. Galli verò tam celeriter omnia, ut prius rem gesserint, quàm Hispani consilium inire possint. gressu verò tam celeri feruntur, ut eos currere non incedere putent Hispani. nec minor in discendo facilitas ac celeritas, quàm in alijs actionibus, quæque Australes cogitatione diuturna invenerunt, celerrimè conficiunt & imitantur, ut non immeritò Cęsar eorum docilitatem admiretur. quæ magna sunt flavæ bilis argumenta. nam Galenus cùm humorum virtutes à corpore ad animum transfert, flavæ bili prudentiam tribuit, atræ constantiam, sanguini lætitiam, pituitæ mansuetudinem. ex quibus inter se confusis infinita varietas conflatur. ijdem humores si abundare, aut aduri, aut labefactari cœperint, in contraria vitia inclinant. quò fit ut flava bilis abundans in temeritatem prorumpat, adusta in phrenesim. præceps igitur & nimia celeritas in agendo consilijs inimica, fecit ut Galli leves appellarentur. Sed cùm levitas nihil aliud sit, quàm in dictis & factis inconstantia quædam, profectò temeritas debuit, non levitas appellari. aut si leves quoque iudicamur, Scythæ nos in eo genere facilè superabunt. est autem contrariorum contraria disciplina. igitur si Australis ater est, Septentrionalis candidus: si magnus hic, ille parvus: hic robustus, ille debilis: hic calidus humidus, ille frigidus siccus: hic pilosus, ille glaber: huic rauca vox, illi clara: hic calorem metuit, ille frigus: hic lætus, ille tristis: hic sociabilis, ille solitarius: hic audax, ille timidus: hic vinosus, ille sobrius: hic sui & alieni negligens, ille circumspectus & ceremonijs deditus: hic rusticè arrogans, ille animo elatus: hic prodigus, ille parcus: hic minimè salax, ille salacissimus: hic sordidus, ille nitidus: hic simplex, ille versutus: hic miles, ille sacerdos: hic opifex,

ille philosophus: hic manibus utitur, ille mente: hic terræ venas, ille cœlestes inquirit. si igitur Pœni pertinaces, ut Plutarchus scribit, quid Scythæ? docuimus utrosque crudeles ac perfidos esse cùm in vitia labuntur, sed contrarias attulimus causas. quòd si vitia sunt extremorum, consequens est, ut si pertinax Australis, Scytha levis sit, intermedius constans. certè barbari, & qui minus habent rationis, ad belluarum similitudinem propiùs accedunt, quæ ut facilè irritantur; ita facilè placantur, & paulo momento huc illuc sine ratione feruntur. consimiliter pueri ac fœminæ amicitias contrahunt ac deponunt, homines consilij participes non item: & in hominum genere, quò quisq; plus ingenio valet, eò minus ad amicitias, vel odia, vel opinionum novitatem trahi solet; eò tamen pertinacius ægrè divellitur. ac mihi propiùs intuenti, Australes, intermedij, & Scythæ: senum, virorum & adolescentium mores & humores habere quodammodo videntur. quod versu antiquo percómodè significatur:

ἔργα νέων βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

Vota senum, iuvenum facta, & consulta virorum.

senes appello, qui nondum decrepiti sunt. Scythæ quidem humidi, calidi, adolescentium in modũ: Australes frigidi, sicci, quod senibus cógruit: qui mediam ætatem attigerunt, temperiem optimam consequuntur. iam verò si Aristoteli credimus ad Theodecten scribenti, adolescentes cupiditatibus & ἐπιθυμίᾳ intemperanter laborant, quod hepatis & vulgi proprium esse docuimus. subijcit Aristoteles: εὐμετάβολοι δὲ, καὶ ἁψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ παύονται, id est, cùm sint leves ac mutabiles, eos repentè fastidium ac desiderium capit novarum cupiditatum. & paulò pòst: Repentinæ voluntates, nec tamen diuturnæ: ambitiosi, audaces, iracundi, faceti, prodigi, non improbi; sed εὐήθεις, ac simplices, διὰ τὸ μὴ τεθεορηκέναι πολλὰς πονηρίας, id quod ignorantiæ tribuit, non virtuti, sed etiam, inquit, valde creduli, & inani spe pascuntur. senes contrà. qui verò mediam ætatem tenent, omnia sunt mediocriter consecuti.

sed

[redacted] apud Aristotelem. atque hæc tribus populorum generibus non modò ratione, congruunt, ve[redacted] Germani inferiores qui aut Scythæ [redacted] Scytharum [redacted] eius levitatis [redacted] accusant, maxima semper indicia præbu[redacted] de [redacted] sic Tacitus [redacted] Gens, inquit, non astuta, [redacted] secreta pectoris licentia ioci. ergo detecta omniū mens postera die re[redacted] delibe-rant dum [redacted] ciunt, constituunt dum erra[redacted] [redacted] lle. sed cùm Scythicæ levitatis infinita exempla, nullum tamen [redacted] ma-gis elucere cōstanti[redacted] quàm in religione [redacted] probata. [redacted] sedibus ab Att[redacted] [redacted] à Valente ut agros permitteret, seq; [redacted] ges imperij ac religionē Christianā suscepturos. quod cùm impetrassent, Valentē perfidia incredibili oppresserūt, & vivum cremarūt. Gothi cùm in Italiā venissēt, repentè Christianā religionem, mox Arrianā suscepe[redacted]t. Grotlandij, qui proximè ad Polū accedunt, ingenio mobiles, inquit Munsterus, facilè Christianā religionem probarunt, posteà ad idololatriam relapsi fueru[redacted] Turcæ Scytharum genus, cùm [redacted]mùm Asiam invaserunt, Arabicam religionem statim probarunt. Tartari nullo cogente Christianam, mox Arabicam acceperunt. Normanni etiamnum rudes ac barbari, tametsi magnam Galliæ partem subegissent, nihilominus statim repudiata gentili religione, Christianam probarunt. Islandij verò mox idololatræ, mox etiam Christiani fiunt arbitrio peregrinorum, ut Zieglerus ac Munsterus tradunt. [redacted] tametsi enim viros graves imp[redacted] Pon-[redacted] detexerunt: ij tamen [redacted] sed de plebeis loquor & agricolis, qui [redacted]

ticæ urbes, Dania, Norvegia, [redacted] Gothis originem [redacted], Helvetij, mox etiam Britannia [redacted] ſ[redacted], quæ [redacted] planè ritus veteres [redacted]. & [redacted], [redacted] alio-rum ratione [redacted], [redacted] ſe novem annos, [redacted] in G[redacted]lia vixit, crudeliſſi-[redacted] miſerrimè intulimus ac [redacted] alteri quidem, quòd religione ducti, ſe obſ[redacted]: alteri, quòd unius Dei cultum o-[redacted]bus delicijs, opibus, h[redacted], [redacted] an-[redacted]ferrent. nullæ uſtiones in [redacted] præterquam Cæſaris Le[redacted] veteri opinione ægrè divelli poteſt. ac ſi Germani in ſuſcepta religione conſtanter acquieviſſent, multò faciliùs reliquos in ſuam ſententiam pertraxiſſent, ſed paulo momento huc illuc diſtracti infinitam [redacted] varietatem ſuſceperunt. [redacted] enim Huſſi tantùm, vel Martini; ſed mox etiam Anabaptiſtarum, Leudani, Zuinglij, Seleſtadij, Oſiandri, Vveſtph[redacted], [redacted], Stancari, Ad[redacted], Vvaldenſium, Interimiſtarum, & aliorum penè innumerabilium ſectas ſubinde combiberunt. At Auſtrales, Aſiatici & Afri, non niſi miraculis, & quidem cœleſtibus aut armorum vi, à religione ſuſcepta defecerunt. Atque hæc admirabilis conſtantia, non in viris modò, ſed etiam in fœminis ac pueris regem Antiochum propè ad inſaniam perduxit, cùm pueros ſeptem Hebræos omni ſuppliciorum genere crudeliſſimè torqueret, nec tamen efficere p[redacted]lam carnem guſtarent. quinetiam mater ipſa, filios ad mortem pulcherrimam ultrò invitabat. & certè gens illa nullis unquam præmijs aut pœnis à ſua ſecta potuit avocari, & ſola toto terrarum orbe diffuſa, ſuam religionem ante annos ter mille ſuſceptam, acerrimè tuetur. Ipſe verò Muhamedes, cùm ſuam diſciplinã nec miraculis potuiſſet, nec oratione perſua-

dere

dere, ad arma conversus; & libertate servis proposita, summa vi perfecit, quod nulla ratione potuisset. Quemadmodum igitur Angli de sua fortuna querentur, quòd cùm viribus, ut est apud Cominium, superiores sint Gallis, consilio tamen longè inferiores: Itali verò Gallos ac Germanos veluti barbaros, ut Cardanus scribit, facillimè in fraudem impellunt: rursus Itali Græcorum, Græci Cretensium, hi Aegyptiorum ac Pœnorum calliditatem insectantur: ita quoque Hebręi & Aegyptij Græcos, Itali Gallos, Galli Germanos leves esse queruntur. Ego verò sic existimo esse in hominum dictis & factis, ut in rebus omnibus, auream quandam mediocritatem quæ constantia dicitur; quæque inter levitatem & pertinaciam medium tuetur: nec sapientibus unquam laudata est in una sententia perpetua permansio; sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere nequeas, tùm verò gubernaculum ad omnem cæli faciem torquere, ac sæpius velificationem mutare, summæ prudentiæ iudicatur: sic in rebus humanis (divinas excipio) quæ variæ sunt ac sui dissimiles, sententiam mutare honestum putat sapiẽtiæ magister? Tantùm, inquit, in Republica contende quantùm probare tuis civibus possis. qui verò suas opiniones adeò pertinaciter defendunt, ut refelli, turpe; vinci, nefas esse putent: aut qui de vita, quàm de proposita susceptaque opinione decedere malunt, ij neque sibi sunt, neque suis civibus utiles, & perniciem Reipublicę afferre solent. itaque viri omnium opinione sapientissimi, Plato, Xenophon, magistratibus Reipublicæ causa mentiri permittunt. Cùm igitur hæc vitia sint à natura cuique genti quodammodo insita; priùs est historia moribus & natura cuiusque populi iudicanda, quàm maledictis utendum. neque enim laudabilis est Australium sobrietas; nec ebrietas Scytharum, quam illi tantopere accusant, admodum vituperanda; cùm Australes propter caloris inopiam, cibo ac potu statim obruantur: Scythæ verò si velint, se cohibere non facilè possint,

cùm urgeantur ab interiori calore, & ingenij viribus deserantur. sed Australium mollis victus magis vituperandus est, quàm Scytharum sordes in convivijs, quæ parum admodum differebant à pastu bestiarum: Tacitus de veteribus Germanis; Sine aparatu, inquit, ac sine blandimentis expellunt famē. & paulò pòst; In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc membra quæ miramur, excrescunt. inter eadem pecora, in eadem domo degunt. Scythæ verò ubi fames ingruit, equorum secta vena sub auriculis sanguinem sugunt, & carnibus equorum epulantur, ut de Tamerlanis exercitu proditum est. At Australes mundi sunt ac nitidi, nec sordes ferre possunt, idque facilè intelligitur ex illis, quibus utuntur lavacris ac balneis, non tātùm in sacris, sed etiam in privatis rebus. neque solùm ex veteribus & Xenophonte, verumetiam ex Alvaresio planum fit, quorū alter apud Persas quoquomodo spuere turpe: alter apud Abyssinos, vel mucorem vel sputum excreare in templis, pro insigni flagitio haberi scribit. Athenæus verò Asiaticorum & Aegyptiorum delicias incredibiles tradit: in quo genere cùm M Antonius nobilis decoctor à Cleopatra facilè vinceretur, Romanos velut ineptos ac barbaros, seque ipsum irrisit. omitto Persarum præmia lege tributa, ijs qui novas voluptates invenissent, ut scribit Theophrastus. eadem est in gestu & actione morum elegantia. suaves etiam concentus & Lydios modos fidibus consectantur. Scythæ suavitatem orationis ac veneres dicendi respuunt; vt ex eorum sermone & litteris sine vocalibus asperrimè collisis intelligitur, nec Lydium modum ferre possunt: sed vocis asperitatem affectant, ut scribit Tacitus, barrituque accendunt animos fracto murmure obiectis ad os scutis, quò vox plenior & gravior intumescat. tubas & tympana libenter audiunt, fides negligunt. Amant etiam Scythæ mirum in modum societates, & cœtus hominum inter ipsos: hinc Nomades à veteribus dicti, & ijs quoque temporibus Hordæ, ut Tartari vocant, cum infinita multitudine vagantur in agris. Australes solitudinem
quęrunt

quærunt,& in sylnis delitescere, quàm in luce populi versari malunt. Mediæ regionis homines describere nihil opus est,si quis extrema perceperit, ex ijs enim media facilè intelliguntur,verbi gratia;Scythæ Phrygio modo sæpius utuntur,Australes Lydio,Medij Dorio quidem ferociores fiunt;& Martem,ut ait ille,cātu accendunt.Lydius Australes etiam molliores reddit.Dorius naturæ congruens,motus animorum ad virtutem & honestatem dirigit.hic igitur à Platone laudatur, ab Aristotele in libris de Republica vehementer probatus, & suscepta religione Christianorum à Latinis tanto studio susceptus,ut cautum sit,ne quis alio modo quàm Dorio in sacris uteretur. at Lacedæmonij tibia,Cretenses cythara vtebantur in bellis:non ad cohibendam iram,vt Thucydides & Plutarchus scripserunt:est enim iudicio Platonis & Aristotelis,utiliter hominibus ad ultionem tributa: sed cum nulli sint Cretensibus & Lacedæmonijs Australiores in Europa,suæ naturæ inserviebant. Atque hoc in universum de moribus populorum ex ipsa natura Septentrionis, Austri, mediæque regionis dicta sint. De ortu verò & occasu in locis planis & æqualibus (de his enim agimus) iudicare difficile est,cùm revera nihil oriatur,nihil occidat. sed in locis inæqualibus magnum utriusque discrimen esse, non modò medici, sed etiam rustici & architecti maximis argumentis deprehenderunt, ut ager Taurinus orientalis est,quòd Alpes ad occasum positos habet: Palæstinus occidentalis, quòd Hermon & Libanum spectat ab ortu:tametsi sol in Aequatore citius oritur Palæstinis quàm Taurinis hora ferè ac dimidia.at cùm lux oriēs maleficam & crassam aëris obscuritatem moderato calore perpurgat,efficit regionem multò temperatiorem.cùm autem maximis ardoribus flagrat sol, id est, post meridiem,orientali regioni occidit:& oritur occidentali: hinc magnum discrimen inter Allobroges & Taurinos,qui sunt in eadem latitudine ac longitudine cœli.hoc quidem rationi congruit: sed in locis æqualibus certa ratio nulla videtur cur Galatia mi-

noris Asiæ, ab Italiæ Campania differat, cùm in eadem latitudine sint. est tamen Hebræorum, Græcorum, & Latinorum summo consensu, quem experientia diuturna comprobavit, téperatior ac melior situs orientis quàm obitus. hinc Ezechiel de electis facies ad orientum conversas adorasse scribit. & Iesaias iusticiam ab oriente proficisci. item alius; Respice ad orientem & intuere lætitiam à Deo tibi venientem. his ego testibus libenter utor, eoque libentius quòd intelligo rerum naturalium ac divinarum verissimos interpretes fuisse. inter Latinos Plinius libro septimo scribit, observatione diuturna compertum esse pestem ab ortu ad occasum ferri: quod in Gallia Narbonensi animadverti: ut si contrà fiat, id quod accidit anno Christi M. D. LVII. pestem ubique grassaturam ominentur. Ammianus inter Græcos testatum reliquit, Seleucia direpta, & aperto templi adyto quodam Caldæorum arcanis concluso, labem exiluisse incurabilium morborum, qui Marci ac Veri temporibus, ab ipsis Persarum finibus, adusque Rhenum & Gallias cuncta contagione ac multitudine morientium fœdarunt non multò post ab Aethiopia versus Septentriones pestis universum penè terrarum orbem populata dicitur. huius quidem perspicua ratio èst, cùm Auster humidas Septentrionis regiones afflavit, colore putredinem augente. est igitur causa proxima in ventorum varietate posita. nam venti ab Austro spirantes calidi humidi: à Septentrione frigidi sicci. sed quia venti à cardinibus & decumanis spirantes leniter flare consueverunt: non efficiunt illam aeris varietatem, quam qui à lateribus oriuntur: quia cùm sol à cardinibus longissimè absit, exhalationes vehementes commovere nequit: in decumanis verò calor solis violentior ventum excitat, sed eius vim cohibet. quæ ratio facit, ut vere ac autumno, ventorum vis multò maior sit, quàm hyeme ac æstate. omnium autem vehementissimi sunt Africus & Corus. deinde his oppositi Vulturnus & Aquilo. Corus quidē frigidus & humidissimus

mus. Vulturnus calidus ſicciſſimus. Africus humidus calidus. Aquilo ſiccus frigidus, à cardinib. frigidiſſimi & calidiſſimi percipiuntur. duo ſunt in decumanis temperatiſſimi; ab occaſu recto Favonius, ſed leniſſimè ac rarò ſpirat, nec ferè niſi ſole occidente: Subſolanus ab ortu valde ſalutaris, & aliquantò vehementior Favonio, præſertim cùm ſol ab Aequatore diſceſſit. Cauſa verò remotior & occulta cur oriens locus occidente melior ſit, cùm nihil propriè oriatur & occidat, planè me latet. ſed quæ conſequuntur effectiones perſpicuæ ſunt & admirabiles. terminus autem orientis regionis mihi videtur eſſe, ut anteà dixi, in inſulis Molucarum, obitus verò in inſulis Heſperidum. eſt enim pars orbis univerſi dimidia. nam meridiani harum inſularum C L X X X. gradibus à ſe invicem abſunt. reſtat altera pars orbis in qua ſita eſt America infinito maris ſpacio ab utroque termino diviſa, ut orientis & occidentis rationem habere videatur. Omitto quàm multa magi de natura dæmonum utriuſque regionis diſputant, ea tantùm nunc attingo, quæ ſub ſenſum cadunt. nam graviſſimi Græcorum ac doctiſſimi viri, Ariſtoteles, inquam, Hippocrates, Galenus, Cteſias, ubique confirmant propoſitis exemplis omnia pulchriora ac meliora in Aſia quàm in Europa naſci. ac tametſi propter ignotas regionum latitudines ſæpe labuntur, nihilominus tamen ijs noſtra ætate planè cognitis compertum eſt, in eodem cœli tractu populos qui ad occaſum poſiti ſunt, corporis viribus longè præſtare, orientales ingenio. nam Celtæ innumerabiles ſæpe copias in Italiam, Græciam, Aſiam duxerunt: Itali verò non prius in Galliam penetrare auſi ſunt quàm imperium ad ſummum perduxiſſent, & quidem Cæſare duce, belloque inteſtino flagrantibus Gallis. hinc laudes Ciceronis & Agrippæ in Cæſarem, quòd eas gentes domuiſſet, quarum impetus Romani ſuſtinere vix poſſent; laceſſere non auderent. At Itali Græcos ita ſubegerunt, ut nullas acceperint offenſiones. Græci verò qui ſuis armis intimos A-

ſiæ receſſus aperuerunt, vix unquam in Italiam, præterquam Pyrrho rege venerunt, qui tamen victus fuga turpi ſalutem ſibi quæſijt: non aliter quàm Xerxes qui tantas copias in Græciam duxerat, ut flumina penè exſiccarentur, nihilominus tamen à pauciſſimis Græcis fractus eſt, & maximo cum ſuo dedecore repulſus. itaq; Cato Murenæ, Cæſar Pompeij manibus obijciebat ea bella quæ in Aſia geſſerant, contra mulierculas geſta fuiſſe. hinc illud Iuliani Auguſti; Celtæ & Germani audaces: Græci ac Romani tum bellicoſi, tum urbani: Aegyptij magis induſtrij & ſagaces, quanvis imbelles ac molles: Syri cùm alacritate & facilitate animi ad diſciplinas apti. idē paulò pòſt; Quid cōmemorem quàm cupidi libertatis & ſervitutis impatientes ſint Germani, quàm tractabiles & quieti Syri, Perſæ, Parthi, ac deniq; populi omnes ad ortum & Auſtrum poſiti? hæc ille in libris adverſus Chriſtianos: ubi vim ortus & occaſus apertè demonſtrat. Tacitus verò ſcribit, Batavos qui ad occaſum extrema Germaniæ tenent, omnium ferociſſimos ac virtute præcipuos fuiſſe; quod Plutarchus in Mario confirmat. magnitudine quidem pręſtant, ut omnes qui loca paluſtria & frigida incolunt. ita quoque bellicoſiſſimi totius Galliæ putantur, qui magis occidui ſunt: quod Cæſar ipſe primùm animadvertit; Optimi generis homines, inquit, ex Aquitanis & Rhutenis. omnium autem Europæ populorum maximè occidui Britanni & Hiſpani, ſtrenuiſſimi ſunt. Habet igitur occaſus cum Septentrione, ortus cum Auſtro magnā affinitatem: quod non ſolùm videre eſt in animantium naturis, verumetiam in ſtirpibus, lapidibus ac metallis. fama conſtans eſt aurum optimum ac gemmas pretioſiſſimas ad Ortum & Meridiem naſci. cætera verò metalla optima verſus Occaſum & Septentrionem. quod quidem Cardanus, cùm ex aliorum fama ſcripſiſſet, reprehenſus eſt à Scaligero, ſed nulla ratione. id enim artis metallicæ magiſter Agricola, graviſſimo teſtimonio priùs comprobarat, quàm Cardanus ſcripſiſſet. aurum, inquit, totius Europæ laudatiſſimum

tiſſimum affert Hiſpania Betica, quæ tôtius Europæ maximè Auſtralis eſt : Africæ verò Aethiopia. idem paulò poſt; Oriens, inquit, & Africa tota caret minio & argento vivo: ferrum quoque rariſſimum in Africa; frequens in Cantabria (quæ totius Hiſpaniæ maximè Septentrionalis eſt, & Europæ maximè occidua) in Gallia, in Germania frequens. idem; Ferrum omnium præſtantiſſimum apud Suecos & Oſtrogothos, quòd Oſemutum appellant. quinetiam in Ligijs ad Sagam oppidum in pratis ferrū erui ſcribit ad altitudinem duorum pedum, & decennio renatum fodi, nec altiùs propter aquas penetrari. Sulphuris verò nuſquam terrarum copia maior quàm in inſula Thule, quæ Iſlandia dicitur, unde in univerſam Europam advehitur. Idem tradit nuſquam in Germania inveniri, præter in Goldegranacho & Carpatho monte qui cum metallis omnibus abundat, tùm verò Germaniæ terminus eſt ad ortum, & ad meridiem vergit. at ex Siderocapſa Turcæ quotannis ducenta aureorum millia eruere dicuntur. ferrum tamē difficiliùs invenitur. itaque Turcæ in urbium direptionibus ferrum multò magis expetunt, quàm æs aut ſtannum. & quemadmodum ferrum ad Septentrionem penè in ipſa ſuperficie terræ: ita aurum ad Meridiem in agris & arena pura reperitur. tradunt enim in regno Damuti iuxta montes Bet, ùltra Capricornum, aurum poſt imbrium copiam detegi. & ut cætera metalla ignea vi coqùuntur ad Septentrionem, in montibus Pyrenæis, Iuraſſo, Cemeno, Alpibus, Carpatho, Rhodope, Pangæo, Laurio, Tmolo, Caucaſo: ita quoque ad Meridiem, aurum non igneo calore, ſed ſyderum cœleſtium vi & ardore ſolis, velut in ſuperficie terræ & arena, conflatur. non aliter Auſtrales & Orientales homines cœleſti calore ac ſyderum vi ſuſtinentur: Occidui verò & Septentrionales ignea flammæ intus concepta. Quare cùm à ſingulis ad univerſa relabor, tum intelligo in Septentrionibus interiora calida humida, exteriora frigida ſicca: Auſtri verò, interiora frigida ſicca, exteriora calida humi-

da. Ortum verò & Obitum temperatiora. patet hoc quidem in purioribus naturis & elementis quò magis sunt à concretione libera. nam cùm aër sursum ac deorsum æstate incaluit, tantum frigus in media regione cogitur, ut grandines quæ hyeme non possunt, eo tempore maximo pondere concrescant. sic terra solis ardoribus usta frigus coercet: quæ tamen cùm omnia gelu obriguere, intus calorem comprimit: idque videre est in puteis qui calorem conceptum hyeme exalant, æstate frigidissimi sentiuntur. cùm igitur in Septentrionibus perpetuum quodammodo frigus: ita perpetuus calor occupat interiora, non modò terræ ipsius, verumetiam animantium & plantarum; ut quod ait Empedocles, calidum in frigido, frigidum in calido natura collocasse videatur. Iam verò cùm stirpium & animantium alimenta, sint à calore & humore: ita sylvarum & animantium magna copia est in Septentrionibus: hinc Plinius Germaniam sylvarum altissimarum miraculo plenam esse tradit. quinetiam Vitruvius altissimas arbores in Apennino quà Septentrionem spectat, nasci scribit. & ea quæ sub Polo esse dicitur Grontlandia, nomen habet à viriditate ac multitudine sylvarum. in Africa nullæ sylvæ, præterquam in montibus, quæ naturam habent Septentrionis, ut posteà dicemus. & paulatim arbores proceræ æquè ac homines Meridiem versus eunti minores videntur. sunt enim in Gallia Narbonensi querquus bipedales, quæ fructum ferunt, nec altiùs excrescunt. consimiliter metallorum omnium, præterquàm auri, vis in Septentrione maxima: nulla ferè in Austro, nisi in montibus altissimis. eruptiones verò ignium & incendia maxima versus Septentrionem feruntur. nam Chimæra, Gazevale, Vesuvius, Aetna, Picus, Carpathus, ipsaque terrarum ultima Thule (est enim in septuagesimo gradu sita ac penè tota maximis incendijs ardet) tùm pleraque loca, quæ Olaus in Gothiæ descriptione notavit, perpetuis ignibus flagrant. & Pyrenæi ab incendijs nomē habuerunt. ultra trigesimum ab Ae-

quatore gradum nullæ memorantur: nec aquarum calidarum balnea; cuiusmodi sunt in Italia, Gallia, Germania & extrema Gothia. Illud est, opinor, quod Picus Mirandula obscurè admodum significat, his verbis, Qui cognoverit proprietatem Aquilonis, intelliget cur Deus mundum iudicabit per ignem. Atque hæc vetus est non modò Pici, sed etiam Heracliti, ut ait Plutarchus, & Hebræorum opinio; qui mundum aliquando deflagaturum, ignesque non è cœlo delapsuros, ut putat Magianus, sed ex intimis terræ visceribus erupturos confirmant. hoc autem incendium ad Septentrionem, non ad Austrum fieri necesse est, cùm hic aquæ; illic terræ globus promineat, qui conceptos ignes alit. Tametsi enim terrarum & aquarum orbem intuenti, tantum terræ tegi quantum detegi, & æqualis esse terrarum ac maris totius magnitudo videtur; nihilominus ea pars quæ libera est ab aquis, tota vergit ad Septentriones, si terminos Austri & Septentrionum, Aequatore, quod in universum fieri solet, definiamus. restat particula quædam Africæ & Americæ regionis. nam terra quæ dicitur Australis, ad ornatum infinita magnitudine pingitur, non ad rei veritatem. Itaque aut Esdræ verba interpretari necesse est aliter atque veteres; aut absurdum erit quod scribit, Deum terræ septem partes detexisse; aquas in septima collocasse. absurdius etiam quod veteres Peripatetici putarunt, terram decies aqua minorem. oporteret enim terram (ut nihil aliud quàm eius superficies mundi centrum attingat) omnino aquis immergi, si vel septies aquarum globo terra maior esset, ut ex circuli ad diametrum ratione docemur: quantò magis si terræ centrum in centro mundi constituatur? id autem necesse est, cùm ad fretum Magellianum, non procul ab adverso Polo, terræ globus aliquantùm emineat. mirum est tamen, sed navigationibus & experientia diuturna compertum, maris & aquarum molem à Septentrione versus Austrum magno impetu ferri. quod Cardanus cùm in Brytanniam & Hyberniam

traijciens à naucleris intellexiſſet, teſtatum reliquit; ſed cùm neque cauſas eius rei, neque effectiones inquireret, iuſtè reprehenſus eſt à Iulio Scaligero, quaſi figmentum illud per ſeſe invexiſſet. quod cùm pertineat ad univerſam mundi elementaris, hominumque naturam penitùs intelligendam: tum etiam ad id quod poſuimus confirmandum, ſcilicet terras ad Septentrionem, aquas ad Meridiem: hic exteriora calida humida; illic frigida ſicca: hic interiora frigida ſicca; illic calida humida: obſervationes veterum cum noſtris conferamus. Atque illud primum, quod Caldæi igneam triplicitatem Europæ, aqueam Africæ tribuunt: deinde quòd Auſter à Græcis ἐκ τῆ νότιος, quaſi ab humore Notus dicatur. eſt enim ventus ille calidus & humidus: Boreas frigidus & ſiccus: tum etiam quòd aquarum decurſus à mari Suevico per Cimbriacam Cherſoneſum ad fretum Ixium, hinc ad Celticum & Hibericum littus omnium conſentione fertur. mare vero Caſpium per interiores & occultos aditus ut Mæotis in Pontum evolvitur, atque hinc per Helleſpontum in Mediterraneum excipitur, pòſt ad fretum Herculeum magna vis aquarum erumpit, ut in Meridiem adverſum feratur. hæc naucleri & negociatores teſtata reliquerunt, tum etiam eò nos Geograghia & Hydrographia perduxit: nec temerè Plinius maiores ab Auſtro cieri fluctus prodidit, quàm ab Aquilone: tametſi rationem attulit inanem, cùm perſpicuum ſit contra fluxum maris Auſtrum niti. argumento eſt etiam quod Diodorus olim, & non ita pridem Alvareſius, deinde noſtri homines qui in Africam navigarunt, uno conſenſu teſtantur, imbres ultra Aequatorem aſſiduos regiones infeſtare, unde incrementa Nili. atque id Plinius libro 11. teſtatum reliquit, perpetuos etiam ardenti æſtate rores Africam irrigare. cuius rei cauſam nullam adfert. poſtremum eſt quòd ſol ad Auſtrum, ubi locus Hypogæi terræ propior eſt quàm ad Septentrionem, tota eccentrici latitudine; ac propterea molem aquarum eò pertraxiſſe videri poſ-
ſit.

sit. Hæc nostræ opinionis argumenta sunt, non solùm probabilia, verumetiam, ut opinor, ad assentiendum necessaria. Sed obijci potest ex Aristotele, febres ad Septentrionem acutiores, & caloris vim æstate quàm ad Austrum maiorem. de febri ratio est in promptu, quæ, coactis meatibus, facit ut etiam hyeme, ubique acuti morbi graviores sint quàm æstate: sed absurdum videri possit, in Europa homines magis æstate calere, quàm in Africa. illud tamen quasi cognitum ponit Aristoteles. & quidem Alvaresius scribit Abyssinum Aethiopem, quo die Lusitaniam appulerat, cum legato Præsteianis, calore extinctum fuisse. iam verò Hispani queruntur in Gallia, se maiores æstate, quàm in Hispania sentire calores. quinetiam accepi à Purquero Germano, cùm Tolosæ ageret, ardenti æstete, maiores esse calores in agro Dantisco, id est, ad mare Balticum, quàm Tolosæ. quæ ratio fecit, opinor, ut Germani, auctore Tacito, hyeme, vere, ac æstate, annum definiant: autumni bona perinde ac nomen ignorent. Dani verò, hyeme & æstate, ut Pœni, qui veris & autumni rationem non habent, quemadmodum Leo Afer scribit. causam caloris Septentrionalis ad aëris inertiam & crassitiem referemus. est enim Europa & Scythia plena fluminibus, qui ex humore interno fluentes efficiunt limosa & palustria loca: hinc vapor densus æstate sursum evehitur, qui concepto calore ardentiùs urit, quàm aër Africæ tenuis propter fluminum inopiam. quemadmodum igitur ignis ardentiùs urit in metalllo conceptus quàm in ligno, & in hoc quàm in culmo: sic in aëre crassô vehementiùs flagrat quàm in tenui. quare ij qui thermas sumptu minore calefieri volunt, solum aspergunt aqua, ut vapor elatus & aër crassior factus, calorem sustinere possit. argumento est etiam illud quòd æstate, pluvio cœlo, sudore & calore multò magis defluimus ac languemus, quàm aëre sereno. neque tamen propterea dicemus, exteriora Septentrionis Australibus ca-

lidiora, quæ suapte natura sunt frigida sicca: sed flantibus Austris, elatisque vaporibus, aër calorem melius concipit ac tuetur. Africæ verò terra, lapides aquæ calefactæ multò vehementius urunt, quàm in Scythia, propter radiorum acumen. commodiùs itaque ab Aristotele dici potuit, maiores aëris inflammationes æstate fieri ad Septentrionem, usque ad sexagesimum gradum, quàm ad Austrum. Atque hæc in universum de moribus populorum, qui regiones planas & æquabiles colunt. Nunc singularium discrimen in locis montanis, palustribus, aridis, ventosis, ac tranquillis videamus. Hoc igitur inter plana & montana interest in hominum naturis, quod inter Austrum & Septentrionem: & eadem ferè temperatura, si loca plana non fuerint palustria. ut enim maximum frigus ad Septentrionem, æquabiliter fusum est in planis: sic ad Austrum in montanis, & media regione aëris tanta vis est frigoris ἐξ ἀντιπεριστάσεως τῆς θερμότητος, ut non magis Hyperboræi, si tamen ulli sunt, quàm Lunæ montes, aut Picus in insula Tenarife, mons omnium altissimus, gelu concrescant. id facilè colligitur æstatis habita ratione, qua tum maximè grando in media regione aëris cogitur, quòd hyeme vix unquam contingere videmus, quia frigus ubiq; dispersum, minorem vim habet. falsum est igitur quod putat Averroes, qui plantas & animantia vegetiora esse putat in montibus, quòd cœlo propiora sint. diviniores essent montani homines ac magis ingeniosi, qui tamen valde rudes ac barbari ab omnibus appellantur. falsum etiam quod Hippocrates scribit, mutationes temporum in montibus efficere hominum feritatem ac proceritatem. Cùm autem planæ regiones Septentrionis ferè aquis immersæ sint, montes non item; necesse est montanos duriores, robustiores, ac vitæ longioris esse, eoque meliore habitu quo montanæ aves & pecora palustribus; & montanæ arbores reliquis præstant. & quoniam nulla ferè iuga, sed latera montium coluntur, temperatior est, ac

magis

magis salutaris ea pars quæ ad Septentrionem cõvertitur, ultra quintum & quadragesimum à Polo gradum: citrà verò salubrior quæ ad Austrum. est enim magnum utriusque discrimen: quod satis intelligunt ij, qui vel in montibus iter habuerunt. quod igitur de media regione ac populorum moribus diximus, non pertinet ad eos qui in Alpibus, Pyrenæis, Cemeno, Acroceraunijs, Hæmo, Carpatho, Olympo, Tauro, Stella, Caucaso, Imao, & Arverniæ montibus positi sunt: tametsi cœli tractus est omnium temperatissimus. ab Australibus etiam excipiendi sunt accolæ Atlantis, Arabiæ montanæ, Bethæ, Angæi, Pici, Serraleonæ, qui mons ὄχημα θεῶν à Plinio vocatur. sunt enim montani duri, agrestes, bellicosi, laboris patientes, minimeque ingeniosi. idque non tantùm in montibus Septentrionis, sed etiam in ipso Atlante, qui Tropico proximus est, magni ac robusti homines, cuiusmodi sæpe vidimus, nasci dicuntur; unde legiones conscribunt Mauritaniæ ac Numidiæ reguli. illud certè admiratione dignum est, quòd qui montes Arabiæ tenent, nunquam feritatem & animi robur deponere potuerunt, sed aut naturæ viribus, aut locorum præsidio freti, in summa libertate semper vixerunt. quinetiam Turcarum princeps, ut audio, sexaginta millia aureorrm illis tribuit, ut agro Palæstino ac Damasceno liberè fruatur. Iam verò Marsi veteres Apennini accolæ, omnium Italiæ populorum ferocissimi fuisse feruntur. vulgatum est illud, sine Marsis triumphasse neminem. Vnde verò Gostavus legiones conscripsit, ut Sueciæ regnum invaderet, nisi ex Dalecarlis qui Sueciæ montes occupant? Quid Helvetij? qui cùm à Suecijs originem traxerint, non modò seipsos, sed etiam finitimos populos tyrannide oppressos, in libertatem vindicarunt: Austriæ principes sæpe fregerunt: Germanis maximas clades intulerunt: imperij Germanici non minimam partem armis occuparunt: denique tantùm armis ac viribus profecerunt, ut principum censores & magistri vocentur. ex quo intelligitur id quod ait Cicero,

Ligures montanos, ſuapte natura duros & agreſtes, maritimos, verſutos eſſe, omitto quàm diuturna bella, montani Cilices & Acroceraunij cum Turcis geſſerunt, quandiu potentiam eorum ducibus Caramanis ſuſtinuerunt ac repulerunt. his omnino repugnat eorum natura, qui in locis paluſtribus verſantur, qui propter humoris copiam, maiores ſunt in eadem latitudine: ut Batavi ac Phryſij qui Rheni oſtia tenent, maiores ſunt reliquis in eodem tractu Germanis: & Belgæ propter paludes & locorum planitiem longiores ſunt Britannis; quorum regio plana eſt, ut aiunt, minimeque paluſtris, ſed arenoſa. peſſimè qui in locis paluſtribus & calidis verſantur: ut in Aegypto & in Gallia Narbonenſi, quæ paludibus eſt immerſa: illic peſtes, hydrocele, vitiligo, lepra perpetuò graſſantur. illic quoque videre eſt languentes homines & fœdos pallore vultus. eſt enim floridus color præcipuum temperatæ regionis argumentum. aridæ verò regiones, quantumvis caleant, ſalubres ſunt tamen. nam Hiſpania, Numidia, Perſia, Caldæa, Arabia felix, homines habent alacres, duros, ac cæteris in eodem tractu robuſtiores. cùm enim Aegyptus, Cyrenaica, Mauritania, Gallia Narbonenſis, alba lepra infectæ ſint, rariſſimi tamen ſunt in Hiſpania & Numidia leproſi, ut Leo Afer ſcribit. Facit etiam unius interdum fluminis diſcrimen, naturas hominum diſcrepantes, cùm in longitudinem fluit (ut Danubius, Niger, Eridanus, Tagus, Aſopus) quia Septentrionales ab Auſtralibus dividit, ne tam facilè ſocietatibus & commercijs utantur. quo fit ut capitalibus odijs ſæpe diſſideant. Auſtrales enim qui Nigrũ flumen accolunt, parvi, debiles, ſubcineritij: qui ad Septentrionem ex altera parte, maiores ac robuſtiores ſunt, ac penitus atri. nec mirum ſi Plato dijs gratias egit, quòd Athenienſis eſſet; non Thebanus: Athenæ tamen ac Thebæ Aſopo flumine duntaxat, ac xx. circiter milliaribus dividuntur: ſed Athenienſes ad Auſtrum, Thebani ad Septentrionem

converſi

conversi sunt. qui sunt in convallibus ad Meridiem maiori calore urgentur, quàm qui in eodem tractu Septentrionem spectant: ita ut hi ad Scytharũ; illi ad Australium naturam magis accedant. inde fit, ut qui Carpatho adiacent Meridiem versus retorridi sint: ex adversa parte candidi. eandem ob causam Galenus homines tabidos in agrum Tabianum mittebat, inter Surentum & Neapolim, ubi vallis ad Austrum hyeme quoque veris temperiem habet. inde quoque morum dissimilitudines ac discrepantes eorum naturæ qui Rhetiam, Carinthiam & Croatiam incolunt, ab Istris & Illyricis: & Insubrum à Liguribus & Hetruscis. sunt etiam qui convallibus undique ambiuntur, qui maximis caloribus utuntur, ultra quintum & quadragesimum à Polo gradum, propter mutuum radiorum concursum, & cõclusa undique lo. cacùm autem è montibus fontes & imbres limosi fluant, necesse est fertilitatem maximam ingenerari. neque enim fabulosa mihi vidētur, quæ veteres de Mauritania & convallibus utriusque Atlantis prodiderunt, centesimam colligi messem, cùm his quoque temporibus Leo Afer quinquagesimam se vidisse fateatur. certè Plinius scribit, Mauritaniæ procuratorem Augusto tritici granum misisse, quod cccc. germina, paucis minùs, haberet. magis incredibile est illud Strabonis de vallibus Tauri montis, racemos duorum cubitorum nasci: & ex una ficu modios colligi septuaginta. eadem ferè de agro Damasceno, in convallibus Libani montis: nota est Arvernorum Limonia, Taurinus ager, aurea vallis Pyrenæorum, Thessala Tempe, vallis Sedunensis, & Carpathi cõvalles: quæ tanta fertilitate luxuriant, ut montium sterilitatem, convallium ubertas abundè compensare possit. in hac igitur frugum copia, necesse est agriculturæ deditos esse incolas, rem militarem negligere, otium colere, delitijs defluere. Id quod Athenæus libro xij. scribit de Lydis & Vmbris deliciarum infamia flagrare. utraque regio sita est in locis planis & humilibus. hinc Propertius, Mevaniam sitã loco plano & cavo dixit. talis etiam fuisse dicitur Sy-

baritarum, qui neque orientem, neque occidentem Solem videbant; quorum delicias & luxum describit Athenæus. sed ridiculè Alciatus, qui apud Plautum & Catullum, qui porcos Vmbros appellãt, parcos legit. multò etiam absurdius, quòd apud Plutarchum lib. 2. cap x. sympoσiacῶn, ὀμβρικὰς θοίνας ad Vmbros pertinere putavit, cùm de feris illic agatur, sic enim ὀμβρίκια & ὀμβρίκαλα Aeliano & Aeschylo dicuntur catuli ferarum & qui ex ove & Musimone fero animali nascuntur, Vmbri à Latinis dicti sunt. sunt igitur luxui dediti, qui fertiles eiusmodi convalles habitant, contrà quàm accidit ijs, qui loca sterilia colunt. sunt enim in bello strenui milites; in pace ingeniosi opifices, aut diligenter mercaturam exercent. eam ob rem Atticus ager sterilis Athenienses habuit artium inventores (apud quos otium capitale fuisse memoratur:) ut Genuenses apud Italos, Lemovices apud nos, Norimbergenses apud Germanos. beatiores igitur illi frugum copia; hi verò ingenio. quoniam aquæ gelidæ ex nivibus coactæ in valles derivantur; fit sæpissimè, ut struma vel hydrocele capiantur, præsertim si vallis ac occasum & Septentrionem convertatur. nam qui Valedocam agri Taurini vallem incolunt, omnes strumas habent, & gulæ tumores aut tonsillas: amentes quoque sunt & inepti ad loquendum, ut in Aquitania Labdani populi Labdacismo balbutiunt. Atque hi morbi ab aquis ad corpora derivantur; ab his ad animum transferuntur. quanta sit aquis ad mores immutandos vis ac potestas, ex Hippocrate satis intelligitur, nec pluribus opus est: illud tamen animadversione dignum quod scribit Plinius; Haliacamone flumine Græciæ oves fieri candidas, Axio nigras; Xantho flavas: hoc etiam Vitruvius confirmat. Ab aëre verò, quo maximè vivimus, vitia non minora; interdum etiam maiora oriuntur. quod tametsi in universum diximus: singulare tamen est, quòd ventosa loca ferociores homines, ac mobiliores reddunt; quieta verò humaniores & constantiores. ratio perspicua est. neque enim tranquilla mens esse potest in eo, qui

huc illuc iactatur. cuius rei argumento est, quod in motu ac tumultu contemplari nemo potest: sed purgata mente ac perturbatione vacua, tum etiam immoto corpore id fiat oportet: & quò quisque magis sapit, eò tardiores habet corporis & animorum motus. qui verò insaniunt, perpetuò corpore æquè & animo iactantur. itaque nautas, opinor, aquarum & ventorum perpetua iactatio, barbaros & inhumanos reddit: ut ut sit, compertum est Thraciam, Galliam, Britanniam, Circassiam, Lybiam desertam, Lusitaniam, Persiam, Norvegiam, Noricum & Pannonias, quæ ventorum impetu magis agitari dicuntur, populos habere molliores ac ferociores, quàm quæ regiones eodem cœli tractu quietæ sunt, ut Assyria, minor Asia, Italia præter Liguriam, Aegyptus; ubi cœlum aureum esse fertur. nam Circassij, qui Tauricam Chersonesum incolunt, cœli tractum valde temperatum habent; mirum tamen in modum feroces, perfidi, & crudeles esse dicuntur: at nusquam ventorum maior vis est. constat etiam nullos esse populos in Gallia Narbonensibus, Aquitanis & Provincialibus ferociores: qui tamen alijs Australiores sunt: ut putem partim ab Altanis (sic enim vulgo & Plinio vocatur Vulturnus, qui Galliam Narbonensem perpetuò infestat) partim etiam à Coro, sive Circio, qui ab incolis Serra dicitur, & omnium violentissimè spirat, hanc feritatem & irrequietam animi agitationem ingenerari. Non parum etiam mores hominum & naturam immutant confusiones populorum. neque enim verum est ab eadem cœli temperie Scythas omnes sui similes esse, ut putavit Hippocrates: cùm ubiq; terrarum sua sit propria quædam temperatio. verior esset Empedoclis & Stoicorum opinio, qui, ut refert Plutarchus, dissimilitudines oris ab imagine animo concepta fieri putant. nam belluarum similes sunt partus, quòd nullis cogitationibus, ut est apud Plinium, sed solo sensu moventur: ita Scythæ, qui puras & naturæ congruentes amant voluptates, minusq; cogitationum varietate distrahuntur, similiores parentibus liberos procreare solent. alia tamen

ratione ducor. nam in Aethiopia, ubi hominum genus acutissimum & salacissimum esse diximus, nemo tam sui similis est, quàm omnes omnium. sunt autem parvi, crispi, atri, simi, labeones, glabri, albissimis dentibus, nigris oculis. Scytharum nullam esse dissimilitudinē, tum Hippocrates ipse, tum etiam Tacitus de Germanis scribit, & reipsa compertum habemus, quò longius à medio disceditur, eò sibi similiores esse vultus. in regione media videmus infinitam hominum dissimilitudinem. cùm enim in illa regione omnium oculi flavescere debeant (nam ex atro, cæruleo & flavo, omnis illa varietas oculorum conflatur) videmus tamen præter flavos, glaucos, cæsios, nigros, ravos, & ex his infinitam confusionem. sunt nasuti, simi, crispi, nigri, candidi, rufi, ænobarbi, punicei, pallentes, nani, gigantes. hoc igitur tribuendum est hominum confusioni, qui ab extremis ad media, velut ad optimam temperiem confluere solent. nam illi Scytharum, Gothorum, Turcarum, & Tartarorum innumerabiles exercitus in media regione constiterunt. nulli præter Vandalos in Africam traiecerunt, ex qua paulò pòst eiecti sunt. & cùm Arabes ac Pœni, quos Saracenos veteres appellarunt, ex Africa in Europā & Asiam colonias deduxissent, in media regione conquieverunt. nulli in Scythiam penetrarunt: cùm enim Hispaniam, Italiam & Græciam invasissent, in Gallia cæsi ac prostrati fuerunt. pòst etiam, Galli Italiam & Hispaniæ magnam partem servitute liberarunt. similiter Celtarum ac Romanorum coloniæ, veteres in media regione sedes quæsierunt: nullæ in Scythiam aut in Aethiopiam deductæ. quemadmodum igitur videmus ex animantium & stirpium diversis generibus, diversas nasci formas, ut in Mulo, Pardo, Crocuta, Lycisca, Cameloparde, quæ parentibus dissimiles sunt: ita quoque iudicandum est in hominum varietate. nihil ferè Lycisca ex lupo concepta differt à cane: quia lupus nihil aliud est quàm canis sylvester, ipsi Varroni. sed Mulus ab Equo & Asina; Camelopardalis, à Camelo & Panthera maximè differt: ita si misceantur

Scy-

Scythæ cum Aethiopibus, dubium non est, quin hominum genus varium ac dissimile sint edituri. scribit Athenæus, Ptolemæum Philadelphum hominem in Scena exhibuisse, qui ore ac toto corpore bicolor esset; uno quidem latere niger, dextro candidus. Hinc igitur factum opinor, ut Dani, Saxones & Angli cõfusi cum Britannis, ferociores eos fecerint, ipsi evaserint humaniores. Britanni verò cùm sedibus pulsi in Galliam appulissent, animi feritatem ægrè deposuerant, seque ipsos à Gallorum servitute paulatim vindicarunt. idem iudicandum puto de Saxonum colonia, quam Carolus Magnus in Belgas deduxit. nam ij pro libertate, fortissimè semper dimicarunt. neque enim ut stirpes, quę aliò translatæ, citò vim amittunt; & soli, unde trahunt alimenta, naturam induunt; ita quoq; homines, insitam suæ naturæ vim facilè mutant: sed longa temporis diuturnitate. cùm enim Tectosages Galli, fertilissima quæque Germaniæ loca occupassent, ut scribit Cæsar, temporis decursu mores & naturam ita mutarunt, ut Cæsaris temporibus in eadem egestate & potientia qua Germani, permanerent: eodem victu & cultu corporis uterentur. itaq; L. Memmius Consul dimicaturus contra Galatas, qui in magna bellicæ laudis opinione floruerant, Romanorum legiones metu Gallici nominis perterritas, in victorię spem erexit: cùm diceret Galatas iampridem Gallos esse desijsse, iam Asiæ delitijs effœminatos, & cœli temperie feritatem amisisse, ut nihil amplius esset ab illis metuendum. rectè enim Cyrus apud Herodotum, molles, cœlo molli natos dixit. & quidem Turcę, Scytharum animi ferociam paulatim deponunt, ac nisi militarem disciplinam magno studio colerent, facilè Moschovitarum & Sarmatarum viribus frangerentur. Restat igitur ut videamus quantùm disciplina possit, ad immutandum hominum naturam. Duplex est autem disciplina, divina & humana: hæc prava aut recta. utraque profectò tantam vim habet, ut sæpius naturam vincat. nam si verissimè Hippocrates omnia plantarum genera ἐξημεροῦσθαι putavit, quantò id ve-

rius est in hominum genere: atque natio tam immanis ac barbara, quæ nacta duces ad humanitatem perducta non fuerit? aut quæ gens politissimis artibus imbuta, quæ humaniore cultu neglecto, in barbariem ac feritatem non aliquando degenerarit? atque eius rei cùm infinita sint exempla, nullũ tamen illustrius est, quàm Germanorum, qui cùm à feritate belluarum, ut ipsi confitentur, non procul abessent: cùm in paludibus ac sylvis ferarum more vagarentur: cùm inveterato quodam odio semper à litteris abhorruissent; nunc tantùm profecerunt, ut humanitate, Asiaticis: militari disciplina, Romanis: religione Hebræis: philosophia, Græcis: geometria, Aegyptijs: Arithmetica Phænicibus: astrologia, Caldęis: opificiorum varietate, populis omnibus superiores esse videantur. & quidem Machiavellus, suæ ætatis Italos urbanè increpuit, quòd cùm ingeniosi admodum sibi viderentur; attamen Germanos accirent, ad metiendos fines agrorum. quinetiam Leo Pont. Max. cùm Solis ac Lunæ cursum emendare vellet, legatos in Germaniam, ut olim Cæsar in Aegyptum, misit. Eadem disciplina fecit, ut cùm Arabes & Pœni suapte natura molles ac effœminati, militarem scientiam colere cœperunt, Asiæ & Africæ imperium occuparint. Consimiliter Massilienses urbanam disciplinam tanta cum laude coluerũt, ut omnium populorum sapientissimi ac iustissimi, clarissimo Ciceronis testimonio fuisse putentur. De Lacedæmoniorum disciplina planè incredibilia narrant historici: quæ tamen eò certiora sunt, quò ab hostibus eorum profecta videmus. Neglectæ verò disciplinæ, maius testimonium nullum esse potest, quàm de Romanis: qui cùm anteà populos omnes, iůsticię opinione, ac militari gloria superarent; nunc ferè ab omnibus utroq; superãtur. sic enim existimo, Romanorum atq; adeò Italorum naturam pręstantissimam esse, sed nulla tanta naturæ bonitas est, quæ prava disciplina non corrumpatur. in his ergo quę in hominum populari sermone versantur, & quę ex ijsdem fontibus quibus ego haurire quisq; potest,
non

non diutius immorabor: ſed exemplis domeſticis utar. cùm maiores noſtri vultus oblongos formoſiores eſſe putarent, obſtetrices ſenſim perfecerunt, ut longiſſimi viderentur: id quod videre eſt in antiquis ſtatuis & imaginibus. In India occidentali, latiſſima ſrōs eſt, & naſus miræ magnitudinis, id quod obſtetricibus tributum legimus. quin etiam tradit Syneſius, ſe fœminam in Africa vidiſſe, quaſi formicā arte inſectam, ut ſpectantibus voluptatem præberet. ita verecūdum eſt, ut his habitus fœminarū, quo nunc utuntur ad corporis formam venuſtiorē, efficiat ut partus anguſtiori thorace naſcantur, & mutata forma pulmonici evadant. Quòd ſi tanta conſuetudinis ac diſciplinæ vis eſt in rebus naturalibus & humanis, ut paulatim abeat in mores, & naturæ vim obtineat, quantò id verius eſt in divinis? videmus enim religionum tantam vim eſſe ac poteſtatem, ut mores hominum & corruptam naturam, penitùs immutare videantur. quãquam vix fieri poteſt, ut, naturæ prioris veſtigia omnino tollantur. ut enim Germani, omnium magnarum artium ſcientiam infinito labore adepti fuerint: in illis tamen ornatus, venuſtas, ordo, ratio quam in Græcorum & Italorum ſcriptis elucere videmus, multorum iudicio deſideratur: ſed ut corporum; ita librorum magnitudinem amplectuntur. nam plura ſcripſit Muſculus: plura Martinus & Eraſmus, quàm quis longiſſimo vitæ decurſu legere poſſit. Auſtrales longè diſſimiles ſunt. paucis enim verſibus, omnium rerum divinarum & naturalium arcana complectuntur: & ut corporum imbecillitatem ingenij viribus; ita librorum exiguitatem utilitatis magnitudine compenſant. Extremum eſt, ut Ptolemæi & eorum errores refellamus, qui Zodiaci partes ac triplicitates, quas vacant, cuique regioni diſertè tribuunt, ex quibus populorum naturam iudicari poſſe putant. Aiunt, Europam inter occaſum & Septentriones poſitā, primæ triplicitati, hoc eſt, igneæ, Leonis, Arietis ac Sagittarij, Iove ac Marte dominantibus ſubeſſe: Scythiam Aſiaticam, inter Septentriones & Ortum, aeris triplicitati, puta Gemi-

nis,Libræ & Aquario, Iovis & Saturni radijs coniun-ctis: Africam inter occasum & Meridiem triplicati aqueæ,id est,Cancro, Scorpioni & piscibus, cum Marte,Venere & Mercurio: Asiam Australem, inter Meridiem & Ortum terræ parti, hoc est,Tauro,Virgini & Capricorno, unà cum Venere & Saturno. quæ non modò ijs, quæ antea diximus,sed etiam ipsi naturæ & historijs valde repugnant. erroris initium attulit locorum ac Geographię ignoratio,quę tanta fuit,ut veteres nonnulli, Oceanum flumen Hiberiam urbem esse putarent. ac Ptolemæus ipse, qui alijs præluxit, in quantis erroribus versaretur, satis intelligunt in eo genere mediocriter eruditi. errorem auxit motuum cœlestium ignota ratio,vix enim Caldæi annos mille quingentos in eo studio consumere potuerunt, vt ex historia sacra & eorum obserpationibus, quibus utitur Ptolemæus,intelligi potest. neque verò motum orbis octavi capere potuerunt: at ne Ptolemæus quidem motum trepidationis observare. hæc enim Arabum, Hispanorum & Germanorum studijs paulatim cognita sunt. quòd enim Caldæi,ut est apud Ciceronem,iactant se cccc. & septuaginta annorum millia in periclitandis, experiundisque puerorum animis posuisse, falsum est.nec huius opinionis levitas,à seipsa confutata desiderat orationem meam; neque enim ignorassent ea, quæ à nobis temporum decursu cognita perceptaque sunt.Est autem omnino inexplicabile,quod de signis Zodiaci prodiderunt,cùm ab illorum observationibus ad hæc usque tempora,Zodiaci partes omnes, ac signa integra, locum mutârint. nam prima stella Arietis, quæ annos sexcentos ante Ptolemæum primam partem eius signi occupârat, ad vigesimam octavam pervenit. itaque post Caldæorum observationes, signum integrum & multò amplius percurrit. Pleiades,quæ illis temporibus Tauri caput,nunc Geminos tenent.Reguli stella, quæ tum erat in Cancro,nunc vigesimam partem Leonis præterit.quid autem Arieti cum Piscibus,Leoni cum Virgine, Tauro cvm Geminis?quid igni cum aqua commune?

mune? at ignea syдera in aqueum signum concesserunt. nam si novum orbem fingamus, id quod necesse est, nulla tamen in eo stella. igitur stare nullo modo potest illa de triplicitatibus doctrina. sed Ptolemęi exemplis utamur. quid est enim absurdius, ac tanto viro indignius (si tamé eius libri auctor est) quàm Phœnices & Caldęos, propterea simplices, humanos & syderũ observatores appellare, quòd Leoni ac Soli subijciantur? idem tamen Babylonem, Assyriam ac Mesopotamiam, Virgini & Mercurio subiecit, ac propterea Caldæos scientiarum amatores esse confitetur. Iudæos autem, Syros ac Idumæos, audaces & impios, quòd Arieti, Scorpioni & Marti sint obnoxij. at omnium historicorũ summa consensione, Syri adeò tractabiles sunt, ut ad servitutem; Iudęi ad religioné nati videantur. Idumæis verò, nihil mollius fieri potest (excipio montanos) id quod Cicero Pompeij cineribus obiecit; Putabat, inquit, cum Syris ac rege Nabathæorum sibi rem esse. sunt igitur hæc τ̃ πρὸς τι, quia Syri & Idumæi ad Aegyptios, qualis fuit Ptolemæus, Septentrionales sunt, partim etiam montani. ridiculè tamen Cardanus, eius libri interpres, qui quòd signa locum mutasse intelligeret, ab ætate Ptolemęi ad hęc usque tempora, tradit, Hispanos, Britannos ac Normannos, rapaces ac versutos evasisse, & cordi Scorpionis nunc subijci putat, quos olim fidos ac probos fuisse scribit, cùm Sagittario subessent. sed illi repono, quod Appianus de Cassio scribit. Cùm enim Romanorum exercitus Parthorum sagittis cæsus esset; Cassius verò reliquias ad se confugientes servare conaretur, Caldæus illum admonuit, ut tantisper tempus protraheret, dum Luna Scorpione decurso, Sagittarium attigisset: tum ille; Magis, inquit, Sagittarium metuo quàm Scorpionem: ita quoque Britannorum ac Normannorum sagittæ nobis non scorpiones nocuerunt, cùm universam ferè Galliam bellis civilibus iactatam occupavissent: ac nostros exercitus sagittis confecissent. Hæ igitur Cardani disciplinæ si locum habeant, rerum naturam convelli & labefactari

oportet: tum plagam Aquilonis ad Austrum converti, ac pro Germanis audacibus, molles Aegyptios: Afros bellicosos, pro ignavis hominibus nasci. quòd si Cardanus, stellas permutatis locis signorum vim confudisse putat, quid fiet Ptolemęo, cuius ipse iudicia de syderibus tantopere probavit? quid ipsi Cardano, qui veterũ apotelesmata sua auctoritate alibi semper confirmavit? quinetiam, ut de multis unum exemplũ afferam, Sleidanus scribit in ecclesiastica historia, Carolum V. Imp. Iisdem kalendis, quibus natus erat, Imperatorem creatum fuisse: Franciscum regem Gallorum cepisse; de Germania triumphasse. habuit autem in orto Capricorni sydus, ut Cardanus confitetur, quo sydere natus erat Augustus, qui propterea nummũ fœlici sydere Capricorni percussit: hoc enim voluit Horatius, cùm Hesperiæ tyrannum Capricornum appellavit, quo loco interpretes omnes lapsi sunt. Eodem sydere, Cardanus natũ scripsit Carolum Burbonium, Cosmum Medicem, & Selimum principem Turcarũ, qui vij. kalendas Septemb. eodem mense quo M. Antonium Augustus vicit, id est, sextili, regem Persarum Hismaëlem in Calderanis campis fregit: biennio pòst iisdem kalendis Campsonem Sultanum de imperio deiecit. iam verò cõstat ab Augusti temporibus ad Selimum & Carolum V. omnia sydera locum mutasse, gradus septemdecim percurrisse. Capricorni tamen vis eadem est. nam Augustus, Carolus V. & Cosmus Medices, anno decimonono imperium acceperunt. quis igitur populorũ mores & cœlestium corporum vim putet à triplicitatum ratione duci, cùm syderibus permutatis, non immutetur natura? quod etsi anteà planũ fecimus; planius tamen & illustrius erit, si quis à Ptolemæi temporibus, vel etiam à Cæsare maximas planetarũ coitiones (inferiores omitto) cum historia coniungat. nihil autem illustrius est in historia, quàm bellorũ motus. & quoniam Scorpioni Martem pręesse aiunt, in eo sydere coierunt planetæ superiores, cùm inter Pompeium & Cæsarem civilia bella toto terrarum orbe exarserant, imperij verò ac Reipub. conver-

fio in Europa contigit, quam tamen Ptolemæus Arieti, Leoni ac Sagittario subiecit; Africam Scorpioni, Piscibus & Cancro: eadem coitio in Scorpione contigit anno D. C. XXX. quo tempore Arabes ex Asiæ desertis erumpentes, universum penè terrarum orbem armis domuerunt, novas leges tulerunt, religiones confuderunt imperia Persarum deleverunt; postremò linguam Græcam, Latinam & Persicam, in Asia & Africa sustulerunt. hæc autem mutatio in Australi Asia contigit, quam Ptolemæus Tauro, Virgini & Capricorno subesse putavit. eadem coniunctio incurrit in annum M. CCCC. LXXXIIII. cum repentè Italia, quæ diuturna pace conquierat, tum suis, tum Gallorum & Hispanorum armis est obsessa: quæ bellorum calamitas Hesperides insulas & novum orbem invasit. tum verò inaudita morbi lues ab Hispanis invecta totam Europam populari cœpit. conversiones verò maximæ, quæ ad Africam pertinebant, in Europa & America contigerunt. Rursus anno Christi L X X I I I. iidem Planetæ in Sagittario coierant, cùm Otho, Galba, Vitellius & Vespasianus imperium Romanorum perturbarunt. nusquam tamen graviora bella quàm in Palæstina, nec maior clades quàm Iudæorum, quos Ptolemæus Scorpioni subiecit. & cùm anno Christi C C C C X X. planetæ in Aquarium incurrissent, repentè legiones Gothorum ab extrema Septentrionis plaga in Europam influentes Romanorum imperium oppresserunt. Orientalis Asia quievit, quam Aquario Ptolemæus obligarat. rursus in eodem Aquarij sydere coierunt anno M. C C C L X X I I I. quo tempore Germania maximo terræ motu; Apulia bello concussa: & sacra lues ab ortu versu occasum serpere cœpit, ac totam Europam infestare, quæ tamen nihil habet cum Aquario commune, ut ipsi volunt. eadem traiectio recurrit anno C C C X I I. in sydere Capricorni, quem Asiæ meridionali tribuunt. secuta est trium Imperatorum & legionum Romanarum maxima strages, cùm Imp. Constantinus contra Senatus P. Q. R. voluntatem vi & armis imperium

invasit,totiusque imperij Romani leges & Rempublicam paulo momento convertit, omnia tamen in Europa: quæ,si Ptolemæo credimus,nihil ad Capricornum,nec rursus ad Pisces: in quibus tamen coniunctio magna contigit anno Christi M. CCCCLX IIII. quo tempore tyrannides ac bella civilia totam Europam invaserunt. Edvardus III. Henricum Angliæ regem necauit. Zadamachus Tartarorũ princeps à suis regno deiectus, ad Lituanos fugit. eodem tempore, coniuratio Prutenicarum urbium facta est: Fridericus Imperat. à suis Viennæ obsessus: Ludovicus XI. Galliæ rex principum coniuratione penè oppressus: Florentiæ maximę seditiones: Saxonię quoq; urbes cum ducibus Brunsuicensium bella gesserunt: Scander Albaniæ dux à Turcis defecit, eosque magnis cladibus afflixit. nihil tamen in Aphrica gestum video. eodem in signo coitio facta est an. M. D. XXIII. quo tempore Gallia bellis civilibus, Germania verò tota nobilium ac plebeiorum inter se concurrentibus armis fœdissimè quassata est: Rex ipse Gallorũ ad Papiam captus, ac Roma paulò pòst ab Hispanis, Rhodus à Turcis est expugnata. tum eluviones aquarum maximæ, quibus orbem terrarum inundatum iri prædixerant. nihil tamen in Africa gestum accepi. sed infinitum sit omnia persequi. Quare cùm magnæ illæ traiectiones, rerum conversionem, variosq; bellorum motus significent, nec tamen ullius observatione cognitum, aut disciplina perceptum sit, quæ quanque regionem signa fixa magis afficiant, nihil certi de eo genere statui potest ex illorum præceptis. tametsi non dubito, quin observatione diuturna disciplina certior constitui possit: si quis superiorum temporum historias, & coitiones ad initia recurrendo colligere velit. verbi gratia ex Polybio intelligi potest, Olympiade centesima quadragesima rerum omnium conversionem quandam contigisse, atque ijsdem temporibus Philippum iuniorem Macedoniæ, Antiochum Asię minoris, Ptolemæũ Philopatorem Aegypti, Annibalem Carthaginensium, Antiochum Syriæ, Lycurgum iuniorem Lacedæmo-

niorum

niorum imperio simul successisse: ac subinde Romanis adversus Pœnos, Antiocho in Ptolemæum, Achæis & Philippo contra Lacedæmonios & Aetolos bella gravissima intercessisse. consimiliter ex Diodoro & Iustino colligemus, servilia bella iisdem temporibus in Sicilia Græcia & Asia cōtigisse. & eodem momento, Spartacum latronem fugitivorum armis Italiā invasisse, quo Piratæ Mediterranei maris imperium occuparunt rursus libertate servis à Muhamede proposita, Christianos quoque servos ad pileum vocasse, ut paulò pòst nulla ferè vestigia extarent. contrà verò tyrannides iisdem penè temporibus orbem terrarum infestasse, cùm Muhamedes magnus, duos imperatores & quatuor Reges fregit. Ludovicus XI. Gallorum Rex, omnium primus suos servitute oppressit: Christiernus, Suecos miserabili tyrannide afflixit: Zadamachus, Tartaros: Eduardus III. cæso rege, Anglos: Circassij Memmeluchi, Aegyptios: Vssumicassanus, Persas: Pandulfus, Senenses: Franciscus Valorius, Florentinos: Ludovicus Sfortia, Mediolanenses: Ioannes Bentivolus, Bononienses: Baleo, Perusinos. Idem quoque de litteris ac disciplinis relinquitur iudicandum. simul enim ac semel doctorum hominum magna vis erupit, deinde quasi extincta memoria litterarum, rursus in lucem alij prodierunt. Nam Plato, Aristoteles, Xenocrates, Timæus, Architas, Isocrates & oratorum ac poëtarum infinita multitudo simul floruit; longo pòst intervallo, Chrisippus, Carneades, Diogenes stoicus, Arcesilas in lucē venerunt. rursus eadem ætate Varro, Cicero, Livius, Sallustius; deinde Virgilius, Horatius, Ovidius, Vitruvius claruerūt. nec ita pridē Valla, Trapezuntius, Ficinus, Gaza, Bessario, Mirandula simul floruerunt. Si quis igitur collectis rerum memorabilium locis ad ea traiectiones maximas accommodarit, & regiones affici, aut Respublicas mutari perspexerit, tum scientiam de moribus & natura populorū efficit pleniorē: tum etiam de omni genere historiarum, multò verius ac melius iudicabit.

De statu Rerumpublicarum.

CAPVT VI.



VM historiæ magna sui parte in Rerumpublicarum statu & conversionibus explicandis positæ sint, consequés est ad consummatam historiarum rationem initia, status & exitus imperiorum breviter explicare: præsertim cùm nihil sit in toto historiæ genere, magis frugiferum ac fructuosum. cætera quidem ad agnitionem animi pulcherrima, & ad conformandos cuiusque mores valde præclara videantur: quæ de civitatum initijs, incrementis, statu, inclinatione, ruina, percipiuntur ab historicorum lectione: non singulis modò, verumetiã universis adeò necessaria sunt, ut Aristo. nihil efficacius putet ad hominũ societates stabiliendas ac retinédas, quàm Reipub. moderandæ scientia informari. de qua tamé tam variæ sunt magnorum virorum, tamq; discrepantes sententiæ, ut mirum videri debeat, tot sæculis neminem adhuc constituisse, quis esset optimus civitatis status. etenim Plato cùm nullam Reipublicæ gerendæ scientiam esse putaret, ita difficilem ad intelligendum, ut eam nemo caperet, legum tradendarum ac civitatis bene instituendæ rationé hanc animadvertit: si viri prudentes omnibus omnium Rerumpublicarum moribus ac legibus collectis, eas inter se compararent, & ex his optimum Reipublicæ genus conflarent. quod quidem consilium, Aristoteles, quoad eius fieri potuit, secutus videtur; non tamen assecutus. post Aristotelem, Polybius, Dionysius Halicarnassæus, Plutarchus, Dio, Tacitus (eos omitto, quorum scripta interciderunt) multa de Republica præclarè & graviter in historijs dispersa reliquerunt. multa quoque Machiavellus, primus quidem, ut opinor, post annos mille circiter ac ducentos, quàm barbaries omnia cumularat. de Republica scripsit, quæ omnium ore circunfe-

cunferũtur:nec dubium eſt,quin multò plura verius ac melius ſcripturus fuerit,ſi veterum philoſophorum & hiſtoricorũ ſcripta cum uſu coniunxiſſet. hoc quidem illi defuiſſe Iovius tradit, & res ipſa loquitur. hunc ſecuti Patritius.Th.Morus,Rob.Britannus,Garimbertus, multa graviter & copiosè,de ferendis moribus,de ſanandis populis,de principe inſtituendo,de legibus ſtabiliendis: leviter tamen de ſtatu; nihil de converſionibus imperiorum: & ea quæ Ariſtoteles principum σοφίσματα ſeu κρύφια; Tacitus imperij arcana vocat,ne attigerunt quidem.alij aliquot Rerumpublicarum imagines puras, nulla ſubiecta ratione, velut hiſtoriam ob oculos poſuerunt.excipio Contarenum,qui Reipub. Venetæ formam,quam ipſe omnium pulcherrimam iudicabat; non modò ad intuendum propoſuit,ſed etiam ad imitandum. atque hi ferè ſunt,quorum de Republica ſcriptiones habemus: tametſi tam accuratè quàm decuit eo de genere ſcripſiſſent,nihilominus ea brevi methodo complecti neceſſarium ducerem: quantò magis ſi à multis multa deſiderantur? Quamobrem utile viſum mihi eſt, ad eam quam inſtituo methodum, philoſophorum ac hiſtoricorum de Republica diſputationes inter ſe & maiorum imperia cum noſtris comparare, ut omnibus inter ſe collatis, univerſa Rerumpublicarum hiſtoria planius intelligatur. hunc etiam fructum ex ea diſputatione feremus, quòd quæ leges in regia poteſtate,quæ item in populari & optimatum ſtatu neceſſariæ ſint(harum enim legum tam magna varietas eſt, quàm Rerumpublicarum)facilius intelligemus. Sed ne plus auctoritatis in diſputando, quàm rationum momenta quærantur, prius Ariſtotelis definitiones de cive, de civitate, de Republ.de ſummo imperio, de magiſtratu; quæ ſunt huius diſputationis fundamenta,neceſſarijs argumentis refellendæ ſunt,deinde noſtram de ſingulis opinionem explicabimus,& inveteratum errorē de ſtatu temperato reijciemus: tum de triplici Republica ſuo ordine dicemus, poſtea de converſionibus imperiorum: poſtremò de optimo ſtatu.

Quid civis. Civem definit Aristoteles, iudiciorum, magistratus, & consilij capiendi potestate. quam definitionem populari tantùm imperio convenire fatetur. sed cùm definitio debeat esse universorum, nullus Aristotelis iudicio civis erit, nisi natus Athenis, & eo tempore quo Pericles: cæteri in sua civitate exules aut peregrini, qui ab honoribus, iudicijs & consilio publico prohibentur. quid igitur fiet Imperatori Antonino, qui omnes homines liberos monarchiæ Romanæ finibus comprehensos, promulgata lege cives Romanos esse iussit? nam si Aristoteli credimus, peregrini fuerunt sublata populari potestate. quę opiniones cùm absurdæ sint, ac civitatibus perniciosæ, & illa ex quibus sequuntur, absurda videri necesse est. Atque hæc Aristotelis sententia, Contarenum, Sigonium, Garimbertum, ac plerosque alios impulit in errorem: nec dubium est quin multis civitatibus bellorum civilium magnam præbuerit occasionem. quid si ne populari quidem Reipublicæ congruit civis hæc ab Aristotele allata descriptio? nam Athenis, ubi Respublica maximè omnium popularis fuisse dicitur, quarta classis infimorum ac tenuium, id est, populi pars longè maxima, lege Solonis, ab honoribus à Senatu, à magistratuum sortione arcebatur, ut Plutarchus scribit. Idem Magistratum definit imperio, iurisdictione & consilij capiendi iure. ex quo innuit eum qui adeptus sit ea quæ civis adipisci potest, appellari magistratum, ut civis aptitudine tantùm ac potestate. sed ne subtilius agere videamur, quisnam igitur in Republica magistratus ista ratione dici poterit, cùm tanta magistratuum paucitas ad consilium admittatur? nam ubiq; ferè imperio ac iurisdictione caret Reipublicæ senatus, & ea quæ decernit, non prius vim habitura sunt, quàm à populo vel optimatibus, vel principe sanciantur, ut posteà planum faciemus. sed quid argumenter, cùm ipse Aristoteles multa genera magistratuum extremo libro enumeret, qui nec imperium nec iudiciũ, nec consilij capiendi ius ullum habent? Cùm verò Rempublicam civitatis ac magistratuum descriptionem vocat,

sanè

ſanè civitatem Republica priorem facit, ut civitas ſit quædam hominũ multitudo ſine magiſtratibus & imperijs; Reſpublica verò civium ac magiſtratuum deſcriptio. ſed ſi plures unum in locum coeant ſine legibus & imperijs, ſi nemo rem communem quæ nulla ſit, ſed privatam quiſque tueatur, ſi nullæ pœnæ ſint improbis, nulla præmia bonis conſtituta, ubi nam civitatis imago exiſtere poteſt? hæc igitur congregata multitudo, non civitas debuit, ſed ἀναρχία, vel alio quàm civitatis nomine vocari: cùm eiuſmodi homines ἀπόλιδες ſint, ut eſt apud Homerum, καὶ ἀθέμιστοι. Iam verò ſummum imperium, quod ipſe Κύριον πολίτευμα vocat, & κυρίαν ἀρχὴν, in quo verſatur maieſtas ac Reipublicę ſtatus, nuſquã definit. niſi putemus id voluiſſe, cùm tres omnino ſtatuit Reipublicæ partes; unam in conſilio capiendo: alteram in creandis magiſtratibus: poſtremam in iuriſdictione. ſed imperium quod ſummum dicitur, eiuſmodi eſſe debet, ut nulli magiſtratui tribuatur, alioqui ſummum non ſit, niſi populus aut princeps imperio ſe penitùs ſpoliaret. is autem cui ſummum imperium dabitur, niſi precariò detur, non iam magiſtratus, ſed princeps erit. conſilij verò de Republica capiendi ius, etiam privatis conceditur, & Iuriſdictio minimis quibuſque. non pertinent igitur ad ſummum imperium. itaque nulla pars eſt ex his tribus, in qua imperij ſumma maieſtas elucere poſſit, præterquàm in magiſtratuum creatione, quæ ſolius principis eſt, vel populi, vel optimatum pro civitatis cuiuſque ſtatu, ac multò magis ad ſummum imperium pertinet, leges iubere ac tollere: bellum indicere ac finire, extremum ius provocationis, vitæ denique ac præmiorum poteſtatem habere. quòd ſi demus Ariſtotelem noluiſſe ſummũ imperium, ſed Reipublicæ adminiſtrationem ſignificare: illud quoque fatendum erit, nuſquam imperium ſummum ab eo definiri, nec omnino Reipublicæ ſtatum, quia ſtatus in ſummo imperio verſatur. gubernatio verò ipſa Reipublicæ, quæ longè latè patet, breviùs fortaſſe & commodiùs, decretis, edictis, &

executione definietur. quartum nihil est,& his tribus omnia Reipublicæ munera, imperia, magistratus, honores continentur. verbi gratia; Senatus bellum decernit: princeps edicit: milites exequuntur. in iudicijs decernunt etiam privati iudices & arbitri: iubent magistratus: exequuntur apparitores. quæ sæpe fiunt ab uno & eodem. cùm igitur decernant & edicant magistratus: non possunt edicta, quæ Latini iussa; & imperia vocant, τὸ κύριον πολίτευμα significare: multò minùs decreta vel executiones, in quibus iurisdictio consistit. Quæ cùm ita sint, certiora principia, si modò fieri potest ac magis explorata, quàm quæ hactenus allata sunt, quæramus. Sic igitur statuo familiam aut collegium Reipub. veram imaginem esse: & quemadmodum in unius hominis solitudine, familia cõsistere nequit: ita nec Respublica in una familia, vel in uno collegio. quòd si plures ijsdẽ tectis contineantur, nec tamen alter alteri pareat aut imperet, nec unus omnibus, nec singulis pauci, nec singulis universi, non poterit familia vel collegium sibi constare, quod non aliter quàm imperio domestico retinetur. contrà verò si plures, puta vir, uxor, liberi, servi; aut plures collegæ eiusdem imperio privato, ac domestica potestate retineantur, familiam aut collegium efficiunt: modò tres in collegio personæ fuerint, ut Neratio placet, in l. Neratius de verb. signific. & in familia tres personæ cum matrefamiliâs imperio patrisfamiliâs subijciantur: ut voluit Vlpian. in l. detestatio. de verb. signific. si eius verba cum Apuleij oratione coniungamus. is enim quindecim personas populorum constituere scribit: id est, quinque collegia vel tres familias: sic enim familia quinque personas, collegium tres complectetur. tres ergo pluresve familiæ, aut quinque plurave collegia Rempublicam cõstituunt, si legitima imperij potestate simul coniungantur: si familiæ vel collegia à se invicem divisa sint, nec communi imperio coërceantur, ἀναρχία debet non Respublica vocari. nec refert utrum eodem in loco familiæ coëant: an locis ac sedibus seiunguntur.

tur.non aliter atque familia dicitut eadem,tametsi paterfamilias seorsum à liberis & servis, aut hi à se invicem locorum intervallo distant; modò patrisfamiliâs imperio legitimo ac moderato coniungantur.moderatum dixi,quia hoc maximè differt familia à Republica,quòd hæc summum & publicum, illa moderatum & privatum imperium habet.ita quoque Respublica dicetur eadem ex pluribus conflata familijs, etiam si locis ac sedibus à se invicem divellantur, modò sint in eiusdem imperij tutela : sive unus imperet omnibus,sive singulis universi:sive pauci universis. Ex quo illud efficitur, ut Respublica nihil aliud sit, quàm familiarum aut collegiorum sub unum&idem imperium subiecta multitudo:civis autem qui communi libertate fruitur, ac imperij tutela. nam quòd Tullius Rempublicam definit, hominum multitudinem bene vivendi causa sociatam:finem quidem optimum significat,non Reipublicæ vim & naturam. hæc enim definitio,pertinet etiam ad cœtus Pythagoræorum, & eorum qui bene uivendi causa simul coeunt: non tamen Respublicæ dici possunt sine magna Reipublicæ & collegij confusione.præterea sceleratorum quoque familiæ sunt,non minùs quàm virorum bonorum,quia nõ minùs homo est sceleratus quàm bonus. idem quoque de Republica iudicandum relinquitur.quis enim dubitat,quin maxima queque imperia sint à latronibus vi constituta? Hæc igitur Reipublicæ definitio à nobis allata,pertinet ad vicos, urbes,civitates,& principatus,quantumvis latè pateant, modò eiusdem imperio coerceantur neque enim locorum angustijs, vel amplitudine Respublica describitur:ut neque magis animal est elephas quàm formica,cùm utrique movendi,ac sentiendi vis insit: ita nõ minùs Respublica dici debet Rhagusia vel Geneva, quarum dominatus penè mœnibus ipsis concluditur,quàm Tartarorum imperia, quæ ijsdem regionibus quibus solis cursus definiũtur. itaque absurdum est quòd Aristoteles ait; nimis magnam multitudinem hominum, quanta fuit Babylone, gentem esse

nō Rempublicam. at nullum est imperium commune gentium inter ipsas, neque verò lex vlla: Babylonij autem non solùm iisdem imperijs, magistratibus, ac legibus, sed etiam mœnibus continebantur. quid igitur Respublica nisi hoc est? Obscurius tamen videtur quòd Cicero alicubi Rempu. definit, cœtum multitudinis iuris consensu & utilitatis communione sociatum: quod quidem si admittatur, non satis erit cives eodem imperio, nisi legibus ijsdem simul devinciantur. sed absurdum fit imperium Turcarum, quod populos habet nulla iuris societate sibi cohærentes, Rempublicam non esse, cùm ijsdem magistratibus & imperijs, simul coniungantur. erit autem Respublica vel anarchia: non hoc; illud igitur Ex quo sequitur Rempublicam eodem imperio definiri: civitatem imperio ac iure: urbem autem, quæ non solùm imperijs ac legibus, verumetiam mœnibus ijsdem suos cives amplectatur. itaque urbs vicos; civitas pagos, interdum etiam urbes & oppida modò iuris societate coniuncta; principatus siue dinastia, utamur hoc verbo, plures civitates; Respublica denique veluti genus hæc omnia complectitur. sic enim Cæsar; Omnis, inquit, civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est. & Cicero Tusculum municipium Ramana civitate contineri dixit: aliter quàm Bartolus, qui civitatem muris definijt, in l. urbis appellatio. de rerum & verborum significatione. & ad legem municipalem, municipem genus civis appellavit, nec ratione, nec auctoritate cuiusdam adductus. Nam Censorinus apud Appianum in Lybico respondit Legatis Carthaginensiū, se urbem quidem Carthaginis deleturum: civitatem verò Carthaginis ac cives suis legibus utentes; id quod Romani promiserant, relicturum. nec civitatem ipsam in muris aut area consistere. quemadmodum igitur maior est eorum coniunctio, qui sunt eiusdem vici, quàm urbis: ita maior est eorum propinquitas, qui sunt eiusdem urbis quàm civitatis: quod non modò imperia, iudicia, leges, instituta civibus inter se communia, verumetiam urbs; ipsius tutela, forum, fana,

fana, porticus, viæ, theatra, sacrificia, multæque cum multis amicitiæ rationesque communes sint. ut cùm Romana Respublica ex Albanorũ tribus omnino millibus coaluisset in eodem agello, primùm Antemnates, Camerinos, Crustiminos, Sabinos; pòst etiam Albanos victos partim eadem civitate: partim iisdem agris & mœnibus excepit. cùm autem Tusculanos, Æquos, Volscos, Hernicos, bello fregisset, non in urbem aut agrum Romanum, propter loci angustias, sed tamen in Rempublicam admisit, & salvis eorum legibus, honores & magistratus capere voluit: qui cives eodem quo alij nomine; proprio municipes: incolæ autem agri Romani, veriùs Quirites dicebantur quorum fuit conditio melior. hinc illa M. Scauri vox ad avum Ciceronis, quòd Arpini quàm Romæ vivere mallet; Vtinam M. Cicero isto animo atque virtute in summa Republica, quàm in municipali vivere maluisses. huius nepos orator, non modò in urbe domicilium quæsijt, sed etiam domum quinquaginta millibus aureorum æstimatam: nihilominus tamen novus homo, & peregrinus est ab adversarijs appellatus: novus quidem; quòd primus in sua gente honores esset adeptus: filius nobilis; quia patrem novũ habuit: ille peregrinus contumeliosè dictus, quòd Arpini esset, non in agro Romano natus. Ex quo existit illud, variè cives à Latinis usurpari, ac cives urbanos meliori conditione fuisse quàm cives coloniarum, quia tametsi legibus, moribus, & imperijs ijsdẽ uterentur, non tamen ijsdem agris & urbe, à qua lux imperij & immunitates quærebantur: ipsa verò municipia deteriore fuerunt olim conditione quàm coloniæ, propter generis ac sanguinis Romani dignitatem. nam pro beneficio datum est municipijs ius coloniarum usque ad Tyberij tempora, quibus municipia repudiarunt ultro ius illud, ac suis legibus ac moribus quàm Romanis uti maluerunt, ut est apud Gellium. itaque cives quidem fuerunt eiusdem Reipublicæ, nõ tamen eiusdẽ civitatis: sic igitur interpretari debemus legem Iuliam, qua Romani bello sociali

civitatem omnibus socijs communicarunt;non quòd anteà cives non essent, cùm omnes ijsdem imperijs tenerentur,sed ab honorum petitione arcebantur. pòsteà ius illud Italis omnibus dari cœpit.deinde coloniæ,quas Vlpianus complexus est in titulo de censibus,ius Italicum habuerunt. reliqui populi partim vectigales fuerunt, qui à Plinio enumerantur : tametsi aliud alij paulo momento concessum est:partim liberi,qui suæ Reipublicæ dignitatem tuebantur:ut apud nos,Albij,Meldi,Bituriges,Santones,Tarbelli,Arverni,Nervij,Verunni,Vlbanectes:apud Græcos; Atheniẽses,Lacedæmonij,Thessalonicenses, post etiam tota Achaia beneficio Neronis:partim liberi ac fœderati,qui iure civitatis honorario fruebantur:ut Massiliẽses,Hedui,Rhemi,Carnutani;nõ tamen re vera cives quia Romanorum imperij non tenebantur.cum scilicet integro iure libertatis ac immunitatis fruerentur. Achæis inquit Seneca,Rhodijs & plerisq; urbibus claris ius integrum libertatemq́ue cum immunitate reddiderat Roma,ipsa tributum spadonibus M. Antonij pendebat.& Plinius libro x. epistol.v I. familiari suo Aegyptio,civitatem Alexandrinam & Romanam impetravit.quòd igitur Livius libr.x x I I I I.scribit, eos qui puteos,Salernum, & Buxentum deducti fuerant coloni, cùm se pro civibus ferrent, iudicatos à Senatu non esse cives: hoc pertinet ad ius sufragiorum,& honorum petitionem, quo nihil maius ac melius civi dari poterat : non quòd cives non essẽt; alioqui peregrinos fuisse fatendum sit. quod etiam Boëtius ad Ciceronem tradit , cives Romanos mediam capitis diminutionem pati,cùm in colonias Latinas deducerentur, & civitatem amitttere:hoc est ius sufragiorum,domicilium,sacra,tribum:ius autem honorum,magistratuũ,ordinis,nexorum, dominij,mãcipi,testamentorum , connubiorum consequebantur municipes & coloni,sed alius alio plus. quòd si æquo iure omnes uterentur , nemo civis haberetur , nisi qui ingenuus Romæ natus esset, ac ubique apud Livium & alios scriptores cives etiam appellantur, qui
habuerunt

habuerunt ius Quiritium,quod multò deterius erat. vel etiam Municipium,vel ius Latij,vel coloniarū Latinarum; quæ Romanis colonijs iure inferiores erāt: vel ius Italicum, quod item duplex erat, in Italia & provincijs,ut planum fit in titulo de censibus. quòd si appellatio civis in omnes valet,falsa est illa definitio quæ cives omnes honoribus,suffragijs, consilijs,iudicijs, ac tributorum immunitate metitur. præsertim cùm lex Iulia de civitate socijs omnibus civitatem dederit: tum etiam lex Antonini Pij de statu hominum his verbis concepta; In orbe Romano qui sunt, cives sint Romani: non modò socijs,sed provincijs omnibus civitatem communicarit: neque tamen provinciales Italis, nec Italiæ præfecturas municipibus, nec municipes Italos Latinis,nec Latinos municipes colonis Latinis,nec Latinas colonias Romanis colonis,nec Romanas colonias Quiritibus, nec Quirites Romanis æquavit, ut falsò plerique putant. cur enim ius Romanum, Italicum & municipale, Iurisconsulti tam accuratè interpretarentur? nam Scævola, Papinianus, Paulus, Hermogenianus, Marcellus, Modestinus,floruerunt post Antoninum Pium,qui hanc legem tulit: fallitur enim Onuphrius, qui latam putat ab Antonino Caracalla,ut planum fit ex Avthent. LXXVIII. prętereà falsum esset quod Dio scribit, Alexandrinis à Severo concessum esse ut Senatores fieri possent. quid igitur, dicet aliquis, lege Iulia socijs datum est, si iam libertate & imperij tutela fruerentur? cur pro civitate adipiscenda tandiu bella gesserunt? hoc scilicet,ut honores petere, ac suffragium in comitijs ferre possent. hoc ius Romanæ civitatis appellabāt optimum. alijs honores petere,nō tamen suffragium ferre licuit: alijs neutrum,sed tamen iure privato Romanorum utebantur, quo alij carebant,liberi tamen à vectigalibus erant. aliorum alia iura sunt à Iurisconsultis explicata. longum esset percensere. lege verò Antonini,provinciales quoque omnes Romani generis, nobilitatem adepti sunt, sic enim Iustinianus scribit: ut postea magistratus pa... iurisdictionem

haberent. cùm anteà civis libera provocatio Præsidi omnem adimeret cognitionem. cùm enim D. Paulus, cuius pater ius civitatis emerat, in capitali causa Cæsarem appellasset, tùm Fœlix Syriæ Præses; Poterat, inquit, hic homo liberari, nisi appellasset Cæsarē. & Plinius secundus ad Traianum scribens de Christianis; Qui cives erant annotavi in urbem mittendos. neque solùm in Republica Romana, sed ubique discrimen illud civium reperiemus. Romæ quidē in ijsdē mœnibus fuerunt patricij, equites, plebei: apud veteres Aegyptios sacerdotes, milites, opifices, ut scribit Diodorus: apud maiores nostros, Druidæ, equites, agricolæ: nunc sacerdotes, nobiles, plebei: apud Venetos, nobiles, citadini, plebei: apud Florentinos olim, grandes, populares, plebei: & popularium tres ordines; potentiores, mediocres, infimi. Plato quoque custodes, milites, agricolas constituit: omnes ubique iure, legibus, muneribus, suffragijs, honoribus, privilegijs, conditione, immunitate aut re quapiam à se invicem divisi. omnes tamen sunt Reipub. cives, veluti membra corporis eiusdem. rectè enim D. Paulus; Dicet ne pes, non sum oculus, non igitur de corpore? Igitur valde absurdum debet videri, pace dicam Aristotelis, eiusmodi cives, partim cives esse, partim peregrinos. cui enim rei descriptio & rei appellatio congruere debet? Sed obscurius est quod ait Cicero; neminem suæ & Romanæ civitatis civem esse potuisse: apud Græcos tamen licuisse. ego verò putem eandem esse omnium rationem, & Ciceronis dictum de civibus duarum civitatum, ad cives honorarios pertinere. sic enim pro Cornelio Balbo: Multi etiam superiore memoria cives Romani sua voluntate indemnati & incolumes, his rebus relictis; alias se in civitates contulerunt. & paulò pòst: O iura præclara, ne quis nostrûm plus quàm unius civitatis esse possit: ne quis invitus civitate mutetur, néve in civitate maneat invitus. quod Hermogenianus interpretatur in l. municipes, ad legem municipalem: ut alterius quidem civitatis necessarius, alterius sit honorarius civis. alioqui

faten-

fatendum erit,eundem civẽ diversis imperijs ac iussis simul ac semel obligari quod absurdum sit. quid enim facturus est si alter iubeat,prohibeat alter?quòd igitur Vlpianus ad legem municipalem manumissum duarum civitatum civem effici posse tradit, ad eam quoque pertinet interpretationem. cùm autem una civitas alterius imperio gubernatur,ut olim præfecturæ,colloniæ,fora,conciliabula, municipia, provinciæ imperio Romano tenebantur, suorum quisque civium decretis parére cogebatur, salva tamen imperij Romani maiestate:ut collegæ statutis collegij obligantur,salva Reipub.dignitate,ex antiqua lege Solonis,quæ est in l.vlt.de collegijs. quod autem Romanis,idem populis omnibus video licuisse;ut dimissa civitate propria, possint alienam sine fraude usurpare,si modò recipiantur.Anglos excipio,qui excedere patria non audent iniussi,ut ex ipso comite Rotelando,non modò generis splendore & opibus,sed etiã virtute clarissimo didici.ut enim ad beneficiarium seu fidelem constituendum,necesse est ut ea cõditione natus sit,aut si alteri suam fidem obligare velit,necessarius est imperantis & obsequentis consensus:ita quoque ad civem constituendum, satis est ut eius imperio, in cuius finibus natus est, acquiescat(acquiescit autem si non apertè dissentit)aut si aliò se transferat necesse est antequam civis dicatur, ut se alterius imperio subijciat & recipiatur: quod quidem si factum erit postliminio redire non potest, quia civis alienus factus est,& suæ civitatis peregrinus, ut in curia Parisiorum iudicatum memini. quare in causa Mancini; qui deditus hosti fuerat,ab eo tamen repulsus, iudicatum est civem esse non desijsse: tametsi Tribunus plebis è Senatu iusserit educi veluti peregrinum.peregrinos igitur à civibus hac ratione potissimum distingue mus,quòd hi vel patriæ imperijs acquiescant,vel alieno imperio se subijciant & accipiantur: illi quòd nec originis imperio acquiescunt,nec se alijs dediderunt; aut cùm se dedidissent repulsi sunt.reliqui sunt fœderati,aut hostes,aut neutri.Scribit enim Appianus, se

multarum gentium legatos Romæ vidiſſe, qui ſe ſuaq́ue Romanorum poteſtati permitterent; ab illis tamē repulſam tuliſſe. ac tametſi ius peregrinis dicitur æquè ac civibus, propter eam quæ eſt homini cum homine rationis ſocietatem, multaq́ue liberaliter communicantur, urbis domicilium, ſacra, forum, viæ, theatra; nullum tamen eſt imperium in illos, niſi ſcelere pactóve ſe obligarint: nec ad muneracogi poſſunt, niſi ubi ſuarum fortunarum domicilium collocarint, ut iuriſconſulti tradunt. Veneti annos XIIII. exigunt, ut in urbe habitarit peregrinus, priusquam efficietur civis: nec tamen honoribus fruitur, ſed collegiorum ſocietate & imperij tutela. quòd autem cives ſint, qui originis imperio acquieſcūt, tametſi ex peregrinis nati, planum fit ex omnibus omnium gentium moribus & inſtitutis. ampliùs etiam Germani, qui eos admittunt ad honores, non item Veneti, nec veteres Romani, nec Athenienſes; niſi qui utroque parente cive naſceretur, ut eſt apud Plutarchum in Pericle, qui legem tulit μόνους ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν ἀθηναίων γεγονότας. & apud Livium, ubi agit de ijs qui ex civibus Romanis & Hiſpanis mulieribus nati erant. apud nos, qui ex peregrinis parentibus naſcitur, æquo iure civis eſt, ac ſi ex civibus naſceretur: & bonis parentum peregrinorum (quæ non modò noſtris, ſed etiam Britannorum ac Turcarum legibus fiſco vindicantur, niſi liberos in ipſa Gallia legitimos ſuſceperint) liberè frui poteſt. illud etiam magni ponderis eſt ac momenti, quòd peregrini iure omnium gentium imminente bello poſſunt expelli, cives etiam ab iniuſtis poſſeſſoribus iure vindicari. tametſi reges Abiſſinorum ac Moſchovitarum peregrinos cōtra ius gentium invitos retinere, ac liberaliter fovere dicuntur. Sed hæc uberius in libro de decretis diſſeruimus. Ex quib. perſpicuum fit, definitionem civis ab Ariſtotele invectā, Contareno, Sigonio, Garimberto, Soderino probatam, conſiſtere nullo modo poſſe. Sed ut omnis ambiguitas tollatur, quæri poteſt, utrū fœderatę inter ſe civitates Rempublicam efficiant eandem, puta civita-

tes

tes Helvetiorum & Balthicę urbes. id quidē Leandro Mutio ac multis ſępe viſum eſt: quòd Helvetij arctiſſimo inter ſe fœdere ſociati ſunt, habent prętereà cœtus eoſdem, Badenſe oppidum, & pleraque loca inter ipſos communia, quò magiſtratus cōmunes mittunt. ſed habere commercia mutua, rerum contractarum fidem, iura connubiorum, & hoſpitij; deniq; magnam amicitiæ communionem, efficere non poſſunt ut una ſit & eadem Reſpublica: alioqui Gallorum quoq;, & Hiſpanorum, quibus ſunt hæc inter ſe communia; Reſpublica eadē ſit; quod falſum eſt, non etiam ſi legibus ijſdem utantur, ut olim Romani, legibus Græcorum acceptis: non denique ſi tanta ſit fœderis inter ipſos coniunctio, ut eoſdem hoſtes perſequantur, eoſdem amplectantur amicos: ut ſæpe fit inter principes, ſumma conſpirationis fide & conſenſu. reſtat igitur ea quam dicebam imperij ſocietas & coniunctio. Helvetiorum autem civitates XIII. Rhetorum III. Balticæ LXX. ijs legibus fœdera percuſſerunt, ut ne alijs alij noceant, & iuratos hoſtes in communem perniciem mutuis auxilijs perſequantur. imperij verò nulla ſocietas, nulla coniunctio eſt. non alio fœdere utebantur Amphictionum urbes VII. Aetolorum III. Ionum XII. quæ tametſi communes quoſdam conventus haberent, ut ſua tuerentur, & hoſtes propulſarent; attamen unaquæque civitas ab alijs erat imperij iure diviſa; ſic Helvetiorum civitates ſingulæ aliarum decretis non aliter obligantur, quàm ſi ſponte aſſentiantur, ut in pactis ſociorum privatis. at in eodem imperio, quod pluribus placuit, omnes obligat. aliud ſentiendum eſt de civitatibus XLVII. Latinorum: XII. Achæorum: totidem Hetruſcorum & Germanorum imperialibus oppidis ac provincijs, quæ Rempublicam conſtituunt, proptereà quòd eidem imperio ac imperatori obligantur. nam Achæi, Latini, Hetruſci ſingulis annis Imperatorem creabant (interdum tamen imperium diutius prorogabant) Germani perpetuum. & quemadmodum Philippus uterque & Antigonus Mace-

doniæ reges, ab Achæis Imperatores aliquando electi sunt, ut Plutarchus & Polybius tradunt: sic etiam Servius Tullius, & Tarquinius Superbus Imperatores Latinorum creati sunt; Coriolanus, Hetruscorum, ut Dionysius scribit. consimiliter Hispani & Galli reges, Germanorum Imperatores facti sunt. Suevica verò societas, quæ in annos XL. concepta fuerat, & Balticarum urbium fœdus, hoc tantùm differt ab Helvetica societate, quòd hæc in perpetuum, illa verò ad tempus constituta; salva tamen imperij Germanici maiestate. sunt etiam interdum sanctiora fœdera, quibus civitates non modò principum amicitiam, sed etiam fidem colunt, nec aliud præstare tenentur: nec eis aliud imperari potest: ut Traiectum, Ligij, Gueldria, Constantia, Cameracum Austriacis quondàm principibus: aliæ quoque in Germania quamplurimæ ducibus & comitibus suam fidem obligarunt; nihil tamen aliud præstare tenentur, ut vasalli plerique. quod nihil aliud est, quàm quod veteres Latini dicebant, maiestatem populi Romani comiter conservare: ut Modestinus in l. non dubito, de captivis, & Cicero pro Balbo interpretatur; Id habet hanc vim, inquit, ut sit ille in fœdere inferior. nam civitas civitati coniungi potest amicitia, societate, sponsione, pactione, fœdere, ut M. Tullius scribit. Hæc autē quæ diximus, gravissimis imperatorum & regum sententijs comprobata fuêre. Cùm enim Tigurinis socij bellum indixissent, quòd cùm Austriacis fœdus percusserant, Tigurini sibi licere docuerunt, modò nihil contra socios molirentur. at nemo dubitat, quin Austriaci communes Helvetiorum hostes, & quidem capitales essent. quare non prius bellum Tigurinum exitum reperit, quàm Basileę & Constantiæ Pontifices, Tigurinos ab Austriacō fœdere disiunxissent; propterea quòd fraudem fœderibus faciebant: non quòd aliorum imperijs, sed pactis suis obligarentur. atque eius rei maius argumentum nullum est, quàm de agris hostium captis à Bernatibus: sociæ civitates prædam ex ęquo dividi oportere contendebant: Franciscus

Gal-

Gallorum rex arbiter electus, iudicavit ea cuiusque civitatis esse propria, quæ proprijs non sociorum armis quærerentur, ut Leander Mutius scripsit. postremò, cùm nuper Glarenses veterem religionem abiurassent, magna inter socios orta dissensio est: quòd alij fas esse negarent ea fœdera violare, quæ sacro bello contracta fuerant, quibus sanctissimè cavebatur, ne à suscepta religione posthac discedere liceret. Glarenses se hoc pacto contra ius divinum obligari potuisse negabãt, multò minùs posteros. iam ad arma res prolapsura videbatur, nisi prudentium hominum consilijs acquievissent, ea lege, ut sua quisque religione ac imperio uteretur. Est etiam, cùm summi principes, ac reges tam arctis inter se fœderibus atque amicitia conspirant, ut & eosdem hostes habeant & amicos ac mutuis armis & præsidijs adversus omnes, sine exceptione tueri debeant: non licet fœdus ullum aut amicitiam coire, nisi utrique consentiant: ijsque fœderibus, se, suosque ac posteros obligant: cuiusmodi sunt fœdera quæ Philippus Augustus cum Alberto rege Romanorum: Ludovicus IX. cum Alphonso rege Castellæ. sanctius est etiam fœdus illud quod ictum est inter Carolum V. regem Gallorum, & Henricum Castellæ principem: qui in fœdere, superiorem Carolum uti dominum agnovit. quæ fœdera cum tota antiquitate Gallorum ex archetypis ærarij descripta, mihi exhibuit Carolus Vicinus, meus collega, vir & eruditione & integritate clarissimus. Non igitur diversarum civitatum fœdera, commercia, iura, leges, religiones, Rempublicam constituunt eandem, sed eiusdem imperij coniunctio. ut rex Hispanus imperium habet provinciarum magnitudine, ac locorum intervallis longè maximum: singulæ verò provinciæ multas civitates legibus ac moribus divisas; una quæque civitas aliquot vicos, urbes, oppida, castra, quæ eodem iure utuntur: nec ullum est oppidum, quod non habeat singulare quiddam (ut omittam loca cuiusque universitatis propria) quod alijs non communicatur: omniũ tamen communes sunt imperij leges, quæ tot

populos, tanta linguarum, morum, & regionum distantia seiunctos, unius & eiusdem principis maiestate coniungunt. idem quoq; de reliquis iudicandum. omnia autem omnium regna, imperia, tyrannides, Respublicæ, non alio quàm rationis imperio ac gentium cõmuni iure copulantur. ex quo sequitur, hunc mundum veluti civitatem aliquam esse, & omnes homines eodem iure quodammodo confusos, quòd intelligunt se esse consanguineos, & subiectos omnes sub unam eandemq; rationis tutelam. sed quia illud imperium rationis cogit neminem, revera non potest una ex omnibus gentibus Respub. conflari. itaq; principes aut mutuis armis agunt, aut fœderibus, aut bona venia à se mutuò impetrant, ut res legitimè transactas & iudicatas extra fines imperij exequantur.

Quid magistratus. Explicata definitione civis, magistratum quoque definiamus, sunt enim hæc civitatis elementa. hunc igitur Aristoteles imperio, iurisdictione, & consilij capiendi iure describit: in extremo tamen omnia Reipublicæ munera, magistratuum nomine complectitur. qua ratione nulli ferè sint magistratus, cùm tanta raritas sit eorum, qui consilij, iurisdictionis, & imperij participes sunt. absurdum quoque videatur, eos omnes magistratus appellatione venire, qui munera publica gerunt; alioqui scribas, lictores, cornicularios, apparitores, carnifices denique licebit magistratus appellare; qui olim conditione servi fuerunt, & veriùs ministri dicantur. vox autem Magistratus, imperium ac potestatem significat, sic enim Dictator, magistratus omnium maximus, populi magister dictus est. atque hæc fuit Aeschinem inter & Demosthenem controversia gravis, cùm Aeschines τειχοποιὸν magistratum esse diceret; Demosthenes negaret, sed munus illud ἐπιμέλειάν τινα καὶ διακονίαν vocaret, magistratum autem imperio definiret. Sed hæc nobis sunt in libro de Imperio subtiliùs disputata. Sit ergo magistratus, is qui imperij publici partem habet. publicum adieci, ut ab imperio patrio & herili distinguatur. est autem imperium in magistratu

nihil

nihil aliud quàm edictum; in principe lex: at frustra quis iubeat, nisi exequutiones iussa sequantur. cùm verò minima pars imperij exequendi adversus contumaces in comprehensione posita sit, ex regula Varronis & Vlpiani, consequens est, ut is imperio careat, qui prehensionis iure caret. itaque in omnibus ferè civitatibus comprehensio minimis quibusque magistratibus permissa est. etiam ijs qui vocandi ius non habent, ut Tribunis plebis, tametsi potestate sæpiùs abuterentur, & in ius vocarent. apud Venetos, Triumviri advocatores sontium prehensionem & accusationem habent, vocationem non habent. apud nos omnibus non modò iudicibus, sed etiam ijs quos castelli commissarios vocant, prehensio tributa est; qui tamen à iurisdictione deseruntur. qui plus habent imperij, etiam vocare & mulctam irrogare possunt pro modo suæ potestatis, tuendæ iurisdictionis causa, quæ alioqui inanis esset: etiam mulctare possunt iudices ij qui iurisdictionem habent minimam, quam prædiatoriam vocamus. alijs mulcta maior permittitur: quibusdam verberum potestas; nonnullis etiam quæstio. extremum est cùm gladij ius tribuitur, in quo merum imperium posuerunt Iurisconsulti; quia nihil magistratui maius tribui potest, nisi summum imperium accedat, id est, vitę ius ac necis, quod versatur in summa contra leges clementia vel acerbitate, quę propria sunt eorum qui summum Reipublicæ imperium habent. igitur imperia magistratuum, gladii potestate ac prehēsione; quasi finibus extremis continentur: quæ sæpe rationem habēt à iurisdictione divisam. hæc enim versatur in decretis; imperium in edictis. itaque videmus privatos iudices & legatos magistratuū, decernere ac iudicare; magistratus ipsos imperare & exequi, cùm rarò ius dicant. ita curiæ superiores apud nos decernūt, princeps ipse iubet. Et quoniam Varro quibusdam magistratibus tribuit prehensionem & viatorem: nonnullis vocationem & lictorem: alijs neutrum; videtur eos etiam magistratus appellare qui imperio carent: ut Aediles & Quæsto-

res:quod appellatione communi nō propria fieri puto. quis enim magistratum vocet, qui & ministro caret,nec quicquã imperare potest?id quidem muneribus & honoribus tribuatur,imperio non item. atque in eo Carolus Sigonius, & N.Grucchius falluntur, quòd ex opinione Festi, potestatem illis, non imperium tribui putant.neque enim Grammaticorum regulis hæc metienda sunt,sed Iurisconsultorũ,qui potestatem imperio æqualem, interdum maiorem faciunt.Potestatis verbo,inquit Paulus I. C.imperium in magistratu significatur. Proconsul verò qui plenissimam iurisdictioné(sic enim Vlpianus) & omnium arcanorum magistratuum imperia solus habet, Potestas ab Iurisconsultis appellatur,in l.imperium;de iurisdictione. sic usurpavit Alexander Augustus apud Lampridium;Non patiar,inquit mercatores potestatum.itaque cùm edicti verbis caveretur,ne in ius vocare liceret Consulem, Prætorem,cæterosque qui imperium potestatémve habent, extrema verba de provincialibus magistratibus intelliguntur: alioqui si verum esset quod illi aiũt,non licuisset Aediles & Quæstores in ius vocare, contrà quàm Varro scribit,& Valerius Max.comprobat exemplis.caruerunt igitur potestate ac imperio, tametsi Aediles Prætoriæ iurisdictionis partem usurparét,ut est apud Iustinianum in Institut.Falsum illud quoque, Censores potestatem habuisse;imperio caruisse,ut Sigonius scripsit. at vocationem habuerunt viritim;igitur prehensionem ex regula Varronis.hæc autem ad imperium pertinent. nam quo iure edicta proposuisset (edicta verò magistratuum iussa Latini vocant) quæ videmus apud Livium libr.XL. XLIII. apud Zonaram lib.II. quo iure Senatores & Equites in ordiné cooptassent,aut legendo preterijssent;cives ad censum vocassent, pignora cepissent,Senatum habuissent, populum universum ad lustrum coegissent, nisi imperium, vocationem, prehensionem haberent?nam Varro libro v.de lingua Latina negat Prætori exercitum urbanum convocare licere;Censori,Consuli,Interregi, Dictatori licere.

iam

iam verò absurdum videatur, Tribunos pl. qui minores magistratus vocantur, imperium habuisse; Censores autem magistratus maiores, & qui maioribus auspicijs creabantur, imperio caruisse. Quòd autem Aristoteles etiam, iudicandi & consilij capiendi iure magistratum definit, nihil ad imperium. nam qui Reipublicæ consilio præsunt, decernendi quidem, non imperandi ius habent: privati verò iudices ac pontifices, iudicare ac decernere, non imperare possunt. nullam enim vocationem aut prehensionem, nec rursus viatorem aut lictorem habent. Pontifices, inquit Cicero ad Atticum, religionis sunt iudices; legis Senatus. at neque Senatus ea quæ decreverat iubere potuit, ut ex Dionysio planum faciemus: nec Pontifices ullum omnino imperium aut viatorem habuerunt; sed eorum iudicia exequebantur Prætores, ut videre est apud Livium & Valerium, de incestis Vestalibus & ignibus extinctis. ita quoque nostri Pontifices, ne[omnes] viatorem, nec lictorem habent: sed aut viatores & lictores à magistratu impetrant, aut capitales eorum opiniones exequuntur magistratus: Quia non licet nobis (sic enim ridiculè) interficere quenquam. quæ verba sunt Iudæorum, quibus ereptum fuerat omne imperium, & Iudæa in provinciæ formam redacta, XL. annis ante secundam eversionem templi, ut Rabani scribunt: non quòd lege Mosis prohiberentur, ut nostri falsò putant: cùm solis sacerdotibus ac legatis, eorumque agnatis, capitales sententias de sceleratis, & capitalia iudicia exercere licuerit: ut tradunt Iurisconsulti Hebræorum in libris Talmudicis titulo Sanedrim capite iiij, & ad Hieremiam Caldæus interpres id nota dignum putavit, quare cùm magistratus municipales Iudæorum animadversioné modicam in servos duntaxat haberent, ut scribit Vlpianus in l. magistratibus, de Iurisdictione: responderunt Publico Pōtio Iudeæ Præsidi, qui Christum leniter ab illis castigari cupiebat, capitale crimen admisisse ex lege Mosis, sibi tamen non licere mortem cuiquam irrogare. Ex his perspicuum fit, munerum publicorum partitionem

tertio capite à nobis allatam, non minus veram quàm necessariam esse.

Quid summum imperium. Veniamus ad imperij summi definitionem, in quo versatur Reipublicæ status, quem Aristoteles τὸ κύριον πολίτευμα sive κυρίαν ἀρχὴν, Itali signoriam: nos, suverenitatem: Latini, summam rerum & summum imperium appellant. hoc enim percepto multæ de Republica quæstiones obscuræ ac difficiles explicantur: quod tamen est ab Aristotele, & ijs qui de Republica scripserunt prætermissum. Putabam summum imperium vel magistratuum creatione, vel præmiorum ac pœnarum potestate definiri: sed cùm variæ quoque pœnæ ac præmia, voluntate ac imperio magistratuũ soleant irrogari, oporteret ipsos magistratus imperij summi societate cum principe copulari; quod absurdum est. perniciosius tamen magistratui omnem Reipublicæ permittere potestatem, ut Soderinus prudenter disputat apud Guicciardinum: id enim cùm Florentiæ fieri consuevisset, Reipublicæ perniciem attulit. consimiliter apud Assyrios & maiores nostros magistri palatij semel à principe creati, omnem Reipublicæ potestatem tantisper gesserunt, dum ipsi regnum invaderent. non erit igitur Respublica bene constituta, in qua magistratui omne imperium tribuetur. Itaque Aristotelis, Polybij, Dionysij, ac Iurisconsultorum rationibus inter se, & cum universa Rerumpublicarum historia collatis; video summam Reipublicæ in quinque partibus versari. una est ac præcipua, in summis magistratibus creandis, & officio cuiusque definiendo: altera in legibus iubendis aut abrogandis: tertia in bello indicendo ac finiendo: quarta in extrema provocatione ab omnibus magistratibus: postrema in potestate vitæ & necis, cùm lex ipsa nec facilitatis ullum, nec clementiæ locum relinquit. hæc enim magistratibus nunquam tribuuntur in imperio bene constituto, nisi extra ordinem premente necessitate. aut si de rebus ijs magistratus decernat, sanctio penes est principẽ aut populum, pro rei cuiusque publicę statu. Ac principis quidẽ hęc propria esse

Iu-

Iurisconsultorum opinione constat;& quidem multò plura:puta vectigalium ac tributorum,nummique percutiendi potestatem, quam solius principis esse aiunt.quanquam hæc magistratibus anteà sæpe,atque his temporibus tribuuntur. quæ uberius disputata nobis sunt in libro de Iure imperio.in cap.de Iure maiestatis. cùm autem in democratia & aristocratia par sit imperium optimatum & populi, ut in monarchia regis, consequens est,ut ea quoq; imperij summa capita populo tribuantur. quæ ut planius intelligi possint, explicanda quæstio est, diutissimè à Iurisconsultis agitata;nondum tamen definita:utrum scilicet magistratus habeat merũ imperium, an solius principis proprium sit.quam quidem ad quæstionem definiendam,cùm Henricus vij. Imp.arbiter Bononiæ esset electus, inter Lotharium & Azonem æqui sponsione facta;iudicavit merum imperium solius principis esse.ex quo Lotharius æquum, Azo iniquum tulisse dicitur.cæteri quotquot scripsêre præter Alciatũ & Molineum,Azonis sententiam veriorem esse iudicarunt. sed hæc quæstio ab hypothesi ad thesim revocari debet,ut planius intelligatur: est enim merũ imperium in sola gladij potestate,ut ex ipso Vlpiano interpretantur. heic autem quæri debet,utrum imperium magistratui à principe datum,sive gladij,sive belli gerendi, sive pacis sanciendæ, sive creandi magistratus, seu iubendæ legis seu præmiorum ac pœnarũ proprium sit principis, an in magistratum quoq; transferatur?omnium enim idẽ iudicium est.Lotharius usurpavit Papiniani regulam de officio eius,cui mandata est iurisdictio,qua magistratus publici iudicij exercitium habere dicuntur,nec mandare posse: ac sæpius executores & administratores in iure appellari: quibus verbis Accursius ipse ius principi,exercitium alijs competere scribit, quod in facto consistit. Azo verba legis interpretatus est ad ius ipsũ necessariò pertinere,quibus Prætor dicitur pro suo imperio quid facere: aut Præsidem maximũ imperium post principẽ habere: tum etiam præfectum Aegypti imperium quod illi datum

est deponere: hæc summa est argumentorum, quę ab omnibus interpretibus allata sunt: quæ quidem quęstionem non definiunt, magis etiam ac magis ambiguam reddunt. Neque tantùm hæc, sed infinitæ de iure quæstiones in magna obscuritate versantur, propterea quòd nullus interpretum hactenus explicavit quid inter legis actionem & iudicis officium intersit. at ne legis quidem actio quid esset, in tanta scriptorum multitudine quisquam videtur aperuisse, ut brevi planum me facturum spero, & quæ cuiusque vis est ac potestas. nunc illud tantùm ad id quo de agitur: esse duo capita iuris universi, legem & æquitatem, à quibus pendet legis actio, & magistratus officium: & quæ ratio legis est ad eius actionem, eadem est æquitatis ad officium magistratus. hoc igitur Papinianus, hoc Vlpianus, hoc veteres illi Iurisconsulti voluerunt; quæcunque lege tribuuntur, ea magistratum alteri committere non posse, sed nudam duntaxat habere legis actionem; ac propterea non tam eius esse propria quàm legis ipsius: quæ verò eius æquitati permittuntur, ea pro suo iure alteri committere posse. verbi gratia, Prætores ac Iudices publicarum quæstionum (hoc enim exemplũ proposuit Papinianus) alijs imperium illud mandare non poterant: nec in iudicando legis acerbitati aut lenitati detrahere, aut addere quicquam; sed uno verbo, imò una littera sententiam ferebant, puta A. C. N. L. absolvo, condemno, nõ liquet. idq; factum est ne ab hominis cuiusquã, sed ab ipsius legis arbitrio, fama, vita, fortunæ deniq; civium penderent. at causæ civiles, propterea quòd minus periculosæ essent, nec legibus omnino comprehendi possent: id enim est infinitum, Prætoris urbani aut peregrini arbitrio relictæ sunt, ut in illis explicandis non legis actionibus, quasi vinculis constringerentur, sed pro sua ęquitate ac religione, multa pręter legem, aut etiam interdum contra legem decernerent, iudicarent, iudices darent: denique leges arbitratu suo propositis edictis, emendarent, flecterent, lenirent, exacerbarent. hoc igitur propriè magistratus offi-

officium, quod Bartolus nobile appellavit: & legis actionem, officium mercenarium; melius servile, propterea quòd inservit duntaxat legi: ut quæ privati iudices, aut arbitri iure dati, aut delegati faciunt, legis actione potius quàm iudicis officio facere dicuntur, tametsi enim Prætor Vrbanus non teneretur legis actionibus, attamen ijs litigantes obligabat. non quòd magistratus, qui iussa legũ exequitur, officio non fungatur; sed minus verè ac propriè sic usurpatur. & qui suo iure imperium, aut iurisdictionem, aut quid aliud eiusmodi habet, eius omnino proprium est: idque alteri mandare potest, ut Vlpianus scribit in l. more maiorum, de iurisdictione. is autum qui mandatum habet, quasi rem commodatã alteri commodare non potest, alioqui furti teneretur. id quod verum est, non modò in privato, sed etiam in magistratu, qui ab alio mandatam habet iurisdictionem, alienam habere scribit Iulianus in l. & si, de officio eius, cui mandata est iurisdictio. & quoniam multa magistratibus sine lege permittuntur, multa legibus sunt comprehensa: planum fit ea quæ suo iure habent accepto magistratu, eorum esse propria, cætera legum, aut eorum qui mandaverunt. Ex quo perspicitur Prætores quæstionum publicarum merum imperium non habuisse, nec gladij potestatem: sed nudam executionem, & legis actionem; perinde ut lictorem ipsum, ad quem Brutus verba faciens; Lictor, inquit, lege age. eum verò qui semper extra ordinem cognovit de capitali crimine, nullis vinculis constrictum fuisse, quin pœnam arbitratu suo leniret aut exacerbaret, dum tamen non excederet modum, ut scripsit Vlpianus in l. hodie. de pœnis: idcirco gladij potestatem habuisse. eodem modo Romani Consules accepto exercitu, belli gerendi potestatem habuerũt iure magistratus, ut pro suo arbitrio lacesserent aut invaderent hostem, rationemque commeatus, ac militarem disciplinam sua voluntate regerent: bellum autem indicere aut finire nõ potuerunt. hoc enim plebis; illud populi proprium erat. hinc deditio Consulum, qui cum Samnitibus & Numantinis

fœdera percusserant iniussi. hinc Helvetiorum exercitus icto cum Tramulio fœdere obsides accepit, qui capite luerent, nisi princeps id ratum haberet; quia solius principis est bellum indicere ac finire. itaq; Cato Cæsarem Gallis dedendum esse suadebat, quòd iniussus bellum illis indixisset. cùm verò imperatori pacis sanciendæ potestas, aut indicendi belli certis legibus aut conditionibus permittitur: quod fit extra ordinem, nec mandatum egredi potest, nec alteri mandare: quia non habet id iure magistratus & imperij, sed nudam legis actionem. at Dictator belli, pacis, vitæ, necis, totiusque Reipublicæ potestatem habuit iure magistratus: sed tamen precariò, & quandiu Reipub. Dictator, qui non propriè magistratũ, sed curationem gerebat. Ac tametsi proprium est imperium magistratus, nihilominus tamen, nec magistratus, nec honores quisquã habet suo iure: sed veluti depositos quousque tempus finiatur, aut is qui dedit, repetat. id enim voluit Vlpianus cùm diceret, acceptũ magistratum deponi, id quod Alciatum conturbavit. quæ autem singulari iure ac legis actione magistratui aut privato creduntur, mortuo principe, vel eo qui mandavit revocãtur, si res integra sit, ut in procuratore: quę autẽ iure magistratus competunt, non item. sed hęc suo loco fusius. Sed hæc in libro de imperio sunt à nobis accuratius disputata. Alia quæstio difficilior est, utrum Senatus decreta principis egeant sanctione, aut eorũ qui Reipublicæ summam habent. de principe minus ambigitur, propterea quòd sui Senatus & consilij caput est. itaque omnia decreta principis habent sanctionem, nec aliter vim haberẽt, quàm si princeps ipse iuberet: quia Senatus nullum imperium, nullam habet iurisdictionẽ: nisi Principis aut populi patientia, qui acta Senatus probare videtur quæ nõ improbat. sed si quid gravius est quod ad maiestatẽ pertineat, ad principem referri solet; eo quidem iure utimur, sed in populari & optimatum statu, obscurius est; quia nec populus, nec optimates omnes consilijs de Republica interesse possunt, & ut possint, perniciosa tamen res

est,

est,ac periculi plena,consilium sacrosanctum manare in vulgus:sed aliter sanciri non possunt quàm intelligantur:illud tamen cōfirmat Dionysius libro 2. Non enim Senatus Romanorum,inquit, arbiter est κύριος earum rerum quas decrevit,sed populus.hinc illa frequenter apud Livium;Senatus decrevit,populus iussit.& cùm Scipionis Africani potentiam indicat; Sub umbra Scipionis,ait,civitatem dominam orbis terrarum latere:nutus eius pro decretis patrum,pro populi iussis esse. neque verò quicquam sacrosanctum esse potuit,inquit Cicero,nisi quod plebs populúsve iussit. itaque Senatusconsulta duntaxat annua fuisse,cōtrà quàm Conanus putat;auctor est idem Dionysius libro vij.æquè ut apud Athenienses, quemadmodum Demosthenes adversus Aristocratem scribit, nec populum aut plebem tenuisse : non aliter ac magistratuum edicta,qui levioris duntaxat mulctæ irrogationem habuerunt post legem Aterinam , gravioris autem irrogatio ac mulctatio,fiebat judicio plebis:ut videre est apud Livium libro vigesimoquinto,&ubique apud Valerium.quare cùm solius populi proprium esset legem iubere,nec magistratuum iussa, nec Senatus decreta leges dicebantur,& à legibus plurimùm differebant,tum pœna,tum sanctione, tum etiam vi ac potestate.nam in lege sancienda,non modò magistratus,sed universus populus iurabat in legem,ut scribit Appianus libro j.bellorum civilium.itaque xij.tabulis & sacratis legibus comprehensum erat, ne quis legibus solveretur nisi per populum. & quemadmodum conventionis leges derogare non possunt iuri publico : nec collegiorum statuta municipalibus:neque lex municipalis civitatum moribus:nec civitates legibus imperij:ita nec privati magistratuum imperio derogare potuerunt: nec imperia magistratuū Senatus auctoritati:nec auctoritas Senatus,plebis potestati:nec plebis potestas maiestati populi;penes quē fuit totius imperij summa.Sed quoniam periculosum videbatur consilia Reipublicæ manare in vulgus (id autem necesse erat, si omnia decreta Senatus à populo

ſancirentur) Senatui tributum eſt à populo,ut cætera quæ ad Rempublicam pertinerent adminiſtraret, excepta creatione magiſtratuum,legum ferẽdarum,belli & pacis,vitæ ac necis & extrema provocatione, quæ propter imperij maieſtatem populus ſibi reſervavit:ut videre eſt in oratione M.Valerij Conſulis apud Dionyſium,& ex ipſius Polybij ſententia: in reliquis ne Senatus poteſtate abuteretur, permiſſum eſt Tribunis plebis adverſus omnia Senatus conſulta intercedere.itaque cùm Senatus haberetur, ſtabant Tribuni pro foribus,nec prius Senatuſconſultum ratum erat, quàm Tribuni litteram T.aſſentionis indicem ſuper ſcripſiſſent. poſtremis temporibus in Senatum licuit venire.quæ igitur Senatui vel magiſtratibus tribuũtur,rationem habent à ſummo imperio diviſam:alioqui fatendum ſit ſummum imperium in ijs eſſe, qui ab alijs acceperunt, quæ ſi abſurda vidẽtur, abſurdum quoque debet videri,quod Polybius affirmat, Reipublicæ ſummum imperium partim in populo, partim in Senatu, partim in Conſulibus fuiſſe: ac propterea imperium temperatùm videri ex optimatibus, regno ac populo.quam opinionem Dionyſius ac Cicero arripuerunt:deinde Machiavelius,Contarenus,Th.Morus,Garimbertus,Manutius, vehementer probarunt: qui nobis ſunt diſputatione refellẽdi:propterea quòd ad hiſtoriam Rerumpublicarum penitùs intelligendam magnum habet ea diſputatio momentum. cùm enim acerrima contentione ageretur apud Florentinos, de libertate populo reſtituenda, nec tutum videretur,& pernicioſum eſſet imperij arcana manare in vulgus: decretum eſt oportere à populo ſemota fece plebeiorum, qui per leges magiſtratum capere non poſſent,leges iuberi ac magiſtratus creari : cætera per Senatũ & populi magiſtratus explicari.ſic enim Guicciardinus ſcribit. Ex quo etiam planum fit, imperij ſummi ius in his præcipuè verſari.Prius igitur in omni Republica intuendum eſt, quis imperium magiſtratibus dare & adimere, quis leges iubere aut abrogare poſſit.utrum unus,an minor pars civium; an maior?

ior. hoc percepto, facilè intelligitur qualis ſit Reipublicæ ſtatus. nihil enim quartum eſſe, ac ne cogitari quidem poteſt. neque enim virtus aut vitium efficit Reipublicæ varietatem. ſive enim princeps iniuſtus ſit, ſive probus, monarchia tamen eſt. idem de optimatibus & populo iudicandum: qui ut nihil aliud habeant quàm magiſtratuum creationem, ſummum imperium habent, & ab ijs ſtatus Reipublicę pendeat neceſſe eſt. hunc igitur ſtatum optimatum dicemus, aut popularem (his verbis utamur, ne ſpecie virtutis ac vitiorum Ariſtocratiæ, Oligarchiæ, Democratiæ, Ochlocratiæ appellationibus ſæpius uti cogamur) multò magis ſi præter magiſtratus creationem, belli quoque ac pacis, vitæ ac necis poteſtas adſit. hæc autē non modò in monarchia, ſed etiam in optimatū ac populi ſtatu ſemper fuiſſe conſtat. quòd enim dicitur à Senatu & Præfecto Prætorio provocandi ius non eſſe, ad ius ordinarium pertinet, quia principem vel populū extra ordinem appellare licet, quod Arcadius ſupplicare dixit, cùm rei novitas poſtulat, aut gravitas perſonarum: ſed ne infinitū ſit ex hiſtorijs omnia perſequi; Atheniensium, Romanorum & Venetorum exemplis utemur, ut falſum eſſe doceamus, quod illi de Romanorum temperato ſtatu tradiderunt.

Sic igitur exiſtimo, Romanorum ſtatum Polybij ac multò magis Dionyſij & Ciceronis ætate omnino popularē fuiſſe: nam exactis urbe regibus, prima lex à Bruto de imperio lata eſt ad populū; ut annui Conſules à populo crearentur. ſic enim Livius ac Dionyſius tradunt: ex eo conſtat omne imperium conſulare à populo peti & impetrari debuiſſe: quòd igitur aiunt regni ſpeciem in conſulibus fuiſſe, tam falſum eſt, quàm ſi quis dicat, Præfectum Prætorio ſub Imperatoribus Romanorum, aut Baſſam maximum apud Turcas, vel etiam Palatij magiſtros ſub regibus Gallorum, regiam poteſtatem habuiſſe: quod per ſe ipſi maxima quæque in Republica gererent. & quidem hi poteſtatem non modò maiorem quàm conſules, ſed etiam perpetuam habuerunt: quare ſi ab-

Status Romanorum.

ſurdum eſt, Regiam poteſtatem in magiſtro militum, multò abſurdius eſt in Conſulibus collocare. poſteà docebimus poteſtatem Tribuni pleb. Conſulari maiorem fuiſſe. venio ad Senatum, in quo Ariſtocratiæ ſpeciem poſuerunt: cùm tamen ius omne ac imperium à populo haberet. quippe Senatorum delectus populi arbitrio vel iuſſu fiebat; Maiores noſtri, inquit Cicero, ita magiſtratus annuos crearunt, ut conſilium Reipublicæ præponerent ſempiternum: deligerentur autem in id conſilium ab univerſo populo, aditusque in illum ſummum ordinem omnium civium induſtriæ pateret. Poſtea populus ut eo labore ſe levaret, lege Oviana Tribunitia, ut eſt apud Feſtum, iuſſit Cenſores optimum quenque ex omni ordine curiatim legerent. Cenſores autem à populo ut reliqui magiſtratus creabantur. conſequens eſt igitur imperium quantuncunq; fuit, populo acceptum ferre. ubinam igitur Ariſtocratia Senatorum? nam ſi ulla eſt, eadem in regno ſit oportet, ubi conſilium à principe conſtitutum, parem atque Senatus Romanorum poteſtatem habet: quem tamen imperij ſocietate cum principe copulare, non modò ſtultũ, ſed etiam capitale eſt: idem iudicandum relinquitur de Senatu Romanorum, quem iſti cum populo in partem imperij vocant: id eſt dominos cum ſervis & procuratoribus imperij ſocietate coniungunt. tenemus igitur omnia Senatus & magiſtratuum imperia, in arbitrio & voluntate populi fuiſſe. quod ſatis eſſet argumenti ad iudicandum, ſtatum fuiſſe omnino popularem: ſed altera quoque lex à P. Valerio Bruti collega lata eſt, quam Livius appellat præſidium unicum Romanæ libertatis, qua primo capite cautum eſt, ut adverſus omnes magiſtratus, ad populum liberè provocaretur. altero capite, ne quis magiſtratus civem Romanum adverſus provocationem verberaret, aut necaret, aut pecunia mulctare vellet: deinde ne quis imperium haberet, niſi cui à populo datum eſſet, adiecta capitali pœna. in eo quoque ſibi conſentiunt Livius, Dionyſius, Valerius, Plutarchus & Pomponius. nam ea
lex

lex de provocatione,quòd sæpiùs violaretur,ter in eadem gente lata est,à P. L. & M. Valerijs. ubi nam aristocratia in Senatū? ubi regnum in Consulibus, qui nec civem verberare, nec mulctare contra provocationem poterant? quòd autem belli ius omne esset in populo, planius est quàm ut egeat exemplis. nam id Servia lege sub regibus cautum erat, ut Dionysius tradit,multò magis post refugium. Livius libro iiij. Controversia fuit,inquit, utrum populi iussu bellum indiceretur,an satis esset Senatusconsulto: pervicere Tribuni denunciando se delectum impedituros, ni Quinctius ad populum ferret. omnes centuriæ iussere. consimiliter lege Acilia bellum adversus Antiochum susceptum est. ius autem verberum, libertatis, exilij (iam de nece dictum est) in populo fuisse planum est ex lege Portia Tribunitia, lata Valerio & Appuleio Coss. anno ab V. C c. D.LIIII. (fallitur enim Sigonius,qui à Catone Censorio latam scribit) qua lege verbera sunt à corpore civium amota: quæ lex anno centesimo pòst Sempronia rogatione sanctiùs cōfirmata est,adiecta pœna perduellionis. Quid igitur Polybius? Si quis, ait, ad populi potestatem se convertat, putabit Rempublicam esse popularem: si verò ad Senatum,iudicabit imperium optimatū.quia consilio publico præest,ærarij potestatem habet,legationē admittit ac dimittit, de cōiuratione, perduellione,ac veneficijs cognoscit.in eo multa peccat,ut etiam in explicanda potestate populi,quem cum plebe (ut Græci ferè omnes) magno errore confudit. nam quæ in Senatu maxima fuerunt, omisit: quæ sine populo fieri non poterant, Senatui propria fecit. nihil enim maius habuit Senatus quàm illud S. C. VIDEANT COSS. &c. quod velut gladium extremis Reipublicæ temporibus exeruit in Sp. Melium,Gracchos, Saturninum & Cæsarem.habuit quoq; Dictatoris creādi potestatem,sed duntaxat extra ordinem. nam Interrex à Consule, Dictator ab Interrege decreto Senatus,cùm res ita postularet, creari solebat. qua ratione,inquit Dionysius,Senatus plebem fefellit. sed

illud imperij arcanum Tribuniplebis facilè detexerunt, nec Dictatorem optima lege creari diu permiserunt, id est, sine provocatione: sic enim Festus optimam Dictatoris legem appellat. cùm autem magistratus omnes creato Dictatore abdicarent, Tribuniplebis imperium retinebant, inquit Plutarchus, & adversus Dictatorem cives intercessione iuvabant. ut adversus Fabium Maximũ Dictatorem, cùm de Minutio magistro militum pœnas exigere vellet: Tribuni perfecerunt, ut pœnæ metu liberatus, Dictatori potestate par esset. quod de capitalibus iudicijs tradit Polybius, falsum esse docuimus in lege Portia, Valeria, Sempronia. sic enim Livius Senatorẽ loquentem inducit; Per Senatum agi de Campanis, qui cives Romani sunt, iniussu populi non video posse. at Campani cùm Annibalẽ diu fovissent, maximo crimine perduellionis tenebantur. Cur ergo, dicet aliquis, iniussu populi tot cives à Senatu, plures etiam à magistratibus supplicio affecti? cuius rei cùm infinita sint exempla, nullum tamẽ illustrius est, quàm de exercitu, qui ad Rhegium Iubellio Imperatore mortuo scribam elègerat: Senatus, inquit Valerius, tam acerbè tulit, ut milites in urbem revocatos capitis damnaverit, & quotidie quinquagenos verberibus cæsos securi percusserit, tum etiam sepeliri ac mortem lugeri vetuerit. M. Fulvius Tribunus pleb. frustra clamare: morem maiorum violari: leges sacratas à Senatu convelli. Appius verò Consul in exercitum militaris disciplinæ proditorem invectus, centuriones, signiferos, duplicariosque verberibus, non in castris, quod Imperatori licebat, sed in media Vrbe cæsos morte affecit: reliquæ multitudinis decimum quenq; ad supplicium legit. Consimiliter Senatus plerosque legibus solvebat cõtra leges sacratas, & ante legem Corneliam. cui obiectioni respondet quidã Iurisconsultus: Non quid Romæ fiat, sed quid legitimè fieri debeat spectandum esse. neq; enim ex abusu, sed ex ipsis Reipublicæ institutis iudicandum est de statu civitatis. nam Triumviri capitales, qui duntaxat in servos, & extremæ sortis

pere-

peregrinos animadversionem habuerunt, non tantùm cives, verumetiam magistratus ipsos, & quidem Curules in carcerem coniectos capitali supplicio affecerunt, ut videre est apud Valerium maximum. licebat tamen cuique maiestatis illos accusare, ut Ciceronem Clodius perduellionis apud plebem damnavit, quòd de coniuratis iniussu populi supplicium sumpsisset. sed illud quoque iudicium Ciceronis rescissum est, quia non nisi à populo iudicari potuit. hinc certamina plebis adversus patres, & magistratuum inter ipsos, cùm imperio contra leges abuterentur. fuerunt igitur in magistratibus magna imperia, sed tamen moderata: in Senatu maior quàm in magistratibus auctoritas: in plebe maxima potestas: sed ipsius Reipublicæ maiestatem & summũ imperium in populo fuisse, nemini dubium est in eam rem penitùs intuẽti: tum ex ijs quæ diximus, tum etiam ex eo quòd populus inter patricios & plebem, veluti iudex & arbiter controversias dirimebat. cùm enim Senatus plebem opprimere, aut plebs in Senatum insurgere conaretur; nullus erat componendæ seditionis modus, nisi Consules ipsi, aut creatus Dictator populum rogaret quid fieri vellet, ut videre est in tribus secessionibus plebis: maximè verò illa in tanta tamque diuturna contentione, qua patricij plebiscita; plebs Senatũsconsulta pertinaciter respuebat. nam L. Valerius, & M. Horatius Coss. convocato populo, ut est apud Dionysium, legem tulere comitijs centuriatis, ut plebiscita Senatum tenerent. repẽtè seditio cõquievit. sed paulatim Senatus plebiscita repudiare; Tribuni furere: Senatui intercedere. rursus anno decimo ac centesimo pòst, Q. Philo Dictator creatus, eandem legem ad populum tulit, ut plebiscita perinde vim legis haberent, ac si populus iussisset. illud etiam uno capite cavit; ne leges centuriatis comitijs ad populum ferrentur inconsulto Senatu. ad plebem verò inconsulto Senatu ferebãtur, ac propterea ægrè impetratũ est à patricijs, quin plebiscita sæpe violarent: quousque Dictator Q. Hortensius eandem legem anno pòst quin-

quagesimo ad populum ferret. atque hinc imperij Romani labes, quòd plebi, hoc est, infimæ multitudini permissum sit legem iubere, qua perinde tenerentur cives ac si populus ipse iussisset. impetravit etiã plebs, ut omnes Magistratus ac Põtifices crearet, præter Cõsules, Prætores ac Censores. præterea iudiciorum publicorum, præterquam capitalium potestatem: utque bellum à populo indictum finiret, ac imperium à populo datum prorogaret. tandem cætera quoq; plebs impellentibus Tribunis arripuit: bellum sępius indixit, ut rogatione Sulpitia, Manilia, Gabinia, quas ad plebem contra morem maiorum Tribuni tulerunt, & optimos quosque contra leges sacras exilio damnarunt. ex quo factum est, ut à populo ad plebem; à Democratia ad Ochlocratiam, & fecem populi summa rerum delaberetur: ijs maximè temporibus, quibus Gracchus uterque, deinde Livius Drusus, pòst etiam Saturninus ac P. Sulpitius Tribuni pl. urbem suo civiumque sanguine fœdarunt. sive igitur populo, id est, quinque classibus (nam sextæ nulla ratio habebatur in maioribus comitijs) sive plebi, hoc est omnibus civibus præter patricios in XXXV. tribus promiscuè divisis imperij summam demus, perspicuum fit eiusmodi statum esse popularem. Senatum verò auctoritatem omnem à populo habuisse, nec sine populi iussu aut assensione quicquam potuisse: aut quæcunque iuberet populi nomine iussisse. quid autem interest ad statum Reipublicæ iudicandum, an populus ipse iubeat, an suo nomine iubeatur? absurdius tamen videtur id quod unius est, puta regiam potestatẽ, duobus Consulibus tribuere velle, cùm multò maior fuerit in Tribunis. neque enim verum est, quod Carolus Sigonius in cap. de magistratib⁹ scripsit; Consules ab omnibus magistratibus concionem avocare potuisse, ab ijs neminem: cùm nihil frequẽtius occurrat, quàm intercessio Tribunorum adversus Consules. scribit Livius libro xliiij. bona Tib. Gracchi, eius qui Consul & Censor fuerat, à Tribuno plebis consecrata, quòd in mulcta pignoribusque capiendis, intercessioni Tribuni

buni non paruisset. idem Claudio Censorio diem dixit, quòd concionem à se avocavisset. L. quoque Flavius Trib. pleb. Metellum Consulem; alius Appium Censorem in vincula duci iussit, ut est apud Livium libro ix. idem libro ij. Tribunus, inquit, viatorem mittit ad Consulem: Consul lictorem ad Tribunum, privatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu. Drusus tamen Trib. pleb. Philippum Cōsulem, quòd se in concione interpellaret, obtorta gula per viatorem in carcerem adegit, ut scribit Florus cap. lv. at Tribuni sacrosanctum corpus attingere violandi causa, capitale fuit. quinetiam Vectius impunè cæsus est, quòd non assurrexisset Tribuno. denique tanta potestas erat Tribuni plebis, ut non modò Senatus, sed etiam magistratuum & collegarum, ipsiusque plebis acta unus sua intercessione impediret: nec ulterius progredi poterant, nisi prius imperium illi à plebe solenni iure suffragiorum abrogaretur. argumento sit M. Octavius Trib. pleb. qui ut est apud Plutarchum, omnibus collegis ac Tiberio Graccho legem Agrariam ferēti solus intercessit. neq; enim lex antè perferri potuit, quàm imperium illi adimeretur suffragio plebis. postremò, creato Dictatore, soli Tribuni imperium retinebant, cùm cæteri magistratus abdicarent. igitur si regia potestas in Consulibus; multò certè maior in Tribunis: nisi obijciant ea, quę tanti facit Cōtarenus, ornamenta regia defuisse; propterea quòd in Vrbe semper, & inter plebeios homines versari oportuit, sine fascibus, sine lictoribus, sine sella curuli, sine vocatione, sine iurisdictione; ut ob eam causam Plutarchus in quæstionibus, & Livius libro ij. magistratus esse negarint. sed his omissis, cùm civium omnium bona, fortunæ, libertas, vita, mors, totiusque Reipublicę status, imperia, iura, leges, bella, fœdera, magistratuum denique ac pontificum, ipsiusque Senatus auctoritas à populi voluntate penderet; quis amplius dubitet Rempub. fuisse popularem? magis quidem Athenienses quàm Romani populares; utriq; populares tamen. Hęc à nobis fusius disputata sunt, ut Polybij, Cicero-

nis ac Dionysij de temperato Reipubl. statu opinionem confutaremus; nostram tueremur, quæ vera sit an falsa, non affirmabo: sed veri tamen similior est quàm illa. Nunc facilè est Machiavelli, Contareni, Sigoni, Manutij, & aliorum, qui in eadem sententia fuerunt, refellere argumenta. Posuerunt enim ex ipsius Polybij ac Dionysij sententia, Lacedæmoniorum æquè ac Romanorũ: deinde etiam Venetorum Respub. ex his tribus, quæ dixi, generibus esse temperatas ac modicè confusas. Quod ad Lacedæmonios attinet, videtur Aristoteles ijs errandi occasionem præbuisse, qui temperatum Reipubl. genus esse putarunt; propterea quòd aliorum sententias retulit, qui partim popularem, partim regiam, partim optimatum esse dicerent; quos non refellit. sed cùm sublata disputatione tria duntaxat Rerumpublic. genera posuerit, non amplius querendum videtur quid de re tota sentiat, cùm apparet quid scripsit. Si quis tamen eius Reipubl. statum penitùs intelligere velit; neq; ex Aristotele, quem Plutarchus tacitè refellit, neç à Xenophonte, qui de moribus duntaxat iudicavit: sed ab ipso Plutarcho hauriendum: qui Lacedæmona profectus est, & antiquissimos rerum Laconicarum scriptores conquisivit, ut verius ac melius scriberet.

Status Lacedæmoniorũ. Is igitur scribit, Lycurgum regia potestate sublata, Senatum xxviij. virorum creasse, quibus coniunxit duos reges, Charilaum fratris filium & Archelaum, qui ab Hercule genus ducebant, lege promulgata, ut Senatus ille xxx virorum omnia decerneret, quæ ad Rempublicam pertinerent, deinde populus decreta Senatus sanciret. nihil aliud est à Lycurgo de statu Reipublicæ constitutum. nec ulli magistratus creati præter magistrum iuventutis. regibus autem quasi ducibus belli gerendi curam dedit. Dionysius quoq; libro ij. confirmat, Lycurgum populo permisisse, ut leges iuberet, magistratus crearet, bellum indiceret ac finiret. ex quo perspicuum fit, Lycurgi statum omnino popularem fuisse. sed cùm populus decreta Senatus plerunq; sancire nollet, ut Plutarchus tradit, Theopom-

pompus ac Polydorus reges anno trigesimo ac centesimo post Lycurgum, imperium illud summum populi transtulerunt ad Senatum, quasi oraculo iubente; ne populus ereptam sibi potestatem lugeret, tùm Ephoros quinque cum annua potestate creari voluerunt à Senatu, quasi speculatores regum & Senatus, ne tyrannis usurparetur. nam reges, præter nomen nihil habuerunt. in quo Machiavellus & plerique alij fallunt, qui affirmant unum duntaxat regem fuisse. at si regia potestas, quæ unius propria esse debet, duorũ communis sit, erit & plurimorum: ex eo igitur popularis imperij secuta conversio est in optimates. nihil enim populo relictum est in imperio loci. hoc tantùm, quòd uno ex optimatibus mortuo, cùm candidati preterirent, ut quisque gratissimus erat, sic maiores plausus ferebat: tùm arbitri qui sub tecto latebant, eum qui plausu maiore exceptus esset, Senatorem renunciabant. sed nullæ tabellæ, nulla suffragia, nulla denique ratio comitiorum. Ephoros quinque annua potestate creabant optimates: qui magistratus omniũ maximus erat. nam regibus cives omnes præter Ephoros, reges Ephoris assurgebant. Iidem Ephori cives ac reges ipsos arbitratu suo mulctabant, & omnium iudiciorum præterquàm capitalium, ius habebant, ut est apud Xenophontem. quinetiam rex Agis in carcerem ab illis coniectus, & supplicio affectus est, cùm populi mores emendare, ac leges Lycurgi restituere conaretur, & anteà sępe regibus capitalem accusationem intentaverant & in exilium miserant, ut in Agide & Cleomene Plutarchus scribit. si igitur Polybius ac Dionysius regiæ potestatis speciem nomini tribuunt, debuerant in rege sacrorum, qualis fuit apud Romanos & Athenienses, non in Consulibus regnum stabilire aut regiam potestatem Ephoris quoque communicare, qui tam imperiosè se gerebant, ut ineunte magistratu omnibus civibus edicerent κείρεσθαι τ̃ μύςακα, id est radere mustacam, quemadmodum Aristoteles scribit, non aliam ob causam, quàm ut cives intelligerent eorum iussis obediendum esse.

ex quo intelligitur iuniores, Polybij ac Dionysij, pręclara specie se texisse: sed rationibus oportet quare quicque ita sit docere, non auctoritate, quanquam nostræ sententiæ magnos quoque auctores habemus; Thucydidem, Xenophontem, Aristotelem, & Plutarchum, qui uno consensu tradunt Athenienses cum Lacedæmonijs annos amplius xxx gravissima bella gessisse, ut alteri populares, alteri optimatum status in tota Græcia stabilirent. nam victis Atheniensibus, Lacedæmonij statum popularem everterunt, optimates triginta, qui tyranni sunt appellati, summo imperio præfecerunt. id quod apertius Demosthenes in oratione contra Leptinem scribit, Senatores rerum dominos esse in Republica Lacedæmoniorum: populũ verò apud Athenienses. quare æquius erat ut Polybius, Dionysius, Cõtarenus, Machiavellus, tot ac tam multos scriptores, ac tantę auctoritatis prius coarguerent, quàm Lacedęmoniorum statum ex optimatibus esse negarẽt. rectè igitur Aristoteles tres omnino Reipublicæ status laudabiles posuit. ac totidem vitiosos: qui tamen plures tribus esse nequeunt, ut anteà dixi; cùm nihil referat quoties de statu quæritur, probi an improbi sint qui imperio præsunt: neque enim minus civis est vir sceleratus quàm bonus. & optimus quisque vir, pessimus civis est, quia solitudinem quærens, totus in cœlum contemplatione fertur. quare unum ex omnibus civibus præesse oportet: aut plures uno, minorem tamen civium partem, aut omnes, sive ex omnibus plurimos. nihil aliud fingi potest. erit quidẽ aliud imperiũ alio magis populare, sed populare tamen. hac proposita disputandi regula, consequens est apud Venetos, unum aliquem summum imperium tenere: aut minorem partem civium: aut omnes, seu magnam omnium partem: hoc est Monarchiam esse, vel Aristocratiam, vel Democratiam. igitur planum fit ex ipsius Contareni, Sabellici, & Bembi scriptis, Venetiam ab originis suæ primordio popularem fuisse, postea temporis decursu, ad optimates delapsam. si enim popularis fuit Respub. Roma-

manorum, ut anteà docuimus, si popularis Athenien siũ, ut omnes fatentur; Venetorum quoq; Respublica initio popularis erat: verum illud; hoc igitur. Prima lex imperij popularis omnium maxima, quam à Solone latam scribit Plutarchus, ea ipsa est quam Brutus primus omnium Consul, quam Valerij tres tulerunt, ut esset ab omnib. magistratibus provocatio ad populum, hanc quoque legem ut omnium antiquissimam nascente Venetorum Republica latam scribit Contarenus, cùm Veneti simul in eadem æstuaria coaluerunt, id autem Caroli magni têmporibus contigisse narrat, cùm anteà in scopulis huc illuc dispersi Reipub. formas singulares haberent. neque verò ante hoc tempus duces ullos aut Senatum, aut magistratus creati memorantur, sed primus omnium Paulus Anasatus anno Christi DCCVI. dux est electus. anteà cuiusque pagi suum ius erat & imperium ab alijs divisum. itaque fallitur Manutius, qui Rempub. Venetorum MCXX. annos in eo statu floruisse affirmat: rectè Iovius DCCC. cui congruit Gianotus Donatus civis Venetus, qui accuratissimè de Republ. Venetorum scripsit. non enim quæritur quo quæque civitas tempore condita sit, sed quando quæque Respub. cæperit, aut desierit eodẽ statu vigere. cùm igitur omnes in eandem urbem coissent, lex illa de provocatione, quæ popularis imperij rationem continet, non ad optimates aut patricios, qui nulli erant, sed promiscuè ad populum, id est, ad civium omnium multitudinẽ simul coactam lata est. negat enim Contarenus patriciorum ac plebeiorum discrimen fuisse, cùm cives omnes eodem iure censerentur, atque eiusdem imperij popularis participes essent. nam Vespucius apud Guicciardinum in oratione quã habuit Florẽtiæ pro statu optimatum (agebatur enim de convertenda Florentinorum Republica) exemplum urbis Venetæ proposuit: Soderinus verò populare imperium tuebatur, & eos qui Venetijs Rempublicam gerunt, docebat errore patricios vocari: cùm nihil aliud essent quàm cives, reliquos esse peregrinos: cui consentaneũ

est quod Gianotus Donatus, civis Venetus, in eo libro quem accuratè de Repub. Venetorum scripsit, verbum Gentilhuomo, nusquam in monumentis Venetorum usurpari, ante tempora Sebastiani Ciani, hoc est ante annum M. C. LXXV. quod quidem si Veneti fateantur, Respublica planè popularis erit, cùm illa civium omnium multitudo, peregrinis exclusis, summum ius provocationis habeat, magistratus omnes ac imperia tribuat, leges denique iubeat, ut scribit Cótarenus: addo etiam belli ac pacis, vitæ & necis potestatem; ut videre est apud Bembum in bellis susceptis adversus Iulium Pontificem max. & Ludovicum regem Gallorum, quæ non antè gesta sunt, quàm populus suis suffragijs iussisset. nec obest quòd interdū bella suscipiantur decreto Senatus sine populi iussu; cùm id sæpissimè quoque fieret apud Romanos & Athenienses. ac tametsi raræ sunt provocationes à decemviris & XL. viris, ne libera provocatione sæpius admissa scelerum impunitas consequatur; nihilominus tamen interdum quæstiones capitales propter civium dignitatem, aut sceleris atrocitatem ad populū deferuntur, ut videre est apud Bēbum, in iudicio Ant. Grimani, qui propter generis splendorem & potentiam à populo iudicatus est, exilioque damnatus. nec si iudices supplicia de sceleratis sine provocatione sumunt, propterea necis ac vitæ ius habēt, cùm legibus obstricti teneantur, nec merentes morte liberare possint: hoc regis est, aut populi, aut optimatum, apud quos clementia contra leges locum habet. itaque Cicero veniam pro Ligario precatus à Cæsare; Apud iudices, inquit, nunquam egi hoc modo: ignoscite iudices, erravit, temerè fecit, si unquam posthac: ad parentem sic agi solet. apud iudices; non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen. Quòd si decemviri aut XL. viri prævaricantur, exacto magistratu accusari possunt. videmus igitur illa quæ ad imperij maiestatem pertinent, populi Venetorum, id est, civium omnium esse propria. cætera ferè à decem viris geruntur: quòd si maioris momenti res est, accire solent septem viros: si diffi-

si dissident inter se,adhibentur quoq; XVI.viri præcõsultores:si ne inter ipsos quidem conveniat, aut gravioris momenti res videatur,ad Senatũ:si nec in Senatu trãsigi possit,aut ad imperij maiestatem pertineat, fertur ad populũ:ut apud Carthaginẽses(quorũ imperium populare fuisse tradit Aristoteles) fieri solebat. Iam verò cùm sexdecim creandorum magistratuum genera sint,idque sorte, vel electione , vel utroque (quibus adijcienda sunt duo genera regiæ potestatis, cùm omnes,vel pauci ab uno creantur) nullũ tamen Aristoteli magis populare visum est,quàm omnes magistratus ab omnibus civibus creari:ut apud Venetos; in illa quã dixi civiũ omniũ multitudine(quoniã reliqui Contareno ac Sigonio peregrini , non cives habentur) omnes ab omnibus imperia consequuntur; & quidem sine ulla ratione,census,nobilitatis, eruditionis,dignitatis: cùm tamen apud Athenienses, qui omnium maximè populares fuisse dicuntur , magna ratio census haberetur,nec quartę classi , quæ cæteras multitudine longè superabat,ullus esset aditus ad honores ex lege Solonis,quousq; Aristides legem abrogavit,quinetiam sorte,quæ ipsa nullum virtuti relinquit,nec honestati locum , maximi quique honores mixti,suffragijs apud Venetos tribuuntur:at nihil magis populare Aristoteli visum est,quàm sorti magistratuum permittere creationem. contrà verò apud Lacedæmonios,quorum Rempub.suæ similem facit Contarenus,nullus omnino sorti locus erat. Quæ cùm ita sint,non video cur Contarenus, Rempublicam Venetorum ex triplici genere temperatam esse putet. est, inquit, in magno concilio popularis:in Senatu optimatum:in duce regia potestas.sed unde annuum imperium Senatui,duci , magistratibus , nisi à populo? dux autem ne vocationis quidem aut prehensionis ius habet.neque verò satis est armis illum & imperio spoliasse: adhibuerunt etiam decem viros exploratores,ac libertatis custodes,qua supplicium de Faliero duce sumpserunt.at imago ducis est in numismate,dat nomina festis;ut vbique regis speciem intueri

possis, inquit Contarenus, potestatem nusquam. idem quoque dici poterit de Consulibus Romanis, & Archonte Atheniensium: & eadem ratione Athenis regnum imperio populari confusum dicemus. idem etiam iudicandum relinquitur de statua, veste purpurea & aurea corona insigni; addo sceptrum ac diadema, quæ rex Venetorum gestare prohibetur: regis speciem & imaginem intueri licet, potestatem nusquam. si hoc absurdum, illud quoque. profectò consimiliter faciũt ut indocti pictores, qui cùm virginem Mariam in stabulo malè tecto parientem constituunt, eandem aurea veste & corona nobili solœcismo exornant. & quoniam Contarenus eos tantùm quos vocat patricios, cives esse arbitratur, cæteros omnes habet loco peregrinorum, secutus civis definitionem ab Aristotele invectam: necesse est ista ratione Rempub. Venetorum popularem dici, ut Soderin⁹ disserebat ac ipse Contarenus fatetur, in magno civium concilio popularis imperij rationem inesse. neque enim civium magnus numerus statum efficit, sed illud spectãdum, an omnes cives imperij participes sint: alioqui ne Atheniensium quidem Respublica Periclis tẽpore quo maximè florebat, popularis dicetur. quia tametsi non plures XIIII. millib. & CCCC. millibus civium utroque parente Periclis temporibus censi ferũtur, quinque millib. qui pro civibus irrepserant publicè venditis: sic enim Plutarchus scribit in Pericle. pòst aucta multitudine censa fuerunt XX. millia civium decem peregrinorum, & CCCC. millia servorum, ut Athenæus tradit. Demosthenes in oratione cõtra Aristogitonem scribit, XX. millia civium suis temporibus Athænis censa fuisse: non meminit peregrinorum. Dinarctius verò adversus Demosthenem, ait, mille & quingentis civibus reorũ sufragia permissa fuisse. ex quo intelligitur, paucos admodum in tanta multitudine imperiũ tenuisse. idq; Demosthenes in oratione de Republica ordinanda scribit, oratores Reipubl. principes esse: his subiectos Imperatores: trecentos ferè cives sufragiũ tulisse: reliquos trecentis attributos fuisse

fuisse. cùm igitur in tanto peregrinorum ac servorum numero, tanta civium paucitas imperium haberet, quod omnium cõsensu populare appellatur: quis neget ea ratione Venetorum Rempublicam esse popularem, quæ circiter quinq; millia civium paulò minùs habet, qui honoribus adipiscendis idonei sunt? iam verò negat Aristoteles civitatem esse quæ plures decẽ millibus civium complectatur. Plato quinque millibus & quadraginta definijt, ac propter numeri fœcunditatẽ, qui divisores habet uno minùs quinquaginta, abortus fieri, ac partus non modò monstrosos, sed etiam integros cædi maluit, quàm plures admitti.

Sed comparemus, si placet, status Atheniensium, Venetorum ac Romanorum, ut populares esse planiùs intelligatur (nihil enim cum Lacedemonijs commune habent) cùm de statu Romanorum disputo, intelligo semper popularem illum; quum populus non simulatione imperium habuit, ut olim sub regibus, qui ad populum, belli, pacis, magistratuum, ac provocationis summum ius detulerunt, ut est apud Dionysium libro IIII. cùm re vera statuerent arbitratu suo reges ipsi; ut etiam Augustus, qui adepta potestate comitiorum imaginẽ habebat, leges ad populũ ferebat, quarum ipse arbiter erat. illud igitur commune est quòd populi concio imperij summam habuit: hoc tamen interest, quòd populus Venetorum, de ijs duntaxat quę ad imperium summum pertinere diximus, cognoscit: cætera Senatui ac magistratib. permittit. rarò provocatur ad populũ, rariùs de bello, rarissimè de legibus rogandis aut abrogandis agitur; sed ferè magistratuum creandorũ causa coëunt. at Romana plebs etiam iudicia publica definiebat, quæ tamen ad imperij maiestatẽ non pertinent, quoniam ubiq; ferè magistratibus tribuuntur. populus verò Atheniensis pręter leges, fœdera, bella, iudicia publica, de quibus sæpissimè ferebatur, etiam religiones, legationes, consilia, decreta quę Senatus ac res levissimas, sæpius quàm par esset tractabat. anteà quidem mulcta cogebantur cives concionibus adesse: ut est apud Pollucem,

Comparatio Reipubl. Atheniensiũ, Venetorũ & Romanorũ.

posteà Pericles Areopagitarum imminuta potestate popularem auxit, propositis populo præmijs si concionibus adesse vellet. peius etiam quòd suffragia ferebãt manuum extensione, id est, χειροτονείᾳ (uti nunc Helvetij montani) qua tenues, potentiorum vi ac pugnis cogebantur χειροτονεῖν, preterquam in ostracismo & civium cooptatione, ut scribit Demosthenes contra Neæram. pessimè quòd solus populus pręmia proponebat, civitatem, immunitatem, largitiones, coronas, proedrias, statuas, victum in Prytaneo concedebat: sic enim scribit Demosthenes contra Leptinem: quæ ab impudentissimis quibusque extorquebantur, iustissimi verò reijciebantur. absurdius etiam quòd in creandis magistratibus, omnia sorti permittebantur, ut ea Respublica sortilega verius esset quàm popularis, cùm imperia sortis, nõ populi beneficio tribuerentur. melius Romani, qui magistratus omnes eligebant, suffragio tabellarum ex lege Cassia & Papiria, quas miror à Cicerone repudiari, cùm aperta suffragia tantis odijs ac seditionibus sint opportuna. præmia verò populus dabat. quanquam nullum ferè apud Romanos, nisi gloriæ præmium propositum videmus, ut etiam apud Venetos, qui peregrinis bene de Republ. meritis civitatem; civibus honores, magistratus ac statuas decernunt. Senatus autem Romanorũ hoc differt à Senatu Venetorum, Atheniensium, Carthaginensium, Genuensium, Rhagusiorum, & omnium ferè Germaniæ civitatum, quæ optimatum imperio reguntur, quòd hi annuam; illi perpetuam habuerunt potestatem. Platonis quoque Senatus annuus est. rursus apud Venetos maximam habet Senatus auctoritatem: apud Romanos, mediocrẽ: apud Athenienses, minimam. nam quò plura populo tribuuntur, eò magis imminuitur Senatus potestas; quæ olim unius Tribuni vetantis oratione suspendi poterat. fallunt enim plerique Romani iuris interpretes, qui Senatui legis condendæ potestatem tribuunt. neque enim prius hoc Senatui permissum est, quàm Tiberius à populo ad Senatum transtulit ius illud comitiorum, quæ Augustus

necis

necis causa reliquerat populo, ad quem leges ferebat, quarum ipse arbiter erat: magistratuum quoque ac provinciarum dimidiam partem à populo peti patiebatur, cùm ipse candidatos manu duceret. quod igitur Tacitus libro ij. Dio libro liij. comitia tradunt ad Senatum translata, eò pertinet, ut ea quę simulatè populo relicta fuerant, Senatui tribuerētur. ex quo tempore Senatusconsulta vim legis habuêre, quæ tamen à principe revera fiebant ac sanciebantur: ut videre est in orationibus D. Marci, Adriani, Severi, quas habemus in Pandectis. sed de populari tempore hic agitur, & Tribunorum potestate. nullus apud Venetos Tribunus: nullus item orator impudens, qui populi voluntates flectere, & unde velit deducere audeat: sed liberè Senatus omnia, præter illa, quibus imperij maiestas continetur. hoc tamen commune est, quòd nihil ad populum Atheniensem aut Romanum ferri potuit incōsulto Senatu, quemadmodum scribit Plutarchus, & Demosthenes adversus Androtionem: quem propterea Demosthenes accusavit, quòd inconsulto Senatu legem ad populum tulisset: contra quem Androtio consuetudinem receptam opponit, quòd scilicet aliter fieri consuevisset. peius tamen quòd lege permittente ad plebem Romanam ferre licuit inconsulto Senatu. Veneti prudentissimè caverunt, non modò ad populum, sed ne ad Senatum quidem ullius rei rogationem ferre sine consilio xvj. virorum, qui sapientes ab Aristotele πρόβουλοι appellantur. hoc item commune est, quòd nulla iudicia Senatus Atheniensis aut Romanus attingebat, quandiu libera fuit Respublica; nisi fortasse rei novitas, aut sceleris atrocitas, animadversionem extra ordinem postularet: sed cùm Senatus Atheniensis extra ordinem cognosceret, non maiorem mulctam quingentis drachmis irrogare poterat, ut Demosthenes contra Evergum scribit. si quid gravius esset, ad populum ferebatur. apud Venetos x. viri & xl. viri publicorum iudiciorum, cognitiones etiam extraordinarias habent, quas Græci vocant εἰσαγγελίας. hoc tamen am-

n

pliùs habuit Senatus Athenienſium, quòd Senatorem ordine movere,& ἐκφυλλοφορῆσαι potuerit: & reos ad populum deferre.apud Romanos, Cenſorum; apud Venetos,decem virorum poteſtati tributum eſt. Sequuntur magiſtratus qui apud Venetos & Athenienſes magnam inter ſe ſimilitudinem, nullam ferè cùm Romanis habent.ſcitum eſt quàm pauci fuerint Romæ magiſtratus. Athenienſes propè infinitos habuerunt. fuit enim præter Senatum quingentorum virorum, Areopagitarum curia, quæ parem harum habuit poteſtatem atque collegium decem virorum apud Venetos. hoc tamen intereſt, quòd hi ad breve tempus;illi perpetuũ imperiũ habuerunt. ac primùm ſub regibus ad capitales cauſas: deinde rerũ omnium ſpeculatòres ſunt & legum cuſtodes à Solone cõſtituti,ut Plutarchus ſcribit.ſed quemadmodũ Pericles Areopagitarum potentiã labefactavit: ita nõ mediocriter decem virorumpoteſtas eſt imminuta XL.virorum capitalium,deinde VII. virorum ac XVI. virorũ creatione.Sequitur collegium novem ἀρχόντων, quod VII. viris Venetorum non malè congruit.item collegium XL. virorũ,qui de vi & iniurijs cognoſcebant,& Ephetarum quinquaginta,qui cũ XL.viris capitalib.Venetorum conferri poſſunt, ſed Ephetæ de cæde fortuita duntaxat cognoverunt,ut eſt apud Suidam,Pollucem & Pauſaniam in Atticis,ubi copiosè genera iudiciorũ explicantur: neque enim civibus tantùm ac peregrinis,ſed etiam brutis animalibus, & rebus inanimatis ius dicebatur.quod apud Græcos conſuetum erat. nã ſcribit Plutarchus in Timoleonte, poſt exactum urbe Dionyſium iuniorem & Icetem, unà cum Carthaginenſibus,ſupplicium de ſtatuis tyrannorum, quaſi de tyrannis ſumptum fuiſſe. fuerunt etiã Arbitri CCX. qui ex una quaque tribu ſorte quotannis ducebantur ſupra ſexageſimum annum, ut Pollux; vel quinquageſimum,ut Suidas tradit. his ferè octoginta viri, civiliũ cauſarum apud Venetos comparari poſſunt: XL. quidẽ inter cives & cives; totidẽ cives inter & peregrinos. Archon præerat arbitris civium, Polemarchus

arbitris

arbitris peregrinorum. quo munere fungebantur duo Prætores apud Romanos; Vrbanus & Peregrinus, unà cum Centum viris: quibus decem viri litibus iudicandis pro Prætore præerant. publicis Prætores quæstionum, unà cum decurijs Senatorum, & equitum; quibus lege Aurelia Tribuni ærarij adiecti sunt. hoc tamen animadversione dignum est, quod Budæum ac plerósque alios fefellit; quòd tametsi Senatus iudicia nulla disceptaret, sive legitimus, sive indictus esset: nihilominus ab eiectis regibus usque ad legem Semproniam, Prætores quæstionum, ac parricidij Quæstores, non alios, quàm ex ordine Senatorio sortiebantur. aliud est autem Senatum iudicare; aliud Senatorios viros à Prætoribus ad iudicia sorte duci. Apud Athenienses Phylarchi decem, sive tribuum præpositi à Clisthene instituti, planè similes erant sex viris Venetorum tribuum Præfectis: & Phratriarchi Atheniensium, Præfectus sodalitiorum apud Venetos: aut Curionibus apud Romanos: quales ferè sunt ubique. rursus Demarchi Atheniensium nomine duntaxat, cum Tribunis plebis conveniunt; potestate nullo modo. Proedros, Archontes, & Epistatas Senatus, concionis, & iudiciorum, pares habēt Veneti in quibusq; collegijs. apud Romanos Cōsul Senatui præerat: maior magistratus populo: Tribunus plebi, aut Aedilis (rarò tamē) aut maior magistratus: Prętores iudicijs. qui autem apud Athenienses undecim viri νομοφύλακες à Polluce appellantur, ijdem ferè apud Romanos triumviri capitales. minores iudices multi sunt apud Venetos, quales nec Romani ullos, nec Athenienses habuêre, præter Epagogos, qui similes erant iudicibus mercatorum. sed hæc apud Contarenum. unum genus est magistratuum apud Venetos, qui triumviri advocatores appellantur, ac sontiū prehensionem & accusationē habent; ne, ut apud Romanos & Græcos, quenquam temerè accusare liceat. talis est apud nos advocatio triumviralis, in omnibus iudicum decurijs. Logistę quoque Atheniensium, Syndicis Venetorum non malè congruunt, quòd utrique

rationem gesti magistratus exigebant: sed illi de moribus ante magistratum quæstionem habebant: hi de provincialibus magistratibus duntaxat inquirunt: decemviri ac triumviri de urbanis, cæteri magistratus qui ærarium curant, iidem ferè apud Athenienses qui apud Venetos. habēt hi Pręfectos vectigalium ac tributorum, qui tam varij sunt, quàm varia genera tributorum ac vectigalium: Præfectos pecuniæ mutuæ, tribunos ęrarij, qui publicas pecunias recipiunt: quęstores urbanos, ad quos pecunia defertur. apud Athenienses Apodectę, Hellenotamiæ, quęstores Palladis, quæstores urbani, sive Practores, inquisitores, syndici, qui sacras pecunias mulctæ nomine exigebant: quęstores spectaculorum, quæstores militares, quæstores rerum venalium, Epigraphi seu bonorum censores, & antigraphi. omnium autem maximus fuit quæstor populi. magistratus item annonæ multò plures apud Athenienses, quàm apud Venetos aut Romanos. his quidem unus annonæ Præfectus, aut ad summum Aediles duo. illis præter Agoranomum, Metronomi quindecim, totidem Sitophylaces, ac prætereà curator emporij. reliqui sunt apud Venetos Præfecti salutis publicæ, Præfecti Monetæ, Aediles viarum, Pręfecti classis, Procuratores D. Marci, qui pupillorum ac viduarum curam habent: apud Athenienses propè infiniti urbis dignitatem ac civium salutem curabant, quos Aristoteles ἀϛυνόμους vocat: ut Præfecti aquarum, murorum, operum publicorum. pręterea Nomophylaces ceremonijs præerant: Sophronistę moribus: Gynecocosmi mulieribus: Oenoptæ convivijs: Gymnasiarchę palestræ: Choragi choro: Liturgi curationibus extraordinarijs: Conquisitores peregrinos à civibus dirimebant: Episcopi magistratuum actiones explorabant: Oratores causas publicas suscipiebant: legati ad socios aut exteras gentes mittebantur. omitto militares magistratus, Taxiarchos, Hipparchos, Trierarchos Strategos: omitto pontifices ac sacerdotes, qui eò plures apud Romanos fuēre, quo religionem ac militarem disciplinam magis coluerunt. Provin-
ciales

ciales magistratus apud Athenienses video nullos, cùm sociæ civitates suos magistratus haberent: sed provocandi ius erat ad magistratus Athenienses, ut est apud Xenophontem. ita quoque apud Venetos & Romanos: sed hoc amplius, quòd hi magistratus provinciales habent. Romani tres; Præsidem, Legatum & Quæstorem. nam Proconsules, Prætores, Proquæstores, præsidis appellatione complectitur Vlpianus. si provincia latè pateret, legati plures adiungebantur. Veneti quatuor creare solent: Pretorem urbanæ disciplinæ, Præfectum militaris, Custodem arcis & Questorem. hæc forma est Rerumpublicarum, quæ in statu populari magis claruerunt, excipio Carthaginensem, cuius vestigia sunt apud Aristotelem, Polybium ac Livium, sed valde obscura. Ex his planum fit Rempublicam Venetorum anteà popularem fuisse, sed paulatim in Aristocratiam mutari cœpisse, cùm magna pars civium ac plebeiorũ opificijs intenta, sponte se à rebus agendis subduceret; peregrini verò & inquilini non admitterentur, nec ius imperij cuiquam nisi de Republica bene merito, & avarè admodum tribueretur: paulatim familiæ veteres interire cœperunt, ac multò pauciores essent, nisi Genuensi bello triginta peregrini ius civitatis emissent, cũ civitas inopia premeretur. hoc idem contigisset apud Romanos & Athenienses, si eodem modo uterentur quo Veneti. sed apud Athenienses civium multitudinem auxit Clisthenes, qui omnes inquilinos ac manumissos in civitatem recepit: Romani verò manumissos omnes exceptis oppidò paucis ac propterea Latini suos liberos servilem in modũ Romanis vendere consueverãt, auctore Dionysio, ut manumissi ius honorũ adipiscerentur. pòst armis socialibus coacti, universæ Italiæ civitatem concesserunt. tandem etiam exteris nationibus: postremò omnibus, qui Romano imperio continebantur. Sunt igitur apud Venetos Citadini & Plebei æquè cives ac Nobiles: ut privatus æquè civis est ac magistratus: sed illi ab honoribus & imperio summoventur. huc enim relabi oportet, un-

de totius disputationis originem ducebamus. non enim quia Citadinus Venetorum Cancellarius esse potest (quanquam suffragijs tribuitur non sorti) aut etiã scriba, propterea civis habetur, cùm in tanta munerũ, quæ in perpetua sunt paucitate, unus tantùm aut alter civis isto modo esse possit: cæteri peregrini. apud Athenienses, si Athenæi scripta sequamur, cùm xx millia civium imperium tenerent, decem millia peregrinorum qui nati erant ex peregrinis, tametsi ab honoribus & suffragijs arcerentur, nihilominus cives fuisse oportet: cùm libertate, imperij tutela, iuris æquabilitate, domicilio perpetuo, ac patria denique in qua nati erant, fruerentur; nec ab alijs civitatibus aut principibus iure vindicari possent. fuerũt igitur revera xxx. millia civium, quorum xx. millia popularem statum tuebantur. neq; enim oportet in populari statu cives omnes imperij participes esse, sed maiorem partem. quod enim pluribus placet, omnibus placere dicitur.

Status optimatum.

Cùm verò minor pars civium imperat, & pro lege habetur, quod paucioribus civibus placet, optimatum potestas est. nisi ad verborum subtilitatem omnia revocemus, ut non sint optimates nisi optimi præsint: at ista ratione non solùm apud Venetos, Rhagusios, Genuenses, Lucenses & Germanos, ubi paucissimi imperium tenent; sed nulla omnino Aristocratia usquam fuisse reperietur: & vitiosæ eiusmodi Respublicæ videbuntur, in quibus nobiles, aut divites, nulla virtutis aut eruditionis habita ratione, soli Rempubl. gerunt: cùm interim optimi ac prudentissimi propter inopiam vel generis obscuritatẽ reijciantur. quod absurdum esse affirmabunt. ergo populariter loquamur, & optimatum imperia civium paucitatem minore civium parte definiamus: sive duo (nam plures eo numero intelliguntur, ut Iurisconsulti tradunt) sive tres fuerint, ut cùm Augustus, Antonius, ac Lepidus triumviri Reipub. constituendę Rempublicam suo arbitrio gubernarent: quanquam statim in monarchias tres, ac paulò pòst in duas, postremò in unam concessit. sive plures tribus imperent, paucissimi

mi tamen & virtute insignes, ut apud Hebræos ante regiam potestatem: apud Lacedæmonios, sublato regno: apud Pharsalios, ante Alexandri tempora: sive paucissimi ac deterrimi, ut apud Megarenses, & Athenienses sub xxx. tyrannis: apud Romanos, sub decem viris: apud Perusinos, sub Ottonibus: apud Senenses, electis patricijs. sive nobilissimi magno numero, ut apud Romanos patricij ante creationem Tribunorum tunc re vera imperium tenebant, populare nomen inane erat: vel etiam apud Cnidios, Venetos, Rhagusios, Lucenses, & Norimbergenses. sive pauci divites, ut apud Rhodios, Thebanos, Genuenses, sublata populi potestate. numerus verò infinitam adfert varietatem: ut apud Pharsalios xx. apud Lacedæmonios xxx. apud Hebræos LXXI. apud Germanos ducenti, aut ad summum trecenti: totidem ferè apud Rhagusios, & Lucenses: apud veteres Massilienses sexcenti, ut Valerius Max. testatum reliquit. nũc apud Genuẽses circiter mille quingenti. apud Venetos numerus optimatũ triplo maior est, sed illic numerus frustra definiatur, cùm à stirpe querantur optimates: si tamẽ electione aut sorte ducãtur, cẽtesimum quenque cooptari meliùs est ad geometricam rationem, quæ optimatum imperio rectissimè congruit, ut harmonica regno, arithmetica populari. quare si demus civium decem millia, cẽtum optimates deligendi sunt; sic enim geometrica ratio cõstabit: quia hic numerus æquabili ratione unum ad decem millia complectitur. consimiliter ex xx. millibus ducenti, numerum implent optimatum. ac Lycurgus ferè millesimum quenque, scilicet è quinque Spartiatarum & xxx. Lacedæmoniorum millibus xxx. duntaxat elegit. In Senatu cooptando multò pauciores desiderantur, quàm in optimatibus eligendis. contrà quàm voluit Plato, qui trigesimum quenque in Senatum annuum cooptavit, id est, ex millibus quinque & quadraginta, CLXXX. quod veteri more factum opinor. nam Romulus trigesimum quenq; selegit, id est, centum Senatores ex tribus civium millibus, quos in

coloniam ſuæ urbis deduxerat. at in conſequentibus colonijs decimus quiſque legebatur, ut I.C. ſcribit in l. pupillus. de verb. ſignific. Moſes tamen videtur è decem millibus unum duntaxat divina ſorte duxiſſe. cùm enim cenſa fuiſſent DCXXII. millia hominum ſupra XX. & infrà LV. annos, qui arma ferre poterant unum & ſeptuaginta Senatui præfecit. quæ ratio congruet, ſi minorum centum millia fuiſſe concedamus. reijcio ſervos, ſenes ac fœminas, quorum numerum duplo maiorem fuiſſe neceſſe eſt; cùm ferè tot ſint ubique fœminæ quot viri, atque etiam una plus Athenarum urbi nomen dedit. ſed hanc Senatus, & optimatum deligendorum rationem miror à Platone eſſe & Ariſtotele prætermiſſam: cùm tamen numerum civium definirēt; qui ſemper variè minuitur & augetur. nam Dionyſius tradit primo cenſu Romuli tria millia civiũ: ſecundo Servij LXXX. quinto CXXX. ſeptimo CX. octavo CIII millia, præter ſervos, fœminas, opifices, mercatores; quorum numerum triplo maiorem fuiſſe confirmat. numerus autem ſingulis annis facilè intelligebatur, quòd naſcens quiſque, Iunoni Lucinæ; moriens, Veneri Libitinæ nummum pendebat, Servia lege. at in Ariſtocratia pauciſſimorum, ijdem optimates ſunt & Senatores, ut apud Lacedæmonios, Pharſalios, Hebræos. Atque hæc de populari & optimatum ſtatu.

Monarchiæ ſtatus.

Reſtat de Monarchia dicere, cuius tametſi unum genus eſt, varias tamen complectitur formas, quinque ab Ariſtotele conſtituuntur, in quo refellẽdo, ne longior ſim, id cuique iudicandum relinquam. Monarchiam appello, quum ſumma poteſtas eſt in uno qui iure imperat aut iniuria. hic tyrannus; ille Rex appellatur. finis huius honeſtas; illius voluptas. neq; enim verũ eſt quod ait Ariſtoteles; Regem evadere tyrannum, cùm vel aliquantulũ imperat contra populi voluntatem. nam iſta ratione nulli ſint reges. ac Moſes ipſe iuſtiſſimus & ſapientiſſimus princeps, idem tyrannus omnium maximus iudicaretur, quòd omnia penè iuberet ac prohiberet contra populi voluntatem. quan-

quanquam popularis ſit non regia poteſtas, cùm arbitrio populi Reſpublica gubernatur à Rege: quoniam ſtatus à pópulo pendet. Quare cùm Ariſtoteles hanc definitionem tueretur, coactus eſt nullos uſquam eſſe reges confiteri. Tyrannorū igitur alius alio iniuſtior, omnes tamen ſcelere ac iniuria cōiuncti. Regum autem qui iure imperant, duo ſunt genera: alteri quidem nulla tenentur lege: alteri legib⁹ obligantur. primi generis ſunt reges illi qui manu regia, ſine ullis legibus, olim imperia iuſtiſſimè gubernarunt: quales fuiſſe dicuntur reges veterum Græcorum ante Lycurgum & Draconem, id eſt, antequam leges ullæ ſancirentur. tales quoque in Italia veteri regum ſtatus fuiſſe memorantur, cùm nec regibus, nec privatis leges ullæ ferrentur: ſed tota Reſpublica iusque civium in arbitrio principis poſitum eſſet, ac manu regia, ut Pomponius ſcribit, ſine certo iure gubernaretur. nam Ioſippus eo argumento colligit, Moſem antiquiſſimum omnium fuiſſe legiſlatorem, quòd Homerus in opere tanto νόμου verbum nuſquam uſurparit. ac tametſi poſtea leges inventæ fuiſſent; privatis tamen non regibus ferebantur: nec niſi ſerò admodum principes legibus obligari voluerunt: at ne regibus quidem Vrbe exactis Conſules ſuum imperium ac poteſtatem lege teneri patiebantur. eſt enim ac ſemper fuit vetus illa inter potentes ac tenues gravis controverſia, quæ magnis imperijs exitus attulit valde calamitoſos: quòd potentes arbitrio ſuo imperare, ac legibus ſolvi, tenues æquabili iure omnes teneri volunt. itaque Terentius Arſa Trib. pleb. legem tulit ad populum, ut conſulibus leges conſcriberentur, ne plebs ab eorum arbitrio penderet: quæ lex, inquit Dionyſius, à Cōſulibus annos ſex oppugnata, ad extremum perlata eſt. hinc decem viri legibus ſcribendis creati. ſed longè aliud eſt magiſtratum lege tenere, aliud Regem: quia hic à ſeipſo; ille à principe vel populo imperium habet. nullum autem Reipublicæ interituræ maius argumentum Platoni viſum eſt, quàm ſi magiſtratus legi, non magiſtratui lex imperet. illud ta-

men valde periculosum; Regem ita creari, ut nullis omnino legibus teneatur, sed omnia nutu arbitrioque suo gerat. atque hæc disputatio graviter est ab Aristotele tractata, ubi quærit, an præstabilius sit imperium homini tribuere, quàm legi. & cùm æquius esse dixisset virum bonum imperare, si modò talis in Republica futurus est, postea subiecit; Imperium Deo tribui, cùm legi tribuitur: cùm autem homini communicaretur, belluam adiungi: propterea quòd homines varijs perturbationibus ab æquitate distrahi solent. sed cùm interprete lex egeat; nec omnia quæ ex infinita locorum, temporum & causarum varietate occurrunt, possint legibus comprehendi: necesse putat quæcunque possunt, ea legibus complecti oportere: cætera hominum æquitati ac religioni dare. quæ ut vera sint, non tamen ad principes, aut eos qui summam Reipublicæ potestatem habent, sed ad magistratus pertinere videntur. nam qui iubent legem, superiores legibus esse oportet, ut eam vel abrogare, vel ei derogare, vel abrogare, vel subrogare possint: vel etiam si res ita postulat, antiquari patiantur. quæ fieri non possunt, si lege teneatur is qui tulit. Itaque Demosthenes Leptinis legem ob id reiecit, quòd everteret imperij statum. tulerat enim Leptines rogationem ad populum, né à populo cuiquam immunitatem dare liceret, & qui petijsset, is capite puniretur. at cùm Romani lege sacrata decrevissent, ne privilegia cuiquam irrogare liceret, subrogarunt, nisi comitijs centuriatis: alioqui populus suæ legis abrogandæ potestatem non habuisset, quod absurdum est, cùm nemo sibi legē dicere possit, quin ab ea recedere ei liceat. l. si quis in princip. de legat. 3. l. à Titio. de verb. obligat. atque hæc una causa fuisse videtur, cur Augustus primùm, deinde Vespasianus, accepta imperij summi potestate, legibus sunt à Senatu soluti; sed in eo tamen sæpe fraus imperio fit. honesta quidem oratio est, oportere legibus superiorem esse, qui legem iubet, propter ea quæ diximus: sed lege lata, summoque omnium probata cōsensu, cur non teneatur princeps, ea lege quam tulit?

tulit? hanc enim ob causam lata est lex Cornelij Tribunitia, qua cautum est, ut Prætores suis edictis obligarentur, nec semel fixa refigere aut mutare possent, cùm ambitiosè arbitrioque suo contrà quam edixerant, decernere consuevissent, ut Asconius scribit. quę autem ratio Prætoris est ad edictum; eadem Principis aut populi ad legem. igitur si ęquum est, ut quod quisque iuris in alium statuit, eodem ipse teneatur: quantò est æquius Principem aut populum suis legibus obligari? quare populus Romanus iurabat in legem quam ipse iusserat, ut est apud Appianum libro 1. ac propterea Metellus Numidicus, quòd Appias leges non probaret, nec iurare vellet; in exilium missus est. cùm igitur sua lege populus tantisper teneretur, dum abrogari æquius esset: consequens est Principes quoque teneri. at sophismate adversus populum utebantur, cùm se legibus ita solutos esse dicerent, ut nō modò legibus superiores essent, sed etiam ut nulla ratione ijs obligarentur; quodque turpius est, quę sibi placuissent, vim legum haberent. cui sanè opinioni, Pomponius & Vlpianus, plus aliquantò quàm Iurisconsultos deceat, blandiuntur: Paulus graviter; Inverecundum esse Principem ex imperfecto testamento quid capere; tantæque Principum maiestati decere, leges eas servare, quibus soluti videntur. ijsdem temporibus Alexander Severus, primus omnium id suo rescripto confirmavit: pòst etiam Theodosius & Valentinianus, se legibus teneri oratione planè regali testati sunt; Digna vox, aiunt, maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. adeò de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas & revera maius imperio est submittere legibus principatum: & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, alijs indicamus. sed pauci Principes legem hanc sibi latam putant. neq; enim Turcarū, nec Persarum, nec Scytharum, nec Britannorum, nec Abyssinorum reges: ~~at ne Pontifices quidē Romani legibus ulli se teneri volunt, & ut eorum verbis utar, nunquam manus sibi ligant~~. cùm igitur legum ac rerum omnium do-

minos se ferant, consimiles sunt regibus ijs, quos Aristoteles dominos appellat; qui velut patresfamiliâs, Rempublicam quasi suam tuentur. neque enim contra naturam est, aut cōtra ius gentium; ut Princeps in Republica rerum omnium ac legum dominus sit, modò imperium suis armis & sanguine partum iustè tueatur: cùm pater familiâs non modò bonorum quæ à se quæsita sunt: sed etiam quæ à servis, & servorum quoque iure gentium dominus sit. hoc igitur primū genus est Principum. Alterum est eorum, qui non modò magistratus ac privatos, verumetiam seipsos legibus cōstringunt, ut Principes Christiani paucis exceptis ac Pœni: qui cùm sacris initiantur, magno iureiurando verbis conceptis à Pontificibus & regni proceribus sese obligant, ex legibus imperij & ęquo bono Rempublicam gesturos. formula quidem initiationis regum nostrorum, non modò verborum & antiquitatis eximia specie, sed etiam pondere & gravitate sententiarum pulcherrima visa mihi est: in eo maximè, quod Princeps ante Pontifices per Deum immortalem iurat, se omnibus ordinibus debitam legem ac iusticiam redditurum: & quanta poterit integritate ac religione iudicaturum. neque verò iuratus fidem violare facilè potest, aut si possit, nolit tamen, ius enim illi dicitur ut privato cuique, & ijsdem legibus tenetur. leges autem totius imperij proprias convellere non potest, nec de moribus civitatum & antiqua consuetudine quicquam immutare, sine trium ordinum consensu. Hinc illa gravis ac diuturna controversia Regem inter & populum Narbonensem de titulo possessionis antiquæ, quam ex suis, ijsdemque Romanis moribus, ut cogantur docere, incivile ac iniustum esse aiunt. hæc quęstio multoties ampliata est, ad extremum à Rege, vel potius ab adulatoribus & quadruplatoribus omissa. Ex his perspicuum fit, opinor, errare Aristotelem, cùm reges eos qui regibus obligantur, reges nō esse scribit. si enim summum imperium habent, sanè reges sunt, aut ne populus quidem Romanus summum Reipublicæ ius habuit, cùm iureiu-
rando

rando legibus obligaretur. perniciosius tamen Iurisconsultorum interpretes, cùm Vlpiani ac Pomponij dicta de principibus Romanis (quos non modò legib. solvunt, sed etiam eorũ arbitrium legem esse aiunt) ad omnes principes pertinere affirmãt. turpius etiam quòd Iaso caput legis bene à Zenone coram rege Ludovico xij. interpretatus, omnia Principis esse temerè affirmavit. quæ interpretatio non solùm abhorret ab huius imperij moribus ac legibus, verumetiam ab omnibus omnium Imperatorum ac Iurisconsultorum edictis & responsis: alioqui omnes rerum vindicationes tollantur, si nemo rei cuiusquam dominus est. Ad Reges, ait Seneca, potestas omniũ pertinet, ad singulos proprietas. & paulò pòst; Quemadmodum sub optimo Rege, omnia rex imperio possidet, singuli dominio. omnia sunt in imperio Cæsaris, in patrimonio propria. Sit igitur hoc discrimen Regũ inter ipsos qui iustè imperant, quòd alteri quibusdam imperij legibus obligantur: alteri sunt omnino soluti. Alterum est cùm creantur, aut nascuntur à stirpe Regum: quod regni genus, Aristoteles Barbaricum appellavit. atque hi quidem perpetui sunt. eorum verò qui leguntur, alteri in perpetuum; alteri ad breve tempus: si hoc; Dictator Latinis cum optima lege creabatur, Archus Thessalis, Aezymnetes Mitylenęis, Harmostes Lacedæmonijs, Archon Atheniensibus ante popularem statum: Balia Florentinis: sed hæc fuit multorũ. hi enim summum imperium belli, pacis, pœnarum ac prꝯmiorum sine provocatione habuerunt. si verò perpetuam potestatem accipiunt ab optimatibus, aut plebe, Reges ab Aristotele vocantur: quales fuisse scribit heroicis temporibus, cùm iustissimus ac prudentissimus quisque omnium consensu dux belli perpetuus, iurisque ac sacrorum interpres eligeretur. tales etiam eligebãt Romani veteres ac maiores nostri Franci, Arabes, Scythæ, Dani, Norvegi, Poloni, Hungari. nam Pyastus homo rusticus, Poloniæ rex à suis creatus est, anno Christi DCCC. à quo cæteri ad Iagellones usq;, à quibus Sigismundus hic originem traxit. Matthias

verò Corvinus Hungariæ, Gostavus quoque ex privato, Sueciæ rex, non ita pridem electus est. electionem verò Hunni Caros appellant, quæ fit in Pestæ campis, ubi exercitus cogitur. & Aegyptiorum Sultani, à Mammelucis, id est, à Prætorianis militibus eligi solebant: non aliter quàm Pœnorum & Mauritaniæ reges, nisi adoptione superiorum regum, ac optimatum consensu in spem imperii vocati sint, ut Cæsares olim ab Augustis ad imperium designari consueverant. quintum genus Regum posuit Aristoteles in perpetuo belli duce. exemplum affert de regibus Lacedæmoniorum, sed non satis accommodatè, cùm reges illi nihil omnino imperij haberent, nec bellum indicere aut finire possent, ut anteà dictum est. sed Aristotelem fefellit, opinor, nominis appellatio, quam Lycurgus adempta potestate reliquit, ne Rempubl. perturbarent. ac multò maiorem habent in regno magistri militum, ut etiam perpetui Vexilliferi apud veteres Genuenses, qui tamen ex albo regum eximêdi sunt. atq; etiam duces Thebanorum, Achæorum, Phocensium, Lucensium, Rhagusiorum, ac veterum Gallorum, quos annuos fuisse tradit Cæsar.

Status Germanorum. De Imperatoribus Germanorum dubitari potest. ac initiò quidem, id est, intermortua Caroli magni stirpe, cùm primùm electione creari cœperunt, planè regiam potestatem habuêre; ut Henricus Auceps, Othones, ac reliqui exceptis admodum paucis usque ad Rudolphum, qui quod regiæ potestatis reliquum erat; penitùs amisit: cùm scilicet novi Principes honoris quàm imperij cupidiores, electorum legibus se constringi paterentur. nam Otho tertius, suffragio Principem creari voluit, non à stirpe duci. hinc optimatum secuta conversio est, propterea quòd imperij summa, principibus & optimatibus omnino cessit; ut videre est in aurea bulla Caroli IIII. etenim Imperator, qui revera belli dux est, ut olim apud Hebræos, nec legem ferre, nec indicere bellum, nec magistratus creare, nec tributum imperare potest. habet ipse quidem imperij dignitatem, aliquid etiam ex vectigali-

bus

bus & portorijs, præterea nihil. nam creatio magnorum iudicum & imperialis curiæ, quæ xxiiij. viris & uno Prætore constat, Imperatori cum alijs principibus communis est. nec principem quenquam efficere potest: sed ut apud nos principes à Rege, sic apud illos Imperator à principibus, ac principes quoque creari consueverunt. denique imperium ei abrogari potest; ut non ita pridem Venceslaus Caroli IIII. filius imperio spoliatus est: Atq; illud est quod queritur Iuli⁹ Flugus episcopus Germanus, Imperatores qui optimatibus ac populo imperare debeant, eorum imperijs ac iussis acquiescere. quinetiam principes habere pl⁹ imperij in cives, quàm ipsum imperatorem. quibus verbis apertè significat optimũ statum. cœt⁹ aũt principum & optimatũ, ex electoribus, ducibus, Landgravijs, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Pontificibus, & sociorũ urbium legatis coalescit. illic imperij leges rogantur & abrogantur: illic vectigalia ac tributa imperãtur, bella decernuntur, exercitus attribuuntur, legationes admittũtur, fœdera sanciuntur. est autẽ ratio suffragiorum ex triplici comitiorũ genere. prima comitia constãt septem electoribus: altera principibus imperij: tertia urbiũ legatis. itaq; si duo comitia, puta electorũ & principum; aut principũ & urbium cõsentiant, tertia comitia nullã vim habent; quod animadversione dignum est, quia nusquam ea ratio comitiorum habetur. non tamen vetus est hoc institutum, ut videre est in concessione comitatus Burgundiæ, Philippo Burgundiæ duci facta à Carolo IIII. Imperatore, solo suffragio Electorum. quod in re tanti momenti fieri non potuisset, sine Principum ac Vrbium imperialium consensione, si tunc iura suffragiorũ habuissent. nec obstat quòd Principes in suos imperium habent (quanquam imperiali lege moderatum est) cùm ipsi vitam, fortunas, agros, ac ius omne potestatis, ordinibus acceptum ferant. argumento est, quòd Principum ac civitatum controversiæ graves, & capitalia iudicia, vel in comitijs, vel ab imperiali curia disceptantur, & privata quoque iudicia provoca-

tionum,si xx.aureorum summam excesserint. cætera sunt in promtu, & ex aurea bulla facilè intelliguntur. Propterea quòd magis ad optimatum statum accedit, sacerdotia quæque amplissima nobilitati, nulla ferè plebeis tribuuntur, ut Iulius Flugus scribit. Ipsę quoque civitates imperiales partim liberæ, cuiusmodi ferè sunt septuaginta: partim principibus quodammodo subditæ, suo tamen iure utentes, optimatũ imperio gubernantur: quod intelligi potest ex statu Norimbergæ, quæ omniũ maxima & domestica disciplina clarissima putatur.

Norimbergæ status.

Habet autem trecentos ferè optimates (neque enim certus numerus) qui, ut Conradus Celtes scribit ex octo & xx.gentibus patriciorum constant. nam opifices ac mercatores tametsi ad suffragium, non tamen ad imperium admittuntur; contrà quàm in alijs Germaniæ civitatibus fieri solet. in ijs igitur summa Reipubl. posita est. ab ijs enim eliguntur Censores, sive Senatus electores: quibus creatis, cæteri magistratus abdicant. Senatus autem constat xxvj.viris, qui antiquos octo sublegere solent; ac deinceps alios quoque magistratus, puta xiij.viros ex Senatorum numero, qui Scabini vocantur, & vij.viros Burgomagistros, qui parem ferè ac decemviri Venetorum potestatem habent. creantur etiam quinqueviri capitales, qui de furtis & damno iniuria dato perinde cognoscunt: ut xij.viri de civilibus, unà cum assessoribus Iurisconsultis, cætera sunt penes Senatum. sequuntur septem viri militaris disciplinæ Præfecti, Prætor rusticorum, Quæstores duo, summæ apud cives auctoritatis. Præfectus annonę, Triumviri tutelares, eodem munere ac potestate, quo Procuratores D. Marci apud Venetos: postremò collegiorum & corporum Præfecti. hæc forma est eius Reipublicæ, quam aliæ civitates Germanorum ferè imitantur. tametsi nonnullæ popularem statum habent. ex quo perspicitur eos vehemẽter falli, qui Germanorum Imperatorem summum imperium habere putant: propterea quòd Carolus iiij. Principes & Electores, ipsos in aurea Bulla (quæ tamen

men ex parte abrogata est) suos pincernas, dapiferos, coquos, armigeros, stabularios appellat: qui omne imperium habent, Cæsar nihil penitus. nec maius argumentum est, quàm quòd Imperator non aliter renunciatur, quàm iuratus in electorum fidem. neque verò ullam publicę pecuniæ potestatem habet: sed ęrarium omnino triplex est, unum Argentinæ, alterum Lubeci, tertium Augustæ: ubi tributa servantur.

Atque hæc imperij forma consimilis est Achæorum imperio, quod ex urbibus xij. initiò constabat. Cùm enim ab Oreste usque ad Ogygem tyrannum regiam potestatem pertulissent, cæso tyranno statum optimatum stabiliverunt: tum varijs Demetrij & Antigoni artibus ab amicitia mutua disiuncti, in tyrannorum potestatem relapsi sunt: ac rursus in libertatem se ipsos vindicarunt, cùm Pyrrhus in Italiam exercitum transmisisset. deinde Iseas Cerauniorum tyrannus sibi metuens, urbem Achæis spontè reliquit. post accessit Carinia, Leontia, Pellenæ: tandem finitimæ quoque urbes tyrannis eiectis, in eam societatem venerunt: scilicet, Argivi, Sycionij, Arcades, Corinthij, Lacedæmonij, & universa Peloponesus, propter virtutis & iustitiæ opinionem, quam Achæi de seipsis in disceptandis Græcorum controversijs excitarant. cùm enim cœtus Pythagoræorũ in Italia sublati essent tanta Rerumpubl. perturbatio secuta est, ut potentissimis ac sapientissimis quibusque principibus interfectis, Italiæ civitates uno consensu seipsas Achæorum potestati permiserint; tametsi armis & opibus multò magis florerent Athenienses ac Lacedæmonij. postremò conspirationis fide & consensu tot utilitates adepti sunt, tot urbes in suam amicitiam pertraxerũt, ut quod incredibile videatur, verumtamen sit, tota Peloponesus ijsdem legibus (sic enim Polybius tradit) ijsdem moribus, ijsdem ponderibus, ijsdem mensuris, ijsdem nummis, ijsdem iudicibus, eodem consilio, eadem religione, eodem imperio uteretur: & cùm ea benevolentia longè latè diffusa, tot populos ac civitates complexa foveret, nihil aliud restabat, quàm ut ijsdem

Achæorũ status.

mœnibus clauderentur. hoc etiam præclarius, quòd sua virtute tantum perfecerunt, ut non modò se invictos hostibus præbuerint, sed etiam tyrannorum censores ac magistri (quod de Helvetijs quoque proditũ est) appellarētur: nec priùs à Romanis vinci potuerint, quàm illorum fraudibus ab amicitia mutua disiuncti fuissent. cœtus annuos ut Germani habuerunt, & annuos Imperatores; illi perpetuos. Ex quo intelligitur, eos belli duces falsò ab Aristotele reges appellari. Rex autem is dicitur, penes quem legum, magistratuum, belli, pacis, ac provocationis summum ius est: quę si defuerint, regis inane nomen est. cætera quę in populari & optimatum statu videmus, paria sunt in monarchia.

Monarchiæ ordo. Est enim post principem summa potestas in Senatu, quod privatum consilium apud nos, regale apud Hispanos, Divan apud Turcas dici consuevit. quanquam præter hunc alius est ubique Senatus, quē Hispani secretum, nos strictum appellamus: constat aũt quatuor aut quinque viris, amicitia cum Principe cōiunctissimis, qui arcana imperij tractant: quale est apud Venetos decemvirale collegium. apud Hispanos regale consilium, duodecim viris ferè constat: qui de legibus, de bello, de pace, deque toto Reipublicæ statu cum Principe decernunt, ut Alfonsus Vloa scribit. alterum consilium est Indicarum rerũ: quartum quinque virorum, ubi de nobilium ordinibus, deque expeditionibus & bello sacro agi consuevit. quintum est inquisitionis, vbi de religionibus deliberatur. sextum belli proprium, quod cum Imperatorib. ac regni proceribus haberi solet. apud Polonos duplex est, unum quidem sanctius, alterum maius: ubi admittũtur ij omnes qui Pontifices aut Castellani sunt, aut maiores magistratus gesserunt, ut scribit Sarius Polonus. apud Anglos Senatus XV. circiter virorum ab Odoardo II. constitutus est ex ijs, qui summæ auctoritatis ac prudentiæ viderentur, idque factum suasu Roberti Canturbiæ Pontificis, ad tyrãnidem principum coercendam. apud Turcas principis Senatum conflari aiunt

ex Baſſis quatuor, duobus Cadileſchieris, & octo Bellerbeis. apud nos in Senatũ admittuntur Principes Regis conſanguinei, deinde maiores magiſtratus, puta Cancellarius, magiſter militum, magiſter palatij, magiſtri libellorum, Mareſchalli, pręfectus maris, magnus Scutifer: ceteri Principis arbitrio leguntur, puta Cardinales, Pontifices, tribuni quidam ærarij, & maioris curiæ Præſides: aut ut quiſquis legationibus diuturnis, & uſu rerum agendarum præſtare videtur. Poſt Senatum proximæ dignitatis ſunt duo magiſtratus, puta magiſter militum, & Cancellarius, qui in omni ferè monarchia conſimili officio funguntur. olim quidem ſub Romanis regibus Tribunus Celerũ, ſub Dictatoribus magiſter militum: ſub Imperatoribus, Pręfectus Pretorio dicebatur is, qui legum ęquè ac armorum moderator erat; cùm idem eſſet bonus Senator, fortis imperator, & diſertus orator, ut tempora ferebant. talis fuit Themiſtocles, Arides, Pericles, Demetrius Phalereus, Demoſthenes, Cato, Cæſar, Brutus, Antonius, & innumerabiles alij. poſteà verò quàm legum multitudo Reſpublicas invaſit, militaris ac urbanæ diſciplinæ diviſa ratio eſt & ubique duplex utriuſque magiſtratus conſtitui cœpit: alter quidem togatus; alter ſagatus. nam qui apud nos, Hiſpanos, Britannos, magiſter militum ſive Coneſtabilis, olim magiſter palatij: idem apud Pœnos Munafidus, quem malè Iovius Niphatem, at apud Sultanos Edegnarus (ſic enim Leo Afer) ipſe Diadarium vocat: apud Turcas Baſſa Viſir, id eſt, conſilij princeps: apud Abyſſinos Betudeta, id eſt, domeſticus. Atq; horũ quidem imperium maius ſemper fuit, ac magis gratioſum quàm togatorum, proptereà quòd Reipubl. ſalus & domeſtica diſciplina beneficio militaris & armorũ conſiſtit. tametſi illa decernit ac iubet: hæc iuſſa exequitur. Cancellarij quoque munus, ubique ferè idem eſt, ut iuris ac legum interpres, ſacri ſigilli cuſtos ſit: abſurdum eſt enim quòd Machiavellus Cancellario Gallorum tribuit liberam in cives necis ac vitæ poteſtatem. idẽ apud Abyſſinos magna iuſticia vocatur, ut

Alvaresius tradit. apud Turcas Cadileschier, sive princeps iudicum: unus quidem Asiæ, alter Europę; qui ordine Baſſas ipsos antecedunt. habent enim in iudices animadversionem, ac summam iudiciorum potestatem. nam qui Molti, seu Pontifex maximus est, divinæ quidem legis interpres habetur: eatenus ne quis in legibus humanis à religione aberrare poſſit: reliqui militares ac togati magiſtratus sunt illis inferiores. ut Mareſcalli, pares Tribunis militum sub imperio Consulari. & qui apud Persas Satrapæ, apud Romanos Præsides, apud Turcas Bellei bei, apud Abyſſinos Negui; iidem apud Germanos, Gallos, Britannos, Hispanos, duces olim & Comites, nunc Gubernatores provinciarum dicuntur. qui apud Turcas Sangiachi, paulùm admodum differunt à noſtris Seneschallis. Diximus quid civis, quid Reſpublica, quid civitas, quid magiſtratus, quid imperium, quid ſtatus Reipublicæ, nec plures eſſe tribus. Nunc ad Rerumpublicarum converſiones veniamus.

Cõverſiones Rerumpublicarum.

Vt ergo progrediamur à prima illa origine societatis, ad eam quæ latiſſimè pateat omnium inter omnes, infinitos propè gradus & converſiones reperiemus. nam prima societas quæ eſt viri & uxoris, omniũ antiquiſſima putatur; propterea quòd animi, corporis, omniumque fortunarum communitas quædam eſt. tum liberorum coniunctio, paululum à prima discedit: deinde fratrum inter ipsos: pòſt agnatorum & gentilium; qui cùm iisdem tectis capi non poſſint, in alias domos emigrant, quibus sunt res rationesque diſtinctæ. sequuntur affinitates & nova connubia, ex quibus plures propinqui ab agnatis gentilitate disiuncti. cùm verò ab affinitatis coniunctione discesseris, proxima eſt amicorum virtute parta societas: tum vicinorũ, qui propagata sobole, in plures vicinias coniunctis ędificijs coaleſcunt: hinc phratriæ & pagi, quod ex ἑαυτοῦ φρέατος, id eſt, puteo, vel παγᾶς, id eſt, fonte biberent. ſed aucta vicorum multitudine, quo tutiores eſſent à peregrinis, qui maiore multitudine oberrantes, ut eſt apud Thucydidem, cultos agros & ædificia disiectis

iectis possessoribus occupabant: fossa primùm seipsos cinxerunt, unde oppidi nomen & πόλεως, quòd illic fruges & opes collocarent, vel opem in ijs sperarent, vel commodius habitarent. est enim πολεῖν & πολεύειν habitare, alere, gubernare. cùm autem non satis esset in fossa præsidij, varris primùm, ut credibile est: hinc valli nomen prisca literarum mutatione: deindem mœnibus oppida sepserunt, quæ propterea urbes à Latinis dictæ sunt, vel ab urbo, ut tradit Festus: vel ab orbe, ut Varro: quia interiore sulco fiebat orbis ad murorum descriptionem. Græci Astu πύργος, Germani Purgum dixerunt: utrique ab arce tutiori. Iam verò cùm civium numerus augeretur, pomœria proferri oportuit: quod nemini fas erat apud Romanos, auctore Tacito, nisi qui agro de hostibus capto, rem Romanam auxisset: vel colonias aliò mitti: quæ quòd ijsdem moribus ac priores uterentur, una & eadem civitas dici cœpit. est enim civis, opinor, quasi quivis (veteres enim littera q caruerunt) propterea quòd quivis eodem iure cum reliquis omnibus uteretur. sic paulatim amicitia, societatis humanæ vinculum, ab una domo in plures divisa familias; vicos, urbes, civitates, nationes, eousque propagata est, quoad omne genus humanum complexa tueretur. Sive igitur ista, sive alia principia fuerunt hominum consociationis, sive homo sua se voluntate (ut suapte natura societatis est appetens) sive cogente necessitate contulit ad aliorum cœtus, à quibus parata sibi videbat adiumenta vitæ iucundius commodiusque degendæ; constat omnem coniunctionem & communitatem, quò longiùs abest ab illa viri & uxoris societate, magis ac magis imminui. sic enim natura cōparatum est, ut quod quisq; plus amet, hoc magis suum esse velit, & quidem totum suum, nec cum alijs communicari. itaque non diu tulit natura promiscuos rerum usus. quia tamen amicitiarum ac bonorum ratio dissimilis est: quòd hæc minuuntur, quò pluribus communicantur, amicitia verò quasi lumen eò magis lucet, quò plures ea fruuntur: propterea fraudes

ſororibus, parentes liberis, matrimonio iungi natura vetuit, vel potius lex omnium gentium communis; quæ vel apud barbariſſimos Americos inviolabiliter ſervari dicitur: ut domeſtica ſocietas in civilem: & amicitia, quæ iiſdem tectis concludebatur, in finitimos omnes longè latè propagaretur, quemadmodum ſcribit Auguſtinus: verius ſanè quàm Innocentius Pont. Max. qui cõſanguineorum nuptias quarto gradu definijt, propterea quòd in corpore quatuor ſint humores, in capite penult. de Conſanguin. quod mirum videri non debet, cùm ne ipſe quidem Plato, vim huius affinitatis propagandæ intellexiſſe videatur, qui libro v. de Republica ſolam parentum ac liberorum coniunctionem vetat, cætera permittit. Sed hæc vitæ dulcedo, quam homines ex mutua ſocietate capiebant, diſſidijs violari cœpit, cùm ſcilicet tenues à potentibus opprimerentur: quod univerſæ naturæ Varro tribuit;

Qui pote' plus urget: ut piſces ſæpe minutos
Magnu' comeſt, ut aves enecat accipiter.

quam vim ut effugerent debiles ac tenues; alij quidẽ ad robuſtiſſimos & potentiſſimos; alij ad iuſtiſſimos quoſque confugiebant, ut ſe ab illata iniuria vindicarent. hinc duo genera Rerumpubl. orta ſunt: alterum vi conſtitutum; alterũ æquitate. ex altera parte regnũ, ariſtocratia, democratia: ex altera tyrannis, oligarchia, ochlocratia, quam Cicero cùm verbo Latino careret, tyrannidem quoque appellavit. ſed cùm imperia ſcelere parta ſine iuſticia retineri non poſſent, ipſi tyranni iuſticiam, non propter ſeipſam, ſed propter ſeipſos colere coacti ſunt. hinc opinio iuſticiæ inclaruit: cùm ad iuſtiſſimum quenq; ac prudentiſſimum civem reliqui confugerent, eumque laterum ſuorum obiectu, quò minus ei noceri poſſet, tuerentur. is igitur æquitate cives regebat. Ex quo perſpicuum fit, etiam ſi ab hiſtoria deſtitueremur, plenam omnium libertatem, id eſt, poteſtatẽ vivendi ut velis, ſine legibus aut imperio, à ſingulis ad unũ eſſe delatam: ac Reipublicæ primũ genus penes unũ fuiſſe, qui quòd iuſticię fruendę

causa creatus esset (ut apud Athenienses principiò factum scribit Demosthenes: apud Medos Herodotus) Iudex appellabatur, argumēto est, quòd apud Homerum & Hesiodum, iudices, id est δικασπόλοι, sæpius dicūtur βασιλῆες, ἄνακτες, κοίρανοι, meliùs etiam ποιμένες seu pastores populorum: quæ verba nec imperium, nec dominationem significant, sed curam, solicitudinem, gubernationem, & in iudicando æquitatem. ac propterea Ammianus Marcellinus libr. XXIX. imperium nihil aliud esse tradit, quàm curam alienæ salutis. quod Plato. lib. 5. de Repub. scripsit, δίκαιον ὄντι τε καὶ δίκαιον ἀλλότριον τῷ ὄντι τοῦ κρείττονός τε καὶ ἄρχοντος ξυμφέρον. ac multis ante Homerū ætatibus, Minos & Aeacus, qui maxima imperia gubernarunt, non aliter quàm iudices sunt appellati. consimiliter septuaginta viri, qui Rempublicam Hebræorum tenuerūt, iudices dicebātur, id est שופטים. Consules quoque eiectis regibus iudices dicti sunt, ut videre est apud Livium & Varronem, qui accensum consulis utriusque delectum habituri, sic loquentem inducit; Omnes Quirites in licium huc visite ad iudices. nec mirum debet videri, si Augustus tam assiduè ius dixit, ut etiam æger in lectica iudicē ageret, ac reliqui quoque Cæsares de rebus levissimis cognoscerent: cùm etiamnum reges nostri cùm initiantur, hoc primùm iurāt se iustè iudicaturos: ut suæ creationis hæc præcipua caussa esse videatur. Fuit igitur primus Rerumpublicarū status in monarchia, quæ vel iusta fuit sine legibus ullis, sola regis equitate constituta: vel iniusta, cùm potentissimus quisq; latronū manu stipatus, tenues servitute premeret, ut Moses de gigātib. ac Nimrotho scribit, quem primū omnium in servitutem homines adegisse fert: nec: deinde imperium scelere quæsitum, ut diuturnum esset, oportuit equitate moderari, & in eo quidem omnes omnium historiarum scriptores consentiunt, nec usquam optimatum, multò minùs populares status initiò constituti reperiuntur. Reges autem à stirpe quærebantur, quòd qui viribus plurimum poterant, liberis imperium relinquebant:

qui iustitia chari fuerant, non modò vivi, sed etiam mortui colebantur, eorumque liberi reges à populo fiebant, quòd parentibus similes futuri putarentur: ut Polybius scribit. sed cùm imperia libidine ac utilitate non iustitia metiri cœpissent: secuta est conversio regnorum in tyrannides. hinc potentium querelę, pòst etiam tenuiorum, cùm ab ijs à quibus servari debuerant, fœdissimè diriperentur ac torquerentur. Itaque sæpe factum est, ut potentiores coniuratione facta, tyrannum occiderent; vel ob crudelitatem, vel libidinem, vel utrunque. ob crudelitatem, Phalaris, Alexander Pheræus, Caligula, Nero, Domitianus, Vitellius, Commodus, Ecelinus Patavinorum, Io. Maria Mediolanensium tyrannus. sed pluribus exitiosa libido fuit quàm crudelitas: quoniam hæc cives in officio continet, ac metum parit; illa contemptum, quòd imperio videatur indignus is, qui suæ libidini imperare nequit. nam Alexander Medices Florentinorum tyrannus, occisus est cùm alienæ uxori stuprum inferre conaretur: & Pisistratus ab Harmodio, cuius sororem constuprarat. ob eam quoque causam Aloysius Placẽtinorũ tyrannus, Galeaces Maria, Rodericus Hispaniæ rex, Tarquinius, Sardanapalus, Heliogabalus, Appius Claudius, & innumerabiles alij, tyrãnidẽ amiserunt. Ac sæpissimè odio tyrãnorũ, præmium imperij datum est principi coniuratorum. sic Arsaces sublato Sardanapalo, regnum Assyriorum adeptus est: Brutus uterque consulatum & exercitus: Ludovicus Gonzaga imperium Mantuanorum, cæso Bonacolsio tyranno. illud autem usu venire solet, ut sceleratissimum tyrannum sequatur iustissimus princeps. quorum enim exitus perhorrescunt, eorum vitam imitari turpe ac periculosum ducunt. itaq; Neronem Galba princeps optimus secutus est: Nerva, Domitianum: Alexander, Heliogabalum: Pertinax, Commodum: Gordianus, Maximinum: sed paulatim lapsa cõsuetudo de via deflectit, quousq; princeps alius ad vitiorum extrema recurrat. atq; hæc mutua conversio est omnium quæ unquam extiterunt monarchiarum.

falsum

falſum eſt enim quod Plato primùm, deinde Polybius ac Cicero, de populari & optimatum neceſſaria converſione ſcripſerunt: cùm nullos unquam populares aut optimatum ſtatus habuiſſe ferantur Scythæ, nec Auſtrales, nec Aſiatici ultra Euphratē, nec Americi quoque. in media regione duntaxat Occaſum verſus, video Democratias & Ariſtocratias, ſerò locum habuiſſe, nec diu tamen floruiſſe; & ad extremum in monarchias legitimas univerſæ naturæ congruentes recidiſſe, exceptis oppidò paucis. principiò Cretenſes: deinde Carthaginenſes: pòſt Athenienſes ac Lacedæmonij, in univerſam Græciam populares & optimatum ſtatus invexerunt hos ſecuti ſunt Siculi: tandem Itali, Galli, & Hiſpani: poſtremò Germani & Helvetij. atque hæc una ratio viſa mihi eſt, quòd cùm mediæ regionis homines ad res agendas nati ſint, ut ſuperiori capite diximus, omnes imperio ſe dignos arbitrantur: maximè tamen occidentales, qui quòd animi magnitudine orientalibus præſtant, non facilè tyrannidem ferre poſſunt. quare aut reges ipſos legibus parere cogunt (quo nihil divinius optari poteſt) aut tyrannos de imperio deturbāt: & populi ſive optimatum imperia ſtabiliunt: quod ex hiſtoriarum lectione planiùs eſt, quàm ut egeat exemplis.

Converſiones autem imperiorum, externæ ſunt aut dōmeſticæ: ſic enim diſtingui neceſſe eſt. externa fit ab hoſtibus, aut ab amicis. hęc quidem cùm Reſpublica ſponte, nec ulla vi coacta, ſe alterius imperio permittit: ut Mediolanenſes liberi ab imperio Germanorum, ducem Eriphrandum Angleriæ gentis nihil tale cogitantem acciverunt, eiuſque poteſtati ſe permiſerunt. ſimiliter Mēmeluci, cęſis pluribus Sultanis, Cāpſonem Caramaniæ principem, externum ac renitentem Aegypto præfecerunt. ita quoque Thebani ac Phocenſes urbem à ſe conditam, colonia deducta Platoni permiſerunt, ut eam arbitratu ſuo legibus informaret. ſed hæc rariùs accidunt; quia peregrinorum imperia difficillimè feruntur. id tamen armorum vi ſæpe contingit, ut victi victoris imperia ſequantur ſic A-

Duplex imperij converſio.

thenienſium popularis in Ariſtocratiam vi mutatue eſt à Lacedæmonijs duce Lyſandro. idem iudicium eſt omnium. domeſtica verò converſio duplex eſt: altera quidem ſine vi; altera violenta. prior à recta deflectit ad pravam ſine ulla vi, propterea quòd ea eſt hominum natura, ut deorſum ad vitia labi conſueſcant. quid enim illuſtrius quinquennio Neronis? quid Salomonis adoleſcentia divinius? quid Caligulæ initijs præclarius? cōtrà verò quid fine turpius? cùm enim ad vitiorum extremum pervenerunt, inde ſurſum revocari ſine maxima vi non poſſunt. quo fit ut regnum in tyrannidem, Ariſtocratia in Oligarchiā, Democratia in Ochlocratiam ſine ulla vi ferè ſemper mutatæ ſint. at converſio tyrannidis in popularem ſtatum ſemper violenta fuit, ſcilicet cæſo tyranno: eo tamen ſine liberis mortuo, quod ſæpe contigit, optimates imperium ſuſcipere ſolent, veriti ne rurſus in tyrannidem recaſuri ſint. primùm igitur Rempublicam ſumma æquitate ac iuſtitia moderantur, ut initia rerum gerendarum præclara eſſe conſueverunt. ſed inter optimates; qui amicis, vel gratia, vel opibus, vel rerum geſtarum laude præſtant, magiſtratibus etiam & imperijs ſuperiores eſſe conantur. atque hinc oligarchia, quam Cicero factionem vertit, cùm pauci multorum opes & honores malis artibus invadunt. ex quo potentiorum inter ipſos coniurationes, ac cædes parantur; quouſque plebs, imperium pertæſa ſceleratorum, facilè diſſidentes invadit, ſpoliat, occidit. ſic tandem ſtatu factioſorum mutato, ſequitur popularis. nam populus recuperata libertate, facilè perſuaderi ſe patitur hominum popularium oratione, ut adepta libertate fruatur. ac ferè fit ut plebs à cæde tyrannorum, ad aliud extremum, id eſt, ad popularem poteſtatem, velut impetu feratur. hoc etiam natura quodammodo inſitum eſt, ut invitus nemo pareat, at ne iuſta quidem præcipienti, ſed aut ſponte duci, aut imperare viciſſim ac parere velit. igitur nova Reipublicæ forma conſtituta, populus imperia cupit à ſe peti, ut ſinguli, tùm privati, tùm magiſtratus, univerſæ

universæ multitudini obsequantur. Illud autem ferè semper contigit ut post adeptã de hostibus victoriam, factiones & optimatum status abirent in populares, auc hi vicissim in ochlocratias: contrà verò acceptis offensionibus, à populo ad optimates imperia relaberentur. ut confecto bello Tarentino, magistratus omnes plebi communicari cœperunt. at Punico bello cùm Annibal Italiam armis quateret, Tribuni languere: eo victo & Antiocho magno, Tribuni furere; plebs insurgere, agros poscere. consimiliter Athenienses nõ antè imperium populare stabilierunt, quàm victis Persis ad Salaminem: aut eo ipso tempore quo à Syracusijs victi sunt, imperium ad quadringentos optimates redijt. contrà verò Syracusij ex eadem victoria, popularem statum arripuerunt, ut Diodorus scribit. ratio est in promptu. plebs enim, velut indomita bellua, rebus prosperis insolentiùs exultat: adversis repentè deijcitur: & ex eventis consilia metitur. at optimates qui periculo sunt propiores, velut in tempestate gubernacula suscipiunt. Cùm igitur populus, temerè ac nulla prudentia feratur ad res agendas, facilè est oratoribus, imperitę plebis animos quò velint impellere, ac deducere vnde velint: tum ut quisque excelso est ingenio & glorię cupido (neque enim in languentibus animis, sed in erectis mentibus, ac maximis ingenijs dominandi cupiditates oriuntur) ita plebem convivijs, largitionibus, & spectaculorum voluptate pascit, ut honores & imperia nullo suo merito consequantur. at si quis intercedere velit, muneribus corrumpitur, aut falsis criminibus accusatus, de vita; vel de sententia decedere cogitur. sic Ephesij, Hermodorum: Athenienses, Aristidem ac Thucydidem: Romani, Camillum, Rutilium, Metellum, Ciceronem eiecerũt. his exactis, populus quasi victor de virtute triumphare, accusatoribus honores & magistratus prorogare; qui cùm imperij dulcedinem diu gustarunt, tot ac tantis opibus & pręsidijs potentiam stabiliunt, ut ab imperio nunquam divelli possint. id autem ferè semper contigit in popularibus imperijs, ut

plebs eos haberet tyrannos, quibus se, Remq́; publicam commiserat. atque hunc in modum Corinthij, Cypselum tyrannum pertulerunt: Syracusij, Dionysium: Athenienses, Pisistratum: Leontini, Panętium: Argivi, Phidonem: Agrigentini, Phalaridem: Romani, Cæsarem: Lucenses, Castrucium: Pisani, Fagiolam: Mediolanenses Napum Torefanum: Senenses, Pandulfum: Florentini, ducem Athenarum. ut autem ereptum populo imperium faciliùs retinerét, detestabiles tyrannidis artes excogitarũt, quæ tametsi à multis intelliguntur, à pluribus tamen intelligi utile est, ut quoquo modo caveri possint. primùm satellites & quidem barbaros ac peregrinos; ad corporis custodiam adhibent: propugnacula muniunt: arces occupant: ferocissimos quosque interficiunt: potentiores quasi eminentia papavera truncant: peregrinis honores ac præmia largiuntur: sodalitates & collegia tollunt: civium amicitias omnino dirimunt: discordias inter nobiles ac plebeios occultè serunt: deinde ex eorum iniurijs ac mutuis cędibus fiscum implent: ὠτακουστὰς & exploratores ubique collocant: honestis artibus ac disciplinis bellum indicunt: plebem labore ac propugnaculis ædificandis, ne otium ad altiores animi cogitationes habeat, occupant: bella pecunię cogendę causa suscipiunt, & externo milite utuntur: oblatas inducias, aut pacis actiones simulant: novos magistratus & honores excogitant, eaq́ue pretio addicunt, ut plures habeant obligatos: fures & improbos publicis muneribus ac tributis exigendis præficiunt, ut eorum opera, populi opes ac sanguinem exugant: posteà verò quàm fures diu saginarũt, ad supplicium trahi iubent. nihil autem miserius, quàm cùm plebs imperita magna cum voluptate supplicia spectans, tyranni ęquitatem laudat. hoc indignius ac sceleratius, quòd impietatem religionis specie tegit, templaq́ue deorum fingit se revereri, ut ore ipso ac vultu simulacrum virtutis præ se ferre videatur. quæ omnia duobus omnino arcanis sunt comprehensa: primùm est ut populo sibi nocendi omnem adimat potestatem:

alte-

alterum ut etiam eripiat voluntatem. potestatem adimit ablatis opibus, armis ac præsidijs: neque verò tyranni potestas augetur, quin plebis opes & commoda minuantur: non aliter quàm cætera membra tabescunt; ut Adrianus de fisco dicebat, cùm lien intumescit. nocendi voluntatē eripit, inimicitias ac discordias occultè serendo: ne cùm cives sibi diffidunt, conspirare ullo modo possint: postremò facit ut nihil omnino aliud, quàm tyranni voluptatibus parere condiscant. Sed ut malus custos est diuturnitatis metus, ait Cicero, sic nulla tyrannis diuturna esse potest. nam domestica vi facilè collabitur, quia unum omnes metuunt ac oderunt; unus omnes metuit & odit: qui verò illum occiderit, in maxima & gratia futurus est & gloria. faciliùs etiam externa vi dissolvitur: quia boni cives, in quibus summa fides esse debuerat, cum hostibus ad unius tyranni exitum mirabiliter cōspirant. itaque Aratus ac Timoleon brevi, tyrannos innumerabiles fregerunt. ea verò tyrannis quam Dionysius vinculis adamantinis se colligasse iactabat, paulò pòst à Dione familiari dissoluta est. nec ita pridem Ludovicus Sfortia ab ijs ipsis quibus plurimùm confidebat proditus est, ac de imperio turpiter deiectus. Sed plurimùm refert utrum Respublica interiore malo, an externa vi corruat. ut enim quædam res à natura sic temperatæ sunt, ut nunquam interituræ videantur: quædam verò tam malè sibi cohærent, ut solo flatu dissipari possint: ita quoque Respublica quò meliùs est ab ortus sui primordio temperata, eò faciliùs vim externam repellit: à se ipsa verò difficillimè labefactatur. Illud tamen admonendi sunt qui in Rerumpublicarum administratione versantur, servitia veterum, de Republica sublata, religiones recentium invectas, & clientelarum ac feudorum iura conversionum occasiones incredibiles peperisse, quæ veteribus ignotæ fuerunt. olim quidem metus erat, ne servi ad pileum vocarentur, & Rempublicam perturbarēt. ut apud Tyrios, Siculos, Romanos, maximas clades civitatibus intulerunt: posteà verò quàm tyrannides grassari cœ-

perunt, servorum libertas augeri visa est, ac dominorum imminui potestas: maximè Tiberij temporibus, qui statuam servis asylũ proposuit: ut apud Ephesios Dianæ templũ: apud Athenienses Thesei sepulchrũ: apud Cyrenenses statua Ptolemæi. postea necis potestas dominis est erepta temporibus Adriani: ac tyrannide premẽte, servi à dominis cœperũt metui, ne illos apud Tyrannũ maiestatis incusarent. posteà Christiana libertas secuta, non putavit humanũ, servos quasi bestias operis ac vinculis urgere: partim etiam metuentes Christiani, ne in Paganorũ potestatem delaberentur servi eiusdem religionis, eos assiduè manumittebant. atq; hæc quòd in promptu sunt, testibus non egent. quæ sequuntur, ex obscuris antiquitatibus eruenda fuerunt: quia cùm servitia nulla sint, quando desierunt intelligi non facilè potest, ut ex eo conversiones imperiorum hauriamus. extant enim leges Caroli magni, Ludovici Pij, ac Lotharij, de servis, in libro legum Caroli magni, & in libris legum Longobardorum. sunt etiam de servis & ancillis fugitivis constitutiones Gulielmi regis Siciliæ ac Neapoleos, & Friderici II. Imper. in placitis regni Neapolitani. vixit Fridericus anno M CC X I I. sunt & Alexandri III. Pontificis, Vrbani III. Innocentij III. decreta de coniugijs servorum. Alexander creatus est Pontifex anno M. CLVIII. Vrbanus M.CLXXXV. Innocentius M.C.XCVIII. igitur à temporibus Friderici esse desierunt. nam Bartol. ad l. hostes: de captivis. scribit, suo tempore servitia nulla fuisse, ac iampridem desijsse, nec homines Christianis moribus usquam vendi. vixit autem anno M. CCCIX. idq; Panormitanus animadversione dignum scribit. Illud etiam non minus omittendum quod in curiæ monimentis legi, decreto Senatus, Catalaunensem Pontificem prohiberi, quò minùs feudum possidere aut servos etiam consentiente capitulo manumittere, decretum est anno M.CCLXXII. anteà quidem servile bellum Hispanias graviter afflixerat, sub Aurelio Alfonsi regis filio; anno salutis DCCLXXXI. ac mihi fit verisimile Christianos Arabum exemplo ser-

servitia sustulisse: propterea quòd Muhamedes, vel potius Homarus, servos suæ religionis ad pileum omnes vocavit, quod in imperijs Christianorum graves tumultus commovit, ut videre est in legibus. Caroli magni de coniurationibus servorum, libr. II capite VII. concessa libertate secuta est miseranda illa, quæ Respublicas evertere solet, inopia: hinc furta, latrocinia, cædes, & publicæ medicantibus merces constituta. Religionum quoque varietas imperia cœtusque hominum vehementer labefactavit: quæ olim ab omnibus æquè colebantur, præterquam à Iudæis. hinc igitur infinitæ Rerumpublicarum conversiones: ac plerique sola religionis specie maxima regna invaserunt: Arabes, inquam, Persæ, Mauri, Pontifices Romani. nã Iosippi gens imperium Mauritaniæ Marinis ademit, eo modo quo Ismael Persarum regnum concionibus & religionis specie recuperavit. id quoque tentavit Carolus V. in Germania, ut nuper quidam apud nos. Ipsi Pontifices Romani non modò Vrbem, sed etiam Latium, Picenum agrum, Vmbriam, Flaminiam, Aemyliam, cum magna Hetruriæ parte: neque hæc tantum verumetiam Regna Siciliæ, Neapoleos, Aragoniæ, Angliæ suæ ditioni vectigalibus imperatis subiecerunt. legi, nec sine admiratione legi, quæ & qualia essét ecclesiæ Romanæ prædia: quæ beneficia seu feuda: quæ vectigalia regibus imperata: ac professiones Pontificibus factas ab ijs quos dixi regibus. quæ mihi spectanda exhibuit ex archetypis Vaticani descripta, Carolus Mota collega meus antiquitatis studiosissimus, ac optimus interpres. Quinetiã Gotofridus Bulionus, Syriam utrãque suis armis lubactam, Pontificum Romanorum beneficio tulit acceptã. In quo videtur principum Africæ exempla secutus, qui regna, imperia, vitam, & fortunas omnes Pótificibus Ismaëlitarum accepta ferebant.

His explicatis, videamus utrum ex numeris Pythagoricis, conversiones imperiorũ haberi possint. absurdum sanè mihi videtur quòd Plato Rerumpublicarũ exitus & vissitudines sola numerorum potestate *Cõversiones Rerũ publicarũ ad numeros collata.*

nihil diſcrepare poteſt: ſic Reſpublica ſuavi ſemper cócentu temperata conſulaq;, ubi nullum diſſidium, nulla ſonorum diſcrepantia eſt, neque ex hypotheſi eſſe poteſt, non video quomodo labefactari queat. Quare falſum eſt quod ait Foreſterus, voluiſſe Platoné Reſpublicas initio bene conſtitutas, & eam præſertim quam nobis propoſuit ad imitandum, temporis decurſu veluti numeros initiò bene ſibi cõgruentes, paulatim diſcrepare: idque fieri putat, cùm à ſeſquitertia ratione diſceditur. ſed ab eo tam multa peccantur, ut quid maximè, dici nõ poſſit. primùm quòd rationes harmonicas tripla & quadrupla ratione connectit, quæ paribus & imparibus numeris dupla triplaq; ratione debent copulari, ut ipſa numeri nuptialis natura docet. itaque ſuaviſſimus ac primus omniũ concentus, cùm ab unitate diſceſſeris, eſt ea quę ratio ſeſquialtera dicitur duorum ac trium, quæ nullo interiecto medio copulantur. poſteà novem & quatuor, vehementer diſcrepant, quia ſine medio cohærere nõ poſſunt: igitur ſenarius utrunq; æqua ratione copulabit: & cum utroque ſuaviter concinet. conſimiliter XXVII. cum VIII. eadem ratione qua ſuperiores coniunguntur, duobus interiectis medijs, ſcilicet XII. & XVIII. nec ſi infinitum progrediare iſto modo, ulla diſcrepantia futura eſt. itidem in ratione ſeſquitertia trium & quatuor non quidem iuſta eſt harmonia, ut ille voluit: cùm neque veteres, neque noſtri concentum illum ferre poſſint, ſine tertia aut quintá. ſed tamen is concentus ſuam quoque ſervabit venuſtatem, ſi, ut in prioribus, intermedios numeros quæramus. quid enim ineptius quàm eandem rationem conſtituere trium ad quatuor, quę eſt XXVII. ad LXIIII. demus igitur veram rationem inter utrunque XXXVI. & XLVIII. idem erit proximi cuiuſque concentus ad alterum, qui eſt in trium ad quatuor. hæc autem harmonia concors perpetua futura eſt, etiam ſi in infinitum progrediare: ut ſi demus CCXLIII. & M.XXIIII. qui in numero nuptiali dupla triplaque ratione ſunt quadrati, in concentu æquè diſcrepabunt, ac XXVII.

& LXIIII. sin rationes medias inserueris; scilicet CCCXXIIII. CCCCXXXII. DLXXVI. DCCLXV. III. proximus quisque finitimo tam bene concinet & cohærebit, quàm tribus quatuòr; quia in omnibus sesquitertia ratio est. In hoc etiam vehementer labitur, quòd aliorum opinionem secutus, magnum Platonis numerum duodenarij cubum facit: quod quidem si verum esset, cur Plato altera parte longiorem quæri voluit? plerique ad hunc scopulum suam navim afflixerunt. Sed quoniam nihil obscurius ac difficilius Platonicis numeris videtur, nihil temerè affirmabo: illud tantùm quod ad conversiones imperiorum pertinet, voluisse Platonem Respublicas quantumvis bene constitutas, etiam domestico vitio, vel externa vi certo quodam annorum decursu labefactari: ut adamas & aurum, tanta naturæ vi ac præstantia colligata sunt, ut cùm per seipsos violari nō posse videantur, à se tamen violantur, id quod ex principijs cōstat: tum etiam externa vi, quia diurnis ignibus, aut aqua chrysulca, paulatim effluunt & corrumpuntur. Sed mirum est ex omnibus Academicis tum Græcis tum Latinis, neminem hactenus numerorū pręstantiam illam ac dignitatem, quæ ad statum imperiorum pertinet, ullius civitatis exemplo docuisse: pręsertim cùm illud non modò pertineat ad status, sed etiam ad incrementa, conversiones & exitus Rerumpublicarum: tum etiam Epicureos confiteri cogat, res humanas nō temerè ac fortuitò, sed præpotentis Dei maiestate ac providentia gubernari. quod igitur ab alijs omissum est, ac fortasse cōsulto prętermissum, breviter complectamur. Hoc primùm intueri licet, senarium perfectum numerū, fœminas; septenarium verò mares immutare: tum etiam utrisque periculosos esse morbos, qui in septenarium ac novenarium incurrunt: & in tota rerum natura magnam esse talium numerorum potestatem: septimus quisque annus, ait Seneca, ætati signum imprimit. hoc tamen de maribus dictum oportuit. ita quoque Rerumpublicarum conversiones, aut septenarijs ac novenarijs multiplicatis, aut

co-

eorũ quadratis in se ductis, aut perfectis, aut sphæricis numeris cõtingere, non sine admiratione varijs exẽplis animadverti. hominũ quidem interitus in septenarios ac novenarios incurrere, nemini dubium est in eã rem penitùs intuenti: ut XIIII. XVIII. XXI. XXVII. XXVIII. XXXV. XXXVI. XLII. XLV. XLIX. LVI. si verò septenarius cum novenario concurrat, annũ periculosissimũ esse omnis antiquitas comprobavit. hinc Augustus in quadã epistola gratulatur amicis, quòd annũ LXIII. quem ipse fatalem omniũ seniorum appellat, securus evasit. proximus est LXX. quo mortuus est Petrarcha, eo die quo natus erat in orbẽ recurrente. deinde LXXII. quo mortuus est Epicurus, qui tanto studio suæ saluti consulebat. hũc sequitur LXXVII. quẽ ferè attigit Augustus; implevit Fridericus III. hic annos LIII. ille LVI. imperavit, uterq; mortu⁹ est XIIII. Cal. Septemb. sequens quadratus est novenarij LXXXI. quo mortuus est Plato, eodem die quo in lucem venerat recurrẽte. neque hunc numerũ egreditur David, cùm describit hominũ vitã. pauci ad LXXXIIII. accedunt, qui septenario duodecies ducto coalescit. atque hunc annum implevit Theophrastus, qui moriens de natura questus est breve sibi vitę spatium, longũ cornicib⁹ dedisse. hoc quoq; anno Paulus III. & IIII. Pontifices mortui sunt. sunt tamẽ qui nonagesimum, id est, novenarios decem expleverũt; ut Fr. Philelphus. Io. Apostolus vixit novem & nonaginta ut historia testatur. D. Hieronymus unum & nonaginta vixit, id est, XIII. septenarios. quinetiam illi ipsi qui diuturnum illud tempus vixerunt, quod in libris nostris ac litteris testatum habemus, septenarios aut novenarios ferè omnes expleverunt. Lamechus septingentos septuaginta septẽ annos vixit. Methusala nõgentesimũ ac septuagesimũ attigit. Abrahamus CLXXV. id est, XXV. septenarios implevit. Iacobus CXLVII. id est XXI. septenarios. Isaacus CLXXX. id est novenarios XX. ac tametsi violẽta mors interdũ ob violẽtos fortasse radiorũ cõcurs⁹ & traiectiones cõtingat; sæpi⁹ tamẽ in septenarios aut novenarios incurrit, nisi divina

voluntate natura prohibeatur. moriuntur enim innumerabiles anno LXIII. Aristoteles, Chrisippus, Bocacius, D. Bernardus, Erasmus, Lutherus; Melanchthon, Sylvius, Aleander, Iac. Sturmius, Nicol. Cusanus, Th. Linacer; omnes affecti morbis: eodem anno Cicero cæsus est. Alexander Pont. max. LXXII. venenum maleficum hausit. Isocrates nonagesimo nono accepta clade Cheronensi seipsum inedia peremit. Plinius quinquagesimo sexto suffocatus, Cæsar occisus, Oecolampadius mœrore contabuit anno XLIX. Atticus inedia septuagesimo septimo. Idem igitur iudicium adhibeamus in conversionibus rerumpublicarum: sed ita ut quadratos & cubos septenarij ac novenarij; aut alterutrius cubum vel quadratũ in radicem alterius ducamus: aut etiam perfectum numerum: aut deniq; sphęricos & solidos cubos magno numero comprehensos. postremò quadratum & cubum duodenarij, qui ab academicis magnus numerus Platonis appellatur. Quadrati quidem septenarij ac novenarij XLIX LXXXI. cubi CCCXLIII. DCCXXIX. quadratus septenarij ductus in radicem novenarij CCCCXLI. & novenarij quadratus in radicem septenarij DLXVII. perfectus numerus CCCCXCVI. nam VI. & XXVIII. perfecti minores sunt: reliqui perfecti centũ & octo millia superant, ac maiores sunt quàm ut ad Respublicas accõmodari possint. quadratus duodenarij CXLIIII. cubus M.DCCXXVIII. quem numerum annorum nulla Respub. superavit. quare numeri maiores reijciendi erunt. Sphærici numeri magno numero comprehensi quatuor sunt; puta CXXV. CCXVI. DCXXV. MCCXCVI. Hac numerorum paucitate in tam infinita multitudine, qui neque perfecti sunt, neque quadrati, neque cubici: aut tales quidem, sed ex paribus digitorum, non ex imparibus cõpositi: aut etiã ex imparibus, sed non ex septenarijs aut novenarijs, qui in infinita multitudine sunt admodũ pauci: licet mirabiles omnium penè Rerumpublicarum conversiones intueri. Ac primùm ut auspicemur à cubo duodenarij, quem Academici nonnulli magnum & fata-

&fatalem numerũ Platonis esse aiunt,reperiem⁹ monarchiam Assyriorum à Nino rege usque ad Alexandrum magnum,hunc numerum ad unguem implevisse,ex ipsius Philonis,quem Melanchthō,Funccius, ac doctissimi quique sequuntur, opinione. neque verò longiùs repetendum est, quàm à Nino,à quo Diodorus,Herodotus,Ctesias,Trogus,Iustinus auspicantur: propterea quòd primus imperãdi formam stabilit, ac Babylonem condidit.Assyriorum verò & Persarum veriùs est ut una sit,quã monarchiæ plures: aut Caldæorum,Medorum,ac Parthorum monarchias ab Assyrijs & Persis divellere oportet: qui tamen eiusdem penè regionis incolæ sunt ac cives. Alexander verò iurè monarchiam novam efficit,cùm ab Europa in Asiam homo planè peregrinus, novum genus hominum transmiserit, Darij copias deleverit, mores denique ac leges immutarit.sed hæc suo loco.Rurs⁹ ab eluvionibus aquarum,usque ad eversionem templi ac Reipub.Hebræorum,numerãtur anni à Philone M.DCC-XVII.Iosippus ducentos amplius; alij multò pauciores complectuntur.putem ego tum ex historiarum veritate,tum etiam ex ipsius numeri magni præstantia, XI.annos ad Philonis calculum addi oportere,ut duodenarij cubo nihil desit,aut supersit.nam eo ipso tempore defecit Aegyptus à regibus Assyriorum: Scythæ Asiam minorem invaserunt: Pisistratidæ ab Atheniẽsibus;Tarquinij à Romanis eiecti sunt. Ex eo quoque Danielis hebdomades plurimùm illustrantur. cùm enim maxima sit inter omnes scriptores varietas de nativitate Christi: Philo tamen qui omnium antiquorum certissimus habetur, colligit annorum tria milia DCCCCXCIII.cui Lucidus tres adimit;Io.Maria sex addit,idque ex multis coniecturis,quibus magis assẽtior, propterea quòd numerus ille est ex quadratis septenarij ac novenarij multiplicatus, puta ter mille DCCCCXCIX. mirum in modum congruens conversionibus rerum maximarum, quæ posteà secutæ sunt.tum etiam Christi mors ea ratione incidit in annum mundi quater millesimũ.quo sanè pertinent se-

ptuaginta Danielis hebdomades, quæ annos capiunt CDXC. quòd si auspicemur ab anno septimo Darij Lõgimani, propterea quòd Esdras tùm missus est Hierosolymam Reipub. constituendæ causa, id est, anno sexto ante tempus Hebdomadarum: senarius ille solus inter digitos perfectus, cum hebdomadibus LXX. id est, septies septuaginta annis (diem enim pro anno sumit scriptura) conficit alium numerum perfectum CDXCVI. qui mirabiliter congruit conversionibus Rerumpublicarũ. quod ut planum fiat, ne incertis cõiecturis ducamur, exempla ex Romanorũ fastis consularibus, quibus nihil certius esse potest, eruamus. nam ab V. C. usque ad eum annũ quo Iulius Octovianus victo ad Actium Antonio primus à Senatu Augustus est appellatus, ac totius orbis imperium ei delatum, anni sunt DCCXIX. cubus novenarij ab Augusto ad Augustulum qui postremus Romanorum Imperator in fastis appellatur (est enim ab Odoacre rege Gothorum eiectus) anni sunt CDXCVI. perfectus numerus. ab V. C. usque ad imperij eversionem illam, numerus annorũ quadratus est, scilicet M. CCXXV. & ex integris septenarijs constans. M. Varro apud Censorinum scribit, Vectium augurio nobilem audisse cum diceret, quoniam annos CXX. incolumis præterijsset, pop. Roma. ad M. & CC. perventurum. totidem annos comperio à Nino usque ad Arbacem primum regem Medorum. Funccius tres amplius annos cõplectitur: alij pauciores. sed illud mirabile mihi visum est, quod non solùm ab Augusto ad Augustulum: sed etiam ab exactis Vrbe regibus usque ad Cæsarem Dictatorem, idem numerus annorum CDXCVI. recurrit. neque id tantùm, verumetiam à Constantino magno ad Carolum magnum, quo anno primum Imperator Romæ creatus est, anni CDXCVI. ab Onuphrio studiosissimo Romanæ antiquitatis colliguntur: tametsi magnam temporum, nullam numerorum rationem haberet. neque id solùm, verumetiam ab Alba cõdita usque ad eius eversionem à Tullo Hostilio, nec plures sunt, nec pauciores anni CDXCVI. hoc etiam ampliùs quòd

quòd à Saule primo rege Hebræorum, usq; ad captivitatem numerantur anni CDXCVI. tametsi Genebrardus tres addat: Garcæus verò decem, Talmudici centum ferè detrahant: sed sui dicti nullam necessariam afferunt rationē. à reditu populi,& secunda templi constructione sub Zorobabele, usq; ad eum annū quo Herodes à Senatu rex est appellatus, sunt anni CDXCVI. consimiliter ab Arbace primo rege Medorum, usque ad Alexandrum magnum CDXCVI. regnum verò Macedoniæ à Carano primo rege usq; ad obitum Alexandri, totidem annos capit. Funccius octo detrahit. alij XII. addunt. putem ego medium esse feriendum. plura tamen huius numeri conversionū argumenta proferemus in Repub. Gallorum. constat autem numero Danielis, senarioque perfecto perfectus evadit: præterea solus in magno numero ex novenarijs & septenarijs conflatur, unitate utrobiq; deficiente; atque hic numerus est quem veteres innuere voluerunt, cùm dicerent Rerumpublicarum periodum esse annorum D. cùm nullam vim numerorum perficerent. est enim numerus ille ineptus ad rerum humanarum aut naturalium conversiones. quippe nec perfectus, nec quadratus, nec cubicus, nec sphæricus, neque ex novenarijs aut septenarijs, neque ex eorum radicibus aut quadratis conflatus. si quis autem diligentius animadvertat bella civilia Romanorum, secessiones plebis, ac cædes civium inter ipsos, reperiet annorum numerum septenarijs, aut novenarijs, aut utrisque constare. nam ab V. C. usq; ad regifugium, anni sunt CCXLIII. à regifugio ad parricidium, CCCCLXVIII. à regifugio ad secessionem plebis in montem sacrum, anni XVIII. ad secundam LXIII. ad tertiam CCXXV. ad seditionē Gracchanā CCCLXXVIII. ab hac rursus ad bellū civile Marianū, XLV. hinc ad alterū Cæsaris, VII. à parricidio ad bellū civile Siculū, VII. hinc ad bellū civile Acticum ultimū VII. numeri omnes ex integris novenarijs aut septenarijs, aut ex utrisque conflati. Vrbs autem ipsa capta est

post eius conditionem anno CCCLXIIII. qui ex integris septenarijs æquè conficitur. ab V. C. usque ad cladem Cannensem, anni sunt DXXXIX qui numerus ex septuaginta septem septenarijs conflatur. tunc enim imperium Romanum penè deletum est. à clade Cannensi ad Varianam, anni sunt CCXXIIII. ex integris æquè septenarijs & utraque clades contigit IIII. Non. Aug. Consimiliter Athenarum mœnia solo exequavit Lysander anno septimo ac septuagesimo post victoriam Salaminiam. addit Plutarchus in Lysandro, utrunque contigisse sexta die mensis Munichionis. Ita quoq; Pœni cùm anno Christi DCCVII. Roderici regis anno septimo Hispanias invasissent, anno pòst septingentesimo septuagesimo eiecti sunt, ut ex ipso Tarapha Hispano scriptore colligitur. De cubo septenarij multa quoq; sunt exempla. est enim numerus ille à Mose in magno Iobelæo constituendo selectus. itaq; à victoria Iudęorum adversus Amanum auxilio Hesteris, usque ad victoriam adversus Antiochum, anni sunt CCCXLIII. & utraque victoria obtigit III. Idus Mart. qui Hebręis Adar dicebatur, ex quo Hebræi hunc diem magno habent in honore, totidem anni sunt ab Augusto, ex quo imperium solus obtinuit, usque ad Constantinum magnum, cùm solus imperium accepit. Regnum Persarũ à Cyro usque ad Alexandrum stetit annos CCX. qui numerus ex integris septenarijs XXX. conflatur: totidem annos imperarũt Longobardi. Paulus Diaconus tres annos detrahit, qui restant usq; ad necem Desiderij. tandiu Caletum tenuerunt Angli. Reges Syriæ & Asię minoris à Nicanore primo rege usque ad Philippum ultimum, totidem annos imperarunt. Ab exitu Hebręorum ex Aegypto usque ad eversionem templi ac Reipublicæ, numerantur anni nongenti, qui numerus ex duobus quadratis novenario ac cẽtenario in se ductis conflatur. non plures sunt ab Euristhene primo rege Lacedæmoniorũ, ad Nabida tyrannũ, quem Philopœmen de imperio deiecit, ac statum Reipub. Laconicæ omnino immutavit. Lycurgi verò leges sublatæ

sunt

ſunt, ac Lacedæmonij Acheorum mores accipere coacti, anno poſt DLXVII. quàm latæ fuerunt à Lycurgo: numerus ex quadrato novenarij in ſeptenarium ducto. Ptolemæi verò à Lago uſque ad Auguſtum, qui Aegyptum in provinciæ formam redegit, imperarunt annos CCXCIIII. qui ex integris ſeptenarijs conſtat. Hebræorum Reſpublica iacuit annos ſeptuaginta: totidem annos imperium Græciæ tenuerunt Athenienſes, ut ſcribit Appianus. Gothi à Theodorico primo rege, uſque ad Totilam, regnarunt annos ſeptuaginta ſeptem; ut Onuphrius in Faſtis ſcribit. Lacedæmonij XIJ annos, Græcis omnibus imperarunt. auctore Appiano, hunc quoq; numerum magni numeri radicem explevit Alexander Magnus: nam ſex annos ante Darij mortem, totidem eo cæſo imperavit. poſtea eius imperium, repentè in plurima, veluti fulgur in partes deſilijt. Ac ne vetera quærantur, domeſticis utemur exemplis, & exactiſſima temporum collatione Io. Tilij cum Faſtis coniuncta. Gallia Romanis paruit à Cæſaris extrema de Gallis victoria, uſque ad Marcomerum ducem Francorum (cuius opibus freta Valentiniano tributum imperanti denegavit) anno CCCCXLI. qui numerus ex quadrato ſeptenarij ducto in novenarium conficitur. hinc ad Vvaramundum novem anni; ad eius regnum, ter novem. ex quo verò dux eſt appellatus, uſque ad Pipinum; qui ex magiſtro palatij regnũ invaſit pulſo rege Hildericho, anni ſunt CCCXLIII. cubus ſeptenarij. à cæde Syagrij, qui Romanorum ultimus Galliæ præfuit, uſque ad Capetum, qui genere Gallus, tametſi negant Germani, natione Andegavus, imperiũ Francis ademit, perfectus eſt ille numerus. CDXCVI. ab Vvaramundo uſque ad Capetum, anni DLXVII. numerus ex quadrato novenarij in ſeptenarium ducto. rurſus ab Vvaramundo uſque ad Hugonis magni, ac principum defectionem à rege Ludovico IIII. ipſiusq́ue captivitatem, anni ſunt DXII. ſolidus cubus. hinc ad alteram Caroli Burbonij defectionem à Franciſco, eiusq́ue captivitatem, quadratus eſt dupli duo-

denarij puta DLXXVI. totidem quoque numerantur à Capeto, ad sacrum hoc funestumque bellum, quod civili sanguine nuper gestum est. nec plures sunt nec pauciores à captivitate Caroli ducis Lotharingi (quē Capetus de legitima regni successione compulit in carcerem Aureliorum) ad Carolum illum Lotharingum, qui regiam potestatem adeptus, Capeti stirpem Aureliorum carceribus conclusit: & utroque tempore infœlix Aurelia fuit genti Lotharingorum. consimiliter à Carolo simplice, quem bona fide Peronam profectum, Hebertus comes captivum detinuit, usque ad Ludovicum minimè omnium simplicem, qui tamen sua se voluntate, vel potius temeritate Peronam contulit, & in eadem arce captivus est à Carolo comite retentus, annos habemus DXL. numerum ex integris novenarijs constantem. rursus à Capeto usque ad Caroli octavi memorabilem in Italiam expeditionem, perfectus est ille numerus CDXCVI. ab eversione imperij Longobardorum, & Insubria à Carolo Magno capta, usque ad consimilem expeditionem & Insubriam à Ludovico XII. receptam, planè cubus est novenarij, scilicet DCCXXIX. anni, quibus temporibus Respublica Venetorum gravissimas clades accepit. docuimus Venetos ante Carolum magnum stabile imperium nullum habuisse, sed pactis Nicephori & Caroli Magni libertatem accepisse. steterat igitur Respublica Venetorum annos DCCXXIX. cùm eius eversio penè secuta est. eodem enim tempore Maximilianus Imp. Ludovicus XII. rex Ferdinandus, Iulius II. Pont. in eius Reipub. ruinam coniurarunt. quinetiam cùm tot ac tantis hostibus Turcarum princeps ipsaq; fortuna conspirare visa est. urbs enim sulphureis pulveribus fortuitò accensis plurimum deformata est, ac auri vis infinita naufragio amissa. & quidem eo tempore Veneti lumen ingenij, consilijq; sui magnificè ostentarunt. hoc etiam animadversione dignum, quòd à Godefrido, qui Persas memorabili clade fregerat, ac Syriam servitute liberarat, usque ad Balduinum ultimum, qui captus est à Saladino, anni

ni sunt XC. numerus ex integris novenarijs constans. Græcorum quoq; imperium Galli tenuerunt annos LXI, à Balduino scilicet usque ad Palæologum. Pontificatum verò annos LXX. numerus uterq; ex integris septenarijs. sed infinitus sim, si omnia persequar conversionũ momenta. his tamen propositis exemplis, licet ijs qui abundant otio, rerum omnium publicarum conversiones, ab incorrupta fide historicorũ derivare, & futura (quanquam cognita soli Deo) verius ac melius augurari, quàm Cardani levissimis & falsissimis coniecturis. putat enim ab extrema cauda Helices, seu maioris Vrsæ, omñe magnum imperium pendere. ut cùm verticalis esset nascenti Romę, illuc imperium detulerit: deinde Byzantium: postea in Galliam: inde in Germaniam desilierit. quæ tam vera sunt, quàm quæ de se ipse scribit in sua Genesi, nunquam esse mentitum, idque admirabile sibi videri affirmat. sed vir bonus hoc præstare debet ne mentiatur, id est, ut Nigidius interpretatur, scienter falsum dicat: prudens verò ne mendacium ei excidat, hoc est, ut ille voluit, ignoranter falsum enuntiet. quid autem homini vel mediocriter perito eius artis quam ipse profitetur, aliud est mentiri nisi hoc est? cùm enim intelligeret innumerabilibus populis & urbibus hanc stellam verticalem fuisse ac semper futuram, adiecit Solem in vertice quoque meridiano urbi nascenti esse oportére cum ea stella coniunctum. ac tametsi vim illam in omnes eiusdem paralleli populos effundi fatetur, uni tamen loco imperium deberi tradit. atque hoc modo cornicum oculos configere se posse putavit. sed cùm illa stella quinquaginta quatuor partibus absit ab Aequatore, & circulum Arcticum describat, ut quantumcunque ex motu trepidationis declinet; XII. partibus ab urbis perpendiculo recedat, perpendicularem esse non posse planum est. doceamus, ne in meridiano quidem, nec, ut ipse scribit, cum Sole coniunctam esse potuisse; quòd longitudine tantùm, & hora meridiana fiat oportet. id autem ex Varrone intelligi potest, qui, ut Plutarch. scribit, L. Taruntiũ Firmanum nobilẽ

mathematicum,iussit Vrbis & conditoris diem & horam natalem si fieri posset,describere. igitur diligenti syderum pervestigatione comperit Vrbis fundamenta iacta fuisse anno tertio sextæ Olympiadis, in quo Dionysius & Varro consentiunt, quinto Idus Pharmuti mensis,sive xj. Cal. Mai: qui dies Palilia vocatur, Mense Aprili,hora ferè tertia post meridiem, Iove in Piscibus,Saturno,Venere, Marte in Scorpio, Sole Taurum,Luna Libram decurrente, anno Romuli duodevigesimo.illud etiam didicit Plutarchus ex Antimacho Lyrio.Vrsæ maioris nusquam meminerunt. erat autem ea stella in dodecatemorij Leonis parte xviij.scrupulo,lvj. ut perspicuum fit ex ipsius Copernici tabulis,& accuratissima motuum doctrina: his verò temporibus in xx.parte virginis scrupulo I. quæ cùm ita sint, quomodò fieri potuit ut Romæ nascenti verticalis esset? cùm pars duodecima Geminorum cor cœli teneret? àb eo enim Leonis pars xviij.quinquaginta quatuor partibus abest: quantò minus Soli coniungi potuit, qui Taurum percurrebat, extrema verò Vrsæ Leonem? aberat igitur x c. partes in longitudinem; x L v. in latitudinem,quò minus Soli coniungeretur ullo modo. hoc verò ineptius, quòd Bizantio verticalem dixit,cùm imperium illuc à Romanis translatum est,cùm tamen Vrbs illa prius esset cõdita,quàm Romulus natus,ut ex Polybio constat,multò magis absurdum, quòd è Græcia in Galliæ verticem desilijt, hinc in Germaniam contra naturam sui motus & inclinationis.sed hæc risu magis quàm confutatione digna videntur. cur enim Scandi & Livones,qui non modò caudam, sed etiam totam Vrsam, perpendicularem Soli habent, nullum unquam imperium eò pertraxerunt,sed contrà, pateant incursionibus & imperijs finitimorum? Aut si perpendiculares stellæ imperia tribuant,cur illę quę illustres ac regiæ à veteribus dicuntur? Regulus, inquam, Palilicium,Virgiliæ,Antare:cur illę xv. quas ipse Cardanus Regias vocat;cur Spica,Fidicula,Arcturus,atque adeò planetæ omnes, qui penè Soli Africæ perpendiculares

tes sunt, illuc imperia non transtulerunt? nam Europæ & Asiæ legionibus semper Afri cesserunt. Aliter Copernicus, qui imperiorum conversiones ad centrum eccentrici parvi circuli, eiusque motum pertinere iudicavit, ut eius discipuli scripserunt. parvus autem circulus non Solis est, quem immobilem ipse iudicavit, sed ipsius terræ, quam motu cieri voluit. nemo tamen inscitiæ tantæ fuit unquam, ut à cęteris circulorum cœlestium, multò minus terrestrium, vim ullam influere putaret: neque id Copernicus scribere ausus est, sed eius discipuli somnium illud pro re certa & explorata tradiderunt: quæ cùm ex historia falsa comperiantur, nec motus centri eccentrici, sive Solis, cum imperiorum conversionibus ullo modo congruat; fatendum est ab immortali Deo totum illud pendere: aut si ad causas consequentes conversionem imperij cuiusque referamus, Deo syderibus velut instrumentis utente, ad insignes illos syderum concursus, de quibus superiori capite diximus, pertinere iudicandum erit: sed quia veteres illud animadvertere non potuerunt propter ignotos cœlestium orbium motus: posteri verò penitus neglexerũt: nulla facilior ratio visa mihi est, quàm illud ex numeris quodammodo colligere: ab radice cuiusque imperij (quam Ptolemæus ἐποχὴν, Alfonsus Eram, id est, radicem Hispanico verbo appellat) initio ducto: velut in febricitantibus solemus ex ipsis decretorijs diebus salutem aut παροξυσμὸν augurari: ita ut dies una & eadem, si plures varijs temporibus laborare cœperint, alijs quidem salutaris sit; alijs extrema. interdum tamen syderum ac maleficæ traiectionis tanta vis est, ut sine discrimine dierum, plures uno hauriat & eodem momento: ita suis etiam morbis imperia laborant, ut Polybius scribit: & ut violentos interdũ; ita naturæ quoque congruentes exitus habent, certis quibusdam ac decretorijs numeris comprehensos. nec me movet, quòd Aristotel. libro v. de Republ. & extremo τῶν μετὰ τὰ φυσ. nihil omnino in numeris momenti esse putavit: cur ergo septimus masculus scrophulis medetur?

cur partus septimo ac nono mense vivunt; octavo nunquam? cur septem planetæ, novem orbes? cur Iliorum ad hominis longitudinem ratio septuplex: id enim Ambrosius Paratus Regius chirurgus mihi confirmavit. cur dies septimus inedia necat? hoc equidem Plinius diuturna experientia cognitum scribit. cur Lunę mirabiles conversiones septenarijs omnino constãt? cur septem nervorũ paria? cur philomela septem dies, totidemq; noctes assiduè novem discrimina vocum ingeminat: cuius miraculi me admonuit Iac. Bojus Præses curiæ Armonicorum, vir optimè à natura, uberius etiam à doctrina politiore informatus: cur deniq; septenarius Euripi fluxus ac refluxus Aristotelem, ut quidã prodiderunt, ad furorem; ut alij, ad pręcipitium adegit? quia non ceperat Aristoteles Euripum, Euripus Aristotelem dicitur cepisse. at sapientissimus Moses & Prophetæ, omnia penè oracula septenarijs concluserunt celebritates septimo die, septima hebdomade, septimo mẽse indictæ: septimo anno agrorũ quies, ac servorum manumissio: post annũ verò septies septimum, magnus Iobeleus, & liberatio omnium debitorum, agrorumq; ad pristinos dominos reversio. hinc septenarius ab Hebræis sacer numerus est appellatus. atq; hæc significant res humanas non temerè ac fortuitò ferri, ut Epicurei iactant; nec inviolabili fato, ut Stoici: sed prudentia divina: quæ tametsi res omnes, admirabili ordine, motu, numero, concentu, figura colligavit; nihilominus eas voluntate, arbitrioq; suo interdum mutat: ut Iesaias de Ezechia scribit, cui precanti Deus vitam protraxit, & Solem retrogressum ostendit. interdũ verò tempus maturare dicitur in scriptura sacra, propter scelerum ultionem, vel commiseratione, ut Paulus de oraculo Heliæ scribit. argumento sint eluviones aquarum, quæ Dei iussu citius factæ sunt, quàm numerus magnus ordini naturæ congruens expleri potuisset: id est, anno conditi orbis M.DC.LVI. cui numero si addantur octo novenarij, scilicet, LVII. conflatur cubus ille magni duodenarij: ut homines intelligant nullis numeris, aut ulla necessitate

ob-

obligari Deum, sed naturæ legibus solutum; nõ à Senatu aut populo, sed à seipso. nam cùm naturæ leges ipse iusserit, nec ab alio quàm à seipso imperium habeat, consentaneum est suis legibus esse solutum, & aliter atque aliter decernere de rebus iisdem. sic enim Ambrosius scribit, non semper improborum scelera vindicari, ne putent inferorum nullas esse pœnas, nulla præmia bonorũ: neq; tamen flagitiosos omnes impunè vivere, ne illud iactent; mortalia nulli sunt curata Deo. ita quoq; de bonorum & impiorum Republ. iudicandum est, ne fatis aut fortunæ quicquã tribuere cogamur. Hæc breviter sunt à me de conversionibus imperiorũ ex intima Philosophia disputata, tum ut eruditos ad pulcherrimarũ earum rerum contemplationem excitarem; tum etiam, ut in imperiorũ mutationibus ne nos ipsos affligeremus; quod magnis sæpe viris accidit. etenim nulla re Pompeius è clade Pharsalica dilapsus, ac Reipub. casum acerbissimè lugens leniri potuit, quàm Secundi Philosophi oratione, qua persuasus est certos esse à Deo immortali ambitus imperiorum constitutos.

Nunc ab historia conversiones & exitus Rerumpub. quæ olim magis claruerunt, cum nostris comparemus, ut ex utrisq; veritas magis elucescat. Omnium autem clarissima fertur esse Romanorum, quę cùm aliquandiu sub regibus floruisset, in tyrannidem prolapsa Tarquiniorum: deinde his exclusis in optimatum ac patritiorum potestatem sæpius repugnante plebe, pòst in factionem decemvirorum; quibus cæsis ac prostratis, populus aliquandiu legitimè ac temperanter imperavit, quousque in homines incideret rerum novandarum cupidos: hinc ochlocratia, vel potius anarchia turbulentæ plebis à seditione Gracchana usque ad Marium & Syllam, qui Vrbem civili sanguine crudelissimè fœdarunt: sexto deniq; ac trigesimo pòst anno, à Cæsare & Pompeio partium ducibus miserrimè iactata fuit Respublica, quousque legitimo unius Augusti dominatu gubernaretur: hinc variè ab optimis principibus, mox etiam à tyran-

Cõversiones imperij Romani.

nis suscepta, tandem aliquando dignitatem amisit, cùm Imp. Constantinus magnam partem Senatus, ac sedem imperij Byzantium transtulisset. postremò in Gothorum, Græcorum, Gallorum, Germanorum, Hispanorum potestatem pervenit, & alienis imperijs aut Pontificum libidini ad hæc usque tempora servivit. Iisdem ferè procellis iactati sunt Athenienses.

Cõversiones imperij Atheniensiũ. Cùm enim Cecrops Atticorum xij oppida fortiter ab hostium incursione prohiberet, regnum adeptus esse dicitur, ab eoque regnatum est usque ad Aeschylum annos circiter DCCC. post Aeschyli mortem, qui perpetuum imperium tenebat, optimates magistratum quasi Dictatorem decennalem crearunt, sed cùm is magistratus nimia potestate abuteretur, anno definierunt. primus Creon annuus magistratus, qui ἄρχων à Græcis, iudex à Latinis dicebatur, electus est: eoque magistratu tantisper usi sunt, dum Pisistratus eodem modo, quo Dionysius ad corporis securitatem impetrata cohorte adversus Alcmęonidas, perpetuam potestaté invasit. tum Hyparchus & Hippias Pisistratidæ, imperium annos septuaginta, ut Aristoteles scribit, vi tenuerunt, quousq; alter cæsus est; altero mortuo secuta est popularis potestas à Solone prius instituta: sed legitima tamen ac iusta. nam quinta classis, id est, infima plebs, & populi pars longè maxima, lege Solonis ab honoribus & imperijs arcebatur. primus Aristides legem illam abrogavit. postremò Pericles statum popularem in turbulentam ochlocratiam mutavit; cùm Areopagitarum sublata, aut valde imminuta potestate, qua Reipublicæ salus & dignitas continebatur, ad plebem infimam omnia iudicia, consilia, totiusque Reipublicę gubernationem propositis pręmijs ac largitionibus, quasi escam imperij detulisset. eo mortuo, deinde electo Alcibiade, cæso Nicia cum exercitu, imperium ad optimates CCCC. delatum est: paulò pòst tamen Thrasyli factione plebi restitutum. tandem amissa classe ad Aegospotamos, Athenienses cum socijs omnibus in Lacedæmoniorum potestatem venerunt. à quibus optimatum potestas est ubi-

que

que pro populari constituta: hinc xxx. delecti optimates Athenensium Rempublic. gubernarunt: qui statim evaserunt factiosi tyranni: his igitur paulò pòst à Thrasybulo cæsis ac prostratis, summa potestas rursus ad populum rediјt, ac tandiu stetit, quoad Antipater Lamiaco bello populare imperium paucis optimatibus, qui sua iussa exequebantur, permisit; inter quos princeps erat Demetrius Phalereus. sed quarto ac decimo pòst anno, Demetrius Poliorcetes eiecto Phalereo, specieque proposita libertatis, tyrannidem invasit: eo tamen ab hostibus capto, Athenienses rursus popularem libertatem usque ad Syllæ tempora retinuerunt. is enim urbem Mithridati faventem expugnavit, tamque hostiliter, tantaque cum civium strage diripuit, ut rivi sanguinis tota urbe decurrisse ferãtur. antea quidem populi Romani beneficio libertate fruebantur, quam postea quoque eodem beneficio recuperarunt, ut Plinius scribit: nihil tamen præter umbram libertatis habuerunt, cùm tyrãnorum ac magistratuum libidini servirent. sed animadversione dignum est, quòd imperium Græciæ annos duntaxat septuaginta tenuerunt, ut Appianus scribit. tametsi Demosthenes olinthiaca III. duntaxat annos XLV. Athenienses imperasse putet.

Imperium Lacedæmoniorum à regibus (qui annos circiter CCC. ab Euristhene usque ad Lycurgum regnarunt) in tyrannidem, ut Plutarchus tradit, converti cœperat, cùm Lycurgus popularem potentiam instituit, sed valde moderatam, ut antea docuimus. anno pòst xxiiij. Theopompus ac Polydorus optimatum imperium omnino stabilierunt, atque in eo statu floruerunt annos DLXXVI. usque ad Nabida tyrannum, quem Achæi duce Philopœmene imperio spoliarunt, sublataque Lycurgi disciplina, ex Achæorum institutis Lacedæmonios vivere coëgerunt. tandem Achæi quoque à Romanis fracti sunt, & utrique Romanorum imperio accesserunt. & quoniam methodum scribentem decet universa non singula complecti, ac veluti digitos ad fontes intendere unde illa haurian-

Cõversiones imperij Lacedæmoniorũ.

tur, prætermittemus Respublicas obscuriores, Thebanorum, Corinthiorum, Messeniorum, Siculorum, Sicyoniorum, Argivorum, Cretensium, Corcyræorum, quarum conversiones tradidit Pausanias accuratè, si quis subtilius inquirere velit. quibus planè perspectis, similes in Italia Rerumpublicarum exitus reperiemus.

Cōversiones imperij occidentalis.

Postea quàm enim Gallorum imperio pulsis Longobardis accrevisset Italia, tum etiam Germania, Saxonia. Pannonia & Hispanię bona pars, imperium inter liberos Ludovici Pij divisum est. Carolo Calvo primogenito Francia imperij caput; Lothario Italia primùm, deinde Lotharingia: Pipino, Aquitania: Ludovico, Germania cessit: sed ita, ut alij aliorum imperio minimè tenerentur. deinde vario bellorum eventu, in idē Germaniæ & Italiæ regnum coaluit: quousque intermortua Caroli Magni stirpe, Germaniæ reges de principum consensu crearentur: qui per legatos & vicarios Italiam & Helvetiam; per seipsos Germaniam regebant. cùm verò in tyrannides lapsi fuissent, Germani excussa servitute; imperiū optimatum: Helvetij populare: Itali pontificū & imperatorū odijs in partes Guelforum ac Gibellinorum distracti, ex legatis Pontificū & Imperatorū partim reges nacti sunt, partim tyrannos. reliqui populares & optimatū status probarunt. ut enim Pontifex Vrbanus regnum Neapolitanum & Siciliam Gallis: sic Ludovicus Imp. urbes ecclesiæ Romanæ præfectis dono dedit. plures etiam pertęsæ servitutem peregrinorum, imperia domestica subire maluerunt. Ita Mediolanum, & magnam Insubriæ partem, comites Angleriæ gentis occuparūt: Veronam Scaligeri: Patavium Ecelini: Mantuam Bonacolsij; tum his expulsis gens Gonzagarum Bononiam Bentivoli: Faventiam Manfredi: Ariminum, Malatestæ: Perusiam Baleones, deinde his eiectis Othones: Tifernum Vitellij: Ferrariam, Rhegium, Mutinam Atestini: Camertium, Veranij; Vrbinatium Feltrij: Pisaurum, Forolivium, Forócornelium Sfortiæ: Picenum agrum, Vmbriam, Flaminiam,

Aemy-

Aemyliam, Latium, cum maxima Hetruriæ parte, Pontifices tenebant. Interim Veneti, qui à Carolo Magno & Nicephoro libertatem impetrarant, Istriam primũ, deinde Liburniam (Insulas omitto) Tarvisiũ, Vincentiam, pòst etiam Patavium, Veronam, Bergomum, Brixiam, Cremam, Novocomum, Ravennam alijs sensim ademerunt. Florentini quoque empta libertate à Germanis, Pisanos, Volateranos, Pistorios, Aretinos & finitima oppida subegerunt. Lucenses, Senenses, Genuenses, se quoque in libertatem ijsdem temporibus vindicarunt. hæc tam multa oppida, tot urbes ac multò plures, imperijs & finibus divisæ, à regibus in tyrannos: hinc in optimates: mox in factiones & populares status, interdum etiam in puram anarchiam inciderunt. neque enim ulla pars orbis terrarum plures habuit Rerumpublicarũ conversiones: postremò res omnes publicę, quarum memoriam ullam habemus, in monarchias relapsæ fuerunt, præter Venetos, Lucenses, Genuenses, Rhagusios, Helvetios, Germanos. dę Venetis ac Germanis anteà dictum est. aliarum quoque status & conversiones, quàm brevissimè complectamur.

Helvetiorũ status et conversiones.

Helvetij quidem cùm Imperatorum Legatos & Vicarios, comitesq́ue Habspurgenses, qui postea duces Austriæ fuerunt, diu pertulissent; tyrannidis evertendæ causa, societatem inierunt anno M C C C X V. primùm Suecij, Vrani, Vndervaldij: deinde Lucernates, Tugiam, Tigurini, Bernates: pòst etiam accessit Basilea, sed non tanta necessitudine coniuncta: tandem Lepontij, Veragri, Rheti, Seduni, Sangallij, Mullusiani, Rotvillenses; postremò Geneva: quas urbes imperijs esse ac finibus divisas anteà docuimus. omnium autem status popularis est, sed quinq; minores pagi, qui Montani vocantur, nescio quid habent magis populare quàm Bernates, Tigurini, Basilienses, & qui ab imperio Germanorũ postremi defecerunt. utuntur etiam in ferendis suffragijs veteri χειροτονίᾳ, cũ populus simul cogitur in unum locũ. hoc igitur omniũ cõmune est, quòd magistratus annui sunt, cõtrà quã pleriq;

putant: sed interdum re bene gesta in biennium aut triennium imperium prorogatur. montani quidem, summum magistratum unum habent, qui Man appellatur. huic adiungitur legatus seu Cancellarius: tum Camarlingus, quasi Tribunus ærarij: postea consiliarij duodecim. atque hi omnino xv. viri omnis domesticæ militarisque disciplinæ curam gerunt. sunt præterea provinciales, seu municipiorum magistratus ac iudices, à quibus ad xv. viros provocatur. Bernates summum magistratum: Basilienses ac reliqui ferè Burgomagistros: præter Genevates, qui Syndicos appellant, quibus imperium maius dederunt. sed in eo plerique falluntur, qui Bernates, quorum imperium latissimè patet (habent enim oppida circiter xl.) tum etiam Basilienses, Tigurinos, Genevates, & eos qui à Germanis defecerunt, optimatum imperio gubernari putant: quòd Senatum videat trecentorum virorum, alibi quadringentorum de Republica consilium capere. at eorum decreta, si ad statum Reipublicæ pertinent, rata non sunt nisi populus iusserit. id autem fit convocatis collegijs & corporibus opificum in sua quæque comitia, quæ Schaffæ vulgò appellantur, ab eo qui princeps est omnium collegiorum. deinde collegij cuiusque Syndicus ac Tribunus populi iussa refert in Senatu maiore. est enim triplex ubique ferè Senatus, quadruplex etiam apud Basilienses: in quibus sanè versatur Reipubl. salus: propterea quòd rerum omnium curam gerunt, nec quicquam fertur ad populum inconsulto Senatu: nec ad Senatum maiorem, nisi decretum fuerit in minore Senatu. nusquam verò gentium leges maiorem vim habent: neque enim ad populi voluntatē mutantur, nec impunè violantur. quemadmodum autem de quinque generibus popularis imperij, quæ ab Aristotele traduntur, nullum perniciosius est, quàm si populi voluntas legibus superior sit, ac pro lege habeatur, ut de Atheniensibus Xenophon scribit: ita nullum moderatius ac laudabilius esse potest, quàm si legum vinculis plebs indomita coërceatur. non mirum igitur si iam annos

CCL. in

CCL. in summa rerum gestarum gloria floruerunt. duabus etiam rebus imperium illud populare conservatur; æquabilitate iuris, & frequentia conviviorum. nobiles enim, qui popularem statum apud Megarenses, Romanos, Florentinos, Senenses, Genuenses, sæpius labefactarunt; nulli sunt apud Helvetios: aut si qui plebis furorem olim invaserunt, qui pauci sunt admodum, eiurata nobilitate cum infima plebe versantur, nec ferè summos magistratus, quibus laniones ac cerdones fruuntur, adipisci possunt. convivijs autem, quæ in Schaffis perpetua sunt, non modò contentiones & odia prohibentur, verumetiam incredibili amore inter se cives & cum Republica coniunguntur. hic autem finis est legum omnium humanarum. ac tametsi Bernates, Tigurini, Basilienses mutata religione, compotationes illas tollere conarentur, non potuerunt tamen. Genevates qui minus populares sunt, ab eiusmodi moribus abhorrent. nullis enim cõvivijs publicis utuntur, præterquàm sacris, quæ tertio quoque mense religiosissimè coluntur. illas verò perpotationes Helvetiorum, privatis rebus ac publicis, tum etiam religionibus ac virtutibus inimicas esse putant. habent utriq; sui consilij causam probabilem, nec magnorum virorum auctoritas & exempla desunt. nullæ tamen apud Helvetios simultates. Genevates verò privatis occultis odijs laborare dicuntur, ac metu magis in officio quàm amore cõtineri. nihil autẽ quod metu fiat, diuturnum esse potest. argumento sit illa coniuratio, quę superioribus annis penè Rempub. oppressit. fortasse tamen civium animi à peregrinis abalienati causam coniurationi præbuerunt. sed illud Genevates laudabile, si quid usquam gentium, quodque Rempubl. efficit, si non opibus & imperij magnitudine, certè virtutibus ac pietate florentẽ: illa scilicet Pontificum censura, qua nihil maius ac divinius cogitari potuit ad coërcendas hominum cupiditates, & ea vitia quæ legibus humanis ac iudicijs emendari nullo modo possunt. hæc tamen coërtio ad Christi normam dirigitur, latẽter primùm & amicè: deinde paulò

acerbius: tum nisi pareas, sequitur interdictio sacrorum gravis & efficax: interdictionem animadversio magistratuum. ridiculum est enim, ut ait Seneca, ad legem bonum esse. ita fit ut quę legibus nusquā vindicantur, illic sine vi ac tumultu coërceantur ab ijs censoribus, qui summam virtutis opinionem de se ipsi excitarunt. igitur nulla meretricia, nullæ ebrietates, nullæ saltationes, nulli mendici, nulli ociosi in ea civitate reperiuntur.

Genuensiũ status et conversiones.

Genuenses populi rerum quondam gestarum gloria, & maris imperio clari, cùm Venetis dominatum & urbem ipsam penè ademissent, tandem ab illis fracti, seipsos primùm Carolo sexto Gallorum regi; deinde Mediolani comitibus spontè dediderunt. quibus temporibus cùm Fregosij & Adurnij Rempublicam in partes distraherent, plebs arreptis armis patricios omnes eiecit: Tribunos pleb. octo creavit: præsidia Gallorum expulit: arcem vi recepit: ducē fullonem creavit, quem postea Ludovicus XII. egit in crucem, & urbe expugnata cives gravissimè mulctavit. sed cùm Insubria Carolo V. Imperatori cessisset, Andreas Dorius, à Gallis ad Carolum se recipiens, Rempublicam omni bellorum ac tyrannidis metu liberatam, quasi Aratus aut Lycurgus alter, optimis legibus ac institutis informavit: optimatum imperium quod antè populare fuerat, vel potius plebeium, ex generis antiquitate, opibus ac splendore instituit, & in tribus octo ac XX divisit, sublatis partium nominibus, quæ Rempublicam perturbarant: ea lege ut singulis annis decem optimates ex plebeis crearentur, uti quisque virtute vel opibus præstaret: quæ tamen lex antiquatur; ut à Genuensibus accepi, & pauci ad ius honorum admittuntur: collegium optimatum civibus CCCC. implevit, quorum summa potestas esset, ut optimates omnes, qui ferè sunt mille ac ducenti, vicissim imperarent. civium autem numerus octoginta millium esse putatur: neque enim certo scire potui. optimatibus igitur summum imperium permisit: puta legum, belli, pacis, summæ provocationis, ac magistratuum omniū creatio-

tionem;imprimisq; Senatus, cuius etiam annua potestas est. Ducis autem imperium,quod antea perpetuum erat,biennio definiit,adiecto præsidio militum Germanorum D. atque hic solus optimates & Senatum convocare potest. exacto magistratu, in numerũ procuratorum(hi summam habent in consiliis de Republica suscipiendis auctoritatem)cooptatur, posteaquàm suæ integritatis ac innocentiæ testimonium Syndici tulerunt. Ducis autem eligendi formã valde perplexam omitto: eiusmodi tamen est, ut nemo nisi summæ integritatis & patriæ nobilitatis(cũ antè plebei duntaxat veteri lege crearétur) eum magistratum capere possit.nullus enim sorti locus est.huic adiunguntur octoviri semestres, eadem potestate qua septẽ viri apud Venetos.ut quinqueviri Syndici ferè parem cum decemviris Venetorum auctoritatem habent. hi Reipubl.curam gerunt.sequitur magistratus,qui universæ iurisdictioni præest, quem Potestatem vocant. solet autem ex peregrinis honesto præmio in urbem acciri,cum tribus legatis. ab eo provocatur ad Senatum in capitalibus causis. deinde septemviri semestres,qui extraordinarii vocantur, quòd lites arbitratu suo dirimendi ac tutores dandi ius habent. præterea quinqueviri causarum civilium peregrini homines, quorum potestas biennio definitur: vulgò Rotam appellant. postremi sunt Censores qui collegiorum Præfectos cogũt,ne quis mercatura,ponderibus, mensuris,opificiis abutatur: militares autem magistratus singulis annis creantur XL.centuriones,quibus imperator unus præficitur.Aerarii verò cura defertur ad collegium Georgianum, tantopere ab omnibus laudatum,quod centumviris & octo Tribunis ærarii constat,unde incredibiles urbis opes & utilitates, quæ ex portoriis & vectigalibus prædiorum publicorum & oppignoratorum conflantur.

Est etiam Lucensium status in optimatum potestate.cùm enim censa fuerint in civitate non ita pridem XXXIIII. hominum millia, duo circiter imperio præsunt vicissim:etenim annuum collegium ex opti- *Status Lucẽsium.*

matibus LX. conflatur, penes quos summa Reipubl. potestas est. ab his decemviri creantur cum imperio triennali, quorum maximus Vexillifer appellatur his capitale est urbem deseruisse. creatur etiam Senatus octodecim virorum, qui unà cum decemviris de Republica consilium capit. sequuntur minores magistratus; Rota triumviralis, ex uno Prætore ac duobus Assessoribus: quorum alter publica iudicia disceptat, alter privata: omnes tamen peregrini. pòst etiam novemviri, cum Prætore peregrino, iudices mercatorum. tum Præfecti annonæ, salutis, commeatus. præterea octoviri, qui peregrinorum curam gerũt. postremò sex ærarij; totidem militum Tribuni. sed nihil præclarius collegio Censorum, qui homines improbos, & licentius vitijs indulgentes sæpius notatos de magni concilij sententia triennali exilio puniunt. Neque tamen Lucenses, neque Genuenses planè liberi sunt, sed Hispanorum regi acceptam ferunt data pecunia libertatem. Genuenses quoque ut insula Chio fruerentur, Turcarum principi XXX. aureorum millia, ut Veneti xij. Rhagusij xiij. tributi nomine pendebant antea, ut liberi essent à vectigalibus & portorijs: sed nuper omnes insulæ, paucis admodum exceptis, in Turcarũ potestatem venerunt.

Status Rhagusiorum. Est etiam imperium apud Rhagusios ex optimatibus constitutum. adhuc enim gentes antiquæ nobilitatis XXIIij. restant, ex quibus constat optimatum collegium: sed omnes, ut apud Venetos, simul coguntur. ab his creatur Senatus lx. virorum: postea decemviri, quibus Rector quasi dux civitatis præesse consuevit: deinde quinqueviri eadem ferè potestate qua Venetorum decemviri. tum sex viri consulares civilium: quinqueviri criminalium causarum iudices, à quibus ad curiam XXX. virorũ provocatur: sex viri nocturni. reliqui sine imperio creantur, ut triumviri ærario curando: quatuor Quæstores: duumviri monetales: curatores urbis, annonæ, salutis: postremò Præfectus arcis, qui quotidie mutatur, ut olim apud Athenienses, qui Senatui præerat, arcis & ærarij claves habebat.

bat. habent autem magnam cum Venetis Reipub. gubernandæ rationem. hoc tamẽ valde diversum, quòd prætorianas cohortes ex Pannonijs, ut Genuenses ex Helvetijs ac Germanis conscribunt, ad imperium exequendum. Sed rerum omnium publicarum quæ unquam extiterunt, nulla tam brevi tempore magis incredibiles conversiones pertulit, quàm Respublica Florentinorum. id est, CCCXXI. annis. ac perutile visum mihi est, ea quæ tum à Florentinis, tum ab ipsorum historicis; Pogio, inquam, [redacted], Antonino & Guicciardino didici, breviter explicare: ut ex ea varietate Rerum publicarũ, de optimo statu veriùs ac meliùs iudicare queamus.

Status & cõversio Imperij Florentinorum.

Cùm igitur Pontifices ac Imperatores de imperio Italiæ contenderent, ut anteà diximus; Florentini seipsos in libertatem vindicarunt, anno M. CCXV. & coacto civiũ cœtu magistratus XII. quos antiquos appellabant, duos Prætores, urbanum ac peregrinum cum annua potestate crearunt. sed cùm omne imperium ad paucos detulissent, repente in factionem inciderunt: his itaque abrogato imperio, XXXVI. viros Reipub. constituendæ, quos reformatores vocabant, elegerunt; qui opificum collegia stabilierunt, eisque magistratus quasi Tribunos dederunt. sed cùm potentiores Gibellinorum partibus faverent, eiectis omnibus Gibellinis, XII. viros elegerunt, quos bonos homines appellabant, rati nomine mutato mores immutari, deinde LXXX. senatores consilijs de Republica capiendis: summum verò imperium totius Reipublicæ optimatib. CLXXX. permiserunt, qui magistratuũ ac legum summam potestatem haberent: atque in eo statu annos ferè XXX. acquieverunt: posteà in oligarchiam conversi, nobilibus factiosis imperium à populo abrogatum est: deinde triumviri creati, quos priores appellarent, unà cum vexillifero, cui legionem prętoriam ad Reipublicæ præsidium dederunt, præter quatuor legiones urbanorũ & rusticorum, si ab hostibus urgerētur. & quia vexillifer maximus popularis erat, nobiles ab honorum petitione ac sortitione sum-

movit. posteà secutæ sunt gravissimæ seditiones nobilium, à quibus populus in varias partes distractus est: & cùm civili sanguine diu seipsos fœdassent, communi consensu petierunt à Pontifice maximo, ut regiæ stirpis hominem mitteret, cui libenter parerent. itaque Carolum Valesium Siciliæ regem, qui tum Romam venerat, Florentiam misit. is igitur aliquandiu tumultus composuit, exules & oppressos armis civilibus restituit. sed à suis ipse revocatus, nondum urbe quieta discessit. hinc maiores quàm anteà tumult⁹ ac cædes, adeò ut omnes penè Lucenses vicinorum calamitate permoti, & ad seditiones componendas effusi ex urbe Florentiam venerint: non priùs tamen quieverunt, quàm bellis externis cogerentur. Itaque anno M.CCCIIII. formam Reipublicæ mutarunt, ac pro uno vexillifero tres crearunt, quos Pannonieros vocabant, cum summa & planè dictatoria potestate. igitur coacto civium omnium cœtu scrutinia instituerunt, quibus posteà semper usi sunt, id est, delectum quendam civium habuerunt, qui ad magistratus & honores capiendos idonei essent: atque eorum nomina in urnas, sive crumenas coniecerunt, ut singulis annis sorte ducerentur. atq; hic delectus decimo quoque anno renovabatur: interdum sæpius. octoviros sorte duxerunt, qui bimestri potestate cum annuo vexillifero Reipub. præessent. consilij verò capiendi causa Senatum elegerunt CCL. virorum, partim nobilium, partim popularium. optimatum verò collegium ex civibus trecentis constituerunt. sed ne in eo quidem statu, propter civiles discordias & odia intestina, diutius acquieverunt. itaque communi consensu acciverunt Galtherum Brennonem ducem Athenarum, eum qui posteà magister militum clade Pictaviensi cæsus est ab Anglis, cui optimates annuum imperium permiserunt, sed plebs acclamatione gratissima, perpetuum principem esse iussit. hic igitur CCC. milites ad vim imperij retinendam sibi adiunxit: sed cùm nimis imperiosè se gerere videretur, vix decem menses imperium retinere potuit, quin ab omnibus ordini

ordinibus ex urbe cum magna clade suorum eijceretur. rursus vexilliferum & octoviros, unà cum Tribunisplebis sive collegiorum ducibus crearunt, & nobiles quos ab honoribus anteà prohibuerant, restituerunt. hinc factio nobilium potentior, populares & plebeios opprimere cœpit: hinc tenuium & populariuм querelæ; quòd unius eversa tyrannide, plures Rempublicam invasissent: & eousque discordiæ creverunt, quoad nobiles magna ex parte cæsi, aut fracti, aut exilio pulsi, popularibus cessissent, & ab honorum petitione omnino summoverentur. igitur imperio planè populari constituto, anno MCCCLIIII. cùm nullæ adversus nobiles discordię intercedere possent, populares inter se de imperio certare cœperunt. quémadmodum Budelmonti cum Vbertis, deinde Donati cum Cerchijs, omnes patritij, Rempublicam diutissimè perturbarant, deinde patricij à popularibus eiecti fuerant; ita Riccij & Albizij populares homines, Guelphorum & Gibellinorum sectas renovarunt. inde cædes & exilia secuta, quousque plebei opifices accepta occasione, adversus populares arma ceperunt, ac ditissimi cuiusque domum diripuerunt & incenderunt. ita populari potestate omnino sublata, secuta est ochlocratia seditiosæ plebis, vel potius anarchia. nam toto triennio, latrocinia, cædes, incendia, in media urbe flagrarunt. ad extremum, plebei seditiosè furentes, inter se quoque crudelissimè pro imperio dimicarunt. tandem lassati potius & fracti quàm satiati, proposita amnestia magistratus veteri more crearunt, ac x x annos sine bello civili exegerunt, cùm scilicet nulli omnino magistratus affectarent, & oblatos timidè caperent, iusteq; imperarent. postea diuturnę quietis impatientes, Cosmum Medicem, eum qui patriæ parens usurpatur, nulla de causa damnarunt: idem tamen posteà vi & armis civilibus est ab exilio revocatus: & adversarij eius magno numero eiecti. ex quo gens Medicæa summam in Republ. auctoritatem sine imperio adepta est, cùm scilicet prudentes ac viros bonos sibi adiūgeret, quorū ope Respublica & magistra-

tuum ſortitio regebatur. ſed mortuo Coſmo, qui Reipublicæ gubernacula tenebat, ad cædes & exilia prolapſi ſunt, quoad factióſis quibusque pulſis, Medicæi auctoritatem recuperarent: quam annos circiter XXX retinuerunt, tametſi Paccij coniuratione facta, Iulianum Medicem ante aras mactarunt, ac Laurentium fratrem graviter vulnerarunt. hinc coniuratorum ſupplicia, cædes, exilia. altera ex parte exules Sixtum Pontificem & Alphonſum, cum legionibus acciverunt, ut patriam in qua regnare non poterant, hoſtium ſubijcerēt poteſtati. tandem liberata graviſſimo bello Republica, Senatum LXX. virorum ſtabilierunt, cuius conſilijs tandiu Reſpublica ſtetit, quoad Petr. Medices, mortuo patre Laurentio, non contentus auctoritate, monarchiam invadere conatus eſt. ex quo maiores quàm anteà ſeditiones obortæ: quę non prius exitum reperire potuerunt, quàm potētiores urbe penitùs eiecti eſſent. itaq; cōtigit anno M.CCCCXCIIII. ut plebs huc illuc quaſi pecus ſine paſtore vagaretur, hominum inſidias metuens ac ferarum: ſic enim Machiavellus tradit. tandem Senatu ęgrè coacto, diu certatum eſt de confirmando Reipublicæ ſtatu; cùm alij optimates, alij populum mallent. ad extremum ſeditioſis Savanorolæ ac Soderini concionibus perſuaſi, popularem ſtatum acceperunt: ea lege ut ſummus in Republica magiſtratus, qui apud ęos Confalonerius dicitur, perpetuus eſſet, ac ne rogationes ad populum (remota fece plebis) ullæ ferri poſſent, præter quā de legibus & magiſtratibus, deque pecunia publica. non multò pòſt Petri Soderini, deinde Fr. Valorij potentia oppreſſi, rurſus arma ceperunt, ac potentiores vi & armis de imperio deturbarunt, ipſumque Valorium in Prætorio & in ſummo magiſtratu trucidarūt, cùm provocationem ad populum impediret. Rurſus anno M.DXII. ſummum magiſtratum annuum fecerunt, & Senatum octoginta virorum ſemeſtrem. paulò pòſt tamen Leo Pont. max. princeps Medicee gentis, ſimulans ſe velle Rempublicam in eum ſtatum reſtituere, quo fuerat ante annū MCCCCXCIIII. contulit

tulit imperium populare quinquaginta viris, vulgò Baliam vocabant: ac perpetuam poteſtatem erepta populo libertate ſtabilijt, nihilominus tamen capto Clemente Pontifice max. qui alter princeps erat Mediceorum, Reſpublica in priſtinũ ſtatum redijt. tandem res ad unum delapſa eſt. nam Caroli Imperatoris legionibus coacti Florentini, Alexandrum Medicem cum præſidio militum in urbem receperunt. is igitur Clearchum Heracleotarum tyrannũ imitatus, ſui nominis hoſtes ac potentiores occidit, proſcripſit, exegit: tandem à Laurentio Medice occiſus, imperij ſucceſſorem habuit Coſmum: qui cum incredibili prudentia, coniuratorum manus ſæpius evaſit. hoc igitur in illa Repub. vitioſum erat, quòd populare imperium quàm optimatum maluerunt: deinde quòd octoviris bimeſtribus & vexillifero permiſerunt Reipublicæ totius imperium: nec Senatum ullum habuerunt, niſi extremis temporibus, & nullius penè auctoritatis: quod perinde eſt ac ſi corpus mente careret. nam in Senatu ſalus Reipubl. verſatur. iam verò XVI. viros collegiorum & opificum duces, veluti Tribunoſ plebis nullo interiecto medio maioribus magiſtratibus ita oppoſuerunt, ut neceſſe fuerit perpetuis diſſidijs Rempublicam turbari. poſtremò plebeios, & ex peregrinis in urbe natos ad honores ſorte admiſerũt, quò Reſpublica magis eſſet popularis. Sed ab externis ad domeſtica veniamus.

Status & converſiones Imperij Gallorum.

Maiores noſtri ſub regibus primùm diutiſſimè floruerunt: ut Cæſar libro VI. Livius libro V. teſtantur. quibus temporibus univerſam penè Europam & Aſiam minorem armis domuerunt, colonias deduxerunt, urbes condiderunt, victis regionibus gentilia Celtarum & Gallorum nomina dederunt. inde Celtiberia, Celtoſcythia, Portogallia, Gallicia, Galatia, Gallia Tranſalpina, Gallia Britannorum: hinc multæ à Boijs & Helvetijs, quos Tacitus Gallos vocat, regiones ſubactæ: quę quòd ab alijs explicata ſunt omitto.

Maßilienſium ſtatus.

Cùm autem reges impotenter dominarentur, o-

ptimates imperium susceperunt: id quod Massiliensium, qui à Phocensibus coloniam in littus Celticum deduxerant, exemplo fecisse videntur, quia Massiliensium sexcenti optimates Reipublicæ præerant. ex his quindecim magistratus singulis annis creabantur. inter quos tresviri quasi Præsides, maius imperium habebant, ut Strabo scribit: igitur reliqui eorum exemplo populum in tres ordines naturæ congruentes, hoc est, ad rationis, iræ ac libidinis formam distribuerunt. Druidæ à militia vacationem perpetuam, & omnium munerum immunitatem habuerunt, ut Cęsar scribit. domesticum verò imperium, sacra, leges, summamque iudiciorum potestatem tenebāt: equites rem militaré unà cum Ambactis & Soldurijs curabant: plebs agros & opificia. ex his tribus ordinibus, comitia collecta universæ Reipublicæ summum ius habuerunt. Druidarum verò tanta fuisse dicitur sapientia, tanta vis ac maiestas imperandi, ut cùm haberent annua comitia, solo religionis metu ac sacrorum interdictione, quasi acerbissima omnium pœna, sine vi, potentissimos quosque suis edictis ac decretis parere cogerent, & in suo quenque officio continerent. ex quo intelligitur id quod scribit Cæsar, quantus antiquæ religionis cultus esset. at ubi numinis metus est, illic pietatem, iusticiam, virtutes omnes florere oportet. omitto summam rerum cœlestium ac naturalium cognitionem, quæ illis tribuitur omnium scriptorum consensu. de Republica duntàxat disputo: quam optimatū fuisse ex eo colligimus, quòd cùm duæ factiones essent potentissimæ Heduorum & Arvernorum inter Celtas: Belgarum urbes imperio divisæ optimatum habebant conventus, ijsdemque imperijs & legibus comitiorum ac iudicijs curiæ Druidarum obligabantur: tametsi plurimi essent ubique reguli. prętereà urbis ferè cuiusque sua fuit Aristocratia, ut Germanorum civitatibus, quæ imperij legibus obligantur. ac si quis tyrannidem affectasset, vivum cremari mos erat: quam pœnam ut effugeret Orgetorix reus tyrannidis affectatæ, mortem sibi consciuit, ut Cæsar ipse

in

in Commentarijs scripsit. iam verò suæ quisque familiæ princeps erat: neque in servos tantùm, sed etiam in uxores & liberos ius vitæ ac necis habebat: ut idem Cæsar testatur. falluntur enim cum Iustiniano plerique, qui in capite de patria potestate nullos populos exceptis Romanis, tantum iuris in filios habuisse tradunt, cùm id quoque Persarum & Hebræorum commune fuisse, constet ex Aristotele & legibus Mosis. intelligebant tantum esse parētum erga filios amorem, ut abuti potestate si maximè velint, non possint. nihil autem maius esse ad virtutem & cultum liberorum erga parentes. quòd verò singulæ urbes statum optimatum tenuerunt: ex eo colligitur, quòd plebs ab honoribus & consilijs prohiberetur, & summi magistratus singulis annis non sine magnis contentionibus crearentur, quod Cæsar cùm ab incolis didicisset; Gentile est, inquit, factiones in Gallia fieri: idque vetus est, nec temere institutum, ut tuta plebs esset à potentiorum iniurijs: nusquam gentium plebs alioqui cōtemptior, quippe quæ olim servitij loco penè haberetur, omnis consilij publici expers. hoc ille quasi arcanum imperij veteris testatum reliquit. sed miror cur Cęsar factiones illas, quæ Reipublicæ exitium attulerunt, plebi salutares fuisse putet. fateor quidem tutū esse id quod Aristoteles tradit, magistratus in Republica discrepantes creari, ne quemadmodum in familia, servi nimis inter se conspirantes rem familiarem; illi publicam diripiant. cùm verò se mutuis odijs appetūt, sua scelera detegunt: ita plebs à rapinis magistratuum inter se diffidētium, tutior est. sed factiones principum, sine magno plebis incommodo nequeunt excitari. quicquid enim delinquunt reges, ut ait ille, plectuntur Achivi: nisi princeps unus multò potentior existat, qui partim duces cùm velit coërcere possit, sine gratia cuiusquam. nam si alios in aliorum perniciem tueri velit, metuendum est ne imperium amittat: ut Henrico VI. regi Angliæ contigit, cùm partes Lancastrorum adversus Yorchos tuendas suscepisset. ab his enim fractus est, & in carcere cæsus. nihil tamen cōtra

Cæsaris sententiam affirmare velim. illud modò, Rerumpublicarum ferè omnium interitus à principum factionibus initium habuisse: idque certius unicuiq; esse, quàm ut res exemplis egere videatur. atque id de maioribus nostris Cæsar testatur; apud Heduos principum factiones Reipublicæ perniciem attulisse, cùm alij Germanorum, alij Romanorum copias evocarét. ad extremum Respublica diuturno Cæsaris bello fracta Romanis cessit: sed ea lege ut magna pars civitàtum suo iure ac libertate uteretur, ût Plinius libro VII. tradit. quadringentesimo pòst anno Romanis, Gothis, & Hungaris dissidentibus, paulatim Franci, coloni veteres Gallorum, universam Galliam invaserunt, & hanc regiæ potestatis formam ita stabilierunt, ut militari disciplina pauci; domestica nulli diutius floruerint. de militari quidem constat Gallos Carolo magno duce, magnam Germaniam, Pannonias, Saxoniam, Italiam, & Hispaniæ partem cum imperio toti⁹ Galliæ coniunxisse: Syriam utranque & Cyprum crudelissima servitute liberatam, annuos X C. gubernâsse: Longobardorum imperium fregisse: Pontificibus Romanis bonam Italiæ partem dono dedisse: Venetis Cretam & Peloponesum concessisse, cùm imperium Græcorum invasissent, cui annos L. præfuerunt: quæ sanè militaris disciplinæ magna sunt argumenta. domesticæ verò nullum maius est, quàm quòd reges ac principes exteri ab extremis Germaniæ, Italiæ, & Hispaniæ oris, ad Gallorum Senatum, velut ad sacrum æquitatis asylū magno concursu confluebant. M CCXLIIII. ut Fridericus II. Imp. controversias quæ illi cum Innocentio IIII. intercesserunt de regno Neapoleos, ad hunc Senatum detulit. M. CCCXII. & comes Namurcensis causam egit in hoc Senatu adversùs Carolum Valesium, pro comitatu Namurcensi, nō veritus gratiam tanti principis, quem iudicio superavit. M. CCX X. cōsimiliter Philippus Tarētī, princeps Burgundiæ ducem in hoc Senatu vicit, cùm ageretur de sumptibus factis pro imperio Græcorum recuperādo. idē tamē alio iudicio mulctat⁹ est. M. CCCXLII.
pari

pari voluntate dux Lotharingus & Vidus Castilionæus eius sororius, familiæ herciscundæ iudicium in hoc Senatu acceperunt M. CCCXC. quinetiam Delphinus & comes Sabaudiç, cùm de Marchionatu Saluciarum inter se contenderunt, & sua se voluntate huc contulissent, comes iudicio victus est, ac rursus alio iudicio fractus & omnem causam restituere damnatus M. CCCC. pòst etiam Cameracenses liberi populi in ius vocati, vt rebus à Senatu iudicatis acquiescerent, se iudicio stiterunt, satisq; fecerunt, M. CCCCIII. sed exemplũ illustrius nullum est, quàm quòd reges Castellæ & Lusitaniæ percussis inter se fœderibus, ea nõ priùs vim habitura iudicarunt, quàm ab hoc ordine sancirentur, & patentibus portis promulgarentur. Infinitum sit omnia persequi. Rex autem æquè ac priuati legibus & iudicijs acquiescit. lex autem imperij omnium antiquissima dicitur esse Salica, ut videre est in legibus Saliorum: quę fœminas summovet à regni successione, quanquam dubium est lata fuerit nec ne. ut ut sit, ineptè sanè Baldus ac pleriq; Iurisconsulti, qui in Salica lege interpretanda, cum imperij maiestate successionum iura confuderunt, quasi de prædijs & bonorum possessione ageretur. neq; verò huius imperij propria est, sed communis Assyriorũ, Persarum, Hebræorum, Aegyptiorum, Græcorũ, Romanorum, Abissinorum, Pœnorum, Germanorum, Scytharum; qui fœminas ab imperio longè repulerũt. nec ita pridem Arragonij Petronillam, Castilij Isabellã, Mantuani Mathildem, Neapolitani Ioannam vtranque, Noruegi Margaretam, deinde Navarri & Lotharingi ad fœminas quoq; summum imperium detulerunt: tametsi Roderichus historiarum scriptor, apertè scribit, lege antiqua Hispanorum imperium fœminis ademptũ, ac propterea populi graves sępe querelas auditas esse, quòd Isabellę splendor & gratia leges violasset: id quod etiamnum Guicciardinus testatum reliquit. postremò Britanni, qui anteà semper abhorruerant à γυναικοκρατείᾳ, nuper Mariam eiusque sororem regnare permiserunt, in quo sanè violantur nõ modò

diviñę leges, quæ fœminas imperio virorum disertè subiecerunt, sed etiam ipsius naturæ, quæ masculis imperandi, iudicandi, concionandi, belligerandi potestatem dedit, fœminis ademit. neque solùm naturæ iura convelluntur; sed etiam omnium gentium, quæ nunquam fœminas regnare permiserunt. Zēnobia quidem cum xxx tyrannis Palmyrenem invasit, sed paulo momento de imperio deiecta est ab Aureliano: ipsaque Hirene à Nicephoro in monasterium pulsa, cùm Græcorum imperium suscepisset: Thomyris, Semiramis, ac Thalestris filiorum nomine imperarũt. Tenetur etiam princeps Agraria lege, qua publicos agros alienare prohibetur sine ordinũ consensu: & ut maximè velit alienare, nullo modo possit, quin regius procurator mortuo rege perpetuam habeat manus iniectionem. itaq; cùm principes legem illam perrumpere sæpe sint conati, non potuerunt tamen. altero capite legis Agrariæ prohibetur princeps agros vacantes, aut ulla peregrinorum, vel damnatorum prædia sibi vendicare, nisi proximè pendeant à prædijs dominicis, ne privatorũm fortunis, velut esca malorum illectus, ad crudelitates & rapinas feratur. at in plerisque Galliæ locis bona damnatorum legitimis hęredibus relinquũtur: alibi princeps ea donare, aut conflatam pecuniam in ærarium publicum inferre tęnetur: quemadmodum lege Valesia Francisco patre lata cautum erat. ex omnibus tamen imperij legibus nulla sanctior est, quàm quæ vetat principum rescriptis ullam rationem haberi, nisi æquitati perinde ac veritati consentanea sint: quo fit ut pleraq; à magistratibus respuantur: nec impetrata venia prosit sceleratis. sæpe enim audita vox est magistratuum, Nihil posse principem contra leges. & quidem Henricus eius pater, cùm Italum servum in carcerem duci iussisset, non adiecta causa, iudices hominem liberarunt, prius tamen admonito rege, qui iussit illum condemnari, quum diceret se hominem in scelere turpissimo deprehendisse, quod evulgari nollet. iudices nihilominus reum damnare noluerunt, tametsi princeps

opti-

optimus religiosè ac sanctè iuraret in scelere à se deprehensum, ac iudicibus succenseret, quòd sibi affirmanti fidem non haberent. liberatus est tamen à iudicibus & carceribus ereptus: sed posteà iussu regis in flumen Sequanam noctu demersus, ne insolentia facti populum perturbaret. tametsi putant Iurisconsulti principem ex animi conscientia iudicare posse, ad l. illicitus, §. veritas: de officio præsidis. [redacted]. nec verò curiæ superiores ullam habent legum rationem, nisi quas sua promulgatione comprobarint; nec se cogi posse aiunt: tametsi lapsa consuetudo sensim de via deflectit. atque utinam maiorum virtutem imitaremur: illi de vita quàm de sententia decedere maluerunt. posteri Rempubl. & famam quàm magistratum perdere malunt. cùm enim Ludovicus XI. (is qui primus reges servitute liberasse dicitur) exitium curiæ Parisiorum intêtaret: nisi leges à se latas promulgaret: patres re intellecta purpurati regem adeunt: tum ille; Quæ causa vos huc impulit? ut mortem, inquit Lavacrius, potiùs oppetamus, quàm leges iniquas ferri patiamur. Rex oratione Præsidis, & mirabili constantia magistratuũ perterritus eos humaniter accepit; & leges, quas promulgari iusserat, coràm lacerari mandavit, iuratus se nihil posthac nisi quod æquitati congrueret edicturũ. eius pater Carolus VII. iudicio Senatus sylvam urbi proximam cædere, ac precio dicto sententia Senatus vendere iussus est, nec iussa recusavit. Alia quoque lege, vel potiùs iure constituto, Rex obligatur; ne scilicet magistratum aut imperium cuiquam initio abrogare possit, nisi sceleris convictus ac publico iudicio damnatus fuerit: quamvis in renũciatione magistratuum à principe usurpari soleat formula vetus, QVOAD NOBIS VIDEBITVR; quæ lex inviolabiliter servatur, & in usum abijt, tametsi annuum illud iusiurandum, quod iudices præstare solebant pridie Idus Novemb. satis indicet non ita pridem annuos fuisse

magistratus, ut Budæus quoque tradit. quem morem Philip. Pulcher, atque his temporibus multi ac magni viri renovandum putant: sed Ludovicus XI. legem de perpetuis magistratibus tulit, ne posteà cuiquam imperium nisi morte, aut libera cessione, aut publico iudicio abrogaretur. at Henricus II. cùm in Senatum unà cum magistro militum aliquãdo venisset, promulgandæ legis causa, quam curia improbarat, nescio cuius oratione impulsus, dixisse fertur; curiam Parisiorum lege agere non posse, nisi ipse iuberet mandata iurisdictione in singulos annos ad Idus Novembres. utrum verò præstabilius sit perpetuum imperium dari, an verò tempore definiri, cùm magnæ dijudicationis sit, planè definire non ausim: sic tamen opinor, ad tuendum populare & optimatum imperium, magistratus ad breve tempus tribui oportere, ut Aristoteli visum est; sed in regno aliter sentiendum putem. quid enim contra principum vim ac libidinem audeãt magistratus, qui sibi honores adimi metuent? quis tenues à servitute vindicabit? quis populi commoda tuebitur, si exacto magistratu pateant iniurijs potentiorũ? præterea magistratus imperiũ nullius ferè est auctoritatis, quod ad breve tempus tribuitur: neque facilè paremus ijs, neque cum dignitate imperant, quos vitæ socios habuimus & qui postea privati sunt futuri. quem verò populus de imperio sine scelere deturbari non posse intelligit, hunc ab improbis metui, à principe coli, & virum bonum evadere necesse est, vel cogente pudore, vel etiam pœnæ metu, ne simul cum fama, vitam, caput & fortunas amittat. quippe censores & exploratores habet omnium actionum. Est autem puerile quod Alexander, alioqui bonus auctor ad l. principalibus de rebus credit. ait, imperiũ seu officium privato tributum, cum hac clausula, quoad nobis videbitur, perpetuũ censeri: idque fieri putat ex l. Iurisperitos, de excusat tut. & ex l. sufficit. de rebus creditis. sed μηδὲν πρὸς ἔπος. hoc verò maioris est ponderis ac mométi, huius imperij arcanum salutare, quòd regiæ potestati plurimùm detrahitur, cùm honores magi-

magiſtratibus perpetui tribuuntur. nihil enim ad tyrannidem principis coërcendam efficacius eſſe poteſt. contrà verò in frequenti magiſtratuum mutatione, principis poteſtas omnium maximè augetur, ut Ariſtoteles ſcribit: aucta tyrannis evadit. at quò plus detraxeris imperio principis (neq; verò in eam partem peccari poteſt) eò iuſtius eſt imperium ac ſtabilius futurum, ut Theopompus rex Ephoris poteſtate conceſſa dixiſſe fertur. qui verò malis artibus principis imperium augere ſe putant, non rectè putant, quia reges & regni everſionem moliuntur. & quidem maius imperio eſt, ut Theodoſius Auguſtus reſcripſit, legibus ſummittere principatũ. itaque fallitur Machiavellus, qui Regem noſtrum ærarij dominum eſſe tradit. certus eſt enim modus in largiendo legibus definitus, ultra quẽ ſi progrediatur ſine Senatus decreto, non paretur, nec rationũ iudices Quæſtoribus ſine gravi cauſa acceptum ferunt. Etenim lata lex eſt Carolo VIII. rege ad III. Cal. Sept. anno M. CCCCXCII. ne principis largitiones ac dona ullã vim haberent, niſi rationũ magiſtris donationis tabulæ probarẽtur. excepta ſunt exigua dona centũ libellarum, non tamen aliter valitura, niſi cùm Tribunorum ærarij aſſenſione. hanc legem ex archetypis deſcriptam habeo, quæ diu inviolabilis extitit. Illud etiam huius imperij magnum eſt arcanum, quòd princeps omnium in Repub. præmiorum arbiter eſt, nec tamẽ ullas infligit pœnas: ſed hæc magiſtratibus velut odioſa permittit. quò fit ut omniũ amore, nullius odio dignus habeatur, nec potentiores à iudicibus damnati, cauſam habent cur illi iraſcantur, propterea quòd nullam ſuſcipit cognitionem: ſed rebus iudicatis omnes acquieſcunt, aut ſi quis potentia fretus imperium recuſet, provinciarum gubernatores ac præfecti Mareſchallorum, armis parere cogunt, & omnes in unum armantur: contrà quàm fit apud Germanos, apud quos imperialis curiæ decreta nullam ferè vim habent, ſi adverſus potentiores iudicatum ſit, propterea quòd gubernatores provinciarum armis tentare nolunt, quod exequi ſe poſſe dit-

fidunt. nihil apud nos frustra decernitur, quod non facile executioni mandari possit. sic igitur curiæ superiores, quæ magna sui parte ex plebeis constantur, nobilium ac potentiorũ vim iustissimis decretis coërcent, ac veluti summos cum infimis incredibili concordia tuentur: qui verò earum dignitatem labefactare sunt conati, profectò Reipublicæ interitum quæsierunt: cum in illis posita sit domesticæ disciplinæ, legũ, morum, totiusque Reipub. salus. sunt autem eiusmodi curiæ septem, quarum quæ maxima est, iudicibus centum & quadraginta constat, à quibus provocare non licet: nec sine gravi mulcta principi temere supplicare. Aliud quoque huius imperij vinculum magnum est in nobilium clientelis. cùm enim in omnibus Græcorum Rebuspublicis, tenues & plebei à patricijs opprimerentur: aut patricij à plebeis impetu facto sæpius eijcerentur, ac perpetuò inter se dissiderẽt; divina quadam bonitate factum est, ut promulgatis feudorum legibus, nobiles infimos veluti clientes ab iniuriâ tueantur. atque hæc una fortasse ratio est, cur imperia sint apud eos diuturna, qui his legibus utuntur. Sed hoc amplius habemus, quòd nobiles primogeniti apud nos, ut etiam apud Britãnos, magnam capiunt partem totius hæreditatis, ac perpetua maiorũ successione avitas hæreditates tuentur, ne in plures distractis prædijs, decus nobilitatis, quæ militarem disciplinam tuetur, intereat. atque illud est quod Lycurgus primùm apud Spartiatas, deinde Plato in utraque Republica tantopere commendat. sed hic portiones hæreditarias, IIII. M. X L. ille IX. M statuit: nos certum numerum nullum habemus. ac si morem maiorum teneremus, quem soli Germani mordicus retinuerunt, id est, ut fœminæ à feudis omnino repellerentur, proximis agnatis Salica terra (sic enim in veteri quodam testamẽto apud Burdegalenses feudum appellari proditum est ab eo qui primus libellum de lege Salica scripsit) nec Lycurgi, nec Platonis leges de successionibus desiderarem. sed primus Capetus apud nos cõcesso ducibus & comitibus provinciarum domi-

dominio, legis violandæ præbuit occaſionem. pòſt enim facilè impetratum eſt à parẽtibus, ut fœminis Salicam terram capere liceret. Quòd ſi ita apud nos imperiũ eſt conſtitutum, profectò capitalis eſt Iovius, qui ridiculè Gallos inſectatur, quòd divinum quendam animi vigorem regibus ineſſe putent. quid ſi Anglos vidiſſet ante ſedẽ regiam, tametſi vacuam, prætereuntes aperire caput? ~~ac maiore contumelia dignus eſt ipſe, qui toto vitæ decurſu, domini ſui pedes pluſquam~~ [redacted] ~~: quod adorationis genus, non modò Perſarum aut Turcarum reges, ſed etiam ſuperbiſſimi Caliphæ Arabum ſemper abhorruerunt~~. eſt igitur, ac ſemper fuit (atque utinam perpetua ſit futura) principis & populi Gallici tanta conſpirationis fides & conſenſus, ut nuſquã populus maiori obſequio principẽ, nec princeps amore tanto populum complectatur: populus autem quantum divinitatis in Principe eſſe putet, aut quanta libertate fruatur, ex eo intelligi poteſt, quòd non ita pridem Ludovicus XII. in ſcenis ac theatris, antiquæ comœdię morem renovari permiſerit, & facetis dicterijs vitia cuiuſque notari, quod ubique ac præſertim Venetijs ſemper capitale fuit; ac ne ſibi quidem parci voluit, cùm diceret, rerum geſtarum fidem non aliter à principibus haberi poſſe. ô Principem excelſum & orbis imperio dignum; qui vitæ integritate ac innocentia fretus, maledicta non extimuit improborũ. iam verò ante Henrici tempus inaudita vox erat maieſtatis apud nos in rege appellando. quæ idcirco à me commemorantur, quòd ab Italis & peregrinis multa de noſtris moribus & imperio aliter quàm decuit prodita fuêre. Iam verò incredibile videatur, verum tamen ſit, nullum omnino populi coniuratione cæſum. unus uxoris adulteræ dolo necatus eſt. Carolus verò ſimplex ab Heriberto Veromanduo, tametſi hoſte acerrimo captus, nulla vi, ſed morbo ac ſenio perijt: eius tamen filius Ludovicus, Heribertum in crucem egit. Neque verò Reipubl. inviolabilis argumentum maius extitit quàm nuper bello ſacro, quo Gallia tota conſla-

gravit. cùm enim partium duces cędibus ac incendijs omnia miscerent, curiarum tamen & urbium maximarum splendor ac dignitas mirabilem in modum affulsit. deinde paulo momento tot bella tantique tumultus, optimi Regis edicto, quasi apum examina pulveris exigui iactu compressa quierunt: ac Princeps iniuriarum omnium oblitus est. tantæ naturæ bonitas est insita in gente Valesiorum. neq; id novum, sed à maioribus acceptum institutum. Nam Carolus VII. imperio planè spoliatus, & indignus omnino iudicatus in curia Parisiorum: tandem Atrebatico fœdere in spem meliorem erectus, Anglos qui dominatum tenebant, fudit ac prostravit. plerique putabant illum animi dolores ulturum: sed ab ultione tantum abfuit, ut Cæsaris clementiam imitatus, Senatum populumque Parisiorum in fidem humaniter receperit. Hæc faciunt imperia diuturna, cùm Principes alienas iniurias vindicant acerrimè, suarum verò penitùs obliviscuntur. neque verò ullum imperium diutiùs in eodem statu floruisse reperimus, prætęrquàm Assyriorum. iam enim ducentesimus circiter ac millesimus labitur annus ab huius imperij primordio, quod cœpit ab Vvaramundi familia, deinde ad Meroveos, tum ad Carolum magnum, postremò ad Capeti gentem delatum est: neque tamen bellis civilibus potuit, neque externis violari. at reges Aegypti, si Iosippo credimus, vix annum millesimũ attigerunt. omitto quàm fabulosè multa dicuntur de Assyrijs & Aegyptijs, quamque facilè fuit imperium illis temporibus stabilire ac retinere, quibus nulli hostes regnare prohiberent. Illa verò quæ feruntur antiquissima regna, Lydorum, Tyriorum, Argivorum, Corinthiorum, Lacedæmoniorum, Athenienfium, mœnibus urbium circunscripta, Plutarchus in Theseo ac Diodorus, magna sui parte fabulosa fuisse affirmant: & ut vera sint, quæ tamen diutiùs steterunt, annos DCCC. non superarunt.

Cõversiones Imperij Caldæorũ, Assyriorũ, Persarum, Parthorum.

Caldæi quidem post aquarum eluviones annis CCXLIX. in summa quiete vixerunt: quod seculum aureum

aureum à Catone in originibus, si modò eius libri auctor est, appellatur. deinde Ninus armis Asiam minorem invasit, à quo XXVII. reges annos M.CCXX. usque ad Sardanapali exitum imperarunt. eius imperiũ Arbaci & Belocho præfectis cessit. itaque imperio bifariam diviso, Medos inter & Assyrios trecentis ferè annis dimicatum est quoad Persæ imperium arripuerunt. hinc gubernacula tenuerunt usq; ad Alexandrũ, qui Persarum imperium ab India usq; in Hellespontum latè patens longius propagavit. Alexandro mortuo, Seleucus Asiam maiorem: Antipater minorem: Ptolemæus Aegyptum: Antipater Macedoniam: Lysimachus Thraciam diviso imperio acceperunt. dein gravissimis bellis attriti, mutuisq; odijs ardentes, ducentesimo circiter pòst anno in Romanorum potestatem pervenerunt. Asia maior Parthis cessit, post Alexandri mortẽ anno CLXXII. atq; ita imperium ab Arsace usq; ad Artabanum cum magna gloria militaris disciplinæ, floruit annos circiter D. hinc Artaxerxes Persa cæso Artabano regnum suscepit: idq; Persæ tenuerunt annos amplius CCCC. quousque Homarus princeps Arabum Persiam & Syriam invasit.

Cætera consequentia ætatis imperia videamus: id est, ab Iustiniano, qui erepta Vandalis Africa, Gothis Italia, Parthorum quoque repressis incursionibus, imperij dignitatem summa cum militaris ac domesticæ disciplinæ gloria restituit. Hispaniam Gothis, Galliã Francis, Britanniam ac Germaniam superiorẽ incolis relinquẽs, imperij Græci limites, Danubio, Alpib⁹, Euphrate & Africę patẽtibus oris circũscripsit. in eo statu floruit imperium annos ferè centum ac viginti, hoc est, ad Constantem Heraclij nepotem, cuius temporibus Arabes Aegyptum, Syriam ac Ciliciam; pòst etiam Africam Romanis ademerunt: & in Italiam usque exercitus & colonias transmiserunt. ex altera parte, Sclavi Pannonias & Illyricum invaserunt. anteà Longobardi sedes in Insubria posuerant, & bonã Italiæ partem occuparant. secuta sunt bella civilia pro imperio Græcorum, cùm alius à militibus, alius à *Conversiones imperij Græcorum.*

Senatu Imperator eligitur. nam Leontius, Iustinianum minorem in exilium egit: Absimarus Leontium naribus truncatum in carcerem compulit. Iustinianus, barbarorum ope restitutus, adversarios de imperio deturbavit. hunc Philippicus excepit, qui ab Artemio crudelissimè est excæcatus: nec tamen diuturnum fuit huius imperium. paulò pòst à Leone Tiberius Imperator electus truncatur. maior etiam Constantini IIII. crudelitas, qui expugnata Constantinopoli, Artabasdum unà cum filijs excæcavit: sed maxima clade à Bulgaris accepta miserè interijt. ex quo imperium ab Hirene susceptũ est, quæ filio excæcato Caroli Magni nuptias appetens, in monasterium à Nicephoro traditur: ipse Imperator factus à Bulgaris postea cesus est. succedit Michaël uterq; quorum postremus à Basilio crudeliter occiditur. quibus temporibus imperium Grecorum angustis regionibus definiebatur, cùm Illyricum & Italiam penitùs amisissent, & bonam Asię partem Turcę & Arabes occuparent: ipsi verò Græcorum principes, mutuis odijs ac bellis civilibus tandiu iactati sunt, quousq; Gallorum armis imperium occuparetur: his tamen sexto & quinquagesimo pòst anno pulsis, Græci rursus imperarunt, sed Paleologi & Cantacuzeni dissidentes, Turcas Asiæ dominos evocarunt, à quibus sunt paulò pòst de imperio deiecti.

Cõversiones imperij Arabici. Arabum quoque imperia languere cœperant, cùm Turcæ in Europam exercitus transmiserunt. Cùm enim à Græcis defecissent, anno salutis circiter DCI. brevi Syriam, Aegyptum, Persiam, Africam, usque ad Oceanum: pòst etiam Hispanias, Cretam, Siciliam, Peloponnesum & Italiæ partem occuparunt, tanta victoriarũ celeritate, ut tot ac tam multas regiones antè domuisse, quàm peragrasse videantur. ac tametsi obscura est eorum, & fabulis confusa historia, quam nostri literis mandarunt; facilè tamen intelligi potest ex Leone Afro, & Gulielmo Tyriorum episcopo, qui antiquitates illorum ac regiones penitùs inspexerunt, nullum ferè imperium excepto Romano maius antea

tea extitisse. Ipsi Pontifices,qui Caliphæ dicebantur sola religionis opinione tantùm valuerunt,ut leges omnes divinas & humanas arbitratu suo moderarentur. ab his enim Imperatores & exercitus, velut à dijs pendebant. reliqui principes vitam illis, caput, fortunas,imperium denique acceptum ferebant. sed cùm de religione inter se discrepare cœpissent,propter Hali cædem,Pontifices quoque Aegypti,cum Babylonijs ac Damascenis,gravissima bella gesserunt:deinde Gallorũ viribus de Hispania ulteriore,pòst etiam de Italia, Cypro ac Syria decedere coacti:tãdẽ à Persis quoque, Tartaris,ac Turcis repulsi, vires in Aegypto & Africa collegerunt. anno salutis centesimo circiter ac millesimo. hinc Tunetani reges à prima incursione Arabũ in Africa,regnum ad hæc usque tempora gubernarũt, id est,ut Muleasses coram Paulo Pont. max. iactabat, annos DCCCC. Sultani verò Aegyptum à Saladino usque ad Tomombeium, quem Selimus Turcarum Princeps in crucem egit,annos CCCXXXVI. obtinuerunt. sed tantis odijs ac cædibus exarserunt cum Mauris Tunetani reges,& inter se Mauri,pòst etiam Sultani,ut Hispanorum ac Turcarum fracti viribus, nunc servire consuescant.

Iisdem ferè temporibus quibus Aegyptum Saladinus occupavit,duo potentissima imperia paulatim adoleverunt; Tartarorum scilicet ac Turcarum. scribit enim Hayto,Cangiuscanum Tartarorum, qui olim Scythæ dicebantur,Principem,imperium in Asia maiore longè latè propagasse:& ex eadem gente Turcarum unam legionem,quæ Persis auxilio venerat, accepta religione Arabum, in Asia minore conquievisse:ac sensim Arabum & Græcorum discordia in tantam potentiam crevisse,ut ex quo Selimus homo privatus, Cappadociæ principatum arripuit,anno M. CIIII. ad Selimũ huius patrem,omnia non modò Græcorum & Arabum imperia, sed etiam provincias omnes à Danubio usque ad Borysthenem, hominũ ferocissimorum,& utranque Pannoniam atque Illyricum occuparint: tametsi Persarum,Christianorum ac Tar-

Cõversiones imperij Turcarum.

tarorum maximis bellis implicarentur. Sed quoniam de Republica Turcarum multi multa scripserunt, mihi satis est ea leviter attingere. Hoc tamen ab illis quod maximum erat prætermissum est. Sic enim Ioannes Huraldus sacri consilij Senator, & Ludovicus Martinus, uterque diuturnis legationibus, & rerum gerendarum usu clarissimus, mihi narraverunt, omnia prædia, paucissimis admodum exceptis, militibus, quos ipsi Timariotas παρὰ τὸ τιμᾶσθαι, ut opinor, vocant: cæteri censuales sunt, qui militibus agrorum vectigalia dependere solent, ab decimo quoque anno censualia prædia conducere. mortuo Timariota, Principis beneficio tribuitur militia ex casu, ut olim feudâ seu beneficia dari consueverant. si bellum indicitur, præsto sunt sine stipendijs Timariotæ. Prætorianæ verò legiones circiter septem, stipendia ferunt ex ærario publico, quod ex capitatione conflatur. Hæc disciplina invictam Rempublicam facit. eadem lege usus est Carolus V. Imperator adversus Indos, excepta dûtaxat capitatione, unde infinita vis auri (nam levia sunt vectigalia quæ ex portorijs coguntur) ad ærariû defertur.

Cõversiones imperij Polonici. Interea Poloni à Germanis imperio divisi regnum à Pyasto duce conditum, anno salutis DCCC. fœliciter administrabant. neque enim ante hoc tempus certa narratio ab historicis colligi potest. ex eo tamen Polonorum gesta lucent, quòd cum Turcis, Germanis, ac Moschovitis gravissima bella diu gesserint, sui tamen imperij dignitatem hactenus conservarunt, ac Prussiam Germanis ademerunt, seque ipsos adversus Turcarum opes etiamnum fortissimè tuentur. crevit autem imperium illud tum maximè, cùm Pyasti gens in Hedvvige regina desijsset. tum enim Iagello Lithuaniæ rex accepta religione Christiana, reginâ Poloniæ duxit uxorem, anno M. CCCLXXXVI. ab hoc Iagellonum gens imperium legitimo iure suscepit, quorum postremus restat, is qui nunc imperat Sigismundus. nam Marchio Brandeburgicus & Vaivoda Transylvaniæ ex fœminis Iagellonum originem traxerunt.

Eodem tempore quo Pyaſtus in Polonia, Carolus Magnus in Gallia, Nicephorus in Græcia, imperium inierunt: ſimul quoque Gotricus Daniæ regnum armis ac legibus ſtabilijt, ab eoque ad Nubam regnatum eſt annos CXL. tum Henricus auceps Imp. Germanorum, regnum illud in provinciæ formam redegit. ſed cùm ab imperio poſtea Dani deſciviſſent, rurſus ab Othone victi ſunt, atque iterum rebellarunt Suenone rege, qui à Valdemaro fratre deiectus eſt: à quo regnum ſucceſſione delatum eſt, anno pòſt CCXI. ad Margaretam, quę Daniæ, Sueciæ ac Norvegiæ præfuit imperijs: & quæ Pomeraniæ ducem adoptavit. trigeſimoquinto pòſt anno Engelbertus à Danis deficiens, Sueciæ regnum invaſit, quod poſtea civili ſeditione coactus reliquit. rurſus triplex illud regnum unius imperio Bavari paruit. poſt hunc Chriſtianus electus eſt, à quo cæteri conſequentes ad hæc uſque tempora imperarunt. regnum tamen Sueciæ Goſtavus Chriſtiano II. nō ita pridem ademit, ex quo maxima bella inter Danos ac Suecos oborta, nondum conquierunt: licet Henricus Sueciæ rex à ſuis captus eſt ac imperio ſpoliatus, conſpiratione fratris iunioris cum civibus Hoſtocolmiæ, eo ipſo die (res admiratione digna) quo Carolus IX. rex armis ſuorum penè oppreſſus eſt in agro Meldenſi, id eſt, anno M D.LXVII. ad IIj. Cal. Octobr. Illud autem animadverſione dignum eſt, quod ab Holſtero Sueco accepi, ex pluribus liberis ius eſſe principibus eligendi, quem velint. id quoq; fertur commune eſſe Polonis, Lithuanis, Hungaris & Abiſſinis. Ac re vera dici poteſt Ariſtocratia Danorum & Polonorum, apud quos nobilitas legum, pacis, armorum, vitæ ac necis ius habet: Princeps electus nihil horum per ſe ipſe efficere poteſt. at ne nobilis quidem ullus à Principe aut ab alio magiſtratu, quàm ab optimatibus iudicari poteſt, ubi agitur de illius capite, vita vel fama. *Cōverſiones Imperij Daniæ ac Sueciæ.*

Sequuntur Britanni, qui regiam poteſtatem initiò, ut omnes ferè populi, pertulerunt. Polydorus enim reges octo & ſexaginta, ex antiquis ſeu veris, ſeu fabu- *Cōverſiones imperij Britannici.*

losis scriptoribus, mille circiter annos ante Cæsarem, Britannis imperasse scribit: Romanis verò, postea quàm à Cæsare victi sunt, annos quingentos paruisse: id est, ad Theodosium usque iuniorem: quibus temporibus cùm à Scotis & Pictis gravissimè premerentur, ac de Romanorum auxilijs desperare cœpissent, Anglorum & Saxonum opes è Germania evocarunt: hi pulsis Britannis, imperium facilè occuparunt: sed ita ut septem reges divisis imperijs dominarentur, ac perpetuis bellis in seipsos grassarentur: quod Egbertus post annos circiter CCC. quàm Angli Britannos in Galliã expulerãt, id est, anno salutis DCCC. penè solus imperavit. postea Dani ac Scoti mox victi, mox victores Insulam more prædonum annos ferè CL. diripuerunt usque ad Eduardum maiorem, qui Danis pulsis imperium recepit. centesimo pòst anno bellis intestinis flagrantes, Gulielmum Normannum evocarunt. is Haraldo cæso ac Republica constituta, regnum successione ad suos detulit, qui annis ferè centum ac decem fortiter imperarunt. secutus est Stephanus comes Blesensis genere Gallus, qui regnum legibus ac domestica disciplina humaniter informavit, anno salutis M. CXXXVI. pòst Henricus II. genere quoque Gallus, & Stephani, ut plerique aiunt, filius; paterno iure comes Andium, Cenomanorum, ac Turonum: Stephani adoptione & materna successione, Angliam & Normanniã: uxoris dote Aquitaniam & Pictaviam consecutus, maximũ imperium diutissimè rexit, ac deinceps eius posteri florens illud regnum, ac bellicis laudibus abundans, annos CCCC. ita gubernarunt, ut universam penè Galliam; partim legitimo iure, partim vi, partim fraudibus, cùm civili bello Galli premerentur, occuparint. tandem aliquando conspirantes Galli, & victoriarum incredibili celeritate usi, Anglos de tota Galliæ possessione deiecerunt. hi verò cùm hostili bello carerent, civilia cum tanta crudelitate gesserunt, ut ludicra videãtur, quæ de tragica Thebanorum feritate prodita sunt, præ his quæ à Polydoro narrantur: qui tamen in gentis gratiam multa scri-

psisse

psisse fertur. nec mirum videri debet, si Philippus Cominius scripserit, annis ferè x x. quibus bella civilia gesta sunt, sua ætate cæsos esse regiæ stirpis homines amplius lxxx. omitto reges duodecim, qui populi seditione ac principum coniuratione cæsi, aut imperio spoliati fuère.

Restat ut de Hispanis quoq; brevissimè dicamus. Nullum autem apud eos imperium antiquius videmus, quàm Carthaginensium. nisi fortasse Celtas & Gallos magnam Hispaniæ partem ante Carthaginenses domuisse, ac regioni nomen dedisse putemus, id quod Hispani fatentur. sed quoniam hæc certa historia non sunt comprehensa, ducendum est à Carthaginensibus initium, qui duce Meseo magnam partem Hispaniæ occuparunt, ut ex Iustino & Orosio intelligi potest: atque imperium tantisper tenuerunt, dum à Romanis penitùs eijcerentur. non tamen domita erat omnino Hispania Scipionis ætate, cùm ulterior suos principes Cæsaris quoque temporibus haberet. à Scipione Africano ad Gondericum regem (qui primus è gente Vandalorum Hispanias invasit) numerantur anni D C L X. postea Vandalis in Africam traijcientibus, successit Alaricus Pannonius de gente Balthorum, qui tunc Gothorum dux erat. ab eo Gothi C C C. annos in Hispania regnarunt, id est, usq; ad Rodericum, cuius temporibus Arabes ac Pœni universam Hispaniam, præter Cantabros & Astures in suam potestatem redegerunt. id autem contigit anno salutis D C C X V I I. imperij Roderici anno septimo, ut Tarapha scribit. huic conversioni causam dedit Celtiberiæ princeps, qui ut illatum uxori stuprum à Roderico vindicaret, Pœnos in Hispaniam evocavit. Postea Galli Carolo magno primùm, deinde Ludovico filio magnam Hispaniæ partem ab Arabum servitute vindicarunt, ac per legatos tandiu gubernarũt, quoad Ludovicus Pius, Iamfredo legato liberũ imperium permisisset. pòst Hispani recuperatis viribus, duce Alfonso quinto, Arabes ex omni ferè Hispania exegerunt. cùm autem in Veremundo, Alfonsi filio Gothorum

Cõversiones regni Hispanici.

legitima proles defecisset, Ferdinandus primus Arragoniæ rex imperium suscepit. posteà distractis in quatuor, mox etiam in quinque partes Hispaniæ imperiis, crudelissimæ cædes, non modò principum inter ipsos consecutæ sunt, sed etiam fratrum, parentum ac liberorum. nam Alfonsus III. Asturiæ & Galliciæ princeps, omnes fratres oculis orbavit, unus etiam cæsus est, cùm partem imperij occuparet. consimiliter Alfonsus III. à Raymiro fratre oculis est orbatus. Petrus item Alfonsi XI. filius legitimus, ab Henrico fratre spurio deiectus est ac cæsus. Garcias itidem à fratre Sanctio; hic à Vellido: aliquanto pòst Alfonsus VIII. genere Gallus Raymundi Tolosatis filius, tria imperia cum uno & eodem coniunxit. rursus Mauri magna classe Hispanias invaserunt & bonam partem ad Ferdinandum usq; Philippi proavum maternum tenuerunt. sic tandem imperium, partim vi & armis; partim etiam legitima successione magnopere auctū, nunc summa cum utriusque disciplinæ gloria floret: ac iam annos DCCCLII. à Pelagio regnatum est. hoc etiam gloriosius, quòd in Africam usque & Americam leges & arma non sine uberrima & quæstuosissima mercatura, Christiq; religionis amplificandæ studio protulerunt, ac longius prolaturi sunt, cùm nullum sit imperium tam latè patens ex omnibus quæ unius dominatu reguntur, in quo minus Principi tributum sit: quod imperij bene constituti magnum est argumentum. Cætera, Tartarorum, Moschovitarum, Indorum & Aethiopum imperia, quæ non sunt ex historia planè comperta, prætermitto. ex ijs tamen quæ habemus explorata, perspicuum fit, nullū imperium magis diuturnum fuisse quàm Gallorum: nec bellis civilibus minus opportunum: multa quidem in moribus, legibus, institutis, iudicijs, egent emendatione: status verò Reipublicæ tanta diuturnitate probatus, sine gravissimo Reipublicæ periculo mutari non potest. hæc enim optima cautio est Aristotelis, ut nihil in ea Republica mutetur, quæ diu floruit in eodem statu. Sed quoniam plerique huius ætatis, graves & eruditi

ruditi viri, optimatum ſtatus; nonnulli etiam populares magis probant, unum hoc reſtat, ut eorum ſententia repudiata, de optimo ſtatu breviter dicamus. Iam enim Polybij & eorũ qui ab eius ſchola profecti ſunt, ſententiam confutavimus argumentis, ut opinor, neceſſarijs ad aſſentiendum.

Optimus Reipublicæ ſtatus.

Itaque cùm triplex ſit omnino Reipubl. ſtatus; unius ſcilicet, plurium, & omnium: danda eſt opera, ut non ſolùm vitioſos fugiamus, ſed etiam inter laudabiles optimum quenque ſequamur. pernicioſa tyrannis eſt unius: peior etiam tyrannis plurium, quæ dicitur Oligarchia: peſſima denique omnium & lege ſoluta poteſtas, quæ Græcis ὀχλοκρατία, Ciceroni quoque tyrannis appellatur: quæ anarchiæ proxima eſt, in qua nullꝰ paret, nullꝰ imprt: nulla prēmia rectè factis, nulla ſupplicia peccatis. igitur ſi hæc reijciamꝰ, neceſſe eſt ſtatum eligere popularé aut optimatum, aut regnum. de populari nihil ſcribendum putarem, niſi multorum quoque ſententijs probaretur. etenim N. Machiavellus argumentis ac rationibus præſtantiſſimum eſſe perſuaſum habet. ſed in eo genere minus illi credendum puto, præſertim cùm evertat ſuæ diſputationis fundamenta. nam in Principis inſtitutione, ſtatim initiò duos duntaxat poſuit imperij ſtatus; monarchiam & Rempublicam. idem ad Livium, Venetorum Rempublicam omnium præſtantiſſimam eſſe affirmat, quam tamen putat eſſe popularem; cùm libro III. ſtatus populares ſemper laudabiliores fuiſſe ſcripſerit: contra philoſophorum & hiſtoricorum, cõtraque omnium magnorum virorum probatam opinionem. ut enim alios omittam, Xenophon bonus idem Imperator ac Philoſophus, popularem potentiam virtutibus omnino inimicam eſſe teſtatur: nec aliter ſtabiliri aut retineri poſſe quàm bonis omnibus eiectis. id quod Seneca tribus verbis complexus eſt, Quis enim, inquit, placere poteſt populo, cui placet virtus? idem quoque Ariſtoteli viſum eſt, eo loco præſertim ubi alios ad imperium, alios ad obſequium natos maximis argumentis confirmat. ſed omnis à Pla-

tone manavit error, qui imperio populari constituto, perniciosam ęquationem invexit, tum Academici qui ab eius schola profecti sunt, rationes illius amplificarunt. posuerunt enim societatem concordia servari: concordiam æquabilitate iuris: æquabilitatem populari statu. deinde summa paritate ac similitudine cives omnes unum & idem effici: atque hunc finem esse humanę societatis. Aristoteles Platonis hypothesim non confutat, sed in eo Platonem labi existimat, quòd civitatem maximè unam & eandem efficere conatur, atque isto modo civitatem everti, & familiam evadere. quæ sanè ratio frigere mihi videtur. ego verò hypothesim non solùm absurdam, ut voluit Aristoteles, sed planè falsam esse iudico. nam si ad naturam, quæ rerum princeps est, omnia revocemus, perspicuum fit, mundum hunc, quo nihil pulchrius est ab immortali Deo coagmentatum, ex inæqualibus partibus, & maximè sibi repugnantibus elementis, orbiumque agitationibus contrarijs ita sibi constare, ut sublata illa congruenti discordia interitus sit: non aliter optima Respublica, si naturam imitetur, id quod necesse est, imperantibus ac subditis, servis ac dominis, potentibus & egenis, probis & improbis, robustis ac imbecillis; quasi temperata repugnantium inter se animorum societate, stabilis & inconcussa retinetur. & quemadmodum in fidibus & cantu ipso concentum æqualem, quem unisonum vocant, aures eruditę ferre non possunt: contrà verò dissimilimis inter se vocibus, tũ gravibus, tum acutis, moderatione quadã inter se cõfusis harmonia concors efficitur: ita quoq; æqualitatem, vel potius paritatem illam popularem in Repub, nemo sanus ferre possit: sed ex summis & infimis interiectis inter utrosque medijs ordinibus moderata ratione civitas, mirabiliter sibi congruit dissimilium consensu. Sed inde pestis rerum omnium publicarum, quòd qui pares sunt quadam ex parte, omnino se impares esse arbitrantur: qui autẽ quodammodo impares, omnino se pares esse putant. si igitur tanta est hominum inter ipsos, tanta ingeniorum imparitas,

tas, quis ex æquo partietur imperium, opes, honores, magistratus? perinde est ac si victus & vestitus pueris, adultis, senibus, ægris, athletis, idem tribuatur, & ista ratione æqualitatem servari putent. & quoniam Plato in Republica bonorum æquationem vetuit (conscripsit enim quatuor civiũ classes vario censu) & qui postea secuti sunt Academici, quique Respubicas populares instituerunt, æquationem bonorum semper sustulerunt, ne labefactarent fundamenta Rerumpublicarum, quæ maximè ob eam causam constitutæ sunt, ut sua tuerentur: cur non etiam imperij tollunt æquationem? est enim popularis status nihil aliud, quàm imperij summi æquatio. non tam absurdum erat omnes omnium opes, quàm imperium æquare. propterea quòd opibus quisque frui potest: imperandi verò prudẽtia paucissimis est à natura tributa. quid enim plebe stultius? quid intemperantius? & cùm in bonos exarserit, quid furiosius? rectè Livius; multitudinis eam esse naturam, ut humiliter serviat, aut superbè dominetur. neque enim opus est exemplis, quę utinam tam multa non extarent. nam qui populare imperium Romanorum laudant, illorũ historias non legisse videntur. quid enim miserius quàm plebẽ à patricijs toties discedere? quid indignius quàm cives cũ civibus toties in urbe media, in foro, in campo, in comitijs, in Senatu, in templo Iovis capitolini; lapidibus, fascibus, gladijs inter se dimicare? lapidationes, inquit Tullius, in foro sæpe vidimus: nõ sæpe; sed tamen nimis sæpe, gladios. scribit enim Appianus, Appuleium Saturninũ Tribunum pl. stipatum opificibus & armata manu leges tulisse, consulem creatum in comitijs interfecisse, cives à civibus è campo fœdissima lapidatione pulsos. quanquam usitatum erat, ut competitores armati sub toga iusto penè cum exercitu ad comitia venirent. omitto rupta fraude comitia, largitiones, obtruncationes, & populi frequentes ab agris & necessarijs negotijs in urbem evocationes. omitto innumerabiles legum rogationes, abrogationes, derogationes, subrogationes, obrogationes: tot ac tam multa,

plebiscita, Senatusconsulta sibi cõtraria, & paulo momento ad plebis voluntatem mutabilia. nec Romæ tantùm, sed etiam Athenis contigerunt: apud quos Reipublicæ consilia, quibus nihil sanctius esse debet, à plebe petebantur: id est, ab insano ac furioso prudentia: ut præclarè dixerit Anacharsis, sapientes Athenis in concionibus sententiam ferre, stultos verò iudicare. itaque cùm Philippus in Atticam irrupisset, populus accepto nuntio in theatrum sub auroram convenit, ut est apud Demosthenem, à nullo magistratu vocatus: ac tantus omnium stupor consecutus est, ut nemo ad populum verba facere auderet. Idem Demosthenes in oratione de Republica tradit, oratores Reipublicæ principes fuisse: his subditos Imperatores, & trecentorum circiter civium suffragio leges ac decreta facta, reliquos cives his attributos fuisse. consimiliter apud Florentinos, cùm sæpe ab hostibus obsidione cingerentur, à plebe consilia petebantur. itaq; quòd aliquandiu stetit utraq; Respubl. (quanquam in miserrimo statu) tribuendum est Aristidi, Pericli, Cononi, Cosmo ac Laurentio Medicibus; qui tamen à suis eiecti, aut malè mulctati sunt. ac nescio cur Machiavellus homo Florentinus populare imperium tantopere laudet, cùm ex eius historia perspicuum sit, rerum omnium publicarum nullam Florentina, quandiu fuit popularis, calamitosiorem extitisse.

Regia potestas melior quàm optimatum.

Cùm igitur Respublica popularis, magnorum virorum consensu repudiata sit, restat ut videamus, an beatior sit optimatum quàm regia potestas. sunt qui Platonem optimatibus imperium tribuisse putent; sed valde falluntur. nam quæ in imperio summa esse docuimus, ipse ad populum, id est, ad civium omnium multitudinem detulit: legum inquam ferendarum, magistratuum creandorum; ac Senatus quoque legendi potestatem: postremò ius vitæ ac necis: quinetiam omnia publica iudicia populo dedit, propterea quòd universus populus offensionem accipit. qua ratione oporteret eum qui iniuriam accepit, & in sua quenque causa iudicem esse. privatorum quo-

que

que iudiciorum cives omnes voluit participes fieri, tum subiecit rationem; ne si à iudicijs excludantur, se non putent esse cives. Platonis interpretes hoc temperamentum popularis status esse putarunt: sed hoc antea cófutatum à nobis est: qui tamen ab eius schola profecti sunt, optimatum imperium magis probant, quòd inter populare & regium medium sit. sed in eo labuntur, quòd virtutem in medio rei vel numeri, nó in medio rationis collocare videntur. quod quidem si verum sit, nec bonus quisquam Princeps erit, nec ulla factiosorum oligarchia, propterea quòd unum inter & multa, paucorum veluti medium virtutes posuerunt. si quid tamen in numeris laudabile est, profectò unitas est omniũ maximè laudanda, ut ipse Plato in libro de Ente & uno divinissimè scripsit. at quantò melius Aristoteles, qui tres legitimos Rerumpublicarum status opposuit tribus vitiosis? reges tyrannis, optimates factiosis, populum turbulentæ plebi? ad extremum regiam potestatem reliquis præstabiliorem esse affirmat, neque tamen Platonis dictum illud à multis usurpatum, à Contareno iactatum refellit; scilicet difficilimum esse, ut unus aliquis integer ac summæ virtutis homo reperiatur. nec certè refutatione digna est obiectio, quæ à seipsa refutatur: cùm difficilius sit viros bonos multos invenire, quàm unum. & cùm in multitudine optimatum pauciores boni sint, multorum suffragio cedunt, quia in optimatum ac populi Republica sententiæ numerantur, non ponderantur. quòd si metuendus est tyrannus, quantò magis tyrannórum metuenda multitudo? sed his omissis, quæ probalia videri possunt: cur non in Republica stabilienda, ut in rebus omnibus naturam imitemur?.

Regia potestas universæ naturæ congruens.

Nam si naturam propius inspiciamus, monarchiam ubiq; intueri licebit. videmus enim, ut à minimis auspicer, in apibus regem, in armentis ducem, in gregibus hircum aut arietem sectarium (ut inter grues ipsas unam reliquæ sequuntur) & in singulis rerum naturis unum aliquid excellere: sic adamantem inter

gemmas, aurum inter metalla, solem inter sydera; denique Deum unum mundi Principem & auctorem: quinetiam inter malos genios, unum aliquem eminere aiunt. sed ne longius progrediamur, quid est aliud familia, quam vera Reipublicæ imago? hæc tamen unius imperio continetur, qui nõ fictam, ut Venetorum dux, sed veram Regis imaginem refert. convertat igitur Plato rerum naturam, & plures in eadem familia dominos, plura in eodem corpore capita, plures in nave gubernatores, plures denique in apibus, in gregibus, in armentis (si modò rustici patiãtur) duces constituat: postremò plures deos imperij societate coniungat: tum ego illi assentiar optimatum imperium regno præstabilius esse. sin tota rerum natura reclamat, ratio dissentit, experientia diuturna reluctatur, nõ video cur Platonem aut quenquam alium sequi, naturam violare debeamus. nam quod Homerus dixit: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεὺς, idem Euripid. ἑνὸς δ᾽ ἀδύνασις ἀνά τε μέλαθρα κατά τε πόλιας. Vnde Sybilla carminibus augurata dicitur, Reipub. Romanæ salutem in regno positam esse; scilicet cives aliter servari non posse, quàm si Regem haberent. Id exemplo memorabili planum fecit Solimanus anno MDLII. Cùm enim Mustapha filius maior fractis Persarum opibus, ad patrem accepta fide sine comitatu rediisset, tanto exercitus clamore, tantaque gratulatione exceptus est, ut mortalium anteà nemo. Pater istam gloriam ferre nõ potuit: sed filium subinde strangulari mandavit in cubiculo interiore: & eodem momento coram exercitu proijci tum præconem altissima voce promulgare iussit; unum in cœlo Deum, in terris unum Solimanum Imperatorem esse oportere. totus exercitus terrore attonitus obmutuit. Iunior natu biduo pòst veneno sublatus est, quòd de fratris interitu ingemuisset. tertius metu patris ad regem Persarum confugerat. statim per legatos revocatus est, ac securi percussus. Hic Selimus restabat, cui pater minas intentavit nisi solus restaret. atque id usitatum est in gente Othomanorum: quia spes imperij.

rij ad omnes, exitus ad unum recasurus est. neque enim solùm saluberrimum, ut Tacitus scribit, sed etiam necessarium, in magnarum rerum administratione imperium penes unum esse. & quidem tres Tribuni potestate Consulari documento fuêre, ut Livius tradit; quàm plurium imperium belli o inutile esset. consimiliter L. Paulus ac Terentius Varro adversus Annibalem: Christiani principes adversus Turcarum regem: Græcorum duces adversus Philippum: nec ita pridem Germanorum principes adversus Carolum V. magno suo damno experti sunt, nihil à pluribus rectè imperari posse. itaque Græci & Romani cùm grave bellum aut seditio civilis Rempubl. perturbaret, ad unius Dictatoris aut Archi, aut Harmostæ imperium velut ad sacram anchoram confugiebant: ut sæpe Florentini, Genuenses, ac Veneti extremis Reipub. temporibus summum imperium belli ac pacis uni Imperatori permiserunt. quanquam quid argumētér, cùm innumerabilibus sæculis compertum sit, populares & optimatum status hominum generi perniciosos esse? magnum est imperium Turcarum, Persarum, Indorum, Tartarorum: maius etiam Abissinorum & Hispanorum, qui novum terrarum orbem suis legibus subiecerunt: latè quoque patent regna Pœnorum, Gallorum, Moscovitarum, Polonorum, Gothorum, Britannorum; qui optimatum imperium ignorant; populare detestantur. quin etiam Americi populi regiam potestatem ab extrema memoria semper retinuerunt: id quod faciunt non docti, sed imbuti; non ab Aristotele instituti, sed ab ipsa duce natura informati. cùm autem audiunt in Italiæ aut Germaniæ quibusdam angulis optimatum imperia latere, mirantur id fieri posse. Ita nostrorum hominum plerique Rempublicam Venetorum tandiu, id est, annos circiter DCCC. stetisse mirantur, quia id fit repugnante natura: quanquam Gianotus Donatus, qui omnium accuratissimè de Republ. Venetorum scripsit, summam potestatem in Ducibus fuisse tradit, & planè regium statum usque ad tempora Sebastiani Ciani ducis, id est, usq; ad an-

num MCLXXV. quo tempore magnum concilium in Republica stabilitum est, ut ipse scribit. quo fit ut trecentos & sexaginta circiter annos duntaxat floruerit eo in statu. regnum verò Gallorum non angustis paludibus contentum, sed longè latè patens, cum incredibili rerum gestarum gloria M.CC. annos floruisse non mirantur; quia nihil naturæ congruens mirum debet videri. Atque illud est, ni fallor, cur Contarenus, Manutius, [redacted], ac plerique alij, Rempublicam Venetorum præstantissimam omnium esse aiunt. & quidem Michael Surianus Venetus, summæ vir eruditionis ac virtutis, cùm Lutetiæ legatum ageret, pro sua erga me benevolentia, sæpe me de nostra, ego illum de sua Republ. humanissimè percontatus, differere maluit, ut prudenter omnia, quàm iudicare: nec ego de re tam ardua iudicium mihi sumo: sed quoniam unius imperium suscepimus, nobisipsis repugnare videremur, si optimatũ illud imperium probaremus. Aut igitur præstantia Venetorum est in bellica virtute, aut in legum æquitate, aut in imperij magnitudine & opibus, aut in artium varietate. bellica laude omnibus ferè populis inferiores sunt: imperij magnitudine paucis admodum superiores: arte gubernandi & quæ stuola mercatura, cedunt Hispanis: artium varietate, Germanis: quam quisque religionem privatim colant, non magnopere curant, & Pontificibus quæstiones impietatis ademerunt. restat legum præstantia, quę qualis sit, ex moribus civium intelligitur. Plato Spartiatas fortes ac temperantes vocat, iniustos tamen: Romani fortes ac iusti habiti sunt. Hebræi religiosi: Massilienses iusti ac temperantes: Athenienses artibus: alij virtutibus alijs floruerunt. Veneti si qua virtute, profectò consilijs & prudentia præstant: aliarum virtutum laudem nec illis eripere, nec concedere velim maiorem quàm alijs. Sed qui Venetorum opes extollunt, vehementer falluntur: nam ærarij publici magna est inopia argumẽto sit triplicis montis ratio, quæ usuris etiã quin cuncibus publica vectigalia exhaurit, ut Gianotus Donatus

tꝰ confitetur. Sanè leges antiquas suę civitatis magno studio colunt: in quo non minima laus inest. antiquitatis enim tanta species est ac maiestas, ut non immeritò dubitarit Aristoteles, utrum legi antiquæ nova melior debeat anteferri, nec quæstionem sibi definiēdam putarit. hoc etiam magna laude dignũ est, quòd socios & inquilinos, summa iuris æquabilitate fovent: peregrinos quoque summa prosequuntur humanitate: ac si qui præstant magnis opibus, illorum affinitatē quærunt, ut nobilitate nulla dos maior videatur. iã verò in consilijs de Republica capiendis, atq; omnino in bellis suscipiendis, in percutiēdis fœderibus, in tuēda pace, magna prudentia utuntur. quæ cùm maxima sint, maius tamen est ad imperiũ retinendũ, quòd loci opportunitas aditus omnes facillimè prohibere potest. nam Genuenses olim, & non ita pridem Ludovicus XII. Gallorum rex imperium illis planè ademerat, si urbem obsidere potuisset. itaque nihil urbi metuendum ab hoste. bellis autem civilibus hoc tempore iactari, aut res novas moliri non magnopere possunt ij, qui armorum usu ac militari disciplina carent. Romani contrà bellis civilibus ardebant, cùm ab externis conquierant. itaque cùm civitas bene constituta militari ac domestica disciplina; nec legibus tantũ, verumetiam armis contineri debeat, alteram summa cum laude tuentur; alteram omnino deserverunt, ut Contarenus ipse fatetur. itaque cùm ingruit hostis, non modò militibus, sed etiam imperatoribus externis uti coguntur, quàm prudenter; nescio: illud tamen omnium imperatorum consentiēs opinio iampridem improbavit: nec certè plures civitatũ interitus, quàm ea de causa memorantur. quare Bartholomæꝰ Coleonus, cui pro Republica bene gesta ut imperatori, statuã auream Veneti erexerunt, eos coarguisse dicitur, quòd seipsos Remque publicam homini peregrino non satis prudenter credidissent. nam Corinthus nō alia de causa in tyrannidem incidit, quàm quòd Timophanem imperatorem peregrinũ evocasset. similiter Britanni ab Anglis, Hispani à Mauris, Græci à Turcis,

tarorum maximis bellis implicarentur. Sed quoniam de Republica Turcarum multi multa scripserunt, mihi satis est ea leviter attingere. Hoc tamen ab illis quod maximum erat prætermissum est. Sic enim Ioannes Huraldus sacri consilij Senator, & Ludovicus Martinus, uterque diuturnis legationibus, & rerum gerendarum usu clarissimus, mihi narraverunt, omnia prædia, paucissimis admodum exceptis, militibus, quos ipsi Timariotas παρὰ τὸ Ἰημᾶσθαι, ut opinor, vocant: cæteri censuales sunt, qui militibus agrorum vectigalia dependere solent, ab decimo quoque anno censualia prædia conducere. mortuo Timariota, Principis beneficio tribuitur militia ex casu, ut olim feudă seu beneficia dari consueverant. si bellum indicitur, præsto sunt sine stipendijs Timariotæ. Prætorianæ verò legiones circiter septem, stipendia ferunt ex ærario publico, quod ex capitatione conflatur. Hæc disciplina invictam Rempublicam facit. eadem lege usus est Carolus V. Imperator adversus Indos, excepta dũtaxat capitatione, unde infinita vis auri (nam levia sunt vectigalia quæ ex portorijs coguntur) ad ærariũ defertur.

Cõversiones imperij Polonici. Interea Poloni à Germanis imperio divisi regnum à Pyasto duce conditum, anno salutis DCCC. fœliciter administrabant. neque enim ante hoc tempus certa narratio ab historicis colligi potest. ex eo tamen Polonorum gesta lucent, quòd cum Turcis, Germanis, ac Moschovitis gravissima bella diu gesserint, sui tamen imperij dignitatem hactenus conservarunt, ac Prussiam Germanis ademerunt, seque ipsos adversus Turcarum opes etiamnum fortissimè tuentur. crevit autem imperium illud tum maximè, cùm Pyasti gens in Hedvvige regina desijsset. tum enim Iagello Lithuaniæ rex accepta religione Christiana, reginã Poloniæ duxit uxorem, anno M. CCCLXXXVI. ab hoc Iagellonum gens imperium legitimo iure suscepit, quorum postremus restat, is qui nunc imperat Sigismundus. nam Marchio Brandeburgicus & Vaivoda Transylvaniæ ex fœminis Iagellonum originem traxerunt.

Eodem tempore quo Pyastus in Polonia, Carolus Magnus in Gallia, Nicephorus in Græcia, imperium inierunt: simul quoque Gotricus Daniæ regnum armis ac legibus stabilijt, ab eoque ad Nubam regnatum est annos CXL. tum Henricus auceps Imp. Germanorum, regnum illud in provinciæ formam redegit. sed cùm ab imperio postea Dani descivissent, rursus ab Othone victi sunt, atque iterum rebellarunt Suenone rege, qui à Valdemaro fratre deiectus est: à quo regnum successione delatum est, anno pòst CCXI. ad Margaretam, quę Daniæ, Seciæ ac Norvegiæ præ fuit imperijs: & quæ Pomeraniæ ducem adoptavit. trigesimoquinto pòst anno Engelbertus à Danis deficiens, Sueciæ regnum invasit, quod postea civili seditione coactus reliquit. rursus triplex illud regnum unius imperio Bavari paruit. post hunc Christianus electus est, à quo cæteri consequentes ad hæc usque tempora imperarunt. regnum tamen Sueciæ Gostavus Christiano II. nō ita pridem ademit, ex quo maxima bella inter Danos ac Suecos oborta, nondum conquierunt: licet Henricus Sueciæ rex à suis captus est ac imperio spoliatus, conspiratione fratris iunioris cum civibus Hostocolmiæ, eo ipso die (res admiratione digna) quo Carolus IX. rex armis suorum penè oppressus est in agro Meldensi, id est, anno M D.LXVII. ad III. Cal. Octobr. Illud autem animadversione dignum est, quod ab Holstero Sueco accepi, ex pluribus liberis ius esse principibus eligendi, quem velint. id quoq; fertur commune esse Polonis, Lithuanis, Hungaris & Abissinis. Ac re vera dici potest Aristocratia Danorum & Polonorum, apud quos nobilitas legum, pacis, armorum, vitæ ac necis ius habet: Princeps electus nihil horum per se ipse efficere potest. at ne nobilis quidem ullus à Principe aut ab alio magistratu, quàm ab optimatibus iudicari potest, ubi agitur de illius capite, vita vel fama.

Cōversiones Imperij Daniæ ac Sueciæ.

Sequuntur Britanni, qui regiam potestatem initiò, ut omnes ferè populi, pertulerunt. Polydorus enim reges octo & sexaginta, ex antiquis seu veris, seu fabu-

Cōversiones imperij Britannici.

losis scriptoribus, mille circiter annos ante Cæsarem, Britannis imperasse scribit: Romanis verò, postea quàm à Cæsare victi sunt; annos quingentos paruisse: id est, ad Theodosium usque iuniorem: quibus temporibus cùm à Scotis & Pictis gravissimè premerentur, ac de Romanorum auxilijs desperare cœpissent, Anglorum & Saxonum opes è Germania evocarunt: hi pulsis Britannis, imperium facilè occuparunt: sed ita ut septem reges divisis imperijs dominarentur, ac perpetuis bellis in seipsos grassarentur: quod Egbertus post annos circiter ccc. quàm Angli Britannos in Galliã expulerãt, id est, anno salutis D CCC. penè solus imperavit. postea Dani ac Scoti mox victi, mox victores Insulam more prædonum annos ferè CL. diripuerunt usque ad Eduardum maiorem, qui Danis pulsis imperium recepit. centesimo pòst anno bellis intestinis flagrantes, Gulielmum Normannum evocarunt. is Haraldo cæso ac Republica constituta, regnum successione ad suos detulit, qui annis ferè centum ac decem fortiter imperarunt. secutus est Stephanus comes Blesensis genere Gallus, qui regnum legibus ac domestica disciplina humaniter informavit, anno salutis M. CXXXVI. pòst Henricus II. genere quoque Gallus, & Stephani, ut plerique aiunt, filius; paterno iure comes Andium, Cenomanorum, ac Turonum: Stephani adoptione & materna successione, Angliam & Normanniã: uxoris dote Aquitaniam & Pictaviam consecutus, maximũ imperium diutissimè rexit, ac deinceps eius posteri florens illud regnum, ac bellicis laudibus abundans, annos CCCC. ita gubernarunt, ut universam penè Galliam; partim legitimo iure, partim vi, partim fraudibus, cùm civili bello Galli premerentur, occuparint. tandem aliquando conspirantes Galli, & victoriarum incredibili celeritate usi, Anglos de tota Galliæ possessione deiecerunt. hi verò cùm hostili bello carerent, civilia cum tanta crudelitate gesserunt, ut ludicra videãtur, quæ de tragica Thebanorum feritate prodita sunt, præ his quæ à Polydoro narrantur: qui tamen in gentis gratiam multa scri-
psisse

psisse fertur. nec mirum videri debet, si Philippus Comminius scrîpserit, annis ferè x x. quibus bella civilia gesta sunt, sua ætate cæsos esse regiæ stirpis homines amplius lxxx. omitto reges duodecim, qui populi seditione ac principum coniuratione cæsi, aut imperio spoliati fuère.

Cõversiones regni Hispanici.

Restat ut de Hispanis quoq; brevissimè dicamus. Nullum autem apud eos imperium antiquius videmus, quàm Carthaginensium. nisi fortasse Celtas & Gallos magnam Hispaniæ partem ante Carthaginenses domuisse, ac regioni nomen dedisse putemus, id quod Hispani fatentur. sed quoniam hæc certa historia non sunt comprehensa, ducendum est à Carthaginensibus initium, qui duce Meseo magnam partem Hispaniæ occuparunt, ut ex Iustino & Orosio intelligi potest: atque imperium tantisper tenuerunt, dum à Romanis penitùs eijcerentur. non tamen domita erat omnino Hispania Scipionis ætate, cùm ulterior suos principes Cæsaris quoque temporibus haberet. à Scipione Africano ad Gõdericum regem (qui primus è gente Vandalorum Hispanias invasit) numerantur anni D C L X. postea Vandalis in Africam traijcientibus, successit Alaricus Pannonius de gente Balthorum, qui tunc Gothorum dux erat. ab eo Gothi c c c. annos in Hispania regnarunt, id est, usq; ad Rodericum, cuius temporibus Arabes ac Pœni universam Hispaniam, præter Cantabros & Astures in suam potestatem redegerunt. id autem contigit anno salutis D C C X V I I. imperij Roderici anno septimo, ut Tarapha scribit. huic conversioni caūsam dedit Celtiberiæ princeps, qui ut illatum uxori stuprum à Roderico vindicaret, Pœnos in Hispaniam evocavit. Postea Galli Carolo magno primùm, deinde Ludovico filio magnam Hispaniæ partem ab Arabum servitute vindicarunt, ac per legatos tandiu gubernarũt, quoad Ludovicus Pius, Iamfredo legato liberũ imperium permisisset. pòst Hispani recuperatis viribus, duce Alfonso quinto, Arabes ex omni ferè Hispania exegerunt. cùm autem in Veremundo Alfonsi filio Gothorum

legitima proles defeciſſet, Ferdinandus primus Arragoniæ rex imperium ſuſcepit. poſteà diſtractis in quatuor, mox etiam in quinque partes Hiſpaniæ imperijs, crudeliſſimę cædes, non modò principum inter ipſos conſecutę ſunt, ſed etiam fratrum, parentum ac liberorum. nam Alfonſus III. Aſturiæ & Galliciæ princeps, omnes fratres oculis orbavit, unus etiam cęſus eſt, cùm partem imperij occuparet. conſimiliter Alfonſus III. à Raymiro fratre oculis eſt orbatus. Petrus item Alfonſi XI. filius legitimus, ab Henrico fratre ſpurio deiectus eſt ac cæſus. Garcias itidem à fratre Sanctio; hic à Vellido: aliquanto pòſt Alfonſus VIII. genere Gallus Raymundi Toloſatis filius, tria imperia cum uno & eodem coniunxit. rurſus Mauri magna claſſe Hiſpanias invaſerunt & bonam partem ad Ferdinandum uſq; Philippi proavum maternum tenuerunt. ſic tandem imperium, partim vi & armis, partim etiam legitima ſucceſſione magnopere auctũ, nunc ſumma cum utriuſque diſciplinæ gloria floret: ac iam annos DCCCLII. à Pelagio regnatum eſt. hoc etiam glorioſius, quòd in Africam uſque & Americam leges & arma non ſine uberrima & quęſtuoſiſſima mercatura, Chriſtiq; religionis amplificandę ſtudio protulerunt, ac longius prolaturi ſunt, cùm nullum ſit imperium tam latè patens ex omnibus quę unius dominatu reguntur, in quo minus Principi tributum ſit: quod imperij bene conſtituti magnum eſt argumentum. Cætera, Tartarorum, Moſchovitarum, Indorum & Aethiopum imperia, quæ non ſunt ex hiſtoria planè comperta, prætermitto. ex ijs tamen quæ habemus explorata, perſpicuum fit, nullũ imperium magis diuturnum fuiſſe quàm Gallorum: nec bellis civilibus minus opportunum: multa quidem in moribus, legibus, inſtitutis, iudicijs, egent emendatione: ſtatus verò Reipublicæ tanta diuturnitate probatus, ſine graviſſimo Reipublicæ periculo mutari non poteſt. hæc enim optima cautio eſt Ariſtotelis, ut nihil in ea Republica mutetur, quæ diu floruit in eodem ſtatu. Sed quoniam plerique huius ætatis, graves & eruditi

rudití

ruditi viri, optimatum ſtatus; nonnulli etiam populares magis probant, unum hoc reſtat, ut eorum ſententia repudiata, de optimo ſtatu breviter dicamus. Iam enim Polybij & eorũ qui ab eius ſchola profecti ſunt, ſententiam confutavimus argumentis, ut opinor, neceſſarijs ad aſſentiendum.

Itaque cùm triplex ſit omnino Reipubl. ſtatus; unius ſcilicet, plurium, & omnium: danda eſt opera, ut non ſolùm vitioſos fugiamus, ſed etiam inter laudabiles optimum quenque ſequamur. pernicioſa tyrannis eſt vnius: peior etiam tyrannis plurium, quæ dicitur Oligarchia: peſſima denique omnium & lege ſoluta poteſtas, quæ Græcis ὀχλοκρατία, Ciceroni quoque tyrannis appellatur: quæ anarchiæ proxima eſt, in qua null⁹ paret, null⁹ imprt: nulla pręmia rectè factis, nulla ſupplicia peccatis. igitur ſi hæc reijciam⁹, neceſſe eſt ſtatum eligere popularẽ aut optimatum, aut regnum. de populari nihil ſcribendum putarem, niſi multorum quoque ſententijs probaretur. etenim N. Machiavellus argumentis ac rationibus præſtantiſſimum eſſe perſuaſum habet. ſed in eo genere minus illi credendum puto, præſertim cùm evertat ſuæ diſputationis fundamenta. nam in Principis inſtitutione, ſtatim initiò duos duntaxat poſuit imperij ſtatus; monarchiam & Rempublicam. idem ad Livium, Venetorum Rempublicam omnium præſtantiſſimam eſſe affirmat, quam tamen putat eſſe popularem; cùm libro III. ſtatus populares ſemper laudabiliores fuiſſe ſcripſerit: contra philoſophorum & hiſtoricorum, cõtraque omnium magnorum virorum probatam opinionem. ut enim alios omittam, Xenophon bonus idem Imperator ac Philoſophus, popularem potentiam virtutibus omnino inimicam eſſe teſtatur: nec aliter ſtabiliri aut retineri poſſe quàm bonis omnibus eiectis. id quod Seneca tribus verbis complexus eſt, Quis enim, inquit, placere poteſt populo, cui placet virtus? idem quoque Ariſtoteli viſum eſt, eo loco pręſertim ubi alios ad imperium, alios ad obſequium natos maximis argumentis confirmat. ſed omnis à Pla-

Optimus Reipublicæ ſtatus.

S

tone manavit error, qui imperio populari constituto, perniciosam çquationem invexit, tum Academici qui ab eius schola profecti sunt, rationes illius amplificarunt. posuerunt enim societatem concordia servari: concordiam æquabilitate iuris: æquabilitatem populari statu. deinde summa paritate ac similitudine cives omnes unum & idem effici: atque hunc finem esse humanç societatis. Aristoteles Platonis hypothesim non confutat, sed in eo Platonem labi existimat, quòd civitatem maximè unam & eandem efficere conatur, atque isto modo civitatem everti, & familiam evadere. quæ sanè ratio frigere mihi videtur. ego verò hypothesim non solùm absurdam, ut voluit Aristoteles, sed planè falsam esse iudico. nam si ad naturam, quæ rerum princeps est, omnia revocemus, perspicuum fit, mundum hunc, quo nihil pulchrius est ab immortali Deo coagmentatum, ex inæqualibus partibus, & maximè sibi repugnantib9 elementis, orbiumque agitationibus contrarijs ita sibi constare, ut sublata illa congruenti discordia interitus sit: non aliter optima Respublica, si naturam imitetur, id quod necesse est, imperantibus ac subditis, servis ac dominis, potentibus & egenis, probis & improbis, robustis ac imbecillis; quasi temperata repugnantium inter se animorum societate, stabilis & inconcussa retinetur. & quémadmodum in fidibus & cantu ipso concentum æqualem, quem unisonum vocant, aures eruditç ferre non possunt: contrà verò dissimilimis inter se vocibus, tũ gravibus, tum acutis, moderatione quadã inter se cõfusis harmonia concors efficitur: ita quoq; æqualitatem, vel potius paritatem illam popularem in Repub, nemo sanus ferre possit: sed ex summis & infimis interiectis inter utrosque medijs ordinibus moderata ratione civitas, mirabiliter sibi congruit dissimilium consensu. Sed inde pestis rerum omnium publicarum, quòd qui pares sunt quadam ex parte, omnino se impares esse arbitrantur: qui autẽ quodammodo impares, omnino se pares esse putant. si igitur tanta est hominum inter ipsos, tanta ingeniorum imparitas,

tas, quis ex æquo partietur imperium, opes, honores, magistratus? perinde est ac si victus & vestitus pueris, adultis, senibus, ægris, athletis, idem tribuatur, & ista ratione æqualitatem servari putent. & quoniam Plato in Republica bonorum æquationem vetuit (conscripsit enim quatuor civiũ classes vario censu) & qui postea secuti sunt Academici, quique Respubicas populares instituerunt, æquationem bonorum semper sustulerunt, ne labefactarent fundamenta Rerumpublicarum, quæ maximè ob eam causam constitutæ sunt, ut sua tuerentur: cur non etiam imperij tollunt æquationem? est enim popularis status nihil aliud, quàm imperij summi æquatio. non tam absurdum erat omnes omnium opes, quàm imperium æquare. propterea quòd opibus quisque frui potest: imperandi verò prudẽtia paucissimis est à natura tributa. quid enim plebe stultius? quid intemperantius? & cùm in bonos exarserit, quid furiosius? rectè Livius; multitudinis eam esse naturam, ut humiliter serviat, aut superbè dominetur. neque enim opus est exemplis, quę utinam tam multa non extarent. nam qui populare imperium Romanorum laudant, illorũ historias non legisse videntur. quid enim miserius quàm plebẽ à patricijs toties discedere? quid indignius quàm cives cũ civibus toties in urbe media, in foro, in campo, in comitijs, in Senatu, in templo Iovis capitolini; lapidibus, fascibus, gladijs inter se dimicare? lapidationes, inquit Tullius, in foro sæpe vidimus: nõ sæpe; sed tamen nimis sæpe, gladios. scribit enim Appianus, Appuleium Saturninũ Tribunum pl. stipatum opificibus & armata manu leges tulisse, consulem creatum in comitijs interfecisse, cives à civibus è campo fœdissima lapidatione pulsos. quanquam usitatum erat, ut competitores armati sub toga iusto penè cum exercitu ad comitia venirent. omitto rupta fraude comitia, largitiones, obtruncationes, & populi frequentes ab agris & necessarijs negotijs in urbem evocationes. omitto innumerabiles legum rogationes, abrogationes, derogationes, subrogationes, obrogationes: tot ac tam multa,

plebiſcita, Senatuſconſulta ſibi cõtraria, & paulo momento ad plebis voluntatem mutabilia. nec Romæ tantùm, ſed etiam Athenis contigerunt: apud quos Reipublicæ conſilia, quibus nihil ſanctius eſſe debet, à plebe petebantur: id eſt, ab inſano ac furioſo prudentia: ut præclarè dixerit Anacharſis, ſapientes Athenis in concionibus ſententiam ferre, ſtultos verò iudicare. itaque cùm Philippus in Atticam irrupiſſet, populus accepto nuntio in theatrum ſub auroram convenit, ut eſt apud Demoſthenem, à nullo magiſtratu vocatus: ac tantus omnium ſtupor conſecutus eſt, ut nemo ad populum verba facere auderet. Idem Demoſthenes in oratione de Republica tradit, oratores Reipublicæ principes fuiſſe: his ſubditos Imperatores, & trecentorum circiter civium ſuffragio leges ac decreta facta, reliquos cives his attributos fuiſſe. conſimiliter apud Florentinos, cùm ſæpe ab hoſtibus obſidione cingerentur, à plebe conſilia petebantur. itaq; quòd aliquandiu ſtetit utraq; Reſpubl. (quanquam in miſerrimo ſtatu) tribuendum eſt Ariſtidi, Pericli, Cononi, Coſmo ac Laurentio Medicibus; qui tamen à ſuis eiecti, aut malè mulctati ſunt. ac neſcio cur Machiavellus homo Florentinus populare imperium tantopere laudet, cùm ex eius hiſtoria perſpicuum ſit, rerum omnium publicarum nullam Florentina, quandiu fuit popularis, calamitoſiorem extitiſſe.

Regia poteſtas melior quam optimatum.

Cùm igitur Reſpublica popularis, magnorum virorum conſenſu repudiata ſit, reſtat ut videamus, an beatior ſit optimatum quàm regia poteſtas. ſunt qui Platonem optimatibus imperium tribuiſſe putent; ſed valde falluntur. nam quæ in imperio ſumma eſſe docuimus, ipſe ad populum, id eſt, ad civium omnium multitudinem detulit: legum inquam ferendarum, magiſtratuum creandorum; ac Senatus quoque legendi poteſtatem: poſtremò ius vitæ ac necis: quinetiam omnia publica iudicia populo dedit, propterea quòd univerſus populus offenſionem accipit. qua ratione oporteret eum qui iniuriam accepit, & in ſua quenque cauſa iudicem eſſe. privatorum quoque

que

que iudiciorum cives omnes voluit participes fieri, tum subiecit rationem; ne si à iudicijs excludantur, se non putent esse cives. Platonis interpretes hoc temperamentum popularis status esse putarunt: sed hoc antea cõfutatum à nobis est: qui tamen ab eius schola profecti sunt, optimatum imperium magis probant, quòd inter populare & regium medium sit. sed in eo labuntur, quòd virtutem in medio rei vel numeri, nō in medio rationis collocare videntur. quod quidem si verum sit, nec bonus quisquam Princeps erit, nec ulla factiosorum oligarchia, propterea quòd unum inter & multa, paucorum veluti medium virtutes posuerunt. si quid tamen in numeris laudabile est, profectò unitas est omniū maximè laudanda, ut ipse Plato in libro de Ente & uno divinissimè scripsit. at quantò melius Aristoteles, qui tres legitimos Rerumpublicarum status opposuit tribus vitiosis? reges tyrannis, optimates factiosis, populum turbulentæ plebi? ad extremum regiam potestatem reliquis præstabiliorem esse affirmat, neque tamen Platonis dictum illud à multis usurpatum, à Contareno iactatum refellit; scilicet difficillimum esse, ut unus aliquis integer ac summæ virtutis homo reperiatur. nec certè refutatione digna est obiectio, quæ à seipsa refutatur: cùm difficilius sit viros bonos multos invenire, quàm unum. & cùm in multitudine optimatum pauciores boni sint, multorum suffragio cedunt, quia in optimatum ac populi Republica sententiæ numerantur, non ponderantur. quòd si metuendus est tyrannus, quantò magis tyrannôrum metuenda multitudo? sed his omissis, quæ probalia videri possunt: cur non in Republica stabilienda, ut in rebus omnibus naturam imitemur?

Regia potestas universæ naturæ congruens.

Nam si naturam propius inspiciamus, monarchiam ubiq; intueri licebit. videmus enim, ut à minimis auspicer, in apibus regem, in armentis ducem, in gregibus hircum aut arietem sectarium (ut inter grues ipsas unam reliquæ sequuntur) & in singulis rerum naturis unum aliquid excellere: sic adamantem inter

gemmas, aurum inter metalla, ſolem inter ſydera; denique Deum unum mundi Principem & auctorem: quinetiam inter malos genios, unum aliquem eminere aiunt. ſed ne longius progrediamur, quid eſt aliud familia, quàm vera Reipublicæ imago? hæc tamen unius imperio continetur, qui nõ fictam, ut Venetorum dux, ſed veram Regis imaginem refert. convertat igitur Plato rerum naturam, & plures in eadem familia dominos, plura in eodem corpore capita, plures in nave gubernatores, plures denique in apibus, in gregibus, in armentis (ſi modò ruſtici patiãtur) duces conſtituat: poſtremò plures deos imperij ſocietate coniungat: tum ego illi aſſentiar optimatum imperium regno præſtabilius eſſe. ſin tota rerum natura reclamat, ratio diſſentit, experientia diuturna reluctatur, nõ video cur Platonem aut quenquam alium ſequi, naturam violare debeamus. nam quod Homerus dixit: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεὺς, idem Euripid. ἑνὸς ἀδύνατις ἀνά τε μέλαθρα κατά τε πόλιας. Vnde Sybilla carminibus augurata dicitur, Reipub. Romanæ ſalutem in regno poſitam eſſe; ſcilicet cives aliter ſervari non poſſe, quàm ſi Regem haberent. Id exemplo memorabili planum fecit Solimanus anno MDLII. Cùm enim Muſtapha filius maior fractis Perſarum opibus, ad patrem accepta fide ſine comitatu rediiſſet, tanto exercitus clamore, tantáque gratulatione exceptus eſt, ut mortalium anteà nemo. Pater iſtam gloriam ferre nõ potuit: ſed filium ſubinde ſtrangulari mandavit in cubiculo interiore: & eodem momento coram exercitu proijci: tum præconem altiſſima voce promulgare iuſſit; unum in cœlo Deum, in terris unum Solimanum Imperatorem eſſe oportere. totus exercitus terrore attonitus obmutuit. Iunior natu biduo pòſt veneno ſublatus eſt, quòd de fratris interitu ingemuiſſet. tertius metu patris ad regem Perſarum confugerat. ſtatim per legatos revocatus eſt, ac ſecuri percuſſus. Hic Selimus reſtabat, cui pater minas intentavit niſi ſolus reſtaret. atque id uſitatum eſt in gente Othomanorum: quia ſpes imperij.

rij ad omnes, exitus ad unum recasurus est. neque enim solùm saluberrimum, ut Tacitus scribit, sed etiam necessarium, in magnarum rerum administratione imperium penes unum esse. & quidem tres Tribuni potestate Consulari documento fuêre, ut Livius tradit; quàm plurium imperium bello inutile esset. consimiliter L. Paulus ac Terentius Varro adversus Annibalem: Christiani principes adversus Turcarum regem: Græcorum duces adversus Philippum: nec ita pridem Germanorum principes adversus Carolum V. magno suo damno experti sunt, nihil à pluribus rectè imperari posse. itaque Græci & Romani cùm grave bellum aut seditio civilis Rempubl. perturbaret, ad unius Dictatoris aut Archi, aut Harmostæ imperium velut ad sacram anchoram confugiebant: ut sæpe Florentini, Genuenses, ac Veneti extremis Reipub. temporibus summum imperium belli ac pacis uni Imperatori permiserunt. quanquam quid argumētér, cùm innumerabilibus sæculis compertum sit, populares & optimatum status hominum generi perniciosos esse? magnum est imperium Turcarum, Persarum, Indorum, Tartarorum: maius etiam Abissinorum & Hispanorum, qui novum terrarum orbem suis legibus subiecerunt: latè quoque patent regna Pœnorum, Gallorum, Moscovitarum, Polonorum, Gothorum, Britannorum, qui optimatum imperium ignorant, populare detestantur: quin etiam Americi populi regiam potestatem ab extrema memoria semper retinuerunt: id quod faciunt non docti, sed imbuti; non ab Aristotele instituti, sed ab ipsa duce natura informati. cùm autem audiunt in Italiæ aut Germaniæ quibusdam angulis optimatum imperia latere, mirantur id fieri posse. Ita nostrorum hominum plerique Rempublicam Venetorum tandiu, id est, annos circiter DCCC. stetisse mirantur, quia id fit repugnante natura: quanquam Gianotus Donatus, qui omnium accuratissimè de Republ. Venetorum scripsit, summam potestatem in Ducibus fuisse tradit, & planè regium statum usque ad tempora Sebastiani Ciani ducis, id est, usq; ad an-

num MCLXXV. quo tempore magnum concilium in Republica ſtabilitum eſt, ut ipſe ſcribit. quo fit ut trecentos & ſexaginta circiter annos duntaxat floruerit eo in ſtatu. regnum verò Gallorum non anguſtis paludibus contentum, ſed longè latè patens, cum incredibili rerum geſtarum gloria M.CC. annos floruiſſe non mirantur; quia nihil naturæ congruens mirum debet videri. Atque illud eſt, ni fallor, cur Contarenus, Manutius, [redacted], ac plerique alij, Rempublicam Venetorum præſtantiſſimam omnium eſſe aiunt. & quidem Michael Surianus Venetus, ſummæ vir eruditionis ac virtutis, cùm Lutetiæ legatum ageret, pro ſua erga me benevolentia, ſæpe me de noſtra, ego illum de ſua Republ. humaniſſimè percontatus, diſſerere maluit, ut prudenter omnia, quàm iudicare: nec ego de re tam ardua iudicium mihi ſumo: ſed quoniam unius imperium ſuſcepimus, nobiſipſis repugnare videremur, ſi optimatũ illud imperium probaremus. Aut igitur præſtantia Venetorum eſt in bellica virtute, aut in legum æquitate, aut in imperij magnitudine & opibus, aut in artium varietate. bellica laude omnibus ferè populis inferiores ſunt: imperij magnitudine paucis admodum ſuperiores: arte gubernandi & quæſtuoſa mercatura, cedunt Hiſpanis: artium varietate, Germanis: ~~quam quiſque religionem privatim colant, non magnopere curant, & Pontificibus quæſtiones impietatis ademerunt,~~ reſtat legum præſtantia, quę qualis ſit, ex moribus civium intelligitur. Plato Spartiatas fortes ac temperantes vocat, iniuſtos tamen: Romani fortes ac iuſti habiti ſunt. Hebræi religioſi: Maſſilienſes iuſti ac temperantes: Athenienſes artibus: alij virtutibus alijs floruerunt. Veneti ſi qua virtute, profectò conſilijs & prudentia præſtant: aliarum virtutum laudem nec illis eripere, nec concedere velim maiorem quàm alijs. Sed qui Venetorum opes extollunt, vehementer falluntur: nam ærarij publici magna eſt inopia argumẽto ſit triplicis montis ratio, quæ uſuris etiã quincuncibus publica vectigalia exhaurit, ut Gianotus Dona-

tus

tꝰ confitetur. Sanè leges antiquas suę civitatis magno studio colunt: in quo non minima laus inest. antiquitatis enim tanta species est ac maiestas, ut non immeritò dubitarit Aristoteles, utrum legi antiquæ nova melior debeat anteferri, nec quæstionem sibi definiēdam putarit. hoc etiam magna laude dignū est, quòd socios & inquilinos, summa iuris æquabilitate fovent: peregrinos quoque summa prosequuntur humanitate: ac si qui præstant magnis opibus, illorum affinitatē quærunt, ut nobilitate nulla dos maior videatur. iā verò in consilijs de Republica capiendis, atq; omnino in bellis suscipiendis, in percutiēdis fœderibus, in tuēda pace, magna prudentia utuntur. quæ cùm maxima sint, maius tamen est ad imperiū retinendū, quòd loci opportunitas aditus omnes facillimè prohibere potest. nam Genuenses olim, & non ita pridem Ludovicus XII. Gallorum rex imperium illis planè ademerat, si urbem obsidere potuisset. itaque nihil urbi metuendum ab hoste. bellis autem civilibus hoc tempore iactari, aut res novas moliri non magnopere possunt ij, qui armorum usu ac militari disciplina carent. Romani contrà bellis civilibus ardebant, cùm ab externis conquierant. itaque cùm civitas bene constituta militari ac domestica disciplina; nec legibus tantū, verumetiam armis contineri debeat, alteram summa cum laude tuentur; alteram omnino deserverunt, ut Contarenus ipse fatetur. itaque cùm ingruit hostis, non modò militibus, sed etiam imperatoribus externis uti coguntur, quàm prudenter; nescio: illud tamen omnium imperatorum consentiēs opinio iampridem improbavit: nec certè plures civitatū interitus, quàm ea de causa memorantur. quare Bartholomæꝰ Coleonus, cui pro Republica benegesta ut imperatori, statuā auream Veneti erexerunt, eos coarguisse dicitur, quòd seipsos Remq́ue publicam homini peregrino non satis prudenter credidissent, nam Corinthus nō alia de causa in tyrannidem incidit, quàm quòd Timophanem imperatorem peregrinū evocasset. similiter Britanni ab Anglis, Hispani à Mauris, Græci à Turcis,

quos ad presidium evocarant, de imperio deiecti fuere. Contarenus domesticæ disciplinæ, ac pacis tuendę causa militarem iacere scribit: verendum tamẽ est, ne cùm alteram negligunt, utranq; amittant. illud quoque ad Reipublicæ quietem non parum facit, quòd optimates secum ipsi, & cum Republica conspirant, ne inquilinorũ multitudine si dissideant facilè opprimantur. concors enim potentia paucorũ, inquit Aristoteles, nõ facilè labefactatur. & ut concordia stabilior sit, publicis ac solennibus convivijs sæpius epulantur: more veteri Cretensiũ & Lacedæmoniorum: ad eaque convivia paranda Dux obligatur: ac suos cives muneribus inter se & cum Republica coniugare. hoc etiam non parum confert, quòd magnæ civitates minùs opportunæ sunt seditioni, ut Aristoteles tradit, propterea quòd magnam mediocrium hominum multitudinem habent, qui summos cum infimis eadem societate coniungunt. sed nullum tuendæ optimatum Reipublicæ maius præsidium est, quàm quòd nulla imperia perpetua sunt, nec sine collega tribuuntur: sed bimestri, aut trimestri, aut semestri spatio, vel ad summum anno definiuntur. quorũ verò perpetui sunt & maximi honores, nullum est imperium; ut Ducis, Procuratorũ D. Marci, Cancellarij. quòd si quis summa virtute, vel opibus, vel gratia reliquis præstet, vix admittitur ad summos honores: ne virtutis splendore suorum civium oculos prestringat: idq; arcanum imperij, quod imprudenter Athenienses & Ephesij ostracismo detegebant, ac nimis apertè virtuti bellum indicebant, intellectum est in morte Lauredani illius, qui cives mutuis cædibus grassantes in se ipsos, solo nutu sic terruit, ut proiectis armis discederent, quos tamen nulla vis magistratuum potuerat coërcere. tamen hominis privati virtutem, qui Rempublicam gravissima clade liberarat, ferre non potuerunt: sed, ut ab Italis plerisq; proditum est, eùm veneno necarunt: at neq; id affirmare velim, nec persuadere mihi possum. ducem tamen quē exarmatum cathenisque aureis vinctum domi tenent; nec strenuum

nuum admodum, nec gloriæ cupidum, sed bonum ac simplicem legere consueverunt: veriti ne idem illis eveniat, quod ranis palustribus ab Iove regem petentibus, quibus cùm stipitem dedisset, ut Aesopus scribit, illæ indignari: Iuppiter ardeam ranivorã mittere. postremum est quod imperijs vicissim & summa libertate fruuntur, pro qua tuenda cives ac peregrini pacem libenter colunt. atq; hæc præcipua ratio est, cur Rempublicam Venetorum maximè laudant, propterea quòd summa libertate illic vivitur. at libertatis causa non sunt Respublicæ constitutæ, sed bene vivendi. vix est autem ut ullus virtuti sit in ea civitate locus, in qua suis quisq; moribus ac libidini tam effusè blanditur. nam si hominis fœlicitatem, opibus, honoribus, imperijs, voluptate, summaque libertate metimur, beata sit Respublica quæ his omnibus abundat: sin virtutem potiorem ducimus, non video cur Venetia Rerumpublicarũ præstantissima sit. nullum enim Reipublicæ malè constitutæ argumentum Platoni maius videtur, quàm magistratuum & medicorum multitudo, quæ nusquam maior fuit quàm olim apud Athenienses, & his temporibus apud Venetos: ut mirum videri non debeat, si maiorem anni partem in creandis magistratibus consumere solent. hæc autem magistratuum multitudo, vel ad honorum & imperandi cupiditatem inexplebilem, vel ad fraudes & scelera coërcenda, vel ad utrunque pertinet. at Lycurgi Respublica quę omnium sermone laudatur, pręter Senatum xxx. virorum, qui perpetui fuerunt, nullos habuit initio magistratus. nam magnus Pædonomus iuventutis magister, imperio carebat. falluntur enim qui putant magistratuum multitudine virtutis amorem civibus ingenerari, cùm nulla re magis dominandi & opum quærendarũ cupiditates augeantur. nam qui semel imperij dulcedinem gustarunt, non modò parere dediscunt, sed etiam imperium ultrò affectant, atque ægrè deponunt. quare prudenter apud nos, de consensu omnium ordinum nuper lata lex est, ut illa magistratuum multitudo, quæ sub Henrico rege

malis quorundam artibus excreverat in infinitum, ad pristinam formam redigeretur: nam quid attulit hæc magistratuum multitudo, nisi furta, sordes, corruptelas, luxum, dominandi libidinem, ac litium propagationem? nunquam certè scelerum & flagitiorum extitit impunitas maior. satis est igitur paucos esse magistratus, modò virtute quærantur. nam ea ratione cives omnes ad virtuté & honestatem inflammari necesse est, ut eos adipiscantur honores, quasi præmium, cuius spes ad omnes, exitus ad paucos recasurus sit. non igitur imperia, magistratus, honores, beatos cives efficiunt: multò minùs libertas nimia, quæ civitati benè constitutæ exitium affert. ac turpis est servitus: licentia tamen peccandi turpior. quanquã si regis imperium ferre servile est, debet quoq; servile videri parentibus obedire. ac sæpe mirum mihi visum est, cur Veneti qui tam sapienter omnia, non etiam Censores, ut olim Romani, & his quoque temporibus Lucenses ac Genuenses, creari patiuntur. hoc verò percommodè fieri poterat à procuratoribus D. Marci, qui per omnes honorum gradus eò conscenderunt. ~~nam Pontifices, quorum munus hoc proprium est, quiq; religionis opinione Principes olim in officio continebant, gravissimis Censoribus egent~~. est enim censuræ tam grave, támque necessarium in Republica munus, ut nulla re magis floruisse Romani videantur: quod intellectum est sublata censura: nam eo ipso tempore Reipub. splendor & maiestas unà cum virtute maiorũ interijt. Hoc etiam Respublica Venetorum habet incommodi, quòd cùm peregrinorum & inquilinorum infinitam multitudinem admittant, metuendum est ne ab illis de imperio deturbari possint: neque verò eius rei exempla desunt. ob id enim Achæi Trezenios, Samij Zanclæos, Calcidenses Amphipolitas, à quibus erant in urbẽ sine honoribus admissi, eiecerũt; ut Pausanias & Aristoteles tradunt. eóq; magis metuendum, si diffideant inter se optimates. ut Cnidi cùm soli honoribus fruerentur, posteà quàm diffidere cœperunt, eiecti sunt ab inquilinis & plebe. id quod etiam con-

contigit apud Mitylenæos, Hestienses, Phocenses:& non ita pridem apud Senenses, Genuenses, Genevenses: qui cùm de honoribus inter se cõtenderent, à plebeis sunt de imperio depulsi. Corcyræi crudelius, qui omnes in carcerẽ coniectos acerbissimis supplicijs affecerũt, ut Thucydides scribit. Agrippinenses inquilini pari furore optimatum bonam partem occiderunt, quòd soli honores consequerentur, & tributa graviora imperarent. consimiliter Lindaviorũ inquilini cæsis optimatibus, Tribunos plebis crearunt. hoc igitur Venetis metuendum est. nam cùm census haberetur anno MDLV. totius civitatis, censa sunt inquilinorum extra patricios CLIX. millia DCCCLIX. Fœminas & pueros maiores sex annis eo numero complectuntur. his imperant mille & quingenti circiter patricij, nam iuniores annis XXV. ad imperium & comitia non admittuntur, nisi pauci admodum extra ordinem. nec prudenter fecisse videntur populum numerando: primùm quia lege divina vetitum est: deinde cùm peregrini ac tenues numerum suorum ac robur intellexerint, valde periculosum est ne adversus optimates novum aliquid moliantur. nam cùm Senatus Romanorum olim decrevisset, servos cultu ac vestitu dividere ab ingenuis; periculum, inquit Seneca, apparuit, si servi se numerare cœpissent. quantus autem fuerit sociorum & inquilinorum erga Venetos amor, indicarunt bella Cretensia; tum Patavij, Veronæ, aliarumque urbium in Gallis factæ deditiones: quo tempore optimates omnibus tributis & vectigalibus socias urbes levarunt, ut Bembus auctor est, à quibus tum maximè iuvari debuissent. quod satis erat argumẽti magis illos metui quàm amari. nos verò accepta clade, tũ maximè fortunas omnes ac sanguinẽ fundimus pro Regis ac Reipublicæ salute. Ac ne omnia differantur, nullum maius est optimæ ac præstantis Reipublicæ indicium, quàm hostes fortiter arcere, & in summa tranquillitate cives continere. Veneti ab hostibus facilè vinci consueverunt: nec cives ita continere potuerunt, quin duces octodecim supplicio, vel exilio affece

rint: tot enim Sabellicus tradit, ex quo ſtatum optimatum inſtituerunt. At etiam Lauredani Ducis hæredes M D aureos fiſco dependere iudicio coacti ſunt, quòd Lauredanus non ſatis erga cives magnificus extitiſſet: ut Gianotus Donatus ſcribit. omitto bella civilia quæ in media urbe ſæpius geſta ſunt, cùm militarem colerent diſciplinam. omitto coniurationes Bochontanas, Falerianas, Tepulianas, Baiamôtanas, quę obſeſſis Senatoribus & crudeliſſima civium ſtrage, Rempubl. miſerè lacerarunt. prætermitto tam graves tamq́ue diuturnas Iuſtinianorum, Scævolarum, Seliorum, Baſſeorum ſeditiones, exilia, cędes; non aliam ob cauſam, quàm quòd nulla fides regni ſocijs. ac ſæpius idem evenit quod in navi à gubernatore deſtituta: hoc enim Polybius utitur exemplo: nam cùm alius clavum torquere, alius vela facere, alius contrahere conatur, vectores cum tot gubernatoribus miſerè periclitantur, ac tandem in portu ſpectantibus turpe ſui naufragium edunt. quis autem non vidit Germaniá Turcarum, Helvetiorum, Hiſpanorum, Gallorum deniq; & Italorum, poſtremò ſuorum civium armis fœdiſſimè vaſtari, quæ cùm regia poteſtate gubernaretur, populos omnes ſuis armis ac viribus facilè ſuperabat. Ex quibus intelligitur regnum longè pręſtantius eſſe optimatum poteſtate. refellẽda eſt igitur Ioſippi ac eorum opinio, qui Deum putant regnum in ſacris literis execrari, & optimatum imperium apud Hebræos conſtituiſſe. ſic enim tradit Ioſippus lib. VI. cap. VI. antiq. Quanquam Philo Hebræus in libro de creatione Principis, unius Principis dominatum Dei iuſſu ſtabilitum eſſe docet, Ioſippi tamen opinionem refellamus. quod igitur attinet ad verba Samuelis, nó regnum ab eo, ſed tyrannis deſcribitur: contrà quàm putat Melanchthô. quis enim mediocriter in Hebraica lingua verſatus, ignorat מלך regem æquè ac tyrannum ſignificare? ſic enim dicitur Abraham reverſus à cæde regum. vox autem משפט non iura regis ſignificat eo loco, ſed morem & conſuetudinem, ut optimi quique interpretes aiunt. ac niſi tyrannus deſcribere-

beretur, cur Moses Deuter. XVII. iuberet Regem singula præcepta legis condiscere, populumque ex lege divina moderari? nam ex eo capite non solùm popularis & optimatum potestas reijcitur, sed etiam regia probatur. tum etiam illud; Principi populi non maledices, unius imperium capit. & in libr. Sanedrim cap. II. regia maiestas, quæ fuit apud Hebreos copiosè describitur. Mosem verò planè regiam habuisse ex eo colligitur, quòd iniussu populi & optimatum, leges iuberet, Senatum cooptaret, magistratus eligeret, Pontifices crearet, seditiosorum civium ampliùs quadraginta millia sine iudicibus eodem momēto capite plecteret, denique Iosua Principem, quo nihil maius fieri potuit, per sese renuntiaret. eo mortuo Senatores Othonielem, deinde Aioda ducem elegerunt: itaque P. Martyr [redacted]scripsit, aristocratiā cœpisse cùm dux Othoniel est à Senatoribus creatus. quanquam placet interpretibus non humanis consilijs, sed iussu divino duces creatos. itaque Gedeon dux electus; Non dominabor, inquit, vestri, nec filius meus, sed dominabitur vestri domin⁹. postremò cùm filij Eli ac Samuelis intemperanter se gererent, & optimatum potentia in factionem degeneraret, plebs irritata Regem petijt. tūc enim seditiones cōquierunt. quare Moses Aegyptius scribit, templum lege divina prohibitum ædificari quoad Regem haberent, qui tumultus imperandi potestate prohiberet. sunt hæc illius scripta libro III. cap. XLVII. perplexorum. ex quibus regiam potestatem Deo placuisse constat: tyrannidem displicuisse: igitur Rege creato, Senatores non ad summum imperium, sed ad consilium, ut Moses constituerat, admitti cœperūt. quòd enim Romulus causas leviores à Senatu, graviores à se iudicari voluit, ut est apud Dionysium: idem quoque Moses statuit in creando Senatu, quemadmodū scribitur Num. cap. XI. quare quòd Caldæus interpres in Hieremiam, Senatum unius & septuaginta virorū (quos Hebræi שפטים, ipse Græca voce corrupta Sanedrim appellat) scribit habuisse legis sanciendæ, ac iudicandi summam potestatem,

Status & conversiones Imperij Hebræorum.

etiam ſub regibus ipſis; ad legis promulgationem & iudicia ſpectat: ut apud nos curiæ ſuperiores habent legum promulgationem, quam imperiti ſanctionem eſſe arbitrantur, quæ ſolius Principis eſt. idem Caldæus interpres ſubijcit, iudicia de tribu, de Pontifice max. de maieſtate, de falſo propheta, non niſi à Senatu explicari potuiſſe: Moſes verò Maymo lib. I I I. perplexorum cap. poſtremo ſcribit, gladij poteſtatem habuiſſe Senatum. ab eodem Senatu XXI I I. viros capitales, qui דיני נפשות, id eſt animarum iudices, & ſeptem viros iudices pecuniarum ac bonorũ, id eſt, דיני ממונות, in ſingulis urbibus conſtitutos: quorum tres iudicia inſtituebant: quinque primam appellationem diſceptabant: ſeptem de ſecunda provocatione decernebant. præterea decem iudices rerum venalium quaſi Aediles creabantur, quorum unus era[redacted]dos. ad hæc arbitri recepti tres: quorum uterque litigator unum eligebat: electi duo tertium optabant. quæ omnia in Pandectis Hebræorum, titulo Sanedrim. cap. I. II. III. copioſè explicantur. poſtremò Senatores ſublegi ſolitos conſtat ab ipſo Senatu, cuius fuit perpetua poteſtas. quæ tamen omnia iuſſu regum ſanciebãtur, ut præter decreta nihil haberet Senatus. quod videre eſt in iudicio Herodis qui cædis impuberum poſtulatus, in Senatu Hebræorum cauſam dixit: ſed tamen Hyrcano rege ac Pont. max. iubente, à quo etiam abſolutus eſt non à Senatu, quemadmodum ſcribit Ioſip. libr. X I I I I. cap. X V I. nam cùm anteà mortuo Salomone filius eius tyrannidem uſurparet, diviſus eſt populus, ac duo regna, vel potius duæ tyrannides conſtitutæ, una ex tribu Iuda & Beniamin: altera ex reliquis, ut tantum auctoritatis Senatus haberet, quãtum à regibus vel tyrannis permitteretur: quemadmodum Imperatores Romani pro ſua quiſque voluntate Senatui detraxerunt. & quemadmodum Senatus Ro. quoſdã Imperatores hoſtes iudicavit, aut capitis damnavit, ut Neronem & Maximinum: ita quoque Senatus Hebræorum de Herode adhuc adoleſcente iudicavit, quem damnaſſet nefariæ cædis, niſi ab Hyrcano rege prohibe-

prohiberetur. Sed Herodes maior factus ac imperio potitus, regem Hircanum ac Senatores omnes interfecit excepto Samea, quem tamen adversarium omnium maximum habebat: nominis tamen virtuti pepercit, ut est apud Iosippum lib. XIIII. Ex hac igitur Reipubl. forma constat imperium Hebręorum, ab ortus sui principio sub regib. CLX. annos floruisse: deinde optimates annos CCXLIIII. pertulisse: tum regiam potestatem (quæ non multò pòst in duplicem tyrannidem divisa est) annos CCCCXCVI. ac tandem ab Assyrijs eversam: prius tamen reges Samariæ, ac decē tribus in Caldæam abductas: deinde reges Hierosolymorum cum reliquo populo: qui cùm annos LXX. exulasset, postliminio reversus in patriam, sub regibus ijsdem & pontificibus tandiu floruit, quoad intestinis seditionibus & bellis finitimorum, nunc in Aegyptiorum, nunc in Græcorum, postremò in Idumæorum potestatem veniret. ad extremum redacta Iudæa in provinciæ formam ab Augusto, pertulit imperium Romanorum, à quibus centesimo pòst anno descivit: quibus temporibus Hierosolyma expugnata, & funditùs eversa, tanta populi strages, tū in Asia tum in Africa secuta est, conspirantibus finitimis omnibus ad unius populi eversionem, ut gens illa penitùs interijsse crederetur. profectò cæsorum numerus à Iosippo relatus superat myriades triginta. reliqui in miseram servitutem abducti, adhuc toto terrarum orbe dispersi vagantur.

Cùm igitur regia potestas à natura sit, id est à Deo naturæ parente instituta: Magis Persarum singulari iudicio delecta: ab Homero, Xenophonte, Aristotele, Plutarcho, Dione, Apollonio, Hieronymo, Cypriano laudata: denique ab Augusto post anxias Męcenatis & Agrippę disputationes suscepta: postremò populorum omnium, aut maximè illustrium summa consensione, & experientia diuturna cōprobata; quid amplius de optimo statu Reipub. disputandum? *Regia potestas præstantissima.*

Reliquum est ut Regis electionem necessarijs argumētis refellamus. putat Aristoteles perniciosum ac *In monarchia fugienda est electio*

planè barbaricum esse reges à stirpe duci: nam reliqui nihil definierunt: & libro III. ad extremum, Lacedæmonios Carthaginēsibus inferiores putat, quòd hi reges eligerent, illi ab Hercule ducerēt. barbari sunt igitur Aegyptij, Assyrij, Persæ, Macedones, Pœni, Aethiopes, Abyssini, Turcæ, Indi, Tartari, Moschovitæ, Poloni, Dani, Suecij, Britanni, Itali, Galli, Hispani, Americi: denique omnes ubiq; terrarum populi, excipio Germanos, Helvetios cum fœderatis, Venetos, Rhagusios, Lucenses, Genuenses, qui optimatum, aut populari potestate reguntur. quòd si tot populi barbari sunt, propterea quòd reges à stirpe ducunt, ubinam erit humanitati locus? quod verò perniciosum putat, multò mihi absurdius videtur. primùm enim interregnum valde periculosum est, quia Respublica veluti navis sine gubernatore seditionum fluctibus iactatur, ac sæpe mergitur. id quod accidit post occasum Friderici secundi Imp. nam Respublica velut anarchia quędam annos duodeviginti caruit Imperatore, propter intestina Principū bella. quid autem miserius quàm in interregno Sultanorum Aegypti plebem à Memmelucis impunè diripi? quid sceleratius quàm in interregno Pontificum Romanorum omnia cędibus ac stupris impunitate proposita misceri? Principis autem eligendi ratio planè inexplicabilis est. non enim ab universo populo, id quod Aristoteles voluit, rectè fieri potest, cùm ratione ac prudentia destituatur. ergò à paucis & optimis id fiat oportet. sed renitetur populus, repugnabunt legiones. hinc illæ tam graves ac diuturnæ inter Senatum Romanum & Prætorianos discordiæ. quisquis enim placuerat Senatui, legionibus displicebat. ac sæpe legiones varijs in locis, & plures eodē momento Imperatores creabant, ut uno tempore XXX facti sint. hinc bella civilia, cędes, bonorum proscriptiones, ac imperij totius miseranda distractio. illud etiam perniciosius quòd sceleratissimus quisq; imperium invadit: boni tantum onus spontę repudiant. ac si fortè Princeps ea prudentia fuerit, ut successorem imperij virum bonū renuntiare velit, quod

sapi-

sapienter est à Nerva, Traiano, Adriano, & Antonino pio factum; barbarum id existimabunt regum electores. iam verò cùm spes imperij ad omnes, exitus ad unũ spectet, necesse est ut latronibus ac veneficis pateat imperij aditus cæso gubernatore. & cùm Reipublicæ fundamentum nullum maius sit, quàm in obsequio subditorum erga Principem, qui fieri potest ut eius imperia non respuant, quem obscuro loco natũ, aut aliquando sociũ fuisse, aut scelere vel opibus imperium quæsijsse putabunt? nihil enim usitatius quàm imperatores Rom. pecudũ in morem à suis necari: neq; enim pauciores triginta numerantur. nec magis quieta fuit Respublica, quàm cùm filius patris imperium excepisset, id quod Aristoteles metuendũ putavit. nec prius inter Germanorũ Principes bella pro imperio geri desierunt; quã pater filiũ Cæsarẽ designaret: ut Hẽricus III. filium adhuc puerũ curavit eligendum, à quo nepos est adoptatus. & Carolus IIII. filiũ habuit successorem: hic fratrẽ Sigismundũ, qui sibi generũ adoptavit: Fridericus Maximilianum, hic nepotem: cæteri magna ex parte coniuratione aut veneno interierunt; Rudolphus, Albertus, Henricus VII. Fridericus III. Ludovicus Bavarus, Carolus Henrici nepos, Guntherus. illa verò regũ Poloniæ & Hungariæ comitia, quæ ipsi Caros appellant, fiunt in armis, ex quibus sæpissimè civilia bella exoriuntur: ac nisi gens Iagellonũ iure sanguinis sufragia consecuta fuisset, pridẽ imperiũ illud interijsset. Ex Aegypti Sultanis qui non plures xv. creati sunt, septem à Memmelucis, à quibus eligebantur, cæsi numerantur: puta Turquemenius, Melaschala, Cothos, Bundocader, Muhamedes, Cercassius, Giapalatus. Sephadinus verò Saladini frater electus à suis decem fratris filios crudelissimè necavit, ut tutò regnaret. nec aliter Turcæ, qui spem imperij posuerũt in electione Prætorianorũ, quàm mutuis cædibus imperium adipiscuntur. [redacted] interim qui Præfecturis aut Provincijs præsunt, de imperio

deturbari nolunt: ut apud Germanos duces & comites perinde vt apud nos Provincias imperij hac ratione usurparunt duces & comites, cùm primum Regem suo quodammodo iure creaverūt, vt Iulius Flugus & Aemylius confitentur. hoc enim Hugo Capetus ut regnaret, pactus est suas quenque Præfectum Provincias dominij iure habiturum. ita paulatim feuda, imperia, iurisdictiones successionis iure deferri cœperunt. Extat enim in bibliotheca Bellovisia regis initiandi, & eligendi à populo forma vetus, qua dicitur Henricus I. apud nos electus esse. sed nec superiorum, nec consequentium regum quenquam electione video creatum: nec certè tandiu staret, si ad suffragia delaberemur. ita quoque Germanis accidit. nā Saxonia provincia Henrico I. concessa est hunc in modum, anno CMXIII. aliam alius adeptus est, ac paulatim etiam urbes, ut faciliùs imperium adipiscerentur, vectigalibus liberarūt; ut Noviomagum: quasdam accepta pecunia suæ libertati omnino restituerunt, ut Rudolphus omnes Hetruriæ urbes, anno MCCXXX. Lucenses XII. Florentini sex aureorum millibus libertatem redemerunt. pòst etiam Rupertus tres urbes Imperiales filio concessit. Carolus IIII Mediolanum Præfecto uendidit: Otto Isniam, Ludovicus Egram, Fridericus Norimbergam: Vlma seipsam libertati asseruit, ut aliæ complures. idem contigit [redacted], ut eorum Præfecti tyrannidem Provinciarum usurparent: ut anteà docuimus. at cùm regni certa spes est ac legitima successio, Provinciæ distrahi non possunt. Quantò igitur beatiores Assyrij, Persæ, Aegyptij, Macedones, Galli, qui tot ætatibus ac seculis in summa tranquillitate floruerunt, non aliam ob causam, quàm quòd reges à stirpe sibi quæsierunt? ut enim omnia quæramus, nullum profectò reperiemus bene constitutæ Reipublicę maius argumētum, quàm diu-[redacted]ssini, qui annos DCCC. [redacted] & eadē g[redacted]do deficiat, névę plures imperandi cupiditate popu-

lum

lum in varias partes distrahant, ut apud Turcas & Persas sæpe contigit: aut parricidijs se polluant, ut Deiotarus qui numerosam sobolem uno excepto interfecit, quo tutiùs ille regnaret: gentiles regis (quos Israëlitarum filios vocant) simul educantur, in arce fortissima & excelso monte Anga, ut Alvaresius tradit, quo nisi per abrupta & angustissima loca perverstiri non potest, eaque validissimo præsidio muniũtur. mortuo rege non proximus agnatus, sed qui magis idoneus optimatibus & custodibus videtur, renunciari consuevit: qui mos etiam apud Danos, Suecos, & Hungaros inolevit, ut ex pluribus liberis arbitratu suo quemvis cooptent: hunc igitur Abissini educentes ex arce, veluti Deum aliquem cœlo delapsum, maximis honoribus & obsequijs prosequuntur. ac tametsi Provinciæ quinquaginta unius imperio gubernãtur, nullæ tamẽ sunt urbes mœnibus septæ, nullæ arces: ne vel propugnaculis potiùs quàm populi benevolẽtia confidere, vel seditiosis rebellandi occasionẽ prębere videantur. quid autem imperia Parthorum & Turcarum ad tantã gloriam evexit, nisi quòd hi Ottomanorũ, illi Arsacidarum sanguine ac fiducia freti, populum in sui admirationem & obsequium traxerunt? fallitur enim Machiavellus, qui existimat cæso Principe Turcarũ unà cum liberis, imperium illud collapsum iri, quòd nulli sint Principes ad quos imperium iure pervenire possit. restant enim quatuor gentes, quæ generis splendore ac vetustate Ottomanis se iampridẽ æquarunt; Michalogli, Ebrenes, Turacanij, Maloconij, qui ab eadem qua Ottomani stirpe ducũtur. hi tamẽ ab aditu Principis & Republica prudenter summovẽtur, ne res novas moliri possint. nec verò alia ratione Pœni, Persæ, Galli, Britanni, Hispani, commodiùs imperium tueri possunt, quàm successorio edicto. quinetiam Florentini accepta libertate, cùm civili sanguine urbem ac seipsos diu fœdassent, nec ullum exitum reperirẽt, uno consẽnsu per legatos à Pontifice max. quæsierunt, ut regiæ stirpis hominem mitteret, ad quem ius imperij deferrent: eò Carolum Valesium misit, cuius præ-

ſentia ſeditiones repente conquierunt. tantum valet ſanguinis ac generis opinio ad homines mutuis obſequijs & amicitia coniungendos: qui ſanè finis eſt Rerum omnium publicarum. neque tãtùm proximis agnatis ſed etiam primogenitis imperium lege deferẽdum: alioqui cædes inter liberos, ac bella civilia ſæpe futura ſunt, & quidèm tantò graviora quàm inter peregrinos, quantò graviores ſunt fratrum inter ipſos offenſiones. argumento ſint Turcarum crudeliſſima parricidia, quæ tandem illi Reipublicæ ruinam ſunt allatura: quod cùm metueret Selimus huius pater, poſteà quàm Solymanum filium ſuſcepiſſet, omnem curam procreandorum liberorum abiecit. hic verò Deiotarũ imitatus nõ priùs quievit, quàm filios omnes prę ter unũ interẽptos vidit. ac ſi primogenitus ſpem imperij ſolus haberet, cæteri hunc ſibi colendũ proponerent: ut videre eſt apud nos, ubi nulla fratrum parricidia contigiſſe memorantur. Eſt igitur regia poteſtas hoc modo conſtituta; omnium, ut quidem mihi videtur, præſtantiſſima, civitatibusque maximè ſalutaris, ac velut harmonia ſuavi moderata concentu. Nam quòd Plato voluit Reſpublicas geometrica ratione gubernari: ſubtiliter ac ingenioſè Ariſtoteles illud ſolùm ad præmia pertinere iudicavit. ac rationes arithmeticas ad rerũ contractarum fidẽ & pœnas adiunxit. quàm verè; non diſputo: ſed de Harmonica ratione nihil uterque. hanc tamen velut omnium pulcherrimã, ad imperij optimi ſtatum pertinere puto. primùm quòd ſola ex arithmetica geometricaque ratione conflatur, utrique tamen diſſimilis. nec poteſt ad pœnas aut præmia, neque ad pacta pertinere: cùm in his æqualitas arithmetica inſit, in illis geometrica æquabilis ſimilitudo: in harmonia ſuperantis & ſuperati ſola ratio ineſt. & quemadmodum primum intervallum, ſcilicet ab uno ad binarium in dupla ratione concentus omnes amplectitur: ſic in uno & eodem principe ſummum eſt imperium, & ab eo fluit, ad omnes magiſtratus. alterum intervallum duorum aut trium, ratione ſeſquialtera diapente, tertium diateſſa-

ran

τῶν complectitur,& utrunque primo intervallo comprehensum est.quartum nullũ efficit concentum.consequentia intervalla vehementer discrepant:ac tonus deinceps in partes innumerabiles distribuitur. nam quò numerorum multitudo magis ac magis augetur, eò magis imminuitur toni potestas, quousq; ad ectomé perveniatur:ut perspicuum sit tam abhorrere à natura ut imperium pluribus tribuatur, quàm concentus numerorũ multitudini, si perpetuam numerorũ seriem sequamur. illud autem quod musicæ rationis proprium est;scilicet ut suis partibus numeri superét, & secum ipsi ratione conversa bene cócinant,soli monarchię congruit,in qua quidem imperium ad magistratus sensim ita defertur,ut quemadmodum inferioribus imperant,ita superioribus pareant vicissim:quo usque ad principem unitatem perveniatur, à qua velut à fon te perenni manat imperij totius maiestas:ac propterea segrégatur unitas à numeris, & extra ordinem collocatur. utrum verò potestatibus & imperijs congruant harmonicæ rationes, aliorum in re tam obscura iudicium esse malo,quàm id primus affirmare. hæc tamen ratio triplex Arithmetica,Geometrica, & Harmonica; tres mihi Themidos filias,ut Poëtę fingunt,significare vidétur.εὐνομίαν, δίκην, καὶ δικαιοσύνην, quarum quæ media est, alteras suo complexu fovet: ipsi æquitatem vel rectam legislationem,iusticiam,& pacem interpretantur.est enim pax,harmonicę rationi mirum in modum congruens,imperiorum ac Rerumpublicarum præstantissimus atq; optimus finis. nec aliud, opinor, efficere sunt conati veteres illi legũlatores,cùm suos cives mutuis inter se cõvivijs cõciliarent.hinc Minos convivia Cretensium,quę ipsi ἀνδρεῖα vocarũt:Lycurgus φιδίτια vel φιλίτια.Plato συμπόσια:Moses σκηνοπήγια, & magnũ פסח quod Græci corruptè πάσχα dixerunt, festis epulis coli iussit: quem secuti Christiani veteres ἀγάπας instituerunt, ut videre est apud Clementem epist. IIII. ad ecclesiam .Hierosolymitanam. huc quoque pertinent Athemensium ἑστιάσεις in Prytanæo, tum etiam

G.1.2.4.8.
M.2.3.4. 6.
A.3.4.5..6

epulæ in Panathenæis ac Thesmophorijs: hinc Romanorum Caristia inter proximos & cœnę in Capitolio & in publicis sacrificijs, ad idq; creati Epulones, quorum exemplo Veneti quatuor publica convivia instituerunt: quinetiam legislatores Helveticorum mutuas illas compotationes in Schaffis, quæ propter ebrietates nunc edictis prohibētur, usurpari voluerūt, ut non modò cives agrestes ac rudes ad humanitatē & honestatem: sed etiam ab odio, vindicta, litibus; ad pacem, amorem ac benevolentiam revocarent. quæ omnia pertinent ad eam quæ de cœlo delapsa est regulam, quæque à Christo in sacris epulis toties usurpatur; ut scilicet amemus inter nos. Cætera quę de optimis Rerumpublicarū legibus dici possunt, alterius sunt disputationis ac loci. neque enim de optima Republica, sed de optimo imperij statu hic agimus. quanquam leges omnes de optima Republica, diriguntur ad optimam Principis institutionem. nihil enim ab oraculo divinius dici potuit, quàm quòd à Platone dictum est: Quales in Republica Principes fuerint, tales fore cives. id enim experientia diuturna plus satis compertum habemus. nec longiùs exempla petenda sunt, quàm à Francisco I. rege Gallorum, qui ut primùm literas, à quibus sui maiores semper abhorruerant, amare cœpit, statim secuta nobilitas est: deinde reliqui ordines tanto studio bonas artes cōquisierunt, ut nusquam literatorū extiterit copia maior. Sed cùm difficile sit vel paucos optimates, qui aliquando Reipub. Principes futuri sint, virtutibus informare; multos etiam difficilius; cives omnes difficilimum: consequens est, ad unius Principis institutionem optimi sapientiæ magistri ac moderatores, maximis propositis præmijs conquirantur: non qui peregrina lingua, id quod ineptè ac perniciosè anteà factum vidimus, sed qui religione vera molles Principis animos leniter imbuant. nam omnium quæ de legibus & Republ. disputantur, nihil maius est, aut maiore studio dignum, quàm ut Princeps intelligat se ad verum Dei cultum in hanc lucem venisse. in eo solo versatur

Rei-

Reipublicæ ac legum omnium ſuprema ſalus. qui enim Princeps à diſciplina ſic erit informatus, ut ſuarum omnium actionũ iudicem ac ſpectatorem Deum eſſe cogitet, nihil impiè, nihil ſceleratè faciet, nihil turpe cogitabit. hunc unum ſui cives amabunt, metuent, ac eius exemplo, vitam, moresque ſuos informabunt: ut fertur de Ludovico IX. & Eduardo I. regibus, qui propter vitæ ſummam integritatem inter divos habentur. nam eorum legibus ac optimis vitæ inſtitutis Gallorum & Anglorum imperia diutiſſimè ſteterunt. ac ſæpe reges Anglorum de imperio depulſi fuêre, cùm populum leges D. Eduardi petentem aſpernarentur. hoc igitur regni fundamentum eſt, ſine quo fruſtrà leges in Principem ferantur. propterea quòd improbos ab iniurioſa facinoroſaq; vita magiſtratuum metus, non religio deterret: Principem verò quis magiſtratus, quæ leges, quæ imperia coërcebunt, niſi religionis metu contineatur? at etiam religionis tanta vis eſt ac maieſtas, ut per ſe non modò vitiorum ſit expultrix, & virtutum omnium conciliatrix, in quo vertitur ſummum hominis extremumque bonum: verumetiam Principi adeò neceſſaria, ut nulla re magis imperium retineatur; quod etiamnum Ariſtoteles primùm, deinde Polybius & Epicurus numinis divini contemptores fatentur: ac propterea libros Trebatius Epicureus de religione ſcribendos ſibi putavit. ſed quoniam Principum cupiditates quamplurimę exiſtunt, quę reſtingui facilè non poſſunt; alterum Principis inſtituendi momentum erit, ut ſolida veraque laudę paſcatur, in eaque ſenſim adoleſcat. Sic enim D. Thomas ex Ariſtotelis opinione Principem inſtituendum putavit: qui ſi gloria non erit contentus, in tyrannum evadet. quæret enim opes ac voluptates. hinc ad rapinas & ſtupra convertetur. id quod accidit Dionyſio iuniori, quem pater in otio ac delitijs ita educarat, ut neque ex ergaſtulo in lucem prodiret, neque ullis omnino diſciplinis imbueretur, nec veræ laudis guſtum ullum haberet. itaque cum adulatoribus perniciòſiſſimis tantiſper voluptatibus indulſit,

dum ex illa tyrannide, velut ex arce deturbaretur. qui autem gloriæ cupidus erit, non modò infamiam ac vitæ turpitudinem fugiet, sed etiam intelliget verum decus in sola virtutis actione versari, qua quidem reprimat improbos, tueatur bonos, factaque fortium & sapientum, laudibus ac præmijs cum improborũ ignominia sempiterna prosequatur.

Confutatio eorum qui quatuor monarchias aureaque secula statuunt. CAP. VII.



IN VETERATVS error de quatuor imperijs, ac magnorum virorum opinione pervulgatus tam altè radices egit, ut vix evelli posse videatur. habet enim propè infinitos bibliorum interpretes: habet è iunioribus Martinum, Melanchthonem, Sleidanum, Lucidum, Funccium, Onuphrium, rerum divinarum & antiquitatis homines valde peritos: quorum auctoritate fractus aliquando minimè dubitandum esse putabam. movebar etiam oraculò Danielis, cuius fidem elevare, scelus; auctoritatem infringere, nefas est. postea tamen verba Danielis obscura & ambigua in varios sensus torqueri posse intellexi: & in oraculis interpretandis, malui iudiciorum illam formulam, NON LIQVET, usurpare, quàm temerè ex aliorum opinione non intellecta cuiquam assentiri. ac valde mihi probatur [redacted] non minus urbana quàm prudens oratio; qui de libro [redacted] rogatus, ingenuè respondit, se penitus ignorare quid velit tam obscurus scriptor; qui qualisque fuerit nondum constat inter eruditos: ita [redacted] video quemadmodum beluas & statuam Danielis ad ea, quæ nunc ubiq; florent, quæq; tot seculis [redacted]. Principiò monarchia nobis est imperij ac regionis quibusdam finibus consti-

ſtituenda, vel principis aut populi origine clara, ut intelligatur quid ſit illud quod monarchiam vocant: quod cùm huius diſceptationis caput eſſet, non ſatis aptè definierunt interpretes oraculorum. poſuerunt enim ex illa viſione quatuor belluarum ac ſtatuæ, totidem imperia ſignificari: puta Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum ac Romanorum; nec plura fore augurantur. Germanos autem Romanorum imperio præeſſe. quod cùm ita à Germanis ſcriberetur, ad ſui nominis & imperij gloriam ſcriptum eſſe iudicavi. eſt enim ab interpretatione Danielis omnino alienum. placet igitur ſuis ipſos rationibus confutare. Ac primùm illud quod ait Philippus Melanchthon, monarchiam ſibi videri ſummam unius Reipublicæ potentiam, quæ aliarum opes & copias ſuperare poſſit. utendum erat igitur imperij verbo, cùm monarchia de populari Romanorum ſtatu dici non poſſit. ſi tamen omiſſa verborum ſubtilitate rem teneamus, profectò Germani non ſatis ad id quod volunt accommodatè monarchiam Romanorum uſurpant, quum vix centeſimam partem orbis terrarum ſua ditione teneant, & Hiſpaniarum princeps imperium habeat Germanico maius, tum populorum multitudine, tum amplitudine regionum: ut omittam regiones Americas (quibus ex magna parte dominatur) Europa triplo maiores. at ne regi quidem Luſitaniæ pares ſunt, ſi regionum longitudine imperium definiamus. nam is univerſam penè oram Africæ armis occupavit, ac fortiſſimis propugnaculis barbarorum impetus ſæpe repreſſit. heic dicet aliquis, non hominum multitudinem, aut latifundia nobis, ſed vim ac robur ſpectandum eſſe: quod equidem illis aſſentior: non tamen video quomodo Germania Hiſpanorum ac Italorum legionibus duce Carolo V. reſiſtere potuit: qui niſi Gallorum virtute revocatus eſſet, Imperium illud in provinciæ formam redegerat, ut Germani clariſſimis ac ſempiternis monumentis teſtatum reliquerunt: nobiſq; parem gratiam retulerunt. ſed ad exteros veniamus. quid habet Germania quod principi Turcarũ

opponat? aut quis merito maiore monarcha dici dotest? patet hoc quidem omnium oculis. si enim est usquam terrarum ulla maiestas imperij ac veræ monarchiæ, in eo profectò elucet. occupat enim opulentissimas Asiæ, Africæ & Europæ partes, totoq; mari mediterraneo & insulis omnibus, exceptis admodum paucis, latè regnat. armis autem ac viribus tantus est, ut unus omnibus ferè Principibus par esse possit; cùm Persarum ac Moschovitarum copias extra fines imperij longè repellat. Christianorum verò provincias & imperium Græcorum armis occupavit, atque etiam Germanorũ agros populatur. omitto Aethiopiæ principem, qui à suis Iochan Bellul, id est, gemma pretiosa dicitur; cuius imperium paulò minus est universa Europa. quid Tartarorum imperator? qui gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, viribus indomitas habet, quibus cum si Germaniam compares, muscam elephanto. Absurdum est igitur quòd Germani monarchiam, id est, ut Philippus interpretatur, Rerum omnium publicarum potentissimam: absurdius etiam quòd imperium Romanorum se tenere putãt; quod omnibus valde ridiculum videatur, qui orbis descriptionem animo penitus comprehensam habent. Fuit enim Romanorum imperium sub Traiano florentissimum, neque antea maius extitit, & postea semper est imminutum, ut videre est ex Appiano & Sext. Rufo, qui Traiani temporibus scripserunt. Danubio quidem & Orcadibus à Septentrione: Gadibus ab Occasu: Euphrate ab Ortu: Oenopolia verò à Meridie terminabatur, cùm Traianus lapideo ponte supra Danubium extructo Daciam imperio adiecit, ac de rege Decebalo triumphavit. deinde fusis Parthorum legionibus Euphratem transmisit. ac Mesopotamiam, magnamq; Arabiæ fœlicis partem cum imperio maiorum coniunxit: quod antea Pompeius tentare noluerat, tametsi roganti Parthorum regi ut pateretur Euphratem imperij Romani ac Parthici terminum esse, respondit Romanorum imperium non fluminibus, sed iustitia terminari: at Germani nul-

lam

lam imperij Romani partem, præter Noricum & Vindeliciam occupant. Germania quidem Rheno, Danubio, Vistula, Carpatho & Oceano continetur, sed omne imperium clauditur radicibus Alpium a meridie: Rheno & paucis quibusdam citra Rhenum urbibus ab occasu: Silesia verò ab ortu: Balticis regionibus à Septentrione. quantò verius est de Turcarum rege, qui Bizantium Imperij caput, Christianis: Babylonis regionem, qua de agitur apud Danielem, Persis ademit, & magnam suæ dominationis partem ultra Danubium usque ad Boristhenis ostia, veteribus Romanorum provincijs coniunxit? Sive igitur armorum vi, sive opum magnitudine, sive fertilitate regionum, sive numero victoriarum, sive multitudine populorum, sive nominis etymologia, sive patria Danielis, sive imperij Babylonici sede, sive ditionis amplitudine monarchiam definiamus, profectò Danielis oraculum de principe Turcarum interpretari æquius erit. Quanquam sunt adhuc ac fuerunt non quatuor modò, sed propè infinita imperia Babylonico maiora. omittunt enim imperium Caldæorum, qui primi Babylonis fundamenta iecerunt. omittunt imperium Medorum, qui Assyrios depulerunt. & certè Nabuchodonosor genere Medus fuit non Assyrius. obliviscuntur quoque imperij Parthorum, qui Græcos deturbarunt, & Romanorum potentiam sæpe fregerunt, captivos Imperatores sæpe abduxerunt, sæpius eorum provincias invaserunt. prætermittunt Arabes, qui Babylonicum imperium occuparunt, & magnam Asiæ, Africæ & Europæ partem armis domuerunt. quòd si Caldæos, Medos, Assyrios, Parthos eadem imperij appellatione complectuntur, cur non Persas quoque illis finitimos adiungunt: præsertim cùm Medi longè fuerint remotiores; Parthi verò remotissimi à Babylone, quam tamem occuparunt: nam si mutatio principum à Medis ad Persas imperij varietatem affert, id est, unius Cyri dominatus genere ac moribus cum Medis coniunctissimi, cur non idem de Caldæis, Parthis, Medis, Arabibus iudicandum erit? qua igitur ra-

tione Cyrus Persa novam monarchiam constituit, eadem illi monarchias quoque efficient. & Traianus Hispanus monarchiam Hispanicam; Caracalla, Carus, Carinus, Antoninus natione Galli, monarchiam Gallicam. idem iudicium erit de Alexandro & Heliogabalo Syrijs: de Philippo Arabe: deq; Totila, Vitige, Theodato, Alarico Gothis; qui nō tantùm provincias, sed etiam ipsius imperij Romani caput invaserunt, Italiam oppresserunt, Vrbem denique ferro ac flamma vastarunt: postremò vi & armis Italiam annos lxx. tenuerunt, cùm Alexander Magnus, qui Persarum opes fregit, vix annos duodecim imperarit, sed quasi fulgur coruscans in varias partes dissilijt: ita suum imperium ad Principes quatuor delatum paulò pòst evanuit. Illud verò ineptius visum est, quòd Carolum Magnum (qui quam Monarchiam vocant primus occupavit) natione Gallum, in Gallia natum, lingua quoq;, moribus & institutis Gallorum unà tum suis maioribus educatum, modò Germanum, modò Alemanum vocant. tametsi enim à Francis veterum Gallorum colonis originem plerique traxisse putēt, non tamen negant quin Gallorū armis ac legionibus Germaniam, Italiam & magnam Hispaniæ partem cum imperio Gallorum coniunxerit, ac primogenitis Galliam, velut imperij sedem, alias alijs regiones ab hoc imperio avulsas dederit, quousque Henricus Auceps natione Germanus, Regem se ferēs, Germaniā huius imperij partem occupavit. multò verius igitur ac iustius Gallica monarchia dici debet, quæ priùs virtute Gallorum parta est, quàm Germani monarchiæ verbum audissent. Quis autem negare potest quin Britanni suam quoque monarchiam multò verius quàm Germani sub Constantino magno stabilierint? cùm enim fuerit natione Britannus (tametsi Romano patre satus) genere nothus; contraq; Senatus & populi Romani voluntatem ab ultimis oris in Italiam venit, Romanos imperatores armis fregit, religiones ac instituta maiorum abolévit, Christi nomen colendum proposuit, imperij sedem Bizantium transtulit, Romanis omnem

mnem dignitatem ademit, denique Vrbem ipſam de ſuo nomine appellavit. quòd ſi Perſarũ monarchiam facit origo Cyri ſanguine patriaque Aſſyrijs finitimi, cur monarchiam non efficiet hoc tam novum, tamq; inſolens Conſtantini imperium, quod generis, locorum, legum ac religionum tantam converſionem attulit? Sed mirum cur Arabum monarchiam omittunt, qui univerſam penè Africam, Aſiæ quoque magnam partem non tantùm armis ac legibus, ſed etiã religionibus ac lingua uti coëgerunt: Perſarumque copias fregerunt, & in tantam ſervitutem redegerunt, ut eos à literis & diſciplinis omnibus omnino prohiberent. Mirum quoque videri debet, cur Tartarorum imperij penitùs obliviſcantur, cum reliquis omnibus æquari poſſit. an quia longè abeſt à Babylone? at longius abſunt Germani, qui imperij Babylonici nullam partem habent: Tartari verò Bactriam & Sogdianam vaſtarunt, latiſſimas eius imperij provincias occuparunt, ipſamque Babylonem duce Alao funditùs everterunt, ut ſcribit Paulus Venetus. ac mihi diutius cogitanti quid Propheta innuere vellet, nihil commodius occurrit, quàm interpretari de Babylone, quę in poteſtatem Medorum, Perſarum, Græcorum & Parthorum pervenit, quæque ſæpius vaſtata eſt, ac tandem aliquando deleta. neque enim ea quę vulgò Baldac appellatur, eadem eſt cum antiqua Babylone, ſed potius Suſa vetus, ut Paulus Venetus interpretatur. quòd ſi ita eſt, non irritum fuit oraculum de Babylonis ſtatu, converſione, exitu; præſertim cùm Danielis & omnium Prophetarum voces in Chriſtum, ac eius tempora velut in ſcopum dirigantur. argumento eſt petra illa (qua quidem Chriſtum ſignificari diſertè Paulus innuit his verbis; Petra autem erat Chriſtus) de vertice montis exciſa, quæ ſtatuam confregit. cùm verò interpres ipſe Daniel ſui oraculi plures beluas, plura quoque beluarum cornua interpretatur, quid vetat, quò minus ad Alexandri Magni ſucceſſores, & ea quæ illic floruerunt imperia referantur? nihil tamen in rebus tam abditis & obſcuris affirmare auſim.

illud tantùm; verba Danielis ad id quod volunt interpretes accommodari nullo modo posse. Iosippus Hebręus optimus Danielis interpres, scribit; Medos, Persas & Græcos à Daniele ad imperium Babylonis vocari. de Romanis, à quibus ipse nomen Flaviæ gentis, civitatem & statuam adeptus erat, nihil à Daniele scriptum reliquit. sed hinc error manavit, quòd Danielis sacras sortes ad suam quisque opinionem, non ad historiæ fidem retulit. hinc putarunt quinq; duntaxat reges Persarum esse oportere, quòd Daniel quinque duntaxat futuros esse diceret: at omnium scriptorum consentiens auctoritas octo posuit: nonnulli decem, propter seditiones ac civilia bella. Consimili errore ex eadem statua Danielis (cuius caput aureũ, thorax argenteus, crura ænea, tibiæ ferreæ, pedes fictiles, malè cum ferro coagmentati fuisse feruntur) quatuor, aut etiam plures ætates statuunt. fuisse quondã aurea secula, pòst argentea, deinde ęnea, tum ferrea, tandem lutea successisse. sed minuenda hæc opinio est. nam si quis historicorum, non poëtarum excutiat intelligentiam, profectò iudicabit parem esse in rebus humanis, atque in omnium rerum natura conversionem: nec aliquid sub sole, ut ait ille sapientiæ magister, novum esse. nam ætas illa quam auream vocant, si ad nostram conferatur, ferrea videri possit. quis enim dubitat quin eluvio terrarum divinitùs contigerit propter hominũ scelera, quæ tot ac tanta fuerunt, ut Deũ ipsum pœnituerit hominis creati? videamus igitur illa tempora quę diluvium consecuta sunt, quæque aurea vocantur, non solùm à Poëtis, sed etiam ab ipso Catone in libris originum: quibus temporibus Camesen & Saturnum floruisse tradit. at nemini dubium est quin Cameses ab Hebræis Nohæ filius: Saturnus verò Nimerodus omnium consensu vocetur: huius verò filius Iuppiter Belus, auream ætatem valere iussit. ex quo planum est aureum illud tempus breve momentum videri, si annorum sex millium ratio habeatur. nam Cato Poëtarum fabulas secutus, annis ducentis & quinquaginta definijt. quæ autem in,

innocentia fuit in Camese, qui parentis optimi pudorem nova quadam & insigni contumelia violavit? nam ex eo secutæ sunt patris execrationes. qualis item Nimerodus Camesis ex filio nepos, quem aurei seculi conditorem vocant, satis ex ipso nomine intelligitur, quod Hebræis significat rebellem. & quidem à Mose robustus venator appellatur; quo verbo latrones ubiq; & sceleratos homines appellavit. ut etiã Aristoteles latrocinium, seu ληστείαν posuit inter genera venationis. Sequitur Iuppiter Belus, qui maiore dicam audacia an impietate, patrem senio fractum de imperio quasi de ponte deiecit. alios quoque Ioves fuisse video (nam trecẽtos coluit antiquitas) sed quisquis ille est, quem Poëtę patrẽ de regno eiecisse aiunt, non tantùm parricidio, verumetiam stupris omnibus ac sororis incestu nobilitatus est. eisdem temporibus tyrannidem quisque Iovi eripere conabatur: hinc cõiurati cœlum rescindere fratres, qui turribus & aggeribus extructis, immortali Deo nefarium bellum intulerunt, eumq́ue de cœlo præcipitem deturbare sunt conati, nisi tum fulmine prohiberentur, vel ipsa linguarum confusione, vnde turri nomen Babylon ab inscitia loquendi, quam nos quoque Babil appellamus. Sic Mosi cum Poëtis (qui rei veritatem fabulis confuderunt) quodammodo convenit. quid est autem aliud gigantes Dijs bellum inferre, quàm naturæ, ut ait Cicero, repugnare? hæc igitur est illa aurea ætas; quæ talia monstra nobis educavit. idem iudico de Herculem, quem Manetho Piratarum maximum fuisse tradit; eumq; Theseum ac Pirithoum scelerum societate sibi conciliavit, qui cùm Helenam rapuissent, ac Molossi regis filiam patri eripere conarentur, ab eo sunt in carcerem coniecti: alter quidem à Cerbereis canibus laceratus, alter brevi lacerandus, nisi Herculis precibus quasi ab inferis revocaretur, vel potius ad crudeliora supplicia servaretur. quis autem ad omne genus libidinum Hercule robustior dicam an fœdior? Sed ne videantur hæc fabulis similia, Thucydidi verissimo historiæ parenti assentiamur. is enim testatum reli-

quit paulò ante sua tempora tantam fuisse hominum in ipsa Græcia barbariem ac feritatem, ut terra, mariq; latrocinia palàm exercerentur, & sine ulla contumelia quæri à prætereuntibus consueverit, utrum latrones; utrum piratæ essent nec ne? cùm verò nullis adhuc mœnibus cingerentur, nec essent ulla propugnacula, ius in armis fuisse positum, veteresque colonos subinde à novis de possessione deiectos. qui mos in Græcia paulatim inolevit. quæ autem nationes ab humanitate longius aberant, in ea barbarie diutissimè vixerunt: ut de Germanis scribit Cæsar. Latrocinia, inquit, nullam habent apud Germanos infamiam, quæ extra fines cuiusque civitatis fiunt, atque ea iuventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant. ex quo factum est, opinor, ut prędones, quia brigantes vulgò appellantur, à populis Brigantinis, qui lacum Podamicum seu Brigantinum tenét, dicti sint: ut Assassini ab ea Persarum gente, quæ latronum & sicariorum infamia diutissimè laboravit. at Lacedęmonij non in furto eduliorum, sed in furti sola deprehensione scelus inesse putabant. utraq; sanè opinio tantò plus habet in seipsa flagitij quàm latrocinium, quantò miserius est ac turpius impunè legibus quicquam licere, quod ipsa natura nefarium sit. hæc fuerunt aurea & argentea secula, quibus homines ferarum more in agris ac sylvis dispersi, tantum haberent, quantum per vim & nefas retinere possent, quousque paulatim ab illa feritate ac barbarie sunt ad hanc quã videmus morum humanitatem ac legitimam societatem revocati. nam furta quæ olim civili tantùm iudicio, non modò Hebræorum, sed etiam Græcorum & Latinorũ legibus, nunc ubiq; gentium capite puniuntur. Quòd si res humanæ in deterius prolaberentur, iampridẽ in extremo vitiorum ac improbitatis gradu constitissemus: quò quidem antea perventum esse opinor. sed cùm flagitiosi homines nec ulterius progredi, nec eodem loco stare diutius possent, sensim regredi necesse habuerunt, vel cogente pudore, qui hominibus inest à natura: vel necessitate, quòd in tantis

sce-

ſceleribus ſocietas nullo modo coli poterat: vel etiam, quod verius eſt, impellente Dei bonitate. quod quidem perſpicuum fit ex annalium libris ac monimentis maiorum, in quibus tot ac tam execranda flagitia prodita ſunt (neq; tamen omnia) ut quid maximum ſit non facilè dici poſſit. teſtes ſunt Tranquillus, Tacitus, Lampridius, Athenæus. quid enim magis nefarium cogitari poteſt, quàm fœdiſſima quæque vitia virtutis habere loco? id quidem videre eſt non modò in depravatis civitatibus, ſed etiam in ea Republica, quæ Lycurgi floruit inſtitutis; quæque omnium ſcriptorum conſenſione laudatiſſima putatur. ſed ut impuras illorum libidines omittamus (quæ utinam æterna obliuione ſepeliantur) quid tam impium eſt, quàm homines tum in funeribus tum in ſacris crudeliſſimè mactari? at uſitatum illud fuit apud omnes penè populos. quid crudelius quàm innocentiſſimos quoſque ſeruitutis ſpecie, in ſpectaculis publicis à belluis lacerari, aut mutuis vulneribus ad populi voluptatẽ trucidari? nihil tamẽ uſitatius apud Romanos, qui in ſumma iuſtitię opinione floruerunt, ut divina quadam vltione, hominũ quinquaginta millia Fidenis in munere gladiatorio, unius theatri caſu obruta ſint. ac certè noſtri homines multò ſapientius quàm Romani (quod bona illorum venia dictum ſit) cędes hominum inter ipſos, & ferarum cruenta ſpectacula de Chriſtiana Republica ſuſtulerunt, ac fructuoſum & utile de omnibus diſciplinis diſputandi genus ſtabilierunt. quantò melius eſt igitur ad bonas artes & verum decus, quàm ad palæſtram informari? nec propterea tamen honeſtas corporum exercitationes omiſimus, nec militarẽ neglexímus diſciplinam. habent etiam noſtra monimenta, ut alios omittã, ſuos Catones, Fabricios, Camillos, Alexãdros: neq; illis de meliore luto finxit præcordia Titan, quàm nobis ipſis. ubi enim militaris gloria maior in Alexandro, quàm in Carolo Magno? ille quidem magnus, ſed tamẽ adverſus molles Aſiaticos, ut Cæſar de Pompeio noſtrorum hominum vim expertus dicere ſolebat hic

noster ferocissimas Europæ nationes perdomuit. ubi par extitit pietas in Antonino atq; in Ludovico Pio? quis autem ex omni Principũ vetustate D. Ludovico Regi opponi potest? ut enim leges ab eo latas, quibus stat hoc imperium, omittam, nullius profectò tanta Principis adversus Deum religio, fides in patriam, amor erga subditos, insticia in omnes fuisse memoratur. Neq; solùm virtutes in nostris hominibus, sed etiam disciplinæ pares, atq; in veteribus extiterunt. est enim literarũ sua quoq; vicissitudo, ut primùm quibusdam in locis ingeniosorum hominum experientia & labore artes oriantur, deinde incrementa suscipiant, pòst aliquantum in statu vigeant, tandem sua vetustate langueant, deniq; sensim emoriantur, & oblivione diuturna sepeliantur: vel bellorum diuturna calamitate: vel quòd nimia copia (malum his temporibus valde metuendum) satietatem levissimo cuique afferre soleat: vel quòd iustas Deus pœnas expetit ab ijs qui scientias salutares, in hominum perniciem con vertunt. Nam cùm disciplinæ apud Græcos sensim adolevissent, ut ad summum pervenisse crederentur, tanta mutatio postea secuta est, ut ne ipsa quidẽ Græcia ubi nunc est unquam extitisse videatur. quid Latini? apud quos tanta fuit ingeniorum ubertas, ut ijsdẽ penè temporibus bellica laude, ac disciplinarum omnium præstantia populos omnes superarent? attamen consimili casu in pristinam barbariem tum relabi cœperunt, cùm influentes in Italiam Scytharum copiæ, bibliothecas refertissimas, & omnia vetustatis monumenta, ubiq; ferè incenderunt: quod immane factum tantas in omnibus disciplinis ruinas edidit, ut prostratæ mille circiter annos sine ullo pretio iacuerint, ac iam interituræ viderentur; nisi Mensor Africæ & Hispaniæ princeps, Arabum ingenia magnis propositis præmijs ad literarum instaurationem excitavisset. omitto quammultos philosophos, geometras, astrologos pepererit Aegyptus, India, Aethiopia; quammulti apud Caldæos nobiles Mathematici antè fueirnt, quàm ullæ essent in Græcia literæ: ad nostra tempora re-


relabor, quibus multò pòst quàm literę toto penè terrarum orbe conquierāt, tantus subitò scientiarum omnium splendor affulsit, tanta fertilitas extitit ingeniorum, ut nullis unquam ætatibus maior. at ne Gothis quidem ipsis lectissima nuper ingenia defuerūt. testis est Olaus Magnus, testis Holsterus, testes alij plerique: quasi decrevisset natura scientiarum vulnera nunc ab ijs ipsis, à quibus olim erant illata sanari. cùm enim superiori adhuc ætate morem maiorum retinerent, ac literatos homines voce preconis de Senatu exire iuberent (sic enim in illorū historia testatum habemus) nunc undiq; literas accire consueverunt. hæc illa est rerū omnium tam certa conversio, ut dubitare nemo debeat, quin idem in hominum ingenijs quod in agris eveniat, qui maiori ubertate gratiam quietis referre solent. At veteres illi, dicet aliquis, artiū inventores fuêre: illis gloria debetur. profectò permultas invenêre: atq; imprimis rerū cœlestium vim: ratos orbium cursus, non tamen omnes: stellarū inerrantium, & earum quæ vagæ dicuntur, mirabiles traiectiones: tum naturæ obscuritatem diligenter notarunt, & accuratè multa explicarunt: pleraq; tamen ex ijs imperfecta reliquerunt, quæ à nostris consummata posteris traduntur. ac nemini dubium esse potest in eam rem penitùs intuènti, quin inventa nostrorum cum maiorum inventis conferri; pleraque debeant anteferri. cùm enim magnete nihil sit admirabilius in tota rerum natura, usum tamen eius planè divinum antiqui ignorarunt: & cùm illi sese alveo mediterraneo continerent, nostri quotannis terrarum orbem crebris navigationibus obeunt, & in alium orbem, ut ita dicam, colonias deducunt, iam ut intimos Indiæ recessus apertos habeamus: ex quo non modò mercatura (quæ anteà sordida vel non satis erat cognita) abundans & quæstuosa evasit, verumetiam omnes homines secum ipsi, & cū Republica mundana, velut in una eademq; civitate mirabiliter conspirant. quantum verò incrementi acceperit una de pulcherrimis artibus Geographia, ex eo intelligitur, quòd quæ de India fabulosa

plerisque videbantur (nam Lactantius & Augustinus insanire aiunt, qui antichtonas esse opinantur) comperta nobis sint: tum etiam motus inerrantium syderum ac magni orbis trepidatio. quid autem admirabilius est illa formarũ à materia (ut sic dicam) abstractione & ἀφαιρέσει? hinc occulta naturæ arcana recludũtur: hinc salutares medicinæ indies eruuntur: omitto longitudinis cœlestis investigandæ modũ ex horis ęqualibus, quę à veterib. ex eclipseos norma sine magno errore iudicari non poterat, omitto catapulta veterum & antiqua belli tormenta, quæ si cum nostris conferantur, sanè puerilia quędam ludicra videri possint. omitto deniq; artes infinitas, tum fabriles, tum lanificias, quibus hominum vita mirabilem in modum adiuvatur. una typographia cum omnibus omnium veterum inventis certare facilè potest. Itaq; non minus peccant qui à veteribus aiunt omnia comprehensa, quàm qui illos de veteri multarum artium possessione deturbant. habet natura scientiarum thesauros innumerabiles, qui nullis ętatibus exhauriri possunt. Quæ cùm ita sint, & cùm æterna quadam lege naturę conversio rerum omnium velut in orbem redire videatur, ut æquè vitia virtutibus, ignoratio scientię, turpe honesto cõsequens sit, atq; tenebræ luci; falluntur qui genus hominum semper deterius seipso evadere putant. & cùm in eo sint errore senes, credibile est hoc illis contingere, quòd florẽ ętatis, quę per seipsam lęticiam ac iucunditatem spirat, amissum meminerunt: cumq; se ab omni voluptatum genere deseri vident, ac pro delicijs acerbissimos dolores, pro sensibus integerrimis membrorum omnium imbecillitatem sentiunt, fit ut tristissimis obruantur cogitationibus, & falsa rerum imagine decepti, fidem & amicitiam hominum inter homines interijsse putent: ac velut ex longinqua navigatione profecti aurea secula, auream ætatem adolescentibus narrant: sed perinde illis accidit, ut ijs qui cùm à portu evehuntur in altum, domos, urbesque à se discedere existimant: sic illi oblectationem, humanitatem, iustitiam in cœlum e-

volare, ac terras deserere opinantur.

De temporis universi ratione.

CAPUT VIII.



QVI sine ratione temporum historias intelligere se posse putant, perinde falluntur ut si labirinthi errores evadere sine duce velint. hi enim vagantur huc illuc, nec ullum erroris exitũ reperire possũnt: illi verò inter historiarũ innumerabiles anfractus æquè incerti feruntur, nec intelligunt unde cœperint, quove recurrant. at temporum doctrina, omnium dux historiarum, velut Ariadne cæca regens filo vestigia, non modò nos errare non sinit, sed etiam efficit ut aberrantes historicos in rectã viam sæpe deducam⁹. itaq; videmus lectissimos quosque scriptores temporis tam magnam habere rationẽ, ut non solùm annos, sed etiam anni singulas partes complectantur: alij ne menses quidem ipsos ac dies, dierumq; momenta, quibus quicq; gestum est, omittant: quòd intelligunt sine temporum ratione vix ullos ab historia decerpi fructus. cùm igitur historiarum potissima pars in temporum disciplina posita sit, temporis universi rationem huic methodo quam tractamus necessariam esse existimavi: tum propter summã eius utilitatem, tum etiam propter eam quæ inter historicos versatur, de temporũ antiquitate ac serie discrepantiam: ut huic quoq; disputationi lucis aliquid afferrem. Prius igitur temporis originẽ sine qua inanis hæc disputatio futura sit, non tam auctoritate, quę nihil valet apud eos qui ratione duci volũt, quàm necessarijs argumẽtis doceam⁹. quanquã si ex Hebræorum sacris fontibus ac divinæ legis oraculis testatũ habemus, mundũ hunc originis suæ principium habuisse, amplius quærere, scel⁹; dubitare, nefas esse videtur. ac tãti est apud me Mosis unius auctoritas, ut omnib. omnium philosophorũ scriptis ac sentẽtijs lõgè anteponam. is enim capitali pœnę subiecit eos qui Sabatũ

violarent, ea potissimum de causa, quòd mundi creationem Sabati violatione in dubium revocare viderentur, ut Rabi Moses Aegyptius scribit. sed quoniam improbi eius auctoritate se vinci non patiuntur, & oracula vicina temerè calũniantur, necesse est eorum argumenta consimilibus argumentis refellere ac debilitate. nam si philosophorum ponderibus, ac rationum momentis planè intelligatur, mundum nec sempiternum, & à Deo immortali certo tempore códitum fuisse, maiore fiducia sacras historias amplectemur: deinde mundi conditio, quę tam præclarę originis opinione nitetur, augebit in nobis singularem Dei admirationem & amorem. Hæc igitur doctrina non modò Hebræorum est, sed etiam Caldæorum, Pythagoræorum, Stoicorum, Academicorum, Arabũ, denique multorum gravissimis comprobata & confirmata sententijs. quinetiam Epicurus ipse, ut est apud Plutarchum, in eadem fuit opinione. inter Latinos verò, quãvis admodum pauci philosophiam seriò tractarint, M. Varro, qui omnium Latinorum & Græcorum doctissimus est à Tullio appellatus, idem iudicavit in libro, quem de Interitu mundi scripsisse fertur. atque hæc omnium in eadem disciplina consentiens auctoritas, etiam apud philosophos non parvi debet esse ponderis ac momenti. cùm igitur primus omnium Aristoteles, tum à maioribus, tum à magistro Platone dissentiens, mundum æternum statuere ausus sit, adversus eum omnis hæc suscepta disputatio est: cuius quidem rationes Galenus uno verbo refutans, veri quidem similes, non tamen necessarias videri scribit. quinetiam Aristoteles in libris de Cœlo, rationés, ait, aliorum cum suis comparatas rem efficere certiorem, cùm nulli sint aditus demonstrationis adipiscendæ. quæ verba sunt non physicorum aut geometrarum, sed de ré proposita dubitantium dialecticorum: ut Rabi Moses Aegypti[9], is qui dubiorum interpres usurpatur, argutè animadvertit. demonstrationes enim neminem dubitáre patiuntur, sed sua luce tam perspicuæ sunt, ut velut adhibita quæstione ab

invi-

invitis extorqueant assentionem. quare si Epicurus & Galenus minimè religiosi homines, negant Aristotelis argumēta vim ullam habere: Origenes, Abensina, omnium denique theologorum ac philosophorum familiæ contrarijs argumentis ea refellunt: satis intelligitur probabilia tantùm & incerta, non necessaria esse. sed ad Platonem venio, qui Deum post operis tanti molitionem ad res genitas orationem convertere fingit: quas ob id interituras affirmat, quòd ortum haberent, sua tamen voluntate fore perpetuas. hic Aristoteles verba Platonis excipiens; Si mundus, inquit, non est interiturus, igitur ne ortum quidem habet: propterea quòd quæ ortū habuerunt, aliquando sunt casura, quæq; intereūt, orta fuisse necesse est. quæ à Platone didicerat in Phædro ac Timæo: ubi propterea mentes originē habuisse negavit, quemadmodum scribit Augustinus libro decimo de Civitate Dei, ne aliquando interituræ essent: mundi verò statum eundem semper fore iussu divino. uter igitur in philosophia gravius labitur, alter qui præpotenti Deo liberam de rebus suis statuendi facultatem relinquit: alter qui quem universi moderatorem esse confitetur, & quidem causam efficientem, ei omnem adimit operis mutandi potestatem, ut si mundum quatere velit non possit? hoc Aristoteles argumēto, temerè dicam an impiè, de mundi æternitate statuens, non modò philosophiæ naturalis decreta, verumetiam divinæ maiestatis vim penitus enervare ac debilitare conatur. at in omni disputatione quæ præsertim de rebus tam arduis & à sensu remotis suscipitur, providendum est, ut ne quid omnino adversus Dei maiestatem contumeliosè dicatur: quod Aristoteles prætermisit. cùm enim rationū ponderibus undique premeretur, necesseque haberet cōfiteri, mundum originis initium habuisse, si Deo plenam tribueret statuendi voluntatem: necessitate mundum, non voluntate regi affirmavit. huc enim omnia revolvuntur argumenta. idem tamen contra Stoicos disputans, qui fatalem in rebus omnibus necessitatē posuerunt, multis argumentis docuit necessitate quę-

dam, alia voluntate, multa fortuitò, plurima casu fieri: fortunam etiam & casus trifariam divisit. in rebus necessarijs, divinas actiones ac naturam collocavit. ex quo intelligitur ea quæ disputarat in libris de cœlo, quòd fatalem saperét necessitatem, in libris de interpretatione sic temperasse, ut homini quidem arbitriũ daret omni necessitate solutum; Deum verò ac naturam necessitate obligaret. quid autem magis impium, magis arrogans, magis denique furiosum, quàm sibi liberam tribuere voluntatem; Deo adimere velle? cõsequens est enim, ut neque Deus solis cursum sistere, nec cœlestium syderum vim prohibere; nec quicquã in universa natura convertere; at ne hominis quidem impetus ac voluntates quò velit impellere possit. quæ cùm absurda sint, & impietatis plena; sequitur ut illam de mundo tollamus necessitatẽ, qua sublata relinquitur, Deum nulla vi obligari, sed pura voluntate omnia gubernare. at cùm Aristotelẽ sui ipsius puderet; hoc est, homini concedere, Deo eripere voluntatem, verbo quidem voluntatem tribuit, re vera tamen necessitate coactam: id quod Moses Aegyptius animadvertit: permittit enim voluntatem, sed ea lege ut mutari nõ possit: & ut Iuppiter in fabulis Adrastiæ legibus teneatur: cùm tamen in libris de moribus eam esse docuerit voluntatis vim & naturam, ut nisi mutari possit, voluntatis nomen amittat. itaque cùm multa variè cõtingere in natura perspiceret: modò in hanc, modò in illam partem, eò delapsus est, ut fortunã & casum ex opinione plebis statuere mallet, quàm ascribere Deo volũtatẽ aliud alio modo agendi. quid autem indignius est philosopho, quàm putare sine causa quicquam fieri, hoc est, fortunæ & casibus quicquam permittere? illa sunt ex quibus se expedire nullo modo Peripatetici potuerunt: itaque à Plutarcho in libro de fortuna, tum etiam à Lactantio efficacissimis argumentis refelluntur. videamus cætera cuiusmodi sint, aut certè præcipua: infinitum esset omnia persequi. posuerunt enim ex nihilo nihil gigni, tanquam totius disputationis fundamentum; quod

omniũ

omnium errorum præbuit occasionem: sed illis aqua hæret, cùm hoc probandum relinquitur. tùm illi subirascuntur, quòd sua principia negari fas esse non putent. sed quæ tandem ista principia sunt, quæ consequentibus obscuriora videntur? nullus unquam geometriæ postulata negavit, quòd sua luce perspicua sunt; at hęc si perspicua viderentur, cur tot philosophorum scholæ tam constanter ea negarent? cur Philoponus falsum esse perspicuè demonstraret? quid autem ineptius quàm illud ponere, quod quidē si verbo negatū fuerit, ulterius progredi non possint? sed tamen præclarum illud principium refellamus si placet; id quod à nostris omissum esse miror, qui tantopere in hac disputatione se exercuerunt. nam Phil. Melanchthon, ac Theologi distinctionem adhibent, atq; id verum esse aiunt in natura ordinata: sed illud est τὸ ἐξ ἀρχῆς, ut aiunt Dialectici. quæ enim natura fingi potest incondita? hæc enim aut integra partibusq; omnibus coagmentata, materia scilicet ac forma, aut nusquam existet. certioribus igitur argumentis utamur. Id autē à formarū pręstantia facilè intelligemus. est enim forma, generosa, & ut Aristot. scribit, divinum quiddam habens essentia, ipsiusq; naturæ præcipua pars; quòd eius beneficio res omnes existant. hæc autem non à materia ducitur; ut planum faciam: nec à se ipsa; cùm formæ avulsæ à materia penitùs intereant, nec per se existere possint: ut Aristot. in metaph. tradit: nec Dei particula sit cùm de pura sempiternaq́ue mente corpus non oriatur. quod Maurus quidam sapiens innuit, cùm diceret; Deum cœlestes orbes de luce vestimenti sui condidisse. consequens est igitur ex nihilo in materia ingenerari. itaque Aristoteles libro 11. de natura, formam naturalem ipsius naturæ finem, & efficientem, & formam esse scribit: Deum verò à naturæ principijs seiunxit, & inanem privationem, quæ nec essentia sit nec verum accidēs; inter principia mediam collocavit. sed cùm formæ singulares perpetuo quodam fluxu oriantur & occidant, ut lib. 1. de natura cap. IX. fatetur: posterioribus Peripateticis magnam

dubitationem attulit, unde nam oriantur. ad extremũ de materię ſinu ac poteſtate duci voluerũt, quod nunquam Ariſtoteli venit in mentẽ. ex eo enim ſequitur materiam primam, nõ poteſtate, ſed ipſo actu formas habere ſibi concretas, ac temerè informem; aut formam ἄϋλον appellari: tum etiam id quod informe eſt, ſeipſum informare: formas item materię temperatione conſtare, augeri denique ac intendi; quæ falſa eſſe docet Ariſtoteles libro VIII. τῶν μετὰ τὰ φυσ. tùm etiam lib. I. cap. III. de Anima. denique formam non eſſe principium, ſed ab ipſa materia ſui ortus initium habere: nec principium ſimplex, ſed concretum & compoſitum eſſe: poſtremò materiam dare ipſis rebus exiſtentiam, id eſt, τὸ εἶναι. quæ ſi probabilia non ſunt ex Ariſtotelis ipſius doctrina, ne illa quidem unde hæc manant, probanda ſunt; ſcilicet de materiæ gremio formas educi. quare extrinſecus advenire ſtatuendũ eſt; id quod negavit Ariſtoteles lib. II. cap. III. de animalium ortu, præterquàm de hominis forma, quam ipſe θύραθεν ἐπεισιέναι confitetur: illud igitur ab eo extorquebimus, formam hominis ex nihilo in materia ingenerari: atq; idem in formis omnibus iudicandum relinquetur: cùm revera nullam habeat materia vim formatricem. ac profectò tam ineptum eſt exiſtimare de materię gremio formas educi, quàm de ſtipite Mercurij figuram; cùm ab artificis mente, opera, idea proficiſcatur. igitur falſum eſt illud quod poſuerunt; de nihilo nihil derivari: eoque diſputationis concuſſo fundamento, cætera ruinam minantur; ſic enim Philoponus adverſus Ariſtotelem diſputat: ſi non videtur abſurdum è privatione pura manare formas, cur abſurdum videatur de privatione quoque materiam primam fluxiſſe? At Theophraſtus ipſe cùm videret plantas non modò in terra, ſed etiam in ſaxis ſine ſemine naſci, nihil aliud afferre potuit lib. I. cap. V. de cauſis ſtirpium, quàm cœli vim ac proprietatem: videamus cætera. Simile eſt illud; quòd nihil in cœlo ſibi contrariũ eſſe aiunt: ac proinde nihil ab interitu metuendum, nec ſperandum ab ortu. vndénam igitur elemen

torum

torum inter se discrepantium contrariæ vires? hæc enim superiorũ vi & agitatione influere, & ab illis caussis contrarias affectiones cieri fatentur. at cùm unius & simplicis causæ sit effectus, contrarium cõtrarij: discrepantes in cœlo caussas inesse confitendum erit, nõ effectione tantùm, ut magno errore putant, sed habitu naturæ, id est, ut ipsi loquuntur, formaliter. Quòd etiam motum orbis æternum ex eo colligunt, quòd tempus sine motu consistere non possit; æquè veteratorium est ac sophisticum, ut si quis dicat ante horologium horas non extitisse; aut eo sublato nullas fore. itaque Plotinus lib. VIII. Picus Mirandula lib. VI. de vanitate gentium, questionem Aristotelis libro IIII. de natura iampridem irriserunt; utrum scilicet animo numerante sublato, tempus esse desinat. Basilius verò, Ambrosius, Augustinus, ac Moses Aegyptius, ut inanes illas argutias effugerent, tempus ab æternitate penitùs seiunxerunt. Vnum tamen est ab Aristotelis interpretibus invectum argumentum, quod Mosem valde conturbavit; Mundi, aiunt, existentia fuit aut necessaria, aut possibilis, aut impossibilis. si impossibilis, nunquam mundus extitisset: si necessaria, semper extitit: si possibilis, antequã existeret, potestas existendi, vel, ut eorũ verbis utar, possibilitas illa fuit in aliquo ente: igitur erat aliquid quod de potentia in actum exiret. at ego totum illud concedam, & illam, quam querunt impossibilitatẽ, in ente collocabo, id est, in causâ effectrice sempiterna: nec video quid cõtrà dici possit. quòd si potestatem in subiecta quoq; materia esse oportere putant, magis captiosum erit quàm necessarium argumentum: perinde ut illud; Si primus opifex à privatione pura pervenit ad actũ, fuit aliquid quod illum ad agendum eliceret atque incitaret. ego à seipso incitatum aio, velut architectũ qui nec materiam, nec aream habet ad ędificandum, à seipso tamen excitari ad ædificandi cogitationem: sed multò magis rationi repugnat ac veritati, necessariò mundum extitisse: quia velit nolit opifex, obligatur fati necessitate. Hæc præcipua sunt Peripateticorum & Abenreis ar-

gumenta. Tria sunt Proculi qui à magistro Platone discedens, mundum æternum esse putavit, idq; Platonem voluisse scripsit, tum etiam Simplicius, Plotinus, Marinus, Syrianus, Apuleius, Iamblichus: atq; inter Iuniores Bessario Cardinalis, & Foxius: qui, ut Aristoteli cum Platone conueniret, mundi ortū in eius salute tuenda quę Deo semper curę est, posuerūt: alij Platonem ex hypothesi locutū arbitrantur, quos Plutarchus & Philo refutant: Proculum verò Philoponus libris XVIII. sed tota illa disputatio his tribus argumentis est, ut opinor, comprehensa; Deus, inquit Proculus, mundum sempiternum efficere potuit; voluit igitur. si voluit, confecta res est. voluisse planum fit ex eo, quòd malevoli est nolle bene agere cùm possis, & eius qui bonis alterius inuideat, malis gratuletur. hoc in Deum cadere non potest: ergo nec illud. iam verò ab otio ad negotiū; ab eo quod nolis, ad voluntaté ferri, mutationem habet ac varietaté à natura divina, quæ simplex est ac semper sui similis, valde alienā. id aūt consequens erit, si demus innumerabilibus seculis ignauiter quieuisse Deū, ac nuper de mūdi conditione cogitasse. Postremò si mundus interitum non sentit, nec ortum habuisse constat. verum illud; hoc igitur. nam omnis interitus, inquit, ab externa vi aut interiore pendet: nulla vis interior afferri potest: extrà nihil est metuendum. igitur nullo temporis decursu interibit. cætera Proculi argumenta facilè à seipsis refutantur. Primum illud falsum est, ut bona quęcunque Deus efficere possit, ea quoque velit. potest enim omnes homines ad virtutis actionem ita dirigere, ut si velint, labi nō possint: quo sanè bono, nullum Proculo maius, aut magis optandū videatur. quin etiam potuit mundum hunc ita coagmentare, ut nec in mētibus ullis, nec in materia aut forma peccati labes, aut malorū semen ullum inesset, noluit tamen. igitur si non propterea Deum immortalé ullius sceleris incusat Proculus, quòd ea mala quæ prohibere possit, nolit: multò minùs si mundum cùm potuit, non ab æterno creauit. Alterùm magis vrget, quòd ab otio

ad

ad negotium ferri, mutationem habet, id est, ut ipse loquitur ἀλλοίωσιν, quæ ab illa sempiterna mente longissimè abest. sed illud falsum, quòd ab otio ad negotium; à quiete ad laborem Deus feratur, cùm mundum condere cœpit. & quidem labitur Proculus in naturæ principijs, cùm Deo tribuit quietem, quæ aliud nihil est quàm privatio motus. igitur si Deus moveri non potest, nec quiescere quoque. est enim Aristotelis demonstratione lib. VI. de natura, non tantùm immobilis in orbium conversione, sed etiam immutabilis, in tuenda mundi salute: non alius igitur quàm ante mundi conditionem. persuasum autem habuit Aristoteles, dominum esse omnium rerum ac moderatorem Deum; huiusque mundi causam non modò effectricem sed etiam conservatricem: neque solùm immobilem, verumetiam omni solicitudine ac labore vacuum, sua potentia & virtute gaudere. idem quoque scribit non mutari sapientem cùm sapit, aut architectum cùm ædificat, quantò minùs in Deum mutatio cadet, cùm in mundi procuratione versatur? itaque non minùs ineptè quàm impiè quidam minuti theologi Deũ sordidissimis quibusque occupationibus implicari putant: quod sanè præbuit occasionem Epicuro, ut diceret se baiulum esse malle quàm Deum. ut enim Christus in perspecta summi patris erga se benevolentia totus acquievit, ita XII. legiones angelorum si velit præsidio sibi futuras dixit. ex quo innuere voluit, mundum hunc plenum esse animorum immortalium, quorum ministerio veluti servorum Deus utatur. hæc autem argumenta Proculi consimilia sunt his Epicuræorum maledictis; Si mundus originem habuit, aut casurus est, quid anteà Deus egit, aut quid tandem facturus est? his ego impuris hominibus, qui à Deo rationem temporis anteacti reposcunt, nihil aliud reponam, quàm quod Spiridio in concilio Nicæno respondit ad eiusmodi quæstionem; æterna scilicet suppliciorum loca tam curiosis hominibus, ne nihil ageret cõdidisse. quæ ratio non solùm urbana, sed etiã salutaris visa mihi est. si tamen philosophorum om-

nium constans opinio est, summam hominis fœlicitatem in contemplatione positam, & sapientem à Platone αὐτοδαίμονα vocari, ab Aristotele seipso contentum, id est, αὐταρκῆ, propterea quòd in desertissima solitudine constitutus, beat⁹ est tamē præclara illa mētis agitatione, qua res humanas infra se despicit, divinas intuetur. quantò magis Deus seipso content⁹ est, ac sui unius contemplatione fœlix? nihil autem seipso maius ac melius contemplari potest. itaque Aristoteles libro XIIII. τῶν μετὰ τὰ φυσ. Deum eodem modo dixit αὐταρκέστατον, quo Hebræi שדי, id est, ut Moses Aegyptius interpretatur, eum qui seipso cōtentus est. quod quidem si Origenes attentius providisset, non arbitraretur Deum mundos consecutione innumerabiles condidisse, sic enim scribit in libris περὶ ἀρχῶν, verit⁹, opinor, ne vel De⁹ inertia lāgueret: vel quod Plato metuit, ne hominum genere penitus sublato, sacrificijs ac laudationibus careret. quanquam sic arbitrari æquius est, quàm mūdum unà cum Deo sempiternū extitisse. & quidem in illa opinione Hebræi plerique fuerunt, ut Moses scribit, & nostra ætate Leo Hebræus. Sed utrique in maximis erroribus versantur: alteri quòd divinam fœlicitatem, mundi existentia; alteri quòd eius gloriam hominum sacrificijs ac rebus caducis metiuntur: nulli tamen perniciosius, quàm qui Deum ulla mundi contagione violari, aut in eius procuratione ac salute defatigari putant. Repudiata igitur Proculi ac Peripateticorum opinione, relinquitur mūdum originem habuisse: ex quo sequitur eius occasus; si Aristotelis doctrinæ assentiamur. Cùm enim triplex opinio sit in disputatione quæ de mūdo habetur: una eorum qui nec initium habuisse, nec exitum putent habiturum: alteri utrunque affirmāt: tertium genus extitit eorum qui feriendo medium originem habuisse dicerent, nūquam tamen occasurum. in qua sententia fuerunt Panætius, Possidonius, Boëthus, & Seneca inter Stoicos; Thomas Aquinas inter theologos; Philo inter Hebræos: tum etiam princeps Academiæ Plato, huius auctor opinionis. Philo Mosis & Salomonis

lomonis ſententia ſuam tuetur: quibus tamen Ieſaias, Eſdras, ac Petrus apertè reclamant: ut ex eorum verbis de interitu mundi dubitare nemo poſſit. & in ea quoque ſententia fuit Epicurus, ut eſt apud Plutarchum, eiusque diſcipulus Lucretius his verſibus;

Vna dies dabit exitio, multosque per annos
Suſtentata ruet moles & machina mundi.

Sed quoniam theologi Scripturę ſacrę locos in varias ſententias diſtrahunt: ac Moſes Aegyptius, & Thomas Aquinas Philonis interpretationi contrariam afferunt, placet rationibus uti; quarum nulla mihi viſa certior eſt, quàm quæ ex Avicennę dictis & Alexandri Aphrodiſæi colligi poteſt. hic enim propterea mundũ ſempiternũ affirmat, quòd à Deo moveatur: ſit autem infinitæ ac ſempiternæ mentis actio infinita. contrà verò Avicenna primum orbem à Deo moveri negavit. quod quidem ſi verum eſt, uti eſt, occaſus mundi neceſſariò conſequetur: quia finitæ mentis actio finita ſit oportet. ſi autem primi motoris actio finita eſt, mundus interibit, cuius ſalus ex Ariſtotelis ſententia pendet à motu: à quo rerum omnium origines derivantur. quòd autem primus orbis à Deo non moveatur, planum fit ex eo, quòd finito corpori, ut mundus eſt, infinitum motorem copulare ſit abſurdum: cùm finiti ad infinitum nulla ſit ratio, vel cohærentia, vel habitudo. quid enim abſurdius eſt, quàm quòd Ariſtoteles & Abenreis, Deum, quem actu infinitum appellant, eundẽ mundo, id eſt, corpuſculo finito ſic coniugare, ut ab eo divelli non poſſit? quid autẽ minus philoſopho dignum, quàm efficientẽ cauſam, quæ ſit infinita, cum effectu finito ſic colligare, ut uno exiſtente alterum exiſtere ſit neceſſe? ſic enim Ariſtoteles philoſophatur de mundo ac Deo, ut de calore & igne; de ſole ac luce, quorum alterum alterius ſit ſufficiens cauſa, ſed ei tamen ita cohæreat, ut avelli ne cogitatione quidem poſſit. at oportuit in eo genere mundum mentem eſſe, aut Deum corpoream habere naturam, ſi cauſa eiuſmodi eſſet ut ab effectu minimè divelleretur. ex quo ſequeretur illud. Deum A-

ristotelis, quem mundo veluti spongiam lapidi affigit, ac perpetuo motu fatigat, nõ modò infinitũ non esse, sed planè mundo concretũ & finitũ, ut lux soli. at ipse fatetur in libris τ̃ μετὰ τὰ φυσ. mentes omnes ab omni cõcretione corporũ liberas esse solutas. non est igitur Deus eiusmodi causa, ut sine effectu consistere nõ possit: & cum actu sit infinitus, nõ potest ulla ratione finito & exiguo corpori, sive origine, sive statu, sive motu conferri. ac tametsi certa ratio est exigui seminis ad mundũ universum, ut demonstrat Archimedes, ubi arenam numero complecti docuit, propterea quòd utrunq; corpus est regione ac termino definitũ, mundi tamen ad id quod est infinitũ, nulla ratio cogitari potest. quæ ratio facit ut Deus efficere Deum nequeat: quia infinitũ ab infinito fluere non potest: ita mundum, quem exiguo quodam orbis ambitu cinxit, non magis æterno motu, quàm magnitudine infinita potuit ornare. quare nec Philoponi argumẽtũ Abenreis dissolvere potuit; si mundus est finitus potestatẽ habet finitam. ut igitur Proculus argumẽtatur adversus Anaxagoram & Metrodorũ, qui loca magnitudine infinita, mundosq; innumerabiles posuerunt; ἀπειρία, inquit, τ̃ θεὸν ἀναιρεῖ, id est, infinitas tollit Deum: sic ex ijsdem fontibus argumentũ illud hauriemus; si locorum vel corporum infinitas tollit Deum, igitur motu sempiterno, vel temporũ, quæ à motu pendeant, infinitate posita, Deus tollatur necesse est, cùm motus sempiternus complectatur infinitatem seculorum, ex quibus si fluxerint annorum sexcenta millia, ne momentum quidem erit infiniti ratione. atque in eo fallitur Scaliger, qui Philoponum coarguens, negat tempus actu infinitum existere, sed sola successione, ut formæ singulares. nõ enim prospicit infinitæ menti ac sempiterno illi Deo; nihil prius aut posterius esse: sed totum illud tempus quod sempiternum ponit, actu infinitum perinde ut præsens ac instans, quo finitur tempus, haberi: alioqui non esset actu mens infinita. rectè igitur Augustinus scribit, nihil in rebus, aut locis aut temporibus, aut motu, infinitũ esse præ-

ter Deum. Illud etiam nō minùs absurdum, si Deum primi orbis motorem fingamus, futurum est ut illum redigamus in ordinem earum quæ dicuntur intelligentiarum minorum, ac numen illud præstantissimæ mentis ijsdem actionibus impediamus, quibus inferiores orbium mentes; quod sine scelere ne cogitari quidem potest. cùm igitur Dei maiestas ab ordine animorum longissimè absit, sequitur primi orbis motorem non esse. ac proinde si mens inferior motrix est, officio quoque, potestate, actione, finita sit oportet. prætereà rerum ordo, series, ac dignitas postulat, ut quædam moveantur tantùm, veluti impuræ materiæ concreta: quædam moveantur ac moveant, ut orbes cœlestes, qui ab intelligentijs moventur, & vicissim hæc inferiora movent: quædam moveant dūtaxat nec moveantur, ut mentes quæ cœlos ac sydera circūagunt: sunt enim ipsæ immobiles, ut Aristoteles libro VI. de natura, demonstrat: extremum est, ut sit aliquid quod nec moveat nec moveatur; id autem Deus est. Ex quo intelligitur primum orbē ab alia mēte quàm à Deo moveri, à quo velut à fonte perenni ortum habuerunt mentes inferiores, à quibus orbes moveri cœperunt ac desinent, cùm sint finitæ. contrà quàm putat Ficinus, qui mentem hominis infinitam esse scribit. nam ista ratione cùm à Deo proficiscatur secunda mens, infinitum ab infinito manaret, quod naturæ principijs omnino repugnat. Quid autem absurdius est, quàm ea quæ sensu prædita sunt & corporea, cū intelligentijs; bona cū malis, infinita cū finitis, incorrupta cum caducis, denique tota ratione secum discrepantia, planeque contraria, eodem naturæ sempiternæ vinculo copulare? ut sit infiniti boni ac mali, Dei & cacodæmonis idem nexus? Illud quoque non leve est argumentum Scaligeri, quòd motus omnis vergit ad quietem, ut videre est in singulis rerum naturis. igitur orbes quoque cœlestes ad quietē inclinabunt: quod sine mundi obitu fieri non posse constat. hoc argumento mundum interiturum conclusit. sed de populari obitu intelligendum est: quoniā quies est

privatio motus in eo quod rursus moveri potest. ita quoque intellexit Leo Hebræus, Lactantius, ac veteres illi qui ante mundi huius ordinem, statum, figuram, putarunt omnia fuisse in rudi materia confusa. atque huc pertinet argumentum illud, quod Theophrastum conturbavit, ut videre est apud Philonem in libro quem inscribit, mundum non esse interiturũ. est autem eiusmodi; Partium ac totius eadem ratio sit oportet: igitur si mundi partes labuntur ac diffluunt, totum accidere necesse est aliquando; saltẽ occasu populari: ut cùm animantia, plantæ, stirpes, ab igne absumuntur, & vilissimam subeunt cineris naturam amissa nobiliore forma: idem quoque de cœlo iudicandũ. Proculus cùm in easdem angustias delapsus effugere non posset, hæc elementa, quęque ex his conflantur corpora, mundi partem esse negavit, sed apotelesma duntaxat, & velut appẽdicem, ut est apud Philoponũ. sed hæc opinio tam absurda, refutatione minus eget. videtur tamẽ Theophrastus ita dissolvere, ut occasum mundi futurum concedat, si quemadmodum singularia vicissim; ita quoque universa simul obirent: præciso enim digito, inquit Philo, nihil vetat quò minùs vivi possit. at non quæritur utrum membris quibusdam captus homo vivere; sed an pars ulla corporis vitam amittere possit: nam ex eo iudicatur corporis totius fluxa natura; quemadmodum ex aquæ guttula, sapor fontis neque enim partes homogeneas ab heterogeneis Theophrastus in illa conclusione distinxit. alioqui fatendum erit eiusdem animalis (est autem Academicorum omnium ac ipsius Theophrasti consensu mundus hic animal) alteram partem, & quidem corpoream, ita coagmentatam ut partim intereat, partim interitus sit expers. quæ tam ridicula mihi videntur, quàm quæ Aristoteles ex avorum memoria disputãs, neminẽ ait interitus cœli meminisse. at isto modo aurũ, vel adamantẽ, vel amiãthõ adamante duriorem, aut etiam ferrum illud quod in Darie nullis ignibus liquescere fertur, sempiternum affirmare, cùm nullus meminerit hæc à seipsis interitum sensisse. Ex omnibus

bus tamen omnium argumentis nullum maius viſum eſt argumento Philonis, quod ex abditis & ſacris Hebræorum fontibus manavit. Non eſt, inquit, Deus auctor ἀταξίας & confuſionis: ſed ordinis. ſi ergo mundi procurationem gerit, nō patietur labi ac interire. eadem cauſa Moſem Aegyptium impulit, ut diceret, Deum nulla individua præter hominem immortalem curare. idque Ariſtotelis & Alexandri doctrinæ congruit, qui non putant id interiturum quod immortali Deo curæ ſit, ex eoque fieri, ut formas quidem univerſas Deus tueatur, ſingulares fluxas & caducas negligat. eadē ratio Manichęos impulit, ut duo pari poteſtate principia ſtatuerent, unum bonorum omnium & ordinis; alterum malorum, interitus & confuſionis auctorem. quod ut Moſes Aegyptius & Auguſtinus effugerent, interitum, mala, confuſionē, non in habitu, ſed in pura privatione boni collocarunt. ſi tamen ex Ariſtotelis doctrina malorum habitus ſtatuamus, ut theologi plerique, non video quid abſurdum conſequatur, cùm Deus non propterea mali ac interitus cauſa ſit per ſeſe, ſed κατὰ συμβεβηκὸς tantùm, ut cùm ſcelerati curam omittit, aut etiam viri boni, ut de Iobe fertur: idem principi tenebrarum permittit, qui ſceleratum & nefarium hominem malè perire faciat. hæc Moſis Aegyptij opinio eſt. idem quoque de interitu mundi ac omnium rerum iudicandum videtur: quarum curam ſimulac deſerverit, collapſuræ ſunt. ac ne quis ea de re dubitaret, ipſe Pharaonem, quem Hebræi principem tenebrarum interpretantur, ſibi excitaſſe dicitur, ut in eo ſuam gloriam oſtentaret: ut quæ hic labefactaret & corrumperet, ipſe inſtauraret. Sed placet Philonem Hebræum ac Platonem Leonis Hebræi argumento efficaciſſimo convincere. aiunt illi cœlum ac ſydera, quæque creata ſunt, ob id interitura, quòd ortus ſui principium habuerūt. igitur Deus ſibi ipſe repugnaret, qui corruptibile aliquid feciſſet, quod tamen corrūpi nollet. quòd ſi verum eſt ex igne & aqua cœlum eſſe concretum, ut Philoponus ex Academicorum ſententia diſputat,

ac Hebręi ſapientiſſimi naturę interpretes affirmant: id enim voce ipſa, שמים, id eſt, אש מים, vel ut alij, שם מים ignis & aquæ rationem complectūtur: quis dubitet cœlum quoque interiturum? id quod Ariſtot. ne fateri cogeretur, quintam cœlo tribuit naturam, quæ qualiſque ſit nuſquam explicat. non debuit igitur ignota cœli natura ſempiternum affirmare. Sit igitur hoc poſtremum, ne omnia differantur, quod qua ratione diſſolvi poſſit non video; Si mundus naturale corpus eſt, ex materia formaque conſtat, ut omnes phyſici tradunt: ac proinde concretus: nihil autē concretum & partibus coagmentatum à ſeipſo effici potuit, ex ipſius Ariſtotelis diſciplina. igitur cauſam habet ſui efficientem. illud quoque Ariſtoteles confitetur: quem Cardanus parum aſſecutus, Deum mundi cauſam efficientem eſſe negavit: quod nec philoſophū decuit, nec Chriſtianum. at ex his conſequens eſt ut mundi cauſa prior ſit effectu, non ſolùm ipſa natura, ſed etiam tempore: alioqui naturale corpus, & quidē ex heterogeneis, ſuique diſſimilibus partibus conflari poterit ſine tempore, ac ipſo momento; quod naturæ principijs & Ariſtotelis doctrinæ repugnat. igitur conſentaneum eſt non ſolùm mundo priorem eſſe Deum natura, verumetiam tempore; tum etiam mundum ex ipſa natura concreti corporis interiturū. Sed audire iuvat quid reſpondeant cùm ab illis quæritur, ubi tot annorum millibus Reſpublicæ ac imperia latuerunt, ubi tot ſeculis rerum memoria geſtarū: ad hæc; incendijs, aiunt, & eluvionibus in orbem ſæpe recurrentibus homines obire: ac viciſſim è terra novo calore ac ſemine gravida renaſci. hanc opinionem ab Aegyptijs acceptam Solon in Græcia diſſeminavit, quam deinde Anaxagoras, tùm Plato in Menexeno ac Timæo: pòſt Ariſtoteles in problematis: deinde Abenſina in libro de diluvijs confirmavit. tandem hæc Ariſtoteli diſplicuiſſe videtur opinio libro I. meta. & Abenrei lib. III. de animo; ubi negant ulla tāta fuiſſe diluvia, quę terras omnes inundarent. hac opinor ratione ducti, quod nulli hoc tempore ſativi

gygan-

gygantes, at ne exigui quidem Myrmidones, ut olim, e terra prodirent. an quia non satis pingue solum? negabit Aristides, qui in Panathenæis solos Athenienses de generis nobilitate iure gloriari putat, quòd soli sint indigenę terræ parentis, id est, αὐτόχθονες, quanvis Attico solo nullum magis sterile videatur. at in Aegypto ubi sunt aquarum uberes inundationes, ac tellus, ut ait Poëta, sine nube ferax, id nunquam contigisse proditum est. an quia sol decrepitus est, aut tellus effœta? quoties igitur mundum hunc velut animal hydropisi, aut acuta febre corripi putant, cùm incendijs & eluvionibus labefactatur, profectò materiã vetustate; mundum senio interiturum confitentur. atque id universa natura perspicuè demonstrat. Plinius libro VII. tradit omnes scriptores conqueri genus hominum nec multitudine, nec magnitudine, nec robore, cum veteribus posse comparari. quo fit ut fabulosa nostris Imperatoribus videantur, cùm audiunt Xerxis innumerabiles exercitus, aut Alexandrũ magnum ac Cęsarem mox trecenta, mox etiam quadringenta millia hominum uno prælio fregisse: quæ tamen sacris literis consentanea sunt. Creta verò quæ ab Homero ἑκατόμπολις dicebatur, Centum, inquit ille, urbes habitant magnas, vix hac ætate tripolis dici potest. quinetiam Diodorus scribit, olim in Aegypto decem & octo millia civitatum illustrium in sacris libris comprehensa: postea Ptolomęi Lagi temporibus, tria millia extitisse, hàc verò ætate vix in Aegypto & Asia tot restare feruntur. sanè magnitudo incredibilis ossium, quæ etiamnum his tẽporibus integra servantur, certissima sunt miræ magnitudinis hominum argumenta. Sed ex omnibus nihil admirabilius est, quàm quòd ad sempiternam posteritatis memoriam, Copernicus in libris revolutionũ, deinde Reinoldus, pòst etiam Stadius, mathematici nobiles, perspicuis demonstrationibus docuerũt, Solis apsida terris esse propiorem, quàm Ptolemæi ætate (floruit autem Adriano principe) duodecim partibus, id est, uno ac triginta terræ semidiametris, vel, ut Ger-

mani suis spacijs metiuntur, xxvj. millibus sexcentis & sexaginta milliaribus Germanicis, quę Gallicis altero tanto maiora feruntur. id autē cùm usu frequenti & explorata demonstratione compertum haberet. Philippus Melanchthon, ad cœlestium, terrestriumq; corporum tabescentem naturam referendum putavit: ut hæc elementa solis calore commodius foveantur. quod Scaliger cùm audisset, flagris dignos putavit qui talia scribunt. ipse flagris indignus erat, quòd earum rerum ignorantia, sæpe, & quidem pueriliter, lapsus est. Cùm igitur fluxa sit & caduca materia cœlestis, efficitur illud quoque, ut orta fuerit, & aliquando sit interitura. quæ cùm ita sint, tempora suas origines & exitus habere constat. id autem est quod quęrebamus.

Temporis series. Nunc temporum ratio nobis est ab orbe condito ex historiarum monimentis haurienda; quod ex aridis fontibus Græcorū fieri nullo modo potest. cùm enim historia Troiana nullam habeant antiquiorem, quam tamen Thucydides magna sui parte fabulosam esse tradit, & cùm Homerus ipse post Orpheum & Linum antiquissimus scriptor, ducentis annis à bello Troiano claruerit, consentaneum est vulgi errores ac fabulas pro vera historia tradidisse. ut ut sit, Plutarchus à Theseo principū vitas auspicatus superiora fabulis confusa esse affirmat. fertur autem Theseus ante Romulū annos circiter quingentos claruisse, Abimelecho Hebræorum duce: qui annus est ab orbe condito bis millesimus ac septingentesimus supra quadragesimum. ab alijs igitur quàm à Græcis temporum vetustatem exquiramus. at ex omnibus aliarum gentium scriptoribus antiquiorem Mose video neminem. Herodotus antiquiss. Ctesias, Hellanicus, Xenoph. temporibus ęquales, annis mille octoginta Mose iuniores sunt. Herodotum proximè sequitur Thucydides. deinde Berosus Caldæus Herodoto iunior annis ducentis. Berosum excepit Manetho Aegyptius; tum Metasthenes Persa, temporibus Alexandri magni. horum tamen exigua fragmenta restant, si modò

dò ab his ſcripta ſunt. de Metaſthene & Cteſia minus ambigitur, niſi quòd hic à Diodoro libro III. reprehenditur, in regibus Aſſyriorum: laudatur ab eodem in hiſtoria Perſarum. contrà quàm Euſebius, qui rectè Aſſyriorum, negligenter Perſarum tempora collegit. itaque ad Ioſippum Hebręum Mathatiæ non Gorionis filium (quem Munſterus eundem eſſe putat, cùm ex bello Iudaico apertè refellatur) recurrendum nobis erit. hic enim duobus libris adverſus Appionem antiquiſſimos hiſtoricos, qui tum in manibus tenebantur, cum Moſe cõtulit, & iuſtis ponderibus examinavit. ex quibus illud primùm intelligitur, falſum eſſe quod Appio è Timæo Platonis arripuerat; Aegyptios ſcilicet annorum octo millium hiſtorias in monimentis habere conſignatas: abſurdius etiam quòd Herodotus tredecim annorum millibus apud Aegyptios regnatum audierat: abſurdiſſimum quod Cicero in libris de Divinatione, à Caldæis iactatum ſcribit; ſe in periclitandis hominum ingenijs, annorum CCCCLXX. millia poſuiſſe. Diodorus aſcripſit, CCCCIIII. libro iij. ſed id fabuloſum eſſe affirmat. Ioſippus verò certiſſima temporũ ratione collecta ex hiſtoria Phœnicum & Manethonis, qui Aegyptiorum arcana literis ſacris comprehenſa pervulgarat, Aegyptiorum & Græcorum fabulas inanes apertè confutat, deſcriptis ætatibus regũm Aegyptiorum ac Phœnicum. quanquam Diodorus ante Ioſippi ætatem in Aegyptum profectus, ut populi antiquitates penitùs intelligeret, comperit omnem, quæ de Aegyptijs haberi poterat hiſtoriam, tribus annorum millibus ac ſeptingentis comprehenſam, idque teſtatus eſt lib. II. ubi refutat Aegyptiorum mendacia, qui ut generis antiquitate cæteris prȩſtare viderentur, trium ac triginta millium annorum antiquitates ſe habere prædicabant. ego Diodori tempus illud de arcanis Aegyptiorum veriſſimè expreſſum contuli cum hiſtoria Philonis, quam doctiſſimi quique ſequuntur: ab eoque ducentis circiter annis diſcrepare intellexi, detracto temporis ſpacio quod inter Philonem ac Diodorum intercedit, in

est, centum paulò minus annis. nam ab orbe condito ad Philonem (qui legatus ad Caligulam missus est ab Hebræis) numerantur annorum quatuor millia. maius etiam argumentum ex Simplicio collegi. is enim tametsi Hebræorum & Christianorum se acerrimum hostem prębet, præsertim ubi Proculũ adversus Christianos tuetur; nihilominus in commentarijs libri primi de cœlo testatum reliquit, Aristotelem literas ad Calisthenem dedisse, ut tantisper Caldæorum antiquitates ac monimenta conquireret, dum alij prædæ intenti Babylonem diriperent tum Calisthenem rescripsisse, conquisita diligenter à se Caldæorum monimenta, seque reperisse historiam annorum M. D CCCCIII. qui numerus ad unguem congruit cum sacra historia Mosis & Philonis, si ab Alexandro magno regrediamur ad illud tempus quo primùm dispersos tradit Nohæ filios in orbem terrarum, ac Semi gentem in terra Sennaar, ad orientem Armeniæ, in qua navis illa salutaris constiterat, sedes quæsisse. est autem Armeniæ orientalis Caldæa paulũ ad meridiem vergens. Hoc igitur imprimis animadversione non minus quàm admiratione dignũ est, quòd Calistheni ac Mosi, qui è purissimis fontibus veritatem hauserũt, convenit, quod attinet ad universam temporis rationem. id quoq; proximè Diodoro congruit, si tempus ab orbe condito repetamus ad suam usq; ętatem. nec minor est Xenophontis de æquivocis, & Archilochi de temporibus (si modò fragmenta illa scripserunt) congruẽtia cum Mose. nam uterq; Ninum imperasse scribit post diluvia C C L. annos: & alter quidem id colligit ex epitaphio Nini, quod ei Semiramis inciderat in columna. id verò tempus rationibus Philonis & Hebræorũ planè respondet. Ad hęc Metasthenes Persa, ex ipsius Berosi Caldæi testimonio, eius, inquam, qui tum integer & incorruptus extabat temporum seriem ab extrema regum memoria repetens, paululum admodum discrepat ab Hebręis. sed illud memoratu dignum est, quòd Iosippus adversus Appionem docet, eluviones Berosi scriptis comprehensas fuisse, &
ne-

navim illam, quæ animantium ac generis humani seminarium conservarat, in monte Cordiæo conquiesse, ut etiamnũ Alexandri temporibus adhuc fragmenta restarent, unde bitumẽ ad expiationes colligi solebat. atque hæc Hieronymi quoque Aegyptij ac Mnasæę Damasceni auctoritate confirmat. quanquam I. Buteo Delphinas geometrica demonstratione perspicuum fecit, navis illius magnitudinẽ longè capacissimam ad alimenta omniumq; animantium salutem extitisse. Omitto quòd veteres Poetæ rei veritatem à maioribus acceptam ad fabulas inanes transtulerunt. nam Ianus ab illis est appellatus, quòd vinum iain Hebræis dictum, invenisse diceretur. ut illud quod sacræ scripturæ de Chamo, qui patris pudẽda revelavit, ad Iovem traduxerunt: alij ad Saturnum, quòd alteruter patris genitalia exeruisset. at Hebræorum pleriq; interpretes de Chamo idipsum prodiderunt, ut scribit Rabi Levi ad Genes. cap. IX. consimilis est historia Gigantum, & Androgyni, quam omnes Hebræorum interpretes, verissimam esse aiunt. Plato ad. fabulas detorsit. Nullum autẽ ad sacram temporum historiam confirmandam, certius argumentum improbis opponi potest (neque enim talibus argumentis egent boni) quàm quòd Berosus Caldęus ab ipso Noha usque ad Sardanapalum: hinc Metasthenes ex historia Susiana usque ad Alexandrum: quinetiam Ctesias antiquissimus ab Herodoto, quique ab ipsa regia Persarum annales in Gręciã detulit, teste Diodoro: postremò ipsius Manethonis Aegyptij tempora cum sacris literis, & cum Calisthenis historia ita conspirant, ut Caldæorum & Hebræorum cum Aegyptijs discrimẽ omne, non maius trecentorum sit annorum. quod tamen mirum videri debet, in tanta scriptorum multitudine ac varietate annorum. nam Iosippus ex antiquissima historia Phœnicum (è quibus Græci scribere ac loqui didicerunt, ut ipsi confitentur) planum facit, templum à Salomone conditum annos ante Carthaginem fundatam CXL. idque collectis regum singulorum ętatib⁹. deinde Danasi Ramesis Aegyptij

fratrem

fratrem, vetustissimum Græcorum principem ex Aegypto in Græciam profugisse, anno CCCXCIII. post occupatam ab Hæbræis Palæstinam: & ante excidium Troianum annos CCC. idem quoque docet Cadmum Thebarum conditorem, literas in Græciam detulisse iisdem temporibus, quibus floruit apud Aegyptios Pharao Menophis; apud Hebræos Othoniel dux à Mose tertius. regum verò æras ex Manethonis Aegyptij fontibus & historia Phœnicum se hausisse, Appioni adversario testatur. neque enim talis tantusque vir in historia ipsi Appioni comperta mentiri vellet. Herodotus, qui Manethone antiquior est annis ferè D. ac Diodorus Herodoto iunior annis DCCC. eosdem ferè principes Aegypti complectuntur, quos Hieremias; cuius historiam Herodotus ad verbum sequi videtur post Apryem, quem Hieremias Ophrea vocat, cuius temporibus floruit. postea persequitur Herodotus consequentium regum ætates usque ad Psammenitum, qui à Cambyse rege Persarum captus est, ac regno spoliatus. deinceps Aegyptum tenuerunt Persæ. desinit autem Herodotus in fuga Xerxis, quæ contigit anno mundi termillesimo CCCCLXXXVI. cœperat autem à Gyge principe Lydorum, qui eodem quo Manasses tempore imperavit. sed cùm Aegyptiacæ historiæ tempus sibi breve videretur, præ illa quæ ferebatur annorum octo millium historia; illud scribit, Aegyptios iactare se ante Menam, qui primus ab eo rex Aegypti appellatur, ac XXX. regum historias habere sacris literis consignatas, nec tamen ullius nomen ab ijs vel acta commemorantur. sed cùm multis argumentis huiusmodi fabulæ refelli possint, tum verò nullum maius est, quàm quòd Cl. Ptolemæus homo Aegyptius, syderum inerrãtium radices & ἐποχὰς è Nabonassare velut ab ultimo principio & antiquissima Caldæorum observatione repetit. claruit autem Nabonassar, qui Salmanassar appellatur in libris regum, anno mundi ter millesimo; ante Ptolemæum DCCCCLXXX. ut ipse in libris magnæ constructionis scribit. cætera quæ ab Hyparcho, Methone, Eudoxo, &

Aegy-

Aegyptijs didicerat, his temporũ curriculis sunt comprehensa. quòd si Aegyptij aut Caldæi motus cœlestes annorum CCCCLXX. millium in tabulis notassent, cur Ptolemæus Aegyptius Caldæis proximus, annorum duntaxat octingentorum motus collegisset? hoc enim ad eas, quas susceperat demonstrationes maximè necessarium fuisset. at ignotos inerrantium syderum & trepidationis motus reliquit: ut Arabes primùm, deinde Regiomontanus & Copernicus perspicuè demonstrarunt. ne Solis quidem motus omnes assequi potuit; cùm negaverit Solis apsida moveri, quæ tamen post ætatem Ptolemæi, id est, annis mille trecentis sexaginta signum integrum percurrisse deprehenditur. Sed non desunt qui calumniantur ea quæ de hominum ætatibus à Mose scripta feruntur, quanquam Moses seipsum ab illorũ calumnia facilè vindicabit: nihilominus tamen Iosippus libro I. capite III. antiquitatum decem historicos laudat, qui vitam hominum tradunt modò sexcentos, modò nongentos annos superasse: Manethonem, inquam, Berosum, Mochum Hestiæum, Hieronymum qui Phœnicum veteres historias collegit; Hesiodum, Hellenicum, Acusilaum Ephorum. his etiam addemus Xenophontem, cuius auctoritate Plinius ac Valerius utuntur, is enim regum maritimorum ætates aliquot complexus, unum quidem vixisse tradit annos DC. alterũ DCCC. quis igitur tot ac tam multis scriptoribus fidem derogabit? quòd si quis putet annos menstruos fuisse, ut plerique pueriliter putant, quid mirum videri debuit Xenophonti regem maritimum annos menstruos DC. vixisse, qui Solis annos efficiunt quinquaginta? nam ipse Xenophon nonaginta superavit. quin etiam senescente hac mundi ætate multorum scriptorum consensu proditum est, Ioannem, qui de temporibus est appellatus, annos CCC. implesse. Plinius quidem ex certissimis tabulis Censorum, quosdam annos CL. vixisse refert. quòd si menstrui anni fuissent, oporteret homines apud Mosem, qui anno trigesimo libros sustulerunt, bimos ac trimos genuisse.

ſed eo nos errore liberavit Moſes,qui ſeptimo cap. libri originum dies CCCLXV.annua converſione complectitur.itaque Plutarchus eos irridet, qui putāt ante Numam Romanos annum decem menſibus circumſcripſiſſe, propterea quòd populi omnes duodecim menſibus annum ſemper definierunt, quamvis dies exemptiles numerandi rationem redderent incertam. Iam origine mundi temporumq́ue finibus conſtitutis quæ ex Aegyptiorum,Chaldæorum,Phœnicum, & Hebræorum conſenſu, annorum quinque millibus & ſeptingentis ad ſummum definiuntur, reſtat ut illam annorum circiter ducētorum aut CC. diſcrepantiam quæ Metaſtheni cum Hebræis, tum etiam Hebræis inter ipſos, pòſt etiam Euſebio cum reliquis intercedit,quoad eius fieri poteſt, excutiamus: tametſi Lucidus,Funccius, & Onuphrius multa diligenter in eo genere ánimadverterunt, multa ſunt tamen quæ adhuc reſtant explicanda. Erroris autem origo multiplex eſt; eaque perſpecta faciliùs error emendatur.Primùm enim Perſæ aliter atque Græci: & Hebræi aliter quàm utrique Perſarum & Aſſyriorum principes appellarunt.ab ijs etiam Aegyptij diſcrepāt, ut ſui quiſque idiomatis vim ac puritatem retineret. interdum etiam nomina detorſerunt, hinc natæ ſunt illæ quæſtiones de regibus Aſſyriorum, Perſarum, & Aegyptiorum:à quibus ratio temporū ducebatur. Alius etiam error inde manavit, quòd Græci & Latini, Hebræorum & Aegyptiorum antiquitates & linguam ignorarunt. Euſebius Græcorum bibliorum interpretes ſecutus, ducentos ac mille ampliùs annos quàm Hebræi complexus eſt ab orbis conditione ad Chriſtum,& cùm Moſes ab orbe condito ad diluvium poſuerit annos MDCLVI.Euſebius bis mille CCXLI.propterea quòd ſeptuaginta interpretes vel potiꝰ librarij, quinto cap. Geneſeos vitam hominum ducentis interdum ac trecentis annis longiorem fecerunt, quàm Hebræorum ſcriptura patiatur.erroris etiam non minima cauſa videri poteſt;quòd Græci annos ab æſtivo ſolſtitio incœperūt: Latini ab hyberno:cæteri qui ad occaſum

occasum,à verna sectione: Arabes ab ingressu Solis in Leonem, ut Solinus & Firmicus lib.iij.tradit. Orientales verò,id est Caldęi,Persæ,Indi, Aegyptij,Hebręi ab autumno: quo tempore mundus est à Deo creatus, ut Iosippus lib. I. antiquitatum,cap.iij.scribit,& Rabi Eleazar in Genesim: בראשית.hoc est,initio,בתשרי, id est,mense Septembri arcanum mensis eadem literarum conversione complecti putat. id etiam confirmat Rabi Abraham,in cap.viij Danielis:tametsi Moses Nisan,qui Xanticus Macedonibus, Latinis verò Aprilis dicitur,ordine primum posuerit, quòd Deus eo mense populum liberasset, nihil tamen in reliquis immutavit, ut Iosippus testatur. atq; id intelligi potest ex eo quòd iubet Moses Exod. cap.xxiij. diem festum coles,inquit,in exitu anni,cùm fruges in horrea congregaveris. quare fallit Garcæus, qui Hebræos à sectione verna cœpisse tradit,quòd mundum eo tempore creatū putarent,ut Rabi Iosue,quem refellit Rabi Eleazar. Plutarchus in sympoşiacis quęstionem illam disputat, sed omissa disputatione, si Veris initio fruges inchoatæ non maturæ fuissent, eodem modo animantia imperfecta aut lactentia Deus fecisset,ac nutrices adhibuisset. Non minus labitur Mercator, qui mundo nascente Solem in Leone fuisse putat,eoque fundamento malè iacto, cætera quę de sydcrum motu ad historiæ fidem retulit,ruinam minantur. omitto leves oleæ coniecturas post eluviones: & cætera id genus quæ leviora sunt,quàm ut refelli mereantur. Fides igitur sit penes Mosem,penes Hebræos,qui in privatis ac publicis negotijs à Septembri mense incipiunt, ut etiam Græci, quod planum fit etiam ex ὡρολογίᾳ Mitylenensi. Hanc quoq; causam erroris fuisse constat,quòd Aegyptij,Persæ ac Hebræi,certam ἐποχὴν, seu radicem temporum nullam haberent, sed regum ætatibus tempora definirent. Græci ac Latini meliùs: alteri ad Olympiades: alteri ad Vrbis conditionem tempora retulerunt. Christiani quoq;, quanquam serò admodum,id est,anno Christi sexcentesimo, temporum rationem à partu Virginis ordiri cœ-

perunt. Arabes ab Hegira, id eſt, ab expeditione Muhamedis, quæ cœpit anno Chriſti DXCII. & hoc anno MDLXV. numerant annum DCCCCLXXXVIII. nec alia radice utuntur, ut videre eſt in hiſtoria Leonis Afri, qui uno tantùm loco libri tertij, Hegiram ad annos Chriſti accommodavit; & ex eorum edictis, quæ promulgata vidimus. Ex quo intelligitur eos labi ac decipi, qui Hegiram ab anno Chriſti CCCCXCI, vel ut Genebrardus ab anno DCXXI, auſpicãtur. Hiſpani verò non ita pridem, id eſt, ante Ferdinandum, qui Catholicus eſt appellatus, anno MCCCCXC temporum originem ac veluti radicem, quam ipſi æram vocant, ab anno imperij Auguſti xvj. quo promulgatum eſt edictum Taracone, ut deſcriberetur univerſus orbis. cenſus tamen factus anno imperij XLII. ex quo intelligitur xxvj. annis ante Chtiſti nativitatem incœpiſſe, ut ſcribit Gerundenſis. Rodericus verò Toletanus capite ult. xxviij. annorum diſcrimen facit. Sed concilia quæ habita ſunt in Hiſpania; Gothis imperantibus, ſumunt exordia temporum ab anno, quo edictum promulgatum eſt. poſt Ferdinandi tempora, rationem annorum Chriſti ſecuti ſunt. pòſt etiam Hebręi in actis publicis & privatis temporum ἐποχὴν ab orbe condito uſurpare cœperũt. eſt autę quinquies milleſimus trecẽteſimus ac vigeſimus quintus, anno Chriſti MDLXV. qui Philonem ſequuntur, ducentos ac duos annos adijciunt, ut ſit hic annus mundi, quinquies milleſimus trecenteſimus & XXV. Olympiadis verò CCLIX. annus quartus: diluvij termilleſimus octingenteſimus ſeptuageſimus ſecundus: Hegiræ milleſimus ac dciemus quartus: Indictionis octogeſimæ quartę annus decimus. his enim numeris in hiſtoria univerſitatis utendum eſt, ut tempora ſint ubique certiora. eſt autem Indictio tributi genus apud Aſconium & Plinium iuniorem, nec temporis curſum ſignificare cœpit ante Conſtantinum Magnum. cœpit autem anno Chriſti CCCXIII. ante diem viij. Calend. Octobr. Conſtantino II. & Licino II. Augg. Coſs. idque in faſtis Græcorum ſcriptum eſt his verbis;

bis; ΙΝΔΙΚΤΙΟΝΩΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΙΑΝΩΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ ΑΡΧΗ. quo die Maxentius Augustus a Constantino magno cæsus est, & pax ecclesiæ Christianæ restituta. Itaque decretum est in concilio Niceno, ut diplomatibus Indictiones ascriberetur, ut scribit Bedas: propterea quòd nondum anno Christi utebantur, sed annis Imperatorum; qui quòd identidem mutarentur, planè incertam reddebãt rationem temporum. decretum est etiam ut circulus Indictionũ caperet xv. annos ut Olympias una quatuor. Sed errandi causa nulla maior fuit, quàm ex ignoto solis ac lunæ cursu: in quo tametsi omnis antiquitas se valde torsit, efficere non potuit, ut certam annorũ ac mẽsium rationem haberem⁹. nam Leostrati ὀκτοετηρίδες mendosæ repertæ sunt: nec usum ullum præbuerunt: & aurea quæ dicitur regula Metonis novendecim annorum, fallax; adeò ut anno pòst CCCXVIII. dies unus ac ferè XVIII. horæ superarent, quo solis cursus lunam anteibat. fallax etiam Calippi annus: mendosæ Hyparchi regulæ trecentesimo quarto pòst anno unius horę errorem indicarunt, nec multò certior Philolai ac Democriti ἐμβολισμοί. postremò Cęsaris annus hoc habet incommodi, quòd lunares sustulit, & nunc plenus est erroris. nã paulatim æstivæ feriæ ad hibernos menses regrediuntur. Cùm igitur in tantis erroribus cælestium motuum, Græci Solis annum haberent, sed annis lunaribus uterentur dierum CCCIIII. quos tamen altero quoque ac tertio anno intercalarent, ũno die superante; prӕter mensem intercalarem, qui nunc tertio, nunc quarto quoque anno inserebatur, nec æquinoctiorum, nec solstitiorum ulla ratio haberi poterat, cùm menses per totum annum vagarentur spatio annorũ XXXIII. Romani verò multò graviùs in eo genere peccarunt, qui primò annum diebus quatuor ac CCC. constituerunt, ut quidam putant (quod tamen negat unus Plutarchus) deinde adiectis à Numa duobus mensibus lunares anni facti sunt: sed intercalarium tanta extitit varietas & cõfusio ut ratio fastorum mox hibernis, mox etiam æstivis mensibus

immutaretur, auctore Tranquillo. Hebræi quidem lunaribus utebantur, sed tertio quoq; anno mensem intercalarem inserebant, qui ab illis Vaadar dicebatur, id est, geminatus Adar. quare Garcæus in eo labitur, quòd Hebræos æquè ac Aegyptios annis solaribus usos scribit. nam Aegyptij annum æqualem habuerunt dierum CCCLXV. sed tamẽ is qui superabat quadrans, efficiebat ut annis mille CCCCLX. totius anni conversio in orbem rediret, & annus canicularis integer intercalaretur. quanquam magni errores consequebantur, quòd integrum diei quadrãtem caperent: qui tamen ab integro deficiebat, ut posteà docuit eventus. Quæ cùm ita sint, non mirum si in tanta annorum discrepantia, certa ratio temporis iniri non posset: ac Theodorus Gaza vehementer fallit in libello de mẽsibus Atticis, tum etiam Græcorum ac Latinorum interpretes, cùm hi suos cum illorum mensibus comparari posse putant, qui tam instabiles fuerũt, ut semper incerti vagarentur idque argumento sit, quòd annus lege Iulia definitus, qui omnium certissimus habetur, solstitiorum & æquinoctiorum sedes antevertit à Cæsaris ætate diebus circiter XIIII. & frustrà in motu exæquando laboratur: sunt enim meo iudicio motus cœlestes ineffabiles & ἄρρητοι; vel, ut mathematici loquuntur, surdi: quia nullis numeris comprehendi possunt, quin semper aliquid relinquatur numerandum, idque videre est in singulis conversionibus planetarũ. quæ igitur certitudo esse potuit ante legem Iuliam in tanta dierum ac mensium interiectione? Illud tamen animadversione dignum, quòd ab orbe condito una fuit & eadem apud Hebræos, & Caldæos anni observatio, qua nunc etiam Arabes utũtur: scilicet dierum CCCLIIII. collectis tertio quoque anno diebus epactarum; idq; ex sacris literis facilè constat. consimiliter Aegyptij anno caniculari superantes dies semper inserebant. quo fit ut ab illis in vniverso temporum & annorum numero, qui ab orbe condito fluxerunt, nihil admodum peccari potuerit: quamvis in singularibus principum actionibus, victorijs: aut initio aut exitu im-

itu imperij cuiusq; à Græcis dissideant,& utriq; à Latinis;atq; hinc illa tam diuturna, quæq; nullũ exitum reperire potést,scriptorũ inter se disceptatio de Christi morte. alius quidẽ ante diem vj.Calend.April. alius A.D.vij.ut Onuphrius.plerịq; A. D.iiij. ut Lucidus, qui disputationẽ ea de re instituit. neq; solùm de die, verumetiam de anno discrepãt inter se plurimũ. nam Bedas, Chrysostomus, Nicetas, Gauricus, Albertus magnus, Bernardus Mutiliensis, Onuphrius, anno xxxiiij. passum fuisse. Apollinaris,Lucidus,Lyranus, Marianus Scotus,Paulus Burgẽsis xxxiij. Tertulianus, Irenæus xxxj. Non minor est quæstio inter Græcos & Latinos;tum etiã Latinis inter ipsos de anno Vrbis conditę:quod cùm planè definiri non potuerit,Onuphrius in fastis,ex omnibus sententijs duas verisimiliores collegit, & utrãq; fastis adiunxit,ut quã quisq; vellet sequeretur,unius anni discrimine relicto.in cæteris quidem principũ actionibus & rebus memoratu dignis, tempora minus diligenter notare leve est:sed quũ in imperiorum initijs,aut in Aerã,seu temporum radice peccatur,infiniti errores ex eo cõsequuntur.omnes tamen,quoad eius fieri poterit,emendari debẽt ex Hebræorum & Caldeorũ disciplinis,quæ nihil aut certè parum admodũ discrepant à Philone. nam Talmudici suæ sectæ nimium addicti,ut divinas sortes & oracula suo iudicio interpretarentur,ducentos annos de mundi ętate detraxerunt,ne cum Christianis convenirent. argumento est quòd Rabbi Nasso quoties Christi meminit, contumelia capitali vocat התלוי, & Christianos,גלוי ערים.hæc autem discrepãtia nulla est inter ipsos, ante mundi annum bis millesimum ducentesimum xxxix. qui annus est profectionis Iacob in Aegyptum. sed hinc ad exitũ numerantur anni CCCCXXX. idq; disertè traditur Exodi xij. Galat. iij. quo loco Iosippus lib.ij.cap vj.tum etiam Philo ac Rabbi Levi Gersonis filius,tempus illud annorum CCCCXXX. incipere aiunt à profectione ipsius Abrahæ in Aegyptum, cùm natus esset annos LXXV,I. ex quo Iacob in Aegyptum venit unà cum fa-

milia usque ad exitum, numérant annos CCX. atque in eo ferè omnes Hebręi consentiunt: quos Philippus Melanchthon, ac eruditus quisq; sequitur: excipio Genebrardum, eruditione ac pietate præstantem virum. is enim verba scripturę mordicus tenet: Funccius errorem irrepsisse putat in verbo [illegible] pro [illegible], ut etiam Theod. Beza, id quidem in epistola Galatarum & Actorum, quæ Græcè scriptæ sunt, fieri potuit: sed locus Exodi Hebraicè scriptus, hunc errorem non admittit. in hac igitur disputatione tutius est Hebræorum interpretationes tueri, præsertim cùm Metastheni ferè congruant. idem quoq; in reliquis faciendum puto, quod & Philo proximè fecisse videtur. huic ergo magis assentior, cùm ab exitu Hebræorum ad templi conditionem annos enumeret DCCCCXX. Iosippus verò MLXII. lib. x. cap. xij. ille à templo condito ad eius eversionem CCCCXL. hic CCCCLXX. iuniores Hebræi CCCCXIX. Philo medium ferit. idem ab orbe condito ad excidium templi, complectitur annos ter mille CCCLXXIII. Iosippus ter mille DXIII. ille à diluvio ad eversionem templi MDCCXVII. hic verò M. DCCCCXIII. interpretes Hebræi multò pauciores utroque. sed tamen Philo mediam rationem secutus est: ut igitur inter se côciliari possint, rejiciamus primùm Alphonsi tempus ab orbe condito, ad hoc usque tempus, id est, anno Christi M. DIXV. octo millium & DXLIX. annorum, cùm suæ opiniônis nullam afferat rationem: ut nec Eusebius cuius testimonio sex annorum millia DCCLX. ab orbe condito fluxerunt. ex Augustino sex millia DCCCCXVI. ex Beda vj. millia DCCCXCIII. ex Hieronymo vj. millia DCV. ex Theophilo Antiocheno vj. millia DCCCXXXI. ex Isidoro viij. millia CLXXI. Hebræos, Caldæos & Persas amplectamur, ex quorum historia nondum ab orbe condito fluxerunt annorum v. millia DCCXXX. sive Metasthenem, sive Ctesiam, sive Herodotum, sive Berosum, cum Hebræis coniungamus. Inter Hebræos, Baal Seder ab orbe condito ad hoc usq; tempus complectitur annorum quinq; millia

lia CXXXIII. Rabbi Nasso quinq; millia CLXXII. Rab. Gerso & Kimhi quinq; millia CCCI. Hebræi iuniores quinq; millia CCCXLIX. Philo quinq; millia DCXXVIII. Iosippus quinq; millia DCCXX. discrimen igitur est inter Iosippum & Philonē certissimos scriptores, annorum circiter ducentorum, idq́; contigit propter eum quem dixi locum Exodi cap. xij. quē Iosippus ad vivum resecat: sed cùm cæteri bibliorum interpretes tempus illud annorum CCCCXXX. incipiant à profectione Abrahæ in Aegyptum usque ad Mosem: tum etiam Ctesiæ ratio cū Philone proximè consentiat: Philo verò medium feriat inter Iosippum & Talmudicos scriptores (hos enim superat annis CC. ac totidem à Iosippo superatur) consequens est hunc cęteris omnibus esse veriorem nimis enim pertinaciter Hebræi iuniores tempora Danielis depravarunt, ut contra omnium scriptorū fidem, enumerent quinque duntaxat Imperatores Persarum, cùm Metasthenes, Ctesias, Græci deniq; decē fuisse tradant, collecta cuiusq; principis ętate. sed id fecerunt, ne ab oraculis Prophetæ perperam intellectis recedere viderentur. hos igitur refellere necesse est, tum Iosippi ac Philonis auctoritate; tum etiam orbium cœlestium motu, cuius certa radix est apud Ptolomæum in libris magnæ constructionis, à Nabonassaris dominatu, unde Astrologi, cùm nihil habeant in suis observationibus antiquius, incipere consueverunt. Hoc igitur animadversione dignum est, quòd ex illa motuum radice, universi temporis ordo ac ratio pulcherrimè congruit Hebræis, Caldæis, Græcis, ac Latinis; ab anno conditi orbis termillesimo ducentesimo decimo octavo, quo imperiū suscepit Nabonassar. hoc verò ita colligitur. Omnes historici fatentur Alexandrū magnum mortuum esse Olympiadis CXIIII. anno primo: at Ptolemęus à Nabonassare usq; ad Alexandri mortem legit annos CCCCXXIIII, id est, Olympiades CVI. quo fit, ut Nabonassar imperium acceperit Olympiadis octavæ anno primo: qui annus erat duodecimus imperij Achas regis Iudęorum, ut scribitur lib. 4. Re-

gum: Vrbis autem conditæ sextus. quippe iacta sunt Vrbis fundamenta, ut Varroni ac Dionysio placet, anno quarto sextæ Olympiadis. hæc igitur norma temporis universi neminem fallere potest; quanvis in singularibus actionibus sæpe dissideant alij ab alijs. tempora deinceps à Nabonassare usq; ad Adrianum (sub quo floruit Ptolemæus) certissima ex ipsius tabulis colliguntur. is enim libro 4. cap. ij. complectitur annos DCCCLIIII. ab anno secundo Mardocempedi (quem Hieremias Merodachum appellat) usque ad annum Adriani XIX. Quòd autem Nabonassar idem sit qui Salmanassar in sacris literis, planum fit ex eo quòd ab eversione Samariæ usque ad excidium templi, anni sunt CXXXIII. ex sacra Scriptura: unde colligitur Ezechiam imperasse annos xxiij. Manassem IV. Amonem ij. Iosiam xxxiij. Ioachimum xj. Sedechiam xj. is expugnata Hierosolyma captus est. at Ptolemæus ab initio Nabonassaris, qui Samariam cepit, ad excidium templi, comprehendit annos CXL. ait enim lib. v. cap. xiij. quintum annum Nabopolassaris (qui Nabuchodonosor in Scriptura vocatur) esse centesimum ac xxvij. Nabonassaris. igitur si addas annos xiij. eius imperij usque ad Vrbis expugnationem (capta est autem anno xviij. Nabuchodonosoris) conflantur anni CXL. qui numerus septē annis minor est eo quo utitur Scriptura sacra, sed excipiendi sunt anni Nabonassaris imperij usq; ad captivitatem. Ad hanc igitur regulam cœlestium conversionum, si universitatis historiam exigamus; planum fiet Metasthenem tempora breviora complecti: id quod accidit propter interregna, cùm inter se Principes Assyriorum & Caldeorum mutua bella crudelissimè gererent, & mox alius alium deturbaret, nec interim annorum ac temporis decurrentis ratio haberetur. argumento est etiā quòd nec Berosus, nec Metasthenes ullius interregnum aut menses cōplectuntur, sed annos duntaxat imperij cuiusq;, sine ulla certa radice motus. Ctesias scriptor diligens, menses & interregna non omisit, sed nihil habemus præter exigua fragmēta, hunc tamē Diodorus ac re-

reliqui sequuntur: quinetiã Plutarchus (qui Ctesiam mendacissimũ appellat in Artaxerxe) illi, quod ad tẽporũ rationem attinet, credẽdũ putat: præsertim cùm Herodotũ mendacij coarguat, & ab ipso Xenophonte (cuius temporibus floruit) à Strabone, Athenæo ac Diodoro laudetur. Manetho ac Dius in Phœnicũ historia, menses & interregna collegerãt, ut videre est apud Iosippum, sed historia Phœnicum penitus interijt: Manetho verò desijt in Olympiade quinta, quinq; annis ante Vrbem conditã, duodecim ante Salmanassarem: post eversionem Troiæ CCCXXV. cui Sempronij Romani tabulæ congruunt. Hæc verò discrepãtia nulla est apud Græcos & Latinos in ratione eius temporis quod ab Olympiade cœpit, cùm Vrbis conditio secuta sit Olympiade VI. ex quo facilè est Romanorum fastos cum Olympiade cõparare, usq; ad Gothorũ invasionem, quæ sub Odoacre cõtigit anno Christi CCCLI. tum ab Aera Christi certissima tẽpora huc usq; colliguntur. Restat igitur ut ab universa illa temporũ ratione regum ætates ac imperia deducamus, optimi cuiusque scriptoris habito delectu. Illud etiam admonẽdi sumus in historia legenda bissextilis anni habendã esse rationem, si usquã occurrat, ut præteritos aut cõsequentes annos certiùs ac faciliùs colligamus. ut quod Marcellinus scribit li. XXVI. Valentinianũ apud Ancyrã mortuo Ioviniano, Imperatorẽ creatũ VII. Cal. Martij, neq; die sequenti, quòd bissextilis dies fortè tùm esset, imperij insignia suscipere voluisse, bissexti diem tanquam infaustum metuentem. ex eo Marcellini loco, fasti Romanorum seditionibus ac interregnis cõturbati, emendantur ac restituuntur: cũ quarto quoque anno recurrat bissextilis. itaque collectis annis à Cæsare ad Valẽtinianũ relinquũtur anni CCCCVIII. à 4. Consulatu Cæsaris Dictatoris, qui bissextilem annum instituit: ab Vrbe verò condita mille CXVI. Hic verò Marcellinus, quem dixi, Ammianus nominatur, & Iuliani Augusti ætate vixit. alter Marcellinus comes V.C. Iustiniano principe Chronica auspicatꝰ est ab anno Vrbis conditæ MCXXX. eaq; Indictione & consu-

latu diligenter distinxit, quanquam Consules eo tempore esse desierunt, sed nomen in Imperatoribus resedit. ultimus omnium fuit Fl. Basilius iunior V.C. Cósul Orientalis, ánno Christi DXLI. cuius sæpe meminit Procopius in libris de bello Gotthorum. Hæc de ratióne universi temporis ac origine mundi, cuius exitus quando futurus sit, ne angelis quidem; certè mortalium nemini scitum est: nisi fortasse coniecturis Heliæ & Catinæ Rabinorum assentiamur. ij enim in libris Talmudicis, titulo Sanedrim, cap. Helec, tum etiã in titulo de idololatria cap. Libne, sex annorum milibus mundi ætatem definiunt, ex opificio mundi sex dierum: quam cóiecturam multi velut oraculum acceperunt, cùm Heliam Prophetam esse arbitrarentur. certè R. Isaac in cap. I. Genes. & cum Augustino lib. II. de Civitate Dei, illud vaticiniũ quasi cœlo delapsum amplexantur. hoc ampliùs etiam Leo Hebræus, quòd perpetua sex annorum millium vicissitudine; mundi elementaris conversionem, ac septimo quoq; millesimo quietem fore opinatur: quousq; quadraginta novem millibus annorum elapsis, quinquagesimus orbium quoq; cœlestium interitum sit, & quietem magni Iobelei allaturus. sed hæc subtiliùs inquirere, quę nec humano ingenio capi, nec ratione possunt, nec divinis oraculis probari, non minùs ineptum quàm impium videtur.

Qua ratione populorum origines haberi poßint.

CAPVT IX.



VLLA quæstio magis exercuit historiarum scriptores, quàm quæ habetur de origine populorum: nec plures interitus Rerumpublicarum, aut bella civilia sæpius gesta memorantur, quã pro generis claritate ac splendore cùm alijs opibus, aut scelere, aut maiorum

maiorum virtutibus parta nobilitate ſeipſos ab alijs ſponte divellerent,& eorum affinitatem repudiarent. extremum fuit arrogantię genus eorum qui humanę conditionis obliti,ſe à dijs ortos eſſe prædicarēt, quod non modò imprudentibus ac ſtultis contigit, ſed etiā ijs qui in ſumma ſapiētiæ ac virtutis opinione floruerunt. neque enim erubuit C. Cæſar in concione populi Romani iactare ſe materno genere,à regibus; paterno verò,à dijs ortum traxiſſe. quinetiam Ariſtoteles ad Aeſculapium & Apollinem retulit ſuum genus. hinc opinio divinitatis eorum,qui cùm homines eſſe deſijſſent,ſe deos fore arbitrarentur: atque hæc ſuperbia potentiorum,ad infimos uſq; manavit: qui quòd ſuæ originis initia neſcirent, aut peregrinorum odio diſſimularent; ſe indigenas terræ parentis,hoc eſt, αὐτόχθονας & γηγενεῖς,appellarunt. ſic enim Ariſtides in Panathenæis, ſupremæ nobilitatis decus Athenienſibus tribuit,quòd non aliunde profecti genus ab ipſa terra deorum matre traxiſſent. atque hic error non modò veterum ſcriptorum,ſed etiam iuniorum adeò communis eſt,ut Polydorus,prudēs alioqui ſcriptor, Britannos in mediterraneis ſitos, nec aliunde adveniſſe,& indigenas eſſe affirmet; Cæſarē opinor ſecutus. Altamerus quoque ad Tacitum ſcribit, Germanos in ipſa Germania genitos,nec ab ulla gente derivatos: atque eius rei ſe fidem dare non dubitat, fretus auctoritate Taciti, Sabellici ac Sipontini. quo quid ineptius, dicam,an magis impium fingi poteſt? veteres ſanè quodammodo venia digni ſunt: hi verò,vel magno errore,vel ſcelere obligantur: tum quòd ea quæ Moſes in ſacris libris de originibus teſtata reliquit,apertè oppugnant (quanquam nulla ſubiecta ratione) tùm etiam quòd nulla gentibus illis originē quā à patrio ſolo tributa eas ab aliarū ſocietate & amicitia omnino divellūt. cùm enim multa divinitus ad origines ſcribendas Moſem impulerunt, tū illud etiā, opinor,ut omnes homines ad quos ea fama perveniſſet,planè intelligerēt ſe eſſe conſanguineos, & eadem generis coniunctione ſociatos. qua perſuaſione haud

ſcio an ad hominum voluntates & amicitias ſtabiliẽdas ac retinendas ulla maior eſſe videatur. neq; enim Diomedes & Glaucus duntaxat, verumetiam innumerabiles ſæpe exercitus in mutuam perniciẽ armati, ſola cognationis ac gẽtilitatis ſpecie inimicitias diremerunt. qui verò ſe indigenas & ſativos eſſe iactant, quid aliud quàm humanæ ſocietatis vinculum abrũpunt? Hinc illę capitales ac peſtiferæ voces Aegyptiorum adverſus Hebreos: Græcorum adverſus Latinos, quibus alij alios inſigni quadam contumelia barbaros appellant. hinc hoſtes olim à Romanis appellati peregrini: à Germanis etiamnum maiore contumelia Valchi. non ea vox eſt hoſpitalitatis maiorum, quæ tãtam illis gloriam peperit. hinc deniq; famoſi libri adverſus exteros, ab ijs qui non muſarum aut Minervę, ſed Martis ſacerdotes veriùs appellari dębent, qui tædas ardentes inter medias acies vibrant, & eos quos amore mutuo conciliare debuerant, iniuriarũ facibus ad odium inflammant. neque enim neceſſe eſt à me nominari quenquam, nec ea cõmemorare quæ in nos ſcripta ſunt, ab ijs qui maiore infamia ſeipſos quàm nos affecerunt. at quantò æquiùs erat ſe cum peregrinis eodem ſanguinis ac propinquitatis vinculo colligare, quàm arroganter ab illa communi cognatione cum verborum contumelia diſcedere? Quare nec Lycurgi, nec Platonis leges eas probare poſſum, qui ſuos cives à commercio peregrinorum omnino ſeiunxerunt: tùm etiam domeſticarum rerum ad exteros evectionem, aut invectionẽ peregrinarum ad ſuos prohibuerunt. nam quid hoc aliud eſt quàm tollere de rebus humanis hominum ſocietatem? ſi meliores illi, peregrinos ſuis virtutibus informare ac beare, non arcere debuerunt. ſanè Moſes nõ minore benevolentia peregrinũ quàm civem proſequendũ putavit: & peregrinorũ iniurias gravius quàm civiũ vindicari mãdavit. Iam verò ſumma quadam immortalis Dei ſapientia factum videmus, ut nullius regionis tanta fœcunditas ſit, quæ non magnopere alterius egeat ope. India, inquit ille, mittit ebur, molles ſua thura Sabæi, At Chaly-

Chalybes nudi ferrum. tum paulò pòst; Continuò has leges æternaque fœdera, certis imposuit natura locis. cur tandem nisi ut res simul rationes que populi contraherent inter se mutuis commercijs pacem, amicitiam firmarent? sic enim existimo divina ultione factum esse, ut Græci Latinis (quos barbaros appellabant) ac vicissim Latini Gothis & Scythis (à quibus anteà semper velut à bestijs abhorruerant) tandem aliquando servirent, tum etiam coloniarum multitudine populi omnes confusi se consanguineos esse agnoscerent.

Tria sunt igitur argumenta quibus origines haberi, & ab historicis traditæ iudicari possunt. primùm in spectata fide scriptoris: alterum in linguæ vestigijs: tertium in regionis situ ac descriptione. de historicorum delectu anteà dictum à nobis est, & quantū scriptori de suis civibus aut hostibus scribenti credendū sit. nam Conradus Peutingerus, Irenicus, Nuenarrius Hermannus, Lupoldus Bambergensis, Iacobus Vvisfolingius, Andreas Altamerus, Vvolfgangus Lazius, Paulus Iovius, Ant. Sabellicus, & inter nostros, Rupertus Cenalis tam ambitiosè de suis civibus scripserūt, ut nec quicquam alijs tribuant, nec sibi deos pares esse putent. verior Beatus Rhenanus ac Tritemius abbas: reliqui ad sui nominis commendationem multa scripsêre, quæ ut vera sint, potuerunt tamen sine aliorum contumelia moderatius scribi. Francos à Germanis originem traxisse demus. quid enim ad nostri nominis famam præclarius, aut ad societates & amicitias contrahendas illustrius, aut ad utriusque Imperij salutem utilius esse potest, quàm ad fortissimam & generosissimam Germanorū gentem Francorum origines referre? Adhibeamus tamen ad eiusmodi quæstiones ea quę dixi argumenta, ut omnium populorū certas ac minimè dubias origines habeamus. Constat enim Caldæos omnium populorum antiquissimos fuisse, non solùm Mosis gravissimo testimonio, sed etiam Metasthenis, Herodoti, Ctesiæ, Xenophontis; quibus assentiuntur iuniores, Diogenes Laërtius,

Tria veræ originis argumenta.

Philo, Porphyrius in epistola quadam ad Boëthum, Clemens Alexandrinus in Stromatis, Eusebius de Evangelica demonstratione, Theodoritus libro I. de Græcarum affectionum curatione, Rabbi Moses Maimonis filius, lib. III. cap. XXX. perplexorum, ac reliqui quoque interpretes Hebræorum. hi omnes humanitatem, literas, artes, omniumque magnarum scientiarum laudem Caldæis acceptam ferunt. hinc Prometheum genere Caldæum, quòd homines ab agresti incultaque vita ad humaniorem impulisset, ratosque syderum cursus, trajectiones errantium, totamq; naturæ obscuritatem hominum generi tradidisset, finxerunt ferula Palladis sacros ignes de cœlo detraxisse, & hominem è luto coagmentatũ anima cœlesti afflavisse. est igitur omittenda vox indigenarum, & à Caldæis omnium populorum origo petenda, cùm in ea regione, aut certè illi finitima, navis illa quæ humani generis seminarium servarat, conquievisset. inde homines huc illuc dispersi, suum genus eo modo propagarunt, quo verissimè est à Mose & Hebræorum magistris abundè disputatum. sed id prætermitto quod cuique in promptu est ex ijsdem libris conquirere. illud tantùm quod nostri originum scriptores non satis aperuerunt, scilicet linguarum vestigia, in quibus præcipuum est originis argumentum, deinde locorũ situs explicabo. nam ut proxima quæque fertilissima regio fuit, modò incolis vacua, sic à finitimis quibusque est occupata. posteà verò quàm hominum multitudo redundare cœpisset, coloniæ in solitudines extremas & loca sterilia deductæ sunt. quis enim Asia vel Italia relicta colonias in Gothiam nisi cogente necessitate deduceret? quare non amplius dubitandum est utri vetustiores sint Aegyptij an Scythę, Gręci an Latini: id quod anxiè quęsitum est à veteribus, ut videre est apud Diodorum, Iustinum, Catonem, Dionysium Halicarnassæum. qui enim Arabiæ ac Lybiæ deserta vel Aethiopiam occuparunt, tametsi Græcis ac Latinis antiquiores sunt, nihilominus in illis sedibus acquieverunt, quò aditus in Asiam & Eu-

Europam nulli paterent. argumento ſit quòd Arabes ac Pœni cùm primùm armis confidere cœperunt, in Aſiam & Europam colonias & exercitus deduxerunt. ſcribit enim Leo Afer, Pontificem Babylonis Arabes in ſuis finibus tantiſper continuiſſe metu religionis, quoad ducenteſimo circiter Hegiræ anno, Nili aditũ infinitis legionibus patere voluit, ut rebellantes Africæ principes ulciſceretur. Sed illud eſt admiratione digniſſimũ, quo Epicurei, & qui ſativos homines fuiſſe putant, refelli facilè poſſunt, quòd populorum origines quæ à Moſe traditæ ſunt, Caldaicę & Hebraicæ linguę, quę ſola dialecto differunt, ea veſtigia retinẽt, quę nunquam potuerunt in tanta linguarum varietate aboleri. eſt enim prima illa lingua quæ ab Abrahamo Caldæo ſuæ genti data eſt. prius enim quàm Græcæ ac Latinæ linguæ ulla imago extitiſſet, populi ac regiones Hebraicis appellationibus utebantur. eſt enim Iapetus Nohæ filius, ab hoc Europæi propagati feruntur, idque non modò Hebræi, ſed etiam Græci ac Latini confitentur. Audax, inquit ille, Iapeti genus: quod ab Homero & Aeſchylo ſumptum eſt. at in huius vocis etymologia, mirum quàm Græci ſe fruſtrà torquent. alius παρὰ τὸ ἰάπτειν, id eſt, lædere: alius παρὰ τὸ ἰᾶσθαι, id eſt, mederi: nonnulli παρὰ τὸ ἵεσθαι & πίτεσθαι duci voluerunt: cùm Hebraicè dilatationem ſignificet. ita Iudæos Tacitus quaſi Idæos à Creta oriundos facit, ut mons eſt Ida: hinc illos in Mauritaniam, poſtremò in Palæſtinam circumagit: cùm tamen ea voce laudatores Hebræis appellẽtur. conſimili errore Strabo & Livius Germanos quaſi fratres Gallorum dici putant, quæ vox ut Alemanus quoq; totum hominem ſive ſtrenuum patria lingua ſignificat, ut docuit Altamerus. eodem errore Ion. vel ut Homerus, Iaon à flore Græci derivarunt, quod Hebraicè defraudatorem ſignificat. ab hoc Iones in Aſia & Gręca propagati. hinc Daniel Alexandrum magnum regem יון, id eſt Iaon, vel Ion, vel Iavan in Aſſyria imperaturum prædixit. illa quidem Græci, quaſi ſua depravare ſunt conati: hæc verò nulla ratione potuerunt, quæ

nihil omnino Græcis significant aut Latinis, & omnium vetustissima sunt nomina, unde populi appellationẽ acceperunt, solis Hebręis notam: scilicet Danaus, quod Caldaicè iudicem significat: à quo Danai; & Dardania iudicum habitatiõ. est enim dar habitare: hinc Dardani dicti: & Ianus, id est, vinosus, quem Dionysius Halicarnasseus Oenotrium eadem significatione appellat eum, qui primus colonias in Italiam transtulit. est enim Iaiñ Hebręis vinum, Achæis dolor, Aegyptijs angustiæ. Nimrod, rebellis: malè Philippus Melanchthon, amarũ dominatorem interpretatur. est enim marad rebellavit. Ninus, filius: Ninive, Nini domus: Solon, pacificus, pro Solom, quia Græci literam m, non admittũnt in fine. nihil autem Gręcis significat. consimiliter Cadmus Thebanorum conditor, ac literarum, quibus utuntur Græci, parens appellatur, Orientalem & antiquum significat. Medi, admensi: Armenij, sublimes: Chananæi, mercatores: Hebræi, transeuntes: Dodonæi, dominantes: Chusitæ, nigri, quos Græci Aethiopes eodem sensu vocarunt. Moschovitæ, extensi: Riphæi, gygantes: Persæ, divisi: Assyrij, beati: Lybies, inflammati: Græci Africam dixerunt frigore vacuam: Emathij veraces, neque enim duci potest ἀπὸ τοῦ αἵματος, cùm Gręcę linguæ ratio patiatur. Misrim angusti: malè Philippus Melanchthon rebellem interpretatur: sic Aegyptij dicuntur, & his quoq; temporibus veterẽ retinent appellationẽ. Scythę, percussores; à Cethim Iapeti filio: sic enim verior est etymologia, quàm quę est à Melanchthone de Macedonibus allata, quos Macethim vocat. at illud mem originis alterius præpositio est. Heneti Hebræis vagabundi, Nomades Græcis appellantur. Homerus ἐνετηίους appellat, & in Paphlagonia collocat. hi Germaniam inferiorem occuparunt, inde sinus Venedicus. tum etiam in Italia & Gallia sedes posuerunt. Cimbros quoq; à Cimbris Chersonesi, & Danos à Danais ortos esse ipsa nominis appellatio docet. Elam, adolescens, quo nomine Persas Hebræi vocant: hinc tribus Elamidos apud Xenophõtem, ubi de Persis

ſis agit. Lydij, nati: Sarmatæ, duces alterius: Secani habitatores: ſic primi Siciliæ incolæ dicebãtur, & qui Burgundiæ tractum occuparunt. Thraces, everſores à Tiras filio Iapeti. hinc fluvius eiuſdem appellationis in Thracia. Phut, cardo; filius Cameſis. quo nomine Mauri appellantur à Ptolemæo, & fluvius eiuſdem nominis: etiam Phutis urbs in Mauritania, quòd ſit in cardine Africæ. omitto ea quæ ſunt à Philippo Melanchthone explicata: in quibus tamen illud probare non poſſum, quod Aeſcanazim (quo nomine Germani ab Hebræis vocantur) ab אש & כהן quaſi ſacerdotes ignis dici putat. nõ enim patitur Hebraica lingua ut radicalis ר elidatur, & ה quieſcat in cohen. veriùs eſt habitatores diſperſos à ſacan & naza ſignificare. hinc etiam Aſcania regio Aſiæ minoris & Sicania. Hæ igitur appellationes Caldaicæ & Hebraicæ, quæ nihil Græcis aut Latinis ſignificant, primas origines omnium gentium illis à quibus idiomata fluxerunt, tribuendas eſſe docent: & omnium gentium antiquiſſimos eſſe Caldæos, Armenios, Aegyptios, Hebræos, Arabes (quorum lingua parum ab Hebraica differt) Phœnices, Iones, Aſiaticos, Perſas, Indos, Medos, Aethiopas, Sabæos. neq; abſurdum quod ſacerdos Aegyptius Soloni obiecit, Græcos infantes ſibi videri, quòd nihil vetuſti haberent. meliùs etiam Chriſtianus ille, qui Græcis obiecit, Moſem legiſlatorem dijs Græcorum antiquiorem eſſe. nihil enim ferè antiquius habet Græcia ipſo Danao & Cadmo; quorum alter gentis conditor, alter literarum repertor appellatur. quibus tamen temporibus in ſumma rerum geſtarum gloria floruerant Hebræi: Caldæorum verò ac Aegyptiorum imperia penè conſenuiſſe videbantur. Quantò igitur Caldæi, Aegyptij, & Hebræi Græcis; tantò hi reliquis antiquiores ſunt: idque perſpicuum fit ex illa triplici ratione qua utebatur; ſcriptorum, inquam, fide perſpecta, linguæ veſtigijs, & regionis ſitu. Nam Pauſanias & Strabo Græcos omnes, aut Iones, aut Aeoles, aut Dores fuiſſe aiunt. Iones quidem ab Aſia in Græciam veniſſe anteà diceba-

mus magnorum virorum auctoritate adducti: quib. consentaneũ est id quod Hecatæus testatur apud Strabonem, primos incolas Græciæ à Barbaris regionibus venisse. Itaque Plinius Meandrum fluvium, qui bonam minoris Asiæ partem alluit, Ioniam alluere scribit, tum etiam Athenienses Græcorum antiquissimi (soli enim αὐτόχθονες dicebantur) Iones ab omnibus scriptoribus appellantur. sed in eo fallunt Pausanias & Strabo, quòd Atticam, veterem Ioniam appellant, cùm priùs Asia culta fuisset ab ijs unde nomen illud fluxerat. tametsi enim Atheniensium duodecim coloniæ in Asiam deductæ fuissent, ut Strabo ac Pausanias tradunt, quas posteà Plinius ad octoginta usque crevisse auctor est: non propterea tamen sequitur Athenienses Asiaticis fuisse priores. nam ista ratione Galli Græcis & Asiaticis antiquiores essent: & Græci Caldæis, cùm hi in Caldeam, illi in Asiam & Græciá colonias sæpe deduxerint. Aeoles verò, id est, varij ac mixti, quòd ab Ionibus, ut opinor, Aegyptijs ac Phœnicibus stirpem traxissent. nam omnes populi extra Isthmum, præter Athenienses ac Megarenses, Aeoles dicebantur, ut Strabo scribit. Danai verò classis ad littus Achaiæ appulit: ipse Argivorum, qui inter Aeoles clarissimi fuerunt, imperium adeptus est. idem posteà colonias in Peloponesum misit. Cadmus Phœnix coloniam quoque Thebanorum in Bœotiam deduxit. Dores autem initiò non alios fuisse quàm Aeoles, planum fit ex ipso Pindaro, qui suum Poëma Doricè scriptum αἰολίδα μολπὴν appellat: sed Dori principis appellatio nomen potuit non originem mutare. quòd si quis scire velit quæ cuiusque populi sit origo in Græcia, copiosè Pausanias & Strabo id explicant, quæ singula persequi non est eius qui methodum scribit. illud tantùm Græcos ab Asia, Aegypto, & Phœnicia oriundos in Europa primùm coaluisse: tùm ab illis colonias in Italiam deductas fuisse, testantur Fabij, Catones, Pisones, Gelij, Sempronij, Varrones, ac Dionysius ipse Halicarnassæus, qui horum auctoritate sæpe usus est. ex quo refelli potest eorum error, qui

qui putant Catonem horum fragmentorum quę habemus, scriptorem fuisse: quem Dionysius tradit de Græcis ita sentire; ut à Græcis Itali sint oriundi: at in illis fragmentis impudentiæ Græci coarguuntur quòd se Italorum auctores esse affirmarent. sed eius originis maius est argumentum, quòd Italia fertilitate ac cœli temperatione præstantissima, Græciæ finitima est, brevissimusq; in eum traiectus. postremum est quòd Græcæ linguæ vestigia non potuerunt aboleri: atq; his argumentis Cæsar Britannos maritimos à Belgis Gallis originem traxisse argumentatur: primùm quòd finitima sit Belgis insula: deinde quòd iisdem nominibus civitatum appellarentur Britanniæ urbes, quibus Belgicæ: postremum est quòd illud didicerat ab incolis utriusque regionis. ita quoq; Tacitus ut doceat Gothinos, à quibus Gothi fluxisse putantur, à Gallis originem accepisse; Gothinos, inquit, arguit lingua Gallica non esse Germanos. consimiliter Italos arguit lingua Græca stirpem à Grecis duxisse: est enim à Græcis veteribus Oenotria dicta, ab Oenotrio Arcade, alij Ianum fuisse putant, quòd idem Hebræis significat ut Oenotrus Græcis, vinitor Latinis. Hesperia verò iunioribus Græcis, Greco verbo, quòd ad occasum Græciæ posita sit: putat Dionysius anteà Ausoniam fuisse appellatam: id quoque Græcum est, παρὰ τὸ αὔσαι τὸ καῦσαι, ἢ τὸ θήγειν: postremò Italiam appellatam propter boum magnitudinem, ut Hellanicus auctor est: nam Italus Græcis vitulum seu bovem significat, ut Herodotus ac Timęus scripserunt; quam etymologiam Varro quoque secutus est. quinetiam Cicero; Regnante, inquit, meo gentili, hoc est, Servio Tullio, venit Pythagoras in Italiam, quæ tum Græcia magna dicebatur. erat autem omnibus propè Italis Dorica lingua communis, ut ex illorum scriptis testatum habemus. præterea Italiæ regiones magna sui parte Grecam retinent appellationem; cuiusmodi sunt hæ, Lucania, Vmbria, Cumæ, Phlegræus campus, Elæa, Pandosia, Pandataria, Neapolis, Peuceria. Sed mutationes linguarum tri-

bus potissimùm de causis(omitto eam quæ est à Mose allata, quæ simul ac semel contigit) fieri consueverunt. una est in ipso decursu temporum,quibus non modò linguæ, sed etiam res omnes immutantur, ac tota rerum natura senescit. ita Polybius scribit, anno minus quinquagesimo quàm ictum fœdus erat inter Pœnos & Romanos, verba fœderis, quæ ipse antiqua vocat, vix intelligi potuisse: carmina verò quæ in sacris ex vetere formula canebantur, à paucissimis intellecta. sic videmus paulatim omnes omnium populorum linguas aliter atque aliter mutari. altera causa est in coloniarum ac populorum inter ipsos confusione. argumento sit Italia & Græcia, quæ tot seculis puritatem Græci ac Latini sermonis tenuerunt, totoq; terrarũ orbe disseminarunt: posteà quàm Scythæ & Gothi utranque invaserunt, tanta mutatio consecuta est, ut nec Latinum; nec Attica ubi nũc sunt unquam extitisse videantur. ita quoque Coloniæ Tuscorum, qui ex Italia pulsi erant à Gallis, & Gallorum qui in Germaniam olim desertam migrabant, tertium loquendi genus ab utrisque diversum conflaverunt. Anglorum quoque in Britanniam, & Saxonum in Belgicam à Carolo magno deductæ coloniæ, tum etiam Gallorum in Saxoniam sermonis varietatem pepererunt: Consimiliter Parthi Persicum, Arabes Punicum, Turcæ, Tartari, Sclavi Græcum, Latini Gallicum & Hispanicum sermonem depravarunt. postrema linguæ mutandæ causa in ipsa regionis natura versatur. proprium est enim omnium populorum qui magis inclinant ad Septentrionem, voces consonantibus asperrimè collisis, sine vocalibus ex intimo pectore, & crebras aspirationes efferre: idque propter summam spirituum vim & impetum caloris. nam Saxones & accolæ Baltici maris ubiq; ferè medias pro tenuibus, & aspiratas pro medijs pronunciant, cuiusmodi sunt hæc; Per theum ferum pibimus ponum finum. Australes verò, quibus temperatus est calor & spiritus debilis, lenissimè pronunciant; lenius etiam fœminæ, quòd viris spiritum & calorem habent debiliorem id-

que

que facilè intelligitur in colonia Saxonum, quam Carolus magnus in Belgas deduxit. cùm enim Saxones equum vocent Pfert: Flammingi cœlo mitiore educati, Pert pronunciant. omitto loci cuiusque propriam & insitam ex aquis naturam, quæ voces ac linguas immutant: ut in agro Labdano Galliæ Narbonēsis, omnes labdacismo balbutiunt: & in Valedoca Taurinorum. ita quoque Sabini veteres fœdum pro hœdo, fircum pro hirco dicebant, quemadmodum Varro scribit: ut apud nos Vascones hocum pro foco, hilium pro filio: ita quoque Parisij & Aurelij veterum Hetruscorum more, Valesium & Fusium, pro Furio & Valerio usurpant. Ex his ergo tribus potissimum causis, tot linguarum dissimilitudines oriūtur: neque tamen ita possunt aboleri, ut nō expressa veteris linguæ vestigia perpetuò hæreant. ut Celtica lingua vetus, magna sui parte Græca fuit, quòd ab illis originem maiores nostri traxissent. Bovillus, Picardus, ac Perionius infinita propè verba, nec tamen omnia, non ægrè aut violenter, quemadmodum in sua lingua Lazius, sed facillima, interdum etiam nulla conversione è Græcorum fontibus expresserunt: in quibus tamen non tantum mihi videtur esse pōderis ac momenti, quantum in ipsis locutionibus, quæ nobis cum Gręcis communes sunt; tū etiam in elegāti participiorum, infinitivorum, & articulorum usu. quæ satis arguunt Gallorum originem Troianis aut Græcis, aut utrisque deberi, cùm utrique Ionica lingua uterentur. Ammian⁹ quidem Marcellinus libro XV. scribit, se in Gallorum monimentis legisse, & ab incolis accepisse, Gallorum origines Troianis deberi; tametsi fama esset à Doriensibus profectos. Iosippus à Gomero primogenito Iapeti, qui natu maior erat, stirpem deducit. sed hoc ad Gomeri nepotes referendum opinor. Lucanus Arvernos scribit Romanorum se dicere fratres, eosque vocat sanguine ab Iliaco populos. certè apud nos extant duæ Paridis urbes, una Troiæ: sic enim effertur ab incolis ea quam Tricassium vel Trecensem

vocant. Prætereà Venetos Celtarum populos à Venetis Paphlagoniæ stirpem traxisse perspicuum est: eos verò qui sinum Adriaticum tenent, à Venetis Celtarum derivat Strabo lib. v. tametsi Livius aliter sentiat. postremò Celtarum appellatio, quam nostræ antiquitatis interpretes omiserunt, ab Homero, Pindaro, ac priscis scriptoribus semper usurparunt pro equitibus. Appianus à Celto filio Polyphemi tam ridiculè deducit, quàm nostri Francos à Francione Hectoris filio, qui nunquam extitit. magis etiam absurdè Lazius, qui à Galatis derivari affirmat. est enim Galatarum nomen veteribus planè inusitatum. κέλης autem equus est ὁ ἄζυξ, quem Latini sellarium vocant: κελητίζειν verò, & κεληκαῖν, apud Homerum & Pindarum nihil aliud est, quàm equis ἀζευκτοῖς ἐποχεῖσθαι, ut scribit Eustathius. inde κελητα὚ & κελτα὚ per syncopen. cur autem Galli primùm Celtæ sunt appellati, ratio est quòd omnium maximè valerent equitatu. ac tametsi laudantur à veteribus Mauri quòd equitatu lōgè præstarent, & Annibali de Romanis (quorum præcipua vis erat, ut scribit Cæsar, in pedite) illustres victorias perperissent: præstātior tamen fuit Gallorum equitatus, quo Cæsar in bellis civilibus semper usus est. sic enim Hirtius; Accidit, inquit, bello Africano res incredibilis, ut equites minus triginta Galli, Maurorum equitum duo millia fugarent. idem bello Hispaniensi; Cùm magna manu, inquit, parvas Cæsarianorum copias Afranius aggrederetur, celeriter se Galli equites expediunt, & prælio commisso magnum hostium numerum pauci sustinuere. quinetiam Plutarchus in Antonio scribit, Parthos non aliter coërceri aut frangi potuisse, quàm Gallorum equitatu, cùm exercitus Antonij undique premeretur. cuius me loci admonuit Christophorus Augerius collega meus, & historiarum & Iuris peritissimus. æquè consentaneum est quod Plinius scribit; Hipporediam Galliæ Togatæ Vrbem, sic appellari ab optimis domitoribus equorum. quare Cæsar cùm Gallos in tres ordines distribueret, Druidas, equites & agricolas: equiti-

quibus tribuit disciplinam militarem. & quoniam Celtarum appellatio multorum communis videbatur, Cæsar initio libri primi Celtas eos verè ac propriè dici tradit, qui inter Sequanam & Garumnam continentur, qui à Latinis Galli, sua tamen lingua Celtæ vocarentur. Plutarchus ne quid confunderet, κελτοϱίους in Camillo appellavit: id autem ferè populis omnibus accidit, ut aliter à peregrinis quàm à suis nominarentur. Itali à Grecis Hesperij, Hellenes à Latinis Græci, Lybies à Græcis Afri: cùm tamen neque Itali Hesperiorum, neque Hellenes Græcorum, nec Lybies Afrorum nomen usurparent. consimiliter Scoti Anglos appellant Saxonas: ita quoque hi quos Turcas appellamus, ab hac appellatione vehementer abhorrent, & Sarraceni vox, in Asia & Africa inaudita est. Græci tamen maiores nostros, ob linguæ, vel originis, vel utriusque affinitatem, vel coloniarum frequentes deductiones, sua eademque Celtica lingua Celtas appellarunt: Galli verò nomen unde fluxerit, aut quid significet, nemo, quod sciam, explicavit. ridiculum est enim ab undis ereptos interpretari, ut Rabbi Samuel. veriùs est ab eundo & peregrinando nomen deduci. Ovallones enim à Belgis appellamur, quòd Gallis veteribus contigit, quum orbem terrarum peragrarent, ac mutuò interrogãtes quærerent, *où allons nous*, id est, quonam proficiscimur? ex eo credibile est Ovallones appellatos. quod Latini sua lingua nunquam efferunt, sed g litera utuntur. est autem propriè Gallia fertilissimus ager in finibus Parisiorum sic dictus, & Ovalesia: nisi ab Vval deducamus quod Celtica lingua sylvam significat, qua voce utuntur Germani, ut sint idem Vvali qui Druidæ. ut igitur Celtæ intra Sequanam & Garumnam, ita Galli ultra Sequanam. Strabo verò Pyrenæis, Alpibus, Rheno, & utroque mari, Celtas concludit. itaque nõ satis aptè Lazius, Peutingerus, Altamerus, Xylãder, Celtas de omnibus Germaniæ & Galliæ populis dici voluerũt, adducti auctoritate Herodoti, à quo ipsi facilè refelluntur: is enim Celtas ad fontes Istri (quem ipse

à Pyrenæis derivat)collocavit. quo quid magis est alienum à geographia? quòd si Celtarum nomen propriè de Germanis diceretur,cur Strabo ex veterum opinione,in quatuor mundi cardines distribuisset; Indos in ortu,Celtas in occasu,Aethiopes in austro,Scythas in Septentrione? est enim Gallia ad extremam occasus plagam sita: Germania verò Galliæ Orientalis.alibi Strabo,Celtas & Hiberos ad occasum, Nomades & Scythas ad aquilonem collocavit. posteà verò quàm Galli, Germaniam, Italiam, Hispaniam, Britanniam, Græciam, Asiam minorem, & extremam quoque Scythiam colonijs impleverunt, urbes fundarunt,regiones coluerunt,leges stabilierunt, tãtam sui nominis famam apud omnes populos excitarunt,ut à Celtis nobilitatẽ ac generis splendorem omnes Europæ gentes velut à Troianis deducere gloriarẽtur: sic enim Plutarchus in Mario,terras omnes Europæ ad Aquilonẽ & Occasum conversas Celticam appellat.ipsi verò Græci, disciplinarum ac rerum gestarum gloria florentes, exempla fortitudinis non aliunde quàm à Celtis petere consueverunt;ut videre est apud Aristotelem in libris de moribus & Republica,tùm etiam apud Aelianum in libro de varia historia. quid Germani scriptores?sanè Peutingerus & Nuenarius (alios omitto)cùm sibi Celticum nomen vindicarent,ac maioribus nostris adimerent, Galliam triumphis omnibus spoliatam, etiam verborum contumelia, quoad eius fieri potuit, lacerarunt.sed cùm politiore doctrina eruditi homines,& omnis antiquitas apertè reclamaret; Lazius aliud consilium inijt,ac repudiata suorum opinione,Gallos maximis laudibus cumulavit; ea tamen lege,ut Germanos fuisse affirmet, qui primũ Tuiscones,& Teutones: deinde Galatæ,pòst Germani Alemaníve,Celtæ Gallive sunt appellati. sic enim in proœmio scribit.age verò Lazi: sic enim Gallicum nomen à vestris hominibus imprudenter ac temerè violatum ab ista labe vindicabis: ac magna me spes habet fore,ut cùm Germani & Galli persuasum habuerint se esse consanguineos & fratres (ut Strabo

magis

magis verè, quàm ad id quod vellet accommodatè scripsit) perpetuo se fœdere atq; amicitia complectantur. hoc igitur duntaxat nobis relinquitur disputandum, utrum maiores nostri à Germanis suæ originis primordia ducant? ait Lazius: negat Polybius, Cæsar, Livius, Plinius, Strabo, Plutarchus, Athenæus, Iosippus, Tacitus, Iustinus, Berosus, Pausanias, Diodorus. ut ut sit, tanta est, ac tàm multorũ vocibus & libris testata gentis utriusq; laus, ut neq; Germanos debeat neq; Gallos alterutrius originis pœnitere. Quòd igitur Herodotus, deinde Diodorus, Celticam ab occasu in Scythiam extremam; Plutarchus etiam in Pontum usque protulit, satis perspicuum fecerunt, Celtas vndecunque originem haberent, coloniarum multitudine vniuersam Europam impleuisse. hoc enim præcipuum est originis argumentũ, quòd propagatis imperij finibus, ac victis populis gentilia nomina velut expressa vestigia ad sempiternam posteritatis memoriam, ut omnes ferè populi reliquerunt. sunt igitur à Celtis Celtoscythæ, & Celtiberi, quos Livius Hispaniæ robur appellat, à gente vetusta Gallorum Celtæ miscentes nomen Hiberis. quod enim Cæsar de Gallis scribit libro vj. idem Valerius lib. ij. de Celtiberis confirmat; nefas semper apud illos fuisse prælio superesse, cùm is occubuisset, pro cuius salute spiritum devovissent. ab ijsdem Celtis, qui postea Galli sunt à Latinis, Galatæ à Græcis appellati, Gallicia & Portogallia Hispanię; Northuvallia, Suedvallia, Cornuvallia Britanniæ, Gallovidia Scotiæ: Vvestvallia Germaniæ: Gallia Italiæ, & Galatia Asiæ minoris nomen habuerunt: tum etiam Ruteni Germanię populi à Rutenis Gallis: Carni quoq; Germaniæ, à Carnis & Carnutibus, & Langobardi à Lãgonibus, quos Galliæ populos Livius appellat, & Bardis poëtis, idq; planius est quàm ut testibus res egere videatur. de Thracia in qua Galli diutissimè regnarunt, ut Polybius trabit, itẽ de Byzantio ac Syria, cuius imperiũ non ita pridem tenuerunt; nulla vestigia restant, neq; nomen patrium regionibus victis inviderunt. Boëmia quidem

à Boijs Galliæ populis, gentilitium Galliæ nomen, inquit Tacitus, adhuc retinet, regiones verò Scordiscorũ, Taniscorum & Helvetiorũ, quos Plinius, Cæsar, ac Tacitus, Gallos appellant, nulla veteris appellationis habent vestigia; deniq; Gallia togata, quã veteres Galli ab Vfente flumine usque ad Alpes & Athesim pulsis Tuscorum populis invaserunt, ut est apud Livium lib. XLVIII. gentilitium nomen amisit; tametsi Mediolanum (extant adhuc eius appellationis duo apud nos oppida) Comum, Vicentia, Verona, Brixia, tum multæ urbes Insubrum, Ligurum, & Hetruscorum, quas Bellaius recenset, à maioribus nostris conditæ feruntur. ab Olbia verò Tectosagum urbe, quinque clarissimæ urbes derivatæ sunt, ut videre est apud Plinium, & Strabonem. una quidem Bithyniæ: altera Pamphyliæ: tertia Ciliciæ: quarta Celtoscythię ad Borysthenis fauces: quinta cis Rhenum quæ Tolbiacum pro τὸ ὀλβιακὸν appellatur. quatuor quidem Asiæ ab Olbiacis Tectosagis cõditas fuisse nullum maius est argumentum, quàm quòd Tectosages totam illam Asiæ regionem omnium fertilissimam occuparunt, ut Trogus Pompeius ac Livius testantur, atque hinc Albionem insulam, quæ postea Britannia dicta est, nomen habuisse credibile est. sed hæc, dicet Lazius, à Gallis sive Celtis (quos enim Polybius Celtas, Livius ubique Gallos appellat) Germaniæ populis gesta sunt. quid Cæsar? non Gallus fuit aut Germanus, quanquam acerrimus Gallorum hostis; Ac fuit, inquit, antea tempus cùm Galli Germanos virtute superarent, & ultrò bella inferrent: ac propter hominum multitudinẽ, agriq; inopiam trans Rhenum colonias mitterent. itaque ea quæ sunt fertilissima Germaniæ loca circum Hercyniam sylvam, Volcæ Tectosages occuparunt, atq; ibi consederunt. hæc Cæsar, quæ Tacitus confirmat: quibus consentanea Livius scribit; scilicet Ambigatum Celtarum regem, quòd in eius imperio Gallia hominum adeò fertilis fuisset, ut abundans multitudo vix regi posse videretur, Bellonesum ac Segonesum sororis filios, in quas

dij

dij dedissent sedes misisse; Segonesoq; datos Hercynios saltus; Bellonesο Italiam. Pausanias quoq; scribit, Celtas in Pannoniam & Græciam movisse, ab ijsque Alpes Celticas appellatas. Athenæus consimiliter tradit lib. v. Celtas qui in Græciam transmiserant, in Pannoniam sedes mutasse. idem planè confirmat Strabo lib.v. Plin. lib.iiij. denique Polybius lib.ij. refert Bojos, Eganes, Senones, Ananes è Gallia in Germaniam migrasse. lib. iij. Celtas in Thraciam usque Brenno duce penetrasse, ac regnum illud usq; ad Clyari tempora tenuisse. Itaque Beatus Rhenanus meritò irridet quosdam Germaniæ scriptores, qui Brennũ & Senones à Germanis oriundos fuisse putant. at Polydorus Brennum Britannũ fuisse affirmat, quod anteà nemo scribere ausus est. eadem reprehensione dignus est Lazius, qui Cymbros tradit unà cum Brenno profectos in Italiam & Græciam. idem Bojarios, quos origine Gallos fuisse omnibus compertum est, solus ex Armenia in Germaniam deducit. hoc verò animadversione dignum est, quòd ubique Latini Gallos appellant, quos Græci κελτὺς in eadem rerum gestarum narratione. Nam Livius lib. XLVIII. fatetur Gallos (nõ Cimbros, aut Germanos, aut Tuiscones appellat, quos à Gallis semper distinguit) Italiam, Illyricum, Pannoniam, Græciam, Macedoniam, Thraciam, Asiam suis colonijs illustrasse, atq; omnem regionem citra Taurum & Halym flumen, ipsosque Syriæ reges vectigales fecisse. ubi verò de Germanis scribit, gentili appellatione complectitur, ut Iosippus in oratione Agrippæ ad Iudæos, Possidonius apud Athenæum in convivio Celtarum, tum in convivio Germanorum γερμανὺς & κελτὺς accommodatè ac proprijs appellationibus distinguunt. Iam verò Iustinus ex Trogo Pompeio planum facit memorabilẽ illam Gallorum migrationẽ, quum Italiæ maiorem ac meliorem partem Tuscis eiectis occuparunt, Tarquinij Prisci temporibus contigisse: Tuscos verò in Rhetiam & Vindeliciam Germaniæ superioris migrasse. altera ex parte, & ijsdem temporibus Bellonesus Germaniæ inferioris fertilissima

quæque(auctore Livio)loca occupavit.Ex quo intelligitur Germaniam eo tempore possessoribus vacuam fuisse. nec credibile est Septentrionis incolas, qui robore & animi magnitudine Australibus prestant, Italos & Gallos admissuros fuisse. quos latissima Rheni fossa vel Alpium verticibus ab Italiæ aditu prohibere nullo negotio possent. sic igitur statuo Tuscos Italiæ populos (quod Volphius & Fuchsius consitentur)& Gallos originem dedisse occiduis Germanis. ridiculum est enim quod ab Hercule, vel Tuiscone filio Herculis originem exquirunt. extremam verò Scythię oram, Heneti & Cimbri, ab Venetis Paphlagoniæ & Cimerijs Tauricæ Chersonesi populis, quorum meminit Homerus, occuparunt; hinc Balticum mare Venedicum appellatur. atq; illud est quod Plinius scribit, omnes Germaniæ populos Ingevones appellari (quos Peucerus indigenas interpretatur, qui revera sunt antiqui Heneti ac Cimbri) aut Istævones ad Rhenum Gallorum propagines: Herm iones circa Danubium, qui à Gallis quoq; stirpem traxerunt, ut anteà docuimus: aut Vandalos, id est, peregrinos Germaniæ linguæ, qui à Scandia ad littus Balticũ appulerunt: nunc Vindelici: postremò Bastarnas ac Peucinos prope Daciam, à Scythia in Germaniam migrasse. actametsi auctoritas antiquorũ deficeret, nihilominus ipsa loci natura nos eò deducit. Vt enim Tacitus doceret Germanos in ipsa Germania natos (id quod absurdum & impium esse constat) ab ipsa Germaniæ descriptione trahit argumentum. Qui enim sedes mutare quærebant, inquit, classibus advehebantur, & immensus Oceanus raris ab orbe nostro classibus aditur. quis autem præter periculum horridi & ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam cœlo, tristem cultu aspectuque nisi patria sit? & paulò pòst; Nullas Germanorum urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas ædes: colunt discreti, ut campus, ut fons, ut nemus placuit: suam quisque domum spacio circundat, sive adversus casus

casus ignis, sive inscitia ædificandi: nec cæmentorum quidem apud eos aut regularum usus: materia ad omnia utuntur informi, & citra speciem aut delectationem. Hæc Tacitus suo tempore, id est, anno Christi cxx. quo tempore, si Germania ferarum potiùs quàm hominum domicilium ei visum est, sine urbibus, sine oppidis, sine castris, sine cohærentibus ædificijs, qualem fuisse putemus Tarquinio Prisco regnante, hoc est, ante Tacitum annos circiter octingentos? at illis temporibus Galliam hominum adeò fertilem fuisse Livius scribit, ut in Germaniam & universam Europam colonias deduceret. non igitur Galli, aut Celtæ à Germanis; qui tùm nulli erant, originem duxerunt: sed Germani à Gallis, Tuscis, Scythis & Henetis. Quare cùm quæritur de origine Francorum, qui postremi Galliarum imperium invaserunt, non ego illos à Troianis, ut Gregorius Turonensis, & Abbas Vrspergēsis: aut à Phrygijs, ut noster Bellaius: aut à Cimbris, vel Phrisijs; ut Lazius: sed ab incolis Franconiæ Oriētalis ultra Rhenum, Gallijs finitimæ, ubi sunt ea, quæ Cæsar dicit, fertilissima Germaniæ loca Gallorum colonijs occupata circa Hercyniam sylvam, quæ nunc ab incolis Schvvartzvvald, id est sylva nigra circa Danubij fontes, Neccarum, & Menum, ubi Beatus Rhenanus ad Tacitum scribit duas esse valles, Belloacensem, à Belloacis, & eam quæ Andegaust ab Andegavis meis popularibus appellatur: tùm fluvius ipse Menus qui andegavum alluit, idem est cum Meno Hercyniæ sylvæ: Mein vocant e detracto. quanquam duæ quoque urbes non procul à Basilea ultra Rhenum gentili nomine *Angers & Brissac* appellantur: tùm etiam Senonis nemus à Gallis Senonibus, quos Polybius in Germaniam quoque colonias deduxisse auctor est libr. III. Illa verò quæ dicitur Vvestuvallia Germaniæ, id est, Occidentalis Gallia, quæ inter Veserim & Rhenum interiacet, quæque regiones Frāconiæ & Sicambros ad Eurum complectitur, satis indicat ortum versus Ostuvalliam fuisse, id est, Orientalem Galliam ultra Veserim à Gallis subactam. atq; his argumen

tis non video quomodo satis à Lazio fieri possit. hæ Francorum origines, hæc initia fuerunt. nomen verò ipsum planè Celticum est, Germanis inusitatum, ut ab illis accepi. est autem Francus lingua Gallica (non Latina, aut Græca, multò minùs Hebraica) nihil aliud quàm liber & immunis. ex quò non modò verisimile, sed etiam perspicuum fit, Galliæ populos servitutis Romanorum impatientes, trans Rhenum ad veteres illas Gallorum colonias migrasse; & cùm primùm potuerunt, excusso Romanorum iugo, in patriam remigrásse, accepta Francorum, id est, liberorum hominum appellatione. argumento est quòd Tacitus, qui populos innumerabiles Germanorum enumerat, non meminit Francorum. omitto ridiculam βρέγχων Pannoniæ coniecturam, quam ex Ptolemæo nonnulli attulerunt. quanquam Pannones origine Gallos esse, satis ex superioribus constat. ab illis ergo regionibus ultra Rhenum Galliæ finitimis, id est, à Franconia Frãci (ut Ammianus, Agathias, Vopiscus, Procopius tradunt) Aureliano principe in Galliã effusi tantùm armis ac viribus profecerunt, ut Romanos sæpe debellarent, Hunos auxilio Romanorum depellerẽt, deinde Gothos fugarent, ac tandem Romanos ipsos de Galliæ possessione deturbarent: quibus exactis Burgũdiones primùm, deinde Alemanos post cladem Tolbiacam servire coegerunt, Rhenoque transmisso Rhetiam & Vindeliciam: postremò Sueviam, Carniam, Pannoniam & Saxoniam suis imperijs ac legibus subiecerunt. Postremùm eius rei argumentum est in linguæ vestigijs, ut planum fit Germanos à Gallis, non Gallos à Germanis originem traxisse. hoc verò perspicuũ fit ex ipsis Germanorum, & veterũ Latinorum scriptis ut ad linguæ vestigia, in quibus magnum est originis argumentum, veniamus. ut enim Latini à Græcis oriundi sunt; & Latina lingua ex vocibus Græcis penè cõflata est, non tamen eadem: sic quoque Gallica origo Græcis debetur, contrà quàm nostri scripserunt; Græcam esse Gallorum disciplinam. nam cùm multa vestigia Græcorum habemus, ac propè infinita, non tamen

men eadem fuit Celtica cum Græca lingua,ut Lazi affirmat,ex eo quòd Cæsar scribit, Gallos in publicis ac privatis actis uti literis Græcorum ac numerū Helvetiorum,qui domo exierant,literis Græcis comprehensum fuisse:quod perinde est,ac si quis putet Germanos populari sermone Latinam linguā usurpare, cùm in publicis ac privatis rationibus, literis utantur Latinis.nam Cęsar literas ad Q. Ciceronem legatum Græca lingua scripsit,quò minus interceptæ ab hostibus intelligerentur. præterea Divitiacum Heduum non nisi per interpretem intelligere potuit:quod satis est argumenti Divitiacum Græcæ linguæ(cuius Cęsar peritissimus erat)ignarum fuisse.Massilienses quidem Græcè loquebantur,ut est apud Strabonem,cùm esset incorrupta, minimeque confusa Gallis Phocensium colonia. Druidas quoque Græca lingua instructos fuisse credibile est,cùm Cęsar eos ijsdem religionibus ac disciplinis imbutos fuisse scribat,quibus Gręci. & Lucianus Gallum, Græcis disciplinis valde peritum,de statua illa Herculis Celtici disputantem se audijsse scribit. lingua quoque Germanorum à Celtica plurimùm differebat; tametsi Lazius eodem errore scripsit Celticam & Germanicam unam fuisse. cur enim Tacitus Gothinos origine Gallos esse diceret non Germanos,quòd Gallica lingua uterētur?cur D. Hieronymus Galatas Asiæ minoris,eadem lingua qua Treveri (quos Tacitus Gallos appellat) locutos scripsit,non Germanica? neque enim tantus vir terrarum orbem pervagatus illud discrimen ignoravit. cur denique Ariovistus Germanus propter diuturnam annorum XIIII.consuetudinem, quam habuerat in Gallia,Gallicè loqui didicisset?sed tamen non minùs Germanicæ linguæ Celtica congruebat,quàm Gallicæ.ut enim omittamus illam,quam dixi Græcarum vocum multitudinem ab alijs colllectam,& locutiones ab ijs qui eo de genere scripserunt omissas,tum etiam nomina in on Græco more cadentia,ut *Platon, Caton Hoqueton*,id est,*ὀχίτων*,in quibus Græcæ lingvę simulacrum penitus expressum intuemur(nam Latini,Plato,Ca-

to,Dio,Melanchtho dicere solent) nullum maius argumentum quàm in propria vetustaque locorum appellatione,quam nostri penitus neglexerunt, reperiemus igitur pauca de multis afferam. Rhodonij mõtes à rosis;Pyrenæi ab inflammatione,ut Berosi vulgata fragmenta docent.Sbenni verò,quasi extincti appellantur. sic enim incolæ vocant eum montem qui à Strabone Cemenus dicitur.deinde mons Pelius.Tholosa lutulentam, ut est agri natura,vel tectam innuit. Olbia quam Dorico more Albiam vocamus, beatam significat, cuius Vrbis & etymologiæ, me admonuit Hieronymus Chando secretarius regius, non minus eruditione quàm generis splendore clarus. Limogæa terra famis,vel ut fœminæ Limosæa. γαίαν & ἄιαν καὶ ἀφαίρεσιν Dores usurpant.est enim regio vehementer sterilis,& planè infrugifera; ne quis pestiferam ex ambiguitate vocis λοιμοῦ & λιμοῦ interpretetur:urbs autem antiqua *Lan*,sic enim Doricè λαν nostri efferunt: incolæ tamen λαων Aeolicè pronunciant,à rupibus vel populis nomen habet. Antipolis,quòd Nicææ sit ex adverso posita: Stœchades insulæ ab ordine: Alexia verò Mandubiorum, à securitate: Aphrodisium promontorium à Venere: Tectosages, ab armorum opificibus: Rhodanus παρὰ τὸ ῥοδανίζειν, propter catarractas Græcis appellatur. Μακὼν autem urbs est in finibus Burgundionum, quæ sic dicitur, quòd in longitudinem extensa sit. cuius me Vrbis & etymologiæ admonuit Philibertus Bariotus Prætor Maconensis, vir summa integritate ac eruditione clarus.imperitè verò Matisconem vocant. sunt etiam in finibus Carnutum oppida duo finitima, quorum alterum οὐκ,alterũ appellatur ἔχομεν. & vrbs ea quæ Eurous nomine Græco dicitur:tum etiam Beotia nostra. omitto Druidarum nomen, quod planè græcum est, & Semnotheorum Galliæ sapientum:tametsi Schamotas alij dictos arbitrãtur,quasi cœlestes Hebraica voce.sed in eo genere, multa suo quisq; ingenio conquirere potest. ex his enim proprijs locorũ appellationibus origines veriùs ac meliùs iudicantur.

Est autem lingua Celtica Romanorum consuetudine ac frequentibus colonijs penè amissa: præsertim in Gallia Narbonensi, & Aquitania, ubi vulgus non procul abest à Latino sermone. fuerunt enim in Galliam plures deductæ coloniæ, quàm quæ ab historicis enumerantur: idque argumento est, quòd Lectoria urbs Aquitaniæ, tum ex appellatione, tum ex antiquis inscriptionibus urbis, colonia Romanorũ iudicatur: eam tamen nullus scriptor, quod sciam, inter colonias retulit. nota est colonia Narbonensis antiquissima, colonia Lugdunensis, Agrippina, Valentina, Nemausensis, Gratianopolitana, Arelatensis, & ea quæ in finibus Sequanorum Coloniacum nomen retinet. cùm autem legiones Romanorum assiduè in Gallia excubarent, fieri non potuit, quin patriæ linguæ penitùs oblivisceremur, Latinam acciperemus. In Germaniam verò nullas ferè colonias Romani præter Augustam & Constantiam deduxerunt. quo fit ut Germani linguæ Celticæ, quam à nobis, ob coloniarum & commerciorum usum didicerant, plura quàm nos ipsi vestigia retinuisse videantur. Vt enim pauca de multis colligamus, constat ex ipso Cæsare Vergobretũ Celticum verbum esse, quod summum executorẽ interpretatur Glareanus, eoque Germanos & Helvetios uti. ac Rhedam, quàm vocem Cæsar Gallis pro curru tribuit, Germanis in eadem significatione usurpari. Illud autem à Græcis initium habet, qui currũ appellãt ῥέδιον, ut est apud Hesychium. nos adhuc Alaudam retinemus. Pausanias equum à Celtis *Märc* appellari scribit, inde *Marquis*, & Marcoman, id est, eques. nam Marca limitem significat; *Marchę* forum: Germanis æquè ac nobis ipsis. sed *Marquis* dignitatem habet equestri maiorem. Padus à Pades Gallica voce, quę Piceam significat, quòd circa fontem Padi multa sit, ut Metrodorus scripsit: sed verius est Gallicè profundum significare, inquit Plinius: nam Ligures profundum Bodingum appellãt: argumento est, inquit, urbs antiqua Bodincomagum, qua fluvius altior exurgit. sic quoque lacus Acromius Boding ab incolis; sinus

item magnus interioris Gothiæ Boding appellatur in eadem significatione, & populi Bodini, qui Pannoniæ metropolim incolũt. propria quidem & gentilia eius appellationis nomina tenemus (sunt enim eius in Gallia nominis propè infiniti) significationẽ non tenemus, sed Latino verbo utimur. ex eo tamẽ coniectũ ra cõsequi possumus, à veteribus Celtis ad Germanos hæc nomina cum origine populorum migrasse. Duni vox quid esset, multi sanè quæsierunt, explicat Athenæus, ac Dounos à Celtis appellari dominos scribit. hanc vocẽ Hispani magna sui parte à Gallis oriundi, ac Siculi eodem sensu retinent: nostri verò monachis eam vocem reliquerunt. inde tamen antiqua nomina Lugdunum, Virodunum, Isodunum, Noviodunum: nisi dicamus dune locum editiorem seu monticulum significare; nostri, dunes, appellant *leuées*. Magum quoq; quid esset, neq; Germani, neq; nostri aperuerunt: id quod tamen ex Plinio docemur, ubi Bodingomagum urbem profundam interpretatur. omitto inanes de Mago interpretationes. hinc igitur Noviomagum, Rhotomagum, Neomagum. qua voce Germani carent, cùm olim urbibus carerent, ipsi Purgũ, quod planè Græcum est, à nobis: nos villam & castrũ accepimus à Latinis. Berg Celticum vetus, quod montem significat, quo etiamnũ utuntur Germani, nos Latina voce: inde *berger*, id est, vetere lingua montanus, quo nomine pastores appellamus. nam rustici Latina verba difficiliùs acceperunt. hinc apud Germanos urbiũ & castrorum, quæ in montibus posita sunt, compositæ voces: Bamberga, Hildeberga, Clarberga: nos Claromontem dicimus. Consimiliter Bardi nomen, quod Germanis hoc tempore sacerdotem significat, à maioribus nostris acceperunt. scribit enim Cæsar, Germanos, nec disciplinas, nec sacrificia, nec religiones habuisse. Bardos verò Gallorum poetas olim à Gallis appellatos esse, & Bardum Celtica lingua, cantorem significare docet Sulpitius ad Lucanum; tum etiam Ammianus ac Diodorus: sed quia eiusmodi poetæ inepti ac barbari Latinis videbantur, impolitos ac stupidos Bardos

dos appellarunt. hinc Dagobard, heroicus cantor vel poëta: Sigebard, victor poëta: Albard strenuus poëta: Robard, rubeus poëta. atque hinc Lambardi & Langobardi: Germani heroicum sacerdotem, rubeum sacerdotem interpretantur. sunt enim Langones & Bardi finitimi populi. Hard quoq; Celticum est, quod Germanis robustum significat, nobis audacem adiecta vocali quam è fine dictionum Germani sæpius eximũt. ut cohortem appellant band, nos *bande*, regionem incultam Land, nos *Lande*: ita quoque ipsi hardimant, nos *hardiment*. hinc etiam hard ramum vocamus contortum, quo nihil fortius: & pœnam *hard*, id est, laquei, quo veteres pro funibus utebantur. hæc autem composita *Bernard*, ex Germanica Bern, & Celtica hard, id est, Vrsi potens: *Leonard*, id est, populi robur, ex Græca & Celtica voce conflatum: Græci λεοσθένη ac δημοσθένη dicerent, ut illud quoque Cęnomani gentile nomen, quod ex Celtico Man, Germanis, Scythis, Turcis ac Tartaris usitatissimo (nos enĩ Latina voce utimur hominem appellantes) & Græco conflatum est. ex quo verisimile fit Cænomanos, id est, novos homines, aliunde in Galliam venisse ante Tarquinij tẽpora, cùm posteà in Insubriam coloniæ quoque Cænomanorum à veteribus Celtis deductæ sint, qui quidem Italiæ Cænomani appellantur. est etiam vetus Celticum reix, id est Rex: Germani efferunt reich. Cæsar in morem veterum Gallorum rix scripsit. unde composita nomina Dunnorix, Rex dominantium: Ombiorix, Rex hospitum: Orgetorix, Græcocelticum, id est, Rex insanorum: est enim ὀργὴ furor, & ὀργηλὸς, Gallicè *orguilleux*. quod vitium proprium est insanorum. Fridrich, idem quod Rex pacis. & apud Livium Lonnorius & Lutarius Celtica sunt: propriè Cæsar scripsisset Lonnorix. Germani non satis aptè meo iudicio divitem interpretantur, ut divitem insaniæ, divitem hospitalitatis: quamvis utrique & Germani & Galli rich divitem appellent, Galli quidem adiecta e fœminea, quam Germani detrahunt. sed tamen elegantia tropi, quòd divitiæ sint regum propriæ. argumen-

to sit quòd Germani Franchreich regnum Frãciæ vocant: tum Ostreich & Vvestreich (quam corruptè Austriam & Neustriam appellamus) pro regno Oriẽtis & occidentis apud Germanos usurpatur. nam dictio Kunig, quæ Germanis Regem significat, Gothorum est & Sclavorum. Mar quoque vetus Celticum, quod Germanis æquè ac nobisipsis commune est: illi Mair, nos *Maire* enunciamus, pro maximo civitatis magistratu. hinc illa vetera Viridomarus, Suemerus, Condomarus: id est, Condomi magister, &c. ut Latini Dictatorem populi magistrum appellãt. ultimus autem Seciæ ac Daniæ rex antiquæ stirpis Margaretæ pater Vvaldemarus vocabatur. infinita sunt Celtica vetera, quibus Germani nunc etiam utuntur. ut *platz, robes, sot, froit, feu, foyer, mantel*: pleraque tamen ab illis anxiè detorta videntur, ut cùm Lazius Frãcos à Phrygia repetit, primùm Phrygios, deinde Frisios, posteà Fracos tum βρέγκυς, & Briancos, postremò Francos appellatos esse tradit: & Cimbros primùm Gomeros, deinde Gimros, tum Cimros, pòst etiam Cimbros, postremò Sicambros. idem beccus illud Herodoti Phrygia lingua panem significare tradit, cùm tamen caprea vox sit ab infante prolata, qui nihil aliud auditu perceperat. magis plausibile est quod P. Rõsardus meus civis (est enim Vindocini oppidum, in Andium agro situm) in Franciade Astyanacta Francum à veteribus quasi φερέγχον appellari scribit. quæ verò Germanica sunt, & in Germanico solo nata, non modò significationem, sed etiam pronunciationem habent à Gallis alienam. ut Bald Germanis significat levem & celerem, nos Celtico verbo *Liger* utimur, quo nomine fluvium Galliæ maximum olim appellatum fuisse testatur Cæsar. particulam verò Bald nunquam enunciamus, sed diphthongo au: ut quod illi Gerbaldũ, Thedobaldum, Vvidbaldũ; nos ita; *Gerbaud, Thibaud, Vuidebaud.* Land vetus Celticum est, quo Germani pro regione utũtur, nobis enim *Lande* significat regionem incultã, qualis erat olim universa Germania. hinc apud

apud illos nomina regionum, Friesland, Grotland, &c. quæ etiam apud Germanos in ther desiuunt, planè Celtica sunt, ut Deither, Luther; Deiotarus, Lutharius, quos Galatorum reges fuisse constat ex historia Latinorum. consimiliter ventorum cardines & appellationes, quæ à nautis usurpantur, scilicet, Ost, Vvest, Nord, Sud: ex quibus cætera componuntur, Celtica esse ex eo apparet, quòd ubicunq; Galli sedes fixerunt, his vocibus loca distincta reperiuntur: ut Northvvallia & Sudvvallia Britanniæ: Vvestvvallia Germaniæ. neque enim Vvestgermania, vel Vvestbritannia reperitur. præterea Latinorũ appellationibus utimur, Orientis scilicet, Occidentis, Meridiei ac Septentrionis, ut appareat illa planè vetera fuisse. infinita sunt id genus quæ suo quisque iudicio ac ingenio exquirere potest: ex his tamen quæ attulimus verborum exemplis, ex Athenæo, Pausania, Cæsare, Plinio, Diodoro; perspicuum esse opinor, Germanicam linguam, magna sui parte è purissimis Celtarum fontibus derivari. quod si ita est, sequitur illud quoque, originem, arma, leges, humanitatem denique Gallis deberi: ac vehementer labi Lazium, qui maiores nostros à Germanis oriundos esse affirmat. hoc autem de linguæ vestigijs argumentum, satis etiam indicat Britones Armoricos à Britannis ortum habere: propterea quòd ij qui apud Britannos Vvalliæ angusta regione circunscribuntur, soli capiunt sermonem Britonum, ut ab Anglis accepi. accedit præterea consentiens omnium historicorum fides. Sed unde illi Vvalli, nisi à Gallis? ex eo plerique putant, veterum Celtarum eam linguam esse: quod affirmare non ausim: cùm planè mihi sit ignota eiusmodi lingua. & quoniam Cæsaris temporibus, fama iam inde à maioribus pervulgata erat; incolas, qui intimos Britanniæ recessus tenebant, non à Gallis oriundos, sed in ipsa insula natos & indigenas esse, dubitavi an ex linguæ vestigijs intelligi posset. Si enim demus ab Albijs Gallis Albionem primùm appellatam, cõsequens est Bretanniam (sic enim Aristo-

teles appellat) ab alijs quibusdam advenis; veteribus incolis expulsis cognominatam. est autem Breta verbum Cantabricum, quod terram significat: hinc Alphonsus VII. Abreta dictus, quòd humi semper procumberet ac terram contrectaret, ut scribit Tarapha Hispanus. quò mihi fit verisimile Bretannos à Cantabris originem habuisse, qui primùm Insulā conspicati Bretanniam (ut nautæ solent visa terra) nominarunt. quanquā Hispani vocem illā ignorant. posteà verò quàm Saxones Bretannos expulerunt, linguam quoque immutarunt. appellant enim terram eodem nomine quo Germani, Gothi, ac Septentrionales populi, hoc est, Hebraica voce ארץ Ertz. quanquam Barath Hebræis agrum quoq; significat. ut autem à Cantabris oriundos putem, facit tum linguę vestigium illud, tum brevissimus maris tractus. postremò incolarum Hiberniæ finitimæ vetus opinio: aiunt enim Hiberos, id est, Hispanos, maiores habuisse. Hiberia verò videtur ab Afris Hispaniæ finitimis, aut certè ab Hiberis Asię primùm culta fuisse, quorum vetus lingua parum admodum ab Hebraica differebat, ut in ea lingua eruditi homines scripsêre. primùm vox ipsa Heberorum, quę nihil Græcis aut Latinis significat. itaque Græci eos Hebraica voce Heberos, Latini Græca voce Hispanos, id est, raros, quòd hominum inopia olim laboraret: tametsi populosam suis temporibus Cicero appellavit. præterea flumen illud Hispaniæ maximum, quod Hebro incolæ vocant, Latini Hiberum, & Bethis ex ipsa Palæstina fluere mihi videntur. Postremò Secanos (qui à Græcis & Latinis Sicani dicuntur) ab Hispanis in Siciliam venisse, ac de suo nomine appellasse tradunt omnes historię scriptores. nihil autem Secani Græca lingua vel Latina significat; Hebraica tamen habitatores dicuntur. atque hinc puto populos Sequanorum, qui Burgundiam incoluerunt, & Sucanā (sic enim doctus ab incolis Cæsar appellavit) ab ijsdē populis nomen habere. quòd enim à Iubal Lamechi filio Hispanos originem traxisse putat Iosippus, valde remotum est à probabili coniectu-

ra: ni-

ra: nisi ad eius infinitam posteritatem hoc referatur. quanquam ab Hebro Semi nepote, qui attavus fuit attavi Iacob Hebræorum parentis, & ab eius stirpe alios quoque ramos innumerabiles oriri potuisse planum est. sed eius tantùm populi, quem Deus unicè complectebatur, origines in scripturis explicantur; aliorum non item. idq; intelligi potest ex ipsius Ismaëlis stirpe, unde duodecim tribus ab Hebræorum interpretibus derivantur. inde Arabes, qui Iudæorum in morem sui generis antiquitates incorruptas, ac tribus quoque certis originibus ac nominibus comprehensas habent, ut videre est apud Leonem Afrum. Quanquam satis, opinor, constat populos omnes coloniarum multitudine, bellis, servitute, peragrationibus, iam pridem ita confusos, ut nulli prẹter Hebrẹos, se ab aliorum populorum confusione liberare potuerint. idq; intellectu facile est, si quis meminerit Vandalos & Gothos ab extrema Septentrionis plaga in Africam; Arabes in Persidem, Syriam, Africam, Italiam & Hispaniam; Hispanos in Americam & Indiam; Gallos & Italos in Asiam & Scythiam usque colonias deduxisse. Est autem coloniarum deducendarum ratio quadruplex; aut enim incolæ viribus hostium expulsi sedes alias quærunt: ut Troiani post urbis eversionem in Latium: Hetrusci, qui & Tusci dicti sunt, à Gallis de Italia deiecti, in Rhetiam colonias deduxerunt, unde appellatio prima Germanis Tuscorum. ita quoq; Aegyptiorum colonia duce Danao in Grẹciam: Normanni in Galliam: Britanni ab Anglis pulsi, ad littus Celticum: Phocenses tyrannide Præfecti regis Persarum afflicti, in Celticam sedes mutarunt, ut Iustinus scribit, & omnium quẹ unquam extiterũt, florentissimam Rempub. ut Tullius affirmat, instituerunt. Chananæi ex agro Palẹstino ab Hebræis eiecti, in Illyricum & Pannoniam navigarunt, ut Rabbi David Kimhi ad finem Abdiæ testatur. Vandali Francorũ armis coacti, in Hispaniam; hinc à Gothis pulsi in Africam transmiserunt. nec ita pridem Rhodij à Turcis fracti in Cretam migrarunt. atque eius migrationis infinita

ſunt apud Pauſaniam & Strabonem exempla. alterum coloniarum genus deducitur abundante multitudine, vel propter inopiam agrorum, aut intemperiem cœli. Miletus CCCCC. & LXX. populos in diverſa effudit, ut Seneca ſcribit in libro de conſolatione ad Albinam. Idem Athenienſis in Aſia turba eſt. totum Italiæ latus quod inferiori mari alluitur, maior Græcia fuit. Tuſcos Aſia ſibi vindicat. Tyrij Africam incolunt: in Hiſpania Pœni: Græci ſe in Galliam immiſerunt; in Græciam Galli. Pirenæus Germanorũ tranſitus non inhibuit. alij longo errore iactati non iudicio elegerunt locum, inquit, ſed laſſitudine proximũ occupaverunt. alij armis ſibi ius in aliena terra fecerunt, alios excidia urbium ſuarũ: alios domeſtica ſeditio: alios ſuperfluentis populi frequẽtia ad exonerandas vires emiſit: alios peſtilentia aut frequentes terrarum hiatus, aut intoleranda ſoli vitia eiecerunt. alios alia cauſa excivit domibus ſuis. quidã ibi conſederũt, ubi illos rerũ inopia depoſuit. quaſdam gentes cùm ignota peterent, mare hauſit. & paulò pòſt: quid referam Antenorem Patavij conditorem: Evandrum in ripa Tiberis regna collocantem? quot populus Romanus colonias in omnes provincias miſit? ubique enim Romanus habitabat. ad hanc commutationem libenter nomina locis dabant. vix ullam terram invenies quam nunc indigenæ colant. Poſtremò ſic concludit Seneca: Illud igitur manifeſtum eſt, nihil eodẽ loco manſiſſe quo genitum eſt. aſſiduus humani generis diſcurſus eſt, quotidie nova urbium fundamenta iaciuntur, nova gentium nomina prioribus extinctis aut in occaſionem converſis oriuntur. Video tamen Scythas ferè ſemper ab Aquilone in medias regiones cum infinitis legionibus cõceſſiſſe. Nam Cimbri, & Cimbrorum reliquiæ, Advatici, Nemetes, Vbij, Tungri, Vangiones, Sicambri, Saxones, Gothi, Langobardi, Gepidæ, Vandali, Pictones, Normanni; addit etiam Olaus, Getas, Alanos, Herulos, Hunnos, Turcilinguos, Vuinulos, Rugios, Suecos, qui nunc Suiſſij vocantur, à Scandia in Europam invaſiſſe. Quinetiam

Pro-

Procopius & Albertus Crantius tradunt, Sclavos ex eadem Scandia Iustiniani temporibus in Pannoniam irrupisse. posteà gens illa sui nominis ac linguæ fama Europam universam implevit. sic enim audio Polonos, Bohemos, Russios, Lithuanos, Moschovitas, Bossinios, Bulgaros, Servios, Croatios, Dalmatas, Vādalos eadem Sclavorum uti lingua, quæ in Scandia usurpatur, ac sola dialecto differre. consimiliter ab Asiaticis Scythiæ populis, Parthi, Turcæ, Tartari origines traxerunt. tertium genus coloniarum, imperij propagandi ac tuendi causa susceptū est, quo potissimùm usi sunt Romani, tùm ut civitatem domestica seditione liberarent, tùm etiam ut victos populos in fide & obsequio retinerēt. atque hæc una causa est, cur imperium illud tam longè latequè propagarunt. Ita quoque Genuenses in Tauricam Chersonesum coloniam Theodosiam, quæ Capha dicitur: Veneti in Insulas; Hispani in Americam & Indiam colonos deduxerunt. Postremum genus coloniarum est in captivis abducendis: ut cùm decem tribus Hebræorum primùm, deinde octogesimo pòst anno reliquæ in Caldæam abductæ sunt. decem enim tribus huc illuc dispersæ in Asia feruntur. tribus Iuda & Beniamin, reditum in patriam impetrarunt, quæ sexcentesimo pòst anno à Romanis in servitutem rursus abductæ sunt, ac toto terrarum orbe ab ultimis Europæ ac Scythiæ oris, in Africam & Asiam universam diffusæ, qui exemplo nobis sunt omnes populos coloniarum multitudine confusos: quòd hęc una gens his quoq; temporibus in Caldæa, Parthia, India, Gallia, Græcia, Italia, Hispania, Germania, Africa, dispersa videatur. quid Romani? qui ab Oenoplia usque ad Danubium: à Britannia usque in Persidem, suas colonias, arma, legiones propagarunt? Italiæ verò populi, ex Arcadibus, Troianis, Sicanis, Gallis, Grecis, Gothis, Hunnis, Vandalis, Herulis, Lāgobardis, Pœnis, Normannis, misti sunt & confusi. hoc igitur non sine admirabili providentia factum videmus, ut populus Hebræorum, qui omniū principū crudelissimi vim ac tyrannidē pertulit, sui generis

antiquitatem solus retineret. at præpotens Aethiopiæ rex ab illa gente repetit generis splendorem, seque ac suos gentiles Israëlitas appellat. illud etiam magis mirũ videri possit, quòd ab illis religiones, quæ toto terrarum orbe usurpantur, velut à fōte fluxerunt. cùm igitur hunc populum in omnes terras sparsum videamus, quid de reliquis gentibus existimandum? est enim tanta naturæ fœcunditas, ut paulo momento ab unius hominis stirpe innumerabiles procreari videamus. nam Iustinꝰ ex Trogo Pompeio scriptum reliquit, Herotimum regem Parthorum, filios sexcentos genuisse, & unius Iacobi proles annis ducẽtis in legiones innumerabiles excrevit. una legio Turcarum, quam Persæ adversus Arabes evocarant, repentè in tantam hominum multitudinem aucta est, ut Arabes eos eijcere frustra conati, falces & imperium summiserint. cōsimiliter migratio Tartarorum in Asiam minorem duce Tamerlane, Asiaticorum ac Turcarum tribus confuderunt. quid commemorem id quod incredibile posteritati videbitur, Circassiorum cum Aegyptijs, Hispanorũ cum Americis, Lusitanorum cum Indis? Gothorum & Vandalorum cum Hispanis & Afris cognationem? ex his ergo intelligitur, omnes homines tùm peragrationibus, tùm etiam coloniarum multitudine ac frequentia, tùm bellis & servitute iampridem ita confusos, ut nulli de originis antiquitate ac vetustate, præter Hebrẹos, gloriari possint. ac vehementer falli mihi videntur principes, qui suæ nobilitatis decus ab extrema memoria repetunt, aut sempiternum fore sperant. gens enim Aeacidarum & Heraclidarum, quæ apud Græcos clarissimæ fuerunt; tùm apud Latinos Iulia, ducentesimum ac millesimũ non superarunt. reliquæ gentes patriciorũ, Potitij, Pinarij, Geganij, Sergij, Cornelij, Fabij, Manlij, Aemylij, Curiati, Claudij, vix octingentesimũ attigerũt. ut Cæsari necesse fuerit inter patricios allegere novos ac nobiles. Darij verò, annos ducentos floruerunt: Arsacidẹ circiter 600. Othomani 300. Hispani principes summũ nobilitatis fastigiũ à Gothis repetunt, qui om-

nium opinione barbariſſimi putãtur. Auſtria domus, Italorum, Hiſpanorum ac Germanorum imperium habet,à comitibus Aſpurgi generis ſplendorem repetens,ante Rudolphum Alberti patrem,id eſt,ante annos c c c.quæ qualiſque fuerit penitus ignoratur. Saxonica vetuſtiſſima ante ſexcentos annos,hoc eſt, ante Ottonem Henrici Aucupis patrem, maiores ciere non poſſit. Meroveorum autẽ,qui huius imperij fundamenta iecerunt,ſtirps anno pòſt quadringenteſimo deſijt.& Caroli magni genus in Carolo duce Lotharingo,ducentos poſt annos extinctum eſt.nunc imperant Capeti,ab Vvidekindo Saxone orti. is in Galliam adductus eſt,& Chriſtiana religione à Carolo magno informatus,atque Andium comes creatus, vel ut alij putant,ab Ottone fratre ſui generis poſteritatem, omnium quæ ſunt in Europa rerum geſtarum gloria clariſſimã & antiquiſſimã reliquit. iam enim ab Vvidekindo anni paulo minus octingẽti numerantur. Normannorum & Anglorum principes in Henrico. I. deſierunt: Andium in Richardo I I I. Henrici V I I. ſtirps in Eduardo V I. Lancaſtrorum & Yorcorum nulli mares reſtant. Scotiæ primi reges in Alexandro I I I. Bruſij in Davide I I. Stuardi in Iacobo V. Caſtilij in Henrico I I I. Aragonij in Ferdinando V. Sueci, Dani, ac Norvegi in Margareta Valdemari filia: Pomerani regnum,& Bavari priùs extinctum quàm natum fuiſſe videtur. ſecuti ſunt Aldeburgenſes, qui nunc imperiũ Daniæ tenent. Goſtavi pater ex privato Sueciæ imperium non ita pridem ſuſcepit. nec multò diuturnior fuit in Panoniæ imperio Stephani gens, cui Carolus Andegauus rex Neapolis ſucceſſit: deinde Otto Bavarus, tùm Sigiſmundus Lucemburgenſis, cuius ſtirpem excepit Mathias Coruinus, primus ac vltimus ſuæ gentis Rex appellatus. Polonorũ verò Reges, antiquitatem non longiùs quàm à Pyaſto ruſtico repetebant, cuius tamen poſteri vix imperarunt annos 600. hos exceperunt Iagellones à Lituaniæ ducibus, qui tamen Pyaſtis nec antiquitate, nec rerum geſtarum gloria comparari poſſunt. Italiæ verò nobilitatem, Ve

neti sibi vindicare consueverunt. neque tamen eorum nobilissimus, ut ab extrema memoria stirpem eruant, ante annum septingentesimum maiores appellare potest. proximi sunt Columnæ, Vrsini, Savellæ, Petilij, Romanæ nobilitatis reliquiæ, quibus nec Estenses, nec Gonzagæ comparandos se putant. Medicei de virtute, non de generis antiquitate gloriantur. satis enim constat patricios in omnibus Italiæ urbibus, quæ in statu populari floruerunt, aut crudelissimè cæsos, aut bonis amissis eiectos. in Gallia quidem & Hispania gens omnium antiquissima Levarũ esse creditur, clarissimo teste Francisco Valesio, qui patriciorum antiquas origines cõquisijsse dicitur. Levæ tamen suum genus ad Levitas referunt: quemadmodum reges Abissinorum ad Israëlitas: sic enim patricios appellant: qui tamen antiquissimas suorum origines non definiunt, nec Alvaresius quicquam tradit. igitur soli Hebræi generis antiquitate certissima populis omnibus præstant, nemo tamen suam tribum nunc ciere potest: sed omnes inter se confusi stirpem agnoscunt, ramos ignorant. Gens verò sacerdotum, quæ nobilitatis summum decus ab Aarone repetens, duobus annorum millibus ac trecẽtis floruerat, Gothicis ac Vandalicis cladibus creditur interijsse; non sine magno divinæ ultionis argumento.

DE HISTORICORVM ordine & collectione.

CAP. X.

Auspicandum erit à brevissimis Chronicis, puta Bullingeri, Lutheri, aut similium: deinde ad Chronologias, videlicet Funccij, Phrygionis, Eusebij: hinc ad historias magis aliquantò diffusas veniendum: quales sunt, Carionis, Melanchthonis, Peuceri: postremò ad consummatam historiam cuiusq; temporis, omnia, aut pulcherrima quæq; complectentem.

Vniversalis historiæ scriptores.



MOSIS originum liber ab orbe condito, usq; ad migrationem Hebræorum ex Aegypto in Palæstinam, historiam universi mundi complectitur annorum II.M.CCCCL. *Claruit ante Christum annis 1519.*

Berosi Caldæi: quæ dicuntur, fragmenta universæ historiæ, ab orbe condito usque ad annum mundi III.M.CXXX. In Sardanapalo desijt, ut Metasthenes scribit. *clar. ante Christũ anno 330.*

Herodoti Halicarnassęi de rebus gestis Græcorũ, Aegyptiorum, Medorum, Persarum, Lydorum, ab anno mundi termillesimò CCX. usque ad III.M.D. libri IX. *clar. ante Chri. 425.*

Polybij Megalopolitani, de rebus Græcorũ, Romanorũ, Pœnorũ, Celtarum, ab exilio Cleomenis, & Pyrrho Epirotarum rege, usq; ad bellum Romanorum cum Achæis & Philippo rege Macedonum: id est, ab anno mundi III.MDCXXX. usque ad annum III.M.DCCLXVI. de libris XL. quinque priores extant, & epitome sequentium usque ad XV. *clar. ante Chri. 200.*

Trogi Pompeij epitome ab Iustino libris XLIIII. comprehensa, omnium penè populorum gesta breviter complectens, à Nino usque ad Cæsarem Augustum. *clar. anno Chri. 150.* Iusti

Clar. anno Christi. 40. Diodori Siculi bibliotheca universalis historiæ, maximè illustrium populorum, ab ultima Aegyptiorum memoria usque ad Cæsarem. de libris XL. extant XV.

Clar. post Christum 38. Philonis Hebræi de temporibus libri duo, ab orbe condito usque ad Tiberium.

Clar. 312. Eusebij chronicon, ab orbe condito usque ad annum Christi CCC.

Clar. 340. Hieronymus annos adiecit L. Prosper Aquitanus LX. Palmerius Florentinus MXL. Palmerius Pisanus XXX. Iulij Africani de temporibus, ab orbe condito usque ad annum Christi CCCXX.

Clar. 560. Phreculphi epitome historiarum, ab orbe condito usque ad annum Christi DL.

Clar. 730. Bedæ Angli chronica, ab orbe condito usque ad annum Christi DCC.

Clar. 980. Adonis Vienensis de sex mundi ætatibus usque ad annum Christi DCCCC.

Clar. 1066. Helmandi chronicon ab orbe condito usque ad sua tempora.

Clar. 1067. Hermani Contracti Helvetij, de sex ætatibus usque ad suam ætatem.

Clar. 1088. Mariani Fuldensis Scoti chronicon, ab orbe condito usque ad suam ætatem.

Clar. 1120. Zonaræ fusa historia, ab orbe condito usque ad annum Christi MCXVII. tribus partibus divisa: prima pars Hebræorum est, altera Græcorum, tertia Latinorum.

Clar. 1120. Honorij Augustodunensis chronicon, ab orbe condito usque ad sua tempora.

Clar. 1130 Sigeberti Galli chronicon, ab anno Christi CCCLXXXI. id est, à fine tripartitæ historiæ, usque ad annum M.CXIII. cum appendice incerti autoris usque ad annum M.CCXVI.

Clar. 1229. Abbatis Vrspergensis chronicon, ab orbe condito usque ad Fridericum II. Imper.

Clar. 1260. Vincentij Belluacensis historia, ab orbe condito usque ad annum Christi MCCL.

Clar. 1480. Antonini archiepiscopi Florentini fusa historia, ab

orbe

orbe condito usque ad annum Christi M.CCCCLXXI.

Fasciculus temporum, ab orbe condito usq; ad annum.MCCCCLXXXIIII,incerti autoris.

M. Antonij Coccij Sabellici æneades XI. historiæ, ab orbe condito & his cohærens synopsis Hedionis. *Clar.* 1490.

Donati Bossij Mediolanensis historia ab orbe condito usque ad annum M.CCCCLXXXIX. *clar.*1496.

Io. Naucleri Tubigensis chronica, ab orbe condito usque ad annum Christi M.D. *clar.* 1510.

Philippi Bergomensis historia, ab orbe condito usque ad annum Christi M.D.III. *clar.*1515.

~~Martini Lutheri Saxonis, series annorum mundi usque ad suam ætatem.~~ *clar.*1519.

Achillis Gassari epitome chronicorum mundi, ab orbe condito usque ad annum Christi M.D.XXX. *clar.*1530.

Pauli Constantini Phrygionis chronicon,ab orbe condito usque ad annum M.D.XXIII. *clar.*1540.

Io. Carionis Lubeci chronicorum libri tres, ab orbe condito usq; ad annum Christi M.D.XXX. cui accessit appendix ad annum M.D.LV. *clar.*1540.

~~Philippi Melanchthonis chronicon, libris tribus comprehensum, ex ipso Carione magna sui parte expressum,usque ad Carolum magnum.~~ *clar.*1540.

Gasparis Peuceri chronicon, à Carolo magno, ubi desierat Melanchthon,ad suam usque ætatem. *clar.*1450.

Pauli Iovij historia, omnium penè populorum sui temporis ab anno Christi M.CCCCXCIIII. usque ad annum M.D.XL. *clar.*1540.

Henrici Bulingeri chronicon, ab orbe condito usq; ad suam ætatem. *clar.*1545.

Io. Funccij Pruteni chronologia, ab orbe condito usque ad annum Christi M.D.LIII. *clar.* 1550.

Mercatoris chronologia. *clar.*1570.

Geographistorici universales.

Strabonis Cappadocis lib.xvj. in quibus brevem omnium populorum historiam cum geographia coniungit. *clar. ante Chr. an.* 20.

Pomponij Melæ Hispani de situ orbis,unà cum hi- *clar. Christi ætate.*

ſtoria populorum.

clar. anno Chri. 140. Pauſaniæ Cæſarienſis grammatici, Attica, Corinthiaca, Laconica, Meſſeniaca, Elea, Achaica, Arcadica, Beotica, Phocenſia.

clar. anno chr. 1500. Raph. Volaterran. lib. XXXVIII. quibus univerſam hiſtoriam cum geographia complexus eſt.

clar. anno chr. 1540. Munſteri coſmographia, hiſtorias & origines, unà cum regionum deſcriptione complectens.

His adiungi poſſunt hiſtorici rerum variarũ, quales ſunt Athenæus, Aelianus, Tzetzes, Leonicus, Solinus, Valerius maximus, Plinius, Suidas.

Poſt hiſtoriam univerſitatis, non incommodè ſubiungi poterunt Eccleſiaſtici ſcriptores, & earum ſectarum quæ potentiam ſtabilierunt ac retinuerunt. ac primùm de religione, antiquitate, ac rebus geſtis Iudæorum.

Sacra biblia.

clar. anno chri. 38. Philonis Iudæi qui philoſophiſtoricus appellari poteſt, omnia ſcripta.

clar. anno chri. 99. Fl. Ioſippi Iudæi antiquitatũ Iudaicarum lib. XX. & libri ſeptem de bello Iudaico.

clar. anno chr. 99. Ioſippi filij Gorionis hiſtoria belli Iudaici, Hebraicè conſcripta.

clar. anno chr. 130. Egeſippi hiſtoria Iudæorum, à Machabæis uſque ad annum Chriſti LXXII.

Hiſtorici paganæ ſuperſtitionis.

clar. anno chri. 75. Irenæi Lugdunenſis epiſcopi, adverſus gentes liber I.

clar. anno chri. 200. Clementis Alexandrini epiſcopi ſtromatῶn libri VIII.

clar. 300. Arnobij adverſus gentes libri VII.

clar. 320. Lactantij Firmiani de falſa religione, ac totũ opus.

clar. 1515. Pauli Oroſij libri VII. adverſus Paganos.

clar. 1550. Lilij Giraldi de dijs omnium gentium.

Ioan.

Ioan. Caulis de religione veterum liber Gal. Ital.

Historici Christianæ religionis.

Novum testamentum.

Iustini martyris apologeticus. Clar. anno Chr. 120.

Q. Septimij Tertuliani Cartaginensis apologeticus adversus gentes. Clar. 150.

Irenæi Lugdunensis episcopi contra hæreses libri v. Clar. 175.

Origenis liber de martyribus. Clar. 260.

Eusebij ecclesiasticæ historiæ libri x. Clar. 312.

Socratis, Sozomeni, Theodoriti & Cassiodori ecclesiastica historia, à Christo nato usque ad annum CCCCXLIIII. Clar. 400.

Genuadij presbyteri Massiliensis, liber de viris illustribus ecclesiasticis. Clar. 496.

Evagrij Scholastici de ecclesia & imperio Romano libri VI. ab anno Christi CCCCXXXV. usque ad annum DXCV. orditur ubi desinit historia tripertita. Clar. 610.

Nicephori Calistri ecclesiasticę historię, à Christo usque ad Heraclium lib. XVIII. Clar. 1100.

Marcellini Comitis historia ab Eusebij temporibus usque ad annum Chisti D. Clar. 700.

Io. Guilielmi Archiepiscopi Tyrij de bello sacro libri XXIII. Clar. 1180.

I. Foxij Angli ecclesiastica historia, ab Vvicleyo usq; ad annum Christi M. D. LII. Clar. 1555.

Status ecclesiæ incerti authoris, à Christo nato usq; ad annum M. D. LX.

Io. Sleidani historia ecclesiastica, ab anno Christi M. D. XVII. usque ad annum M. D. LV. Clar. 1548.

~~Historiæ Magdeburgicæ centurię duodecim à nato Christo usque ad annum M. C C. quibus veterum omnium scripta ecclesiasticæ historiæ copiosè explicantur.~~

De statu religionis & ecclesiæ sub regibus Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. incerti autoris. Gal.

Historici sectæ Arabicæ.

Clar. anno. Christ. 600. Coranus seu Furcanus, ex omnibus Coranis, qui Muhamedis nomine circunferebantur, collectus anno post Muhamedem cx.

Historici Caldæorum, Aßyriorum, Medorum, Ægyptiorum, Persarum, Phœnicum, Hebræorum, Parthorum: quorum gesta sunt ab ijsdem ferè scriptoribus comprehensa.

Libri Regum, Paralipomenωn, & Esdræ.

Clar. ante Chr. 445. Herodoti Halicarnassæi libri novem historiarum.

Clar. anno Chr. 375. Ctesiæ Cnidij, Agatharchidis & Mennonis fragmenta, de regibus Persarum & Assyriorum.

Clar ante Chr. 370. Xenophontis Athenienfis, de expeditione Cyri (cuius fuit legatus) in Persidem.

Clar. ante Chr. 340. Berosi sacerdotis Caldæi fragmenta, quæ feruntur, libris quinque comprehensa.

Clar. ante Chr. 330. Metasthenis Persæ, de iudicio temporum & annalium Persarum liber.

Clar. ante Chr. 330. Manethonis sacerdotis Aegyptij fragmenta, quæ feruntur, de Regibus omnium penè populorum.

Clar. anno Chr. 99. Iosippi libri duo adversus Appionem Grammaticũ, ac xx. antiquitatum Iudaicarum.

Clar. 130. Hegesippi liber I. de bello Parthico.

Clar. 140. Appiani Parthicus.

Clar. 540. Procopij de bello Persico libri II.

Historici Græcorum, quo nomine veniunt Iones, Æoles, Dores, qui Asiam minorem & Europam, à Danubio Acroceraunijs, & Hemo monte, usque ad mare Ionicum, in insulis & continente, sedes fixerunt.

Clar. ante Chr. 1129. Dictys Cretensis de bello Troiano, libri VI. è lingua Punica in Latinam à Q. Septimio conversi.

Daretis

Daretis Phrygij de bello Trojano libri vj. è Græca lingua Latino carmine conversi à Cornelio Nepote. *clar. ante Chri. 1129.*

Herodoti Halicarnassæi libri novem, ubi sparsim de Græcis agit, usq; ad fugam Xerxis, complexus historiam annorum CCXL. *clar. ante Chri. 425.*

Thucydidis Atheniensis libri viij. quibus à fuga Xerxis, usque ad annum xxij. belli Peloponesiaci, annorum XC. historiam scripsit. *clar. ante Chri. 340.*

Xenophontis Atheniensis libri vij. quibus Thucydidis narrationem persequitur, earum rerum quæ annis XLIII. in Græcia gestæ sunt, usque ad prælium Lacedæmoniorum & Thebanorum ad Mantineam. *clar. ante Christū annis 310.*

Megasthenes, Theopompus, Philostratus, Hellanicus, Timæus, Acusilaus, Ephorus, Mochus, Estiæus, Hieronymus, Isidorus, Nicolaus Damascenus, consequentes historias scripserunt, ut sæpe videre est apud Plutarchum: sed eorum scripta penitùs interciderunt.

Georgij Gemisti libri duo, quibus Xenophontis historia ex Plutarcho & Diodoro continua serie perpetuatur à prælio Mantineo, usque ad cladem Cheronæam. *clar. 1520.*

Diodori Siculi liber decimussextus continuam Gemisti narrationem persequitur de Philippi & Alexandri magni rebus gestis. *clar. ante Chri. 40*

Polybij liber secundus, quartus, quintus, cum epitome sequentium, & Livij quarta decas, cum fragmentis quintę decadis res Grecorum complectuntur, quę cum Alexandri successoribus gestæ sunt. *clar. ante Chr. 200.*

Plutarchi Aratus, Philopęmen, ac Demetrius, plurimum conferunt ad posteriores Grecorum historias intelligendas. *clar. anno Chri. 120.*

Procopij lib. VII. Rerum sub Iustiniano gestarum. *clar. 540.*

Io. Zonarę tomus tertius à Cōstātino magno, usque ad obitum Alexij Comneni, id est, ab anno Christi CCC. usque ad MCXIII. *Clar. 1120.*

Annæ Alexiados libri XX. rerum ab Alexio patre Imp. gestarum, quibus Zonaræ narrationem persequitur. *clar. 1130*

clar. 1280. Nicephori Gregoræ historia centum & quadraginta quinque annorum, à Theodoro Lascari usque ad Andronicum Palæologum posteriorem.

clar. 1460. Nicetæ Acominati Choniatæ historia annorum LXXXVI. ab anno quo desierat Zonaras usq; ad exitum Murzufuli, Imper. id est, usq; ad annum M.CCIII. libris XIX. comprehensa.

Historici Romanorum & Pœnorum, atque omnino rerum Italicarum.

clar. 1560. Fasti consulares à Carolo Sigonio & Onuphrio restituti.

clar. 450. Sexti Rufi. V. Coss. epitome, de gestis Romanorū, ab orbe condito usque ad Valentinianum Imp.

clar. 200. Flori epitome in Livium.

clar. 210. Velleij Paterculi Procõsulis libri duo, in universam historiam pop. Rom.

Clar. 370. Eutropij Presbyteri de gestis Rom. libri X.

clar. ante Chr. 280. Q. Fabij Pictoris libri duo de origine urbis Romæ.

M. Catonis, quæ dicuntur de originibus fragmēta.

clar. ante Chri. 260. Polybij liber sextus, de militari domesticaq; Rom. disciplina.

clar. ante Chri. 280. Dionysij Halicarnassæi libri XI.

clar. ante Chri. 35. C. Salustij libri duo, de bello Iugurthino & Catilinari.

clar. ante Chri. 54. Polybij liber primus & tertius, cum epitome sequentium.

Clar. 1070. Xiphilini patriarchæ epitome in Dionem.

clar. 215. Dionis Cassij libri XXIII. qui de LXXX. servati sunt, de gestis Romanorum.

ciar. ante Chri. 34. C. Cæsaris de bellis civilibus libri III.

Appiani bellorum civilium libri V.

Clar. 215. T. Livij Patavini libri XLV. qui restant de CXLIIII.

clar. ante chri. 120. ab V. C. usque ad Augustum.

Cornelij Taciti annales ab Augusto, in quo desierat Livius, usque ad Nervam, libri XVI. qui restant de uno & viginti.

clar. anno Chri. 360. Ammiani Marcellini militis Constantinopolitani hi-

ni libri XVIII. qui de uno ac triginta servati sunt. cœperat à Nerva, in quo desierat Tacitus. desijt in Valente. cætera Eutropius sarcire potest. tum etiam singulares principum historiæ Trãquilli, Cassij, Spartiani, Capitolini, Vopisci, Herodiani Lampridij, Egnatij.

Prosperi Aquitanici continuatio historiæ Romanæ, ab anno CCCLXXXII. usque ad CCCCXLVII. quo urbs à Genserico rege capta est. Clar. 480.

Procopij libri XII. rerum sub Iustiniano gestarum, qui superioribus coniungi debent. Clar. 1130.

Aeneæ Sylvij libri XII. rerum in Italia suo tempore gestarum. Clar. 1420.

Flavij Blondi Forojuliensis, Eugenij Pontificis secretarij, libri XXX. ab inclinatione imperij ad sua usq; tempora & libr. X. de Roma triumphante, deque Italia illustrata. Clar. 1440.

[redacted] Clar. 1500.

Fr. Guichardini de rebus in Italia gestis, ab anno Christi CCCCXCIIII. usque ad annum M.D.XXXVI. Clar. 1520.

Ioan. Pontani de bello Neapolitano. Clar. 1490.

Pandulphi Collenutij de regno Neapolis, ab Augusto usque ad Carolum V. Imp. Clar. 1540.

Michaëlis Coccinij Tubingensis, de bellis Italicis. Clar. 1540.

Galleacij Capellæ, de bellis Italicis sub Carolo V. Clar. 1540.

M. Antonij Coccij Sabellici, Venetæ historiæ libri XXXIII. Clar. 1490.

P. Bembi historiæ Venetæ libri XII. Clar. 1540.

Historici Celtarum sive Gallorum, & Francorum: qua appellatione veniunt omnes populi, qui Rheno, Pyrenæis, Alpibus, & utroque mari cinguntur.

C. Iulij Cæsaris de bello Gallico libri VII. & Hircij libri consequentes. Clar. ante Chr. 43.

Hunibaldi libri XVIII. de Frãcis quos à bello Tro- Clar. ante Chr. 500.

jano ad mortem Antenoris sex prioribus libris deducit consequentibus sex ad Vvaramundum usque deinceps. in Clodovei temporibus desinit.

Appiani Celticus, sive de bello Gallico.

Clar.1550. Io. Titij Parisiensis epitome historiarum, ab Vvaramundo usque ad Henricum II.

Clar.1490. Huberti Leonardi, de Origine Francorum liber I.

Clar.1530. Pauli Aemilij Veronensis historia Francorum, ab Varamundo usque ad Carolum VIII.

Io. Ferronij Galli, consequentium regum historia usque ad Franciscum.

Clar.1500. Io. Tritemij Germani de gestis Francorum, ab anno CCCCXXXIII. ante Christum, usque ad annum Christi M.D.

Guaguini historia usque ad Carolum VIII.

Nicolai Gilij Annales Francorum.

Clar.1500. Bocheti Annales Aquitaniæ.

Clar.1530. Hermani comitis, de rebus Francorum usque ad annum M.D.XXV.

Clar.15520. Aemundi de ducibus Burgundiæ, Flandriæ, Brabãtiæ, Holandiæ, à bello Trojano usque ad Carolum V. Imperat.

Beissellı de Flandrensium gestis.

Clar.1480. Mejeri Belgica historia.

Annales Burgundiæ incerti autoris

Clar.1555. Gulielmi Paradini de Antiquo statu Burgundiæ liber I.

Clar.630. Gregorij Turonensis episcopi historiæ Francorum libri X. ab eorum origine usque ad annum Christi DC.

Clar.830. Antonij monachi libri V. de regibus Frãcorum, ab anno Christi CCCC XX. usque ad annum D.CCCXXVI.

Clar.1120. Ruperti de Gallorum gestis adversus Saracenos libri X.

Clar.1420. Frossardi historia, de bellis Francorum & Anglorum, ab anno Christi M.CCCXXXV. usque ad annum M.CCCC.

Clar.1500. Enguerandi Monstreleti, consequentium annorum historia usque ad Ludovicum XII.

Philippi.

Philippi Cominij historia ab anno Christi M. CCC CLXII. usque ad initiationem Ludovici XI. Monstrele tio cohærens. *Clar.1488.*

Galeatij Capellæ de bellis in Italia gestis inter Carolum V. & Franciscum regem Gallorum. *Clar.1530.*

Gulielmi Paradini, consequentium annorum historia, usque ad annum Christi M.D.LV. *Clar.1555.*

Rabutini de expeditione Henrici adversus Carolũ V. anno Christi M. D.LII. pro libertate principum Germanorum suscepta. *Clar.1556.*

Principiò proponũtur ij qui de omnibus Germanis iunni versum scripserunt: tum de singulis populis.

Historici Germanorum ac populorum omnium, qui ab Alpinis usque ad Mare Balticum, & à Rheno usque ad Vistulam sedes habent: quibus coniuncta est historia Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Herulorum, Helvetiorum, Longobardorum, Polonorum, Moschovitarum, Danorum, Suecorum.

Cornelij Taciti libellus de moribus Germanorũ, Alãmeri commentarijs illustratus. *Clar. anno Chr.120*

Beati Rhenani Selestadiensis rerum Germanicarũ libri III. *Clar.1500.*

Iacobi Vvimphelingi epitome rerum Germanicarum. *Clar.1549.*

Francisci Irenici Helingiacensis Germanicæ exegeseos libri XII. *Clar.1519.*

Huldrici Mutij Hugvvaldi de Germanorum prima origine, moribus, institutis, legibus, & memorabilibus bello ac pace gestis libri XXXI. *Clar.1551.*

Io. Avętini Germanicarum rerum illustratio libris X. comprehensa. *Clar 1510.*

Munsteri Cosmographia, vel potius Germanographia. *Clar.1550.*

Abbatis Vrspergensis, cuius nomen ignoratur, chronicon, ab orbe condito usque ad Fridericum II. qui cætera quidem brevissimè, res verò Germanicas fusè scripsit.

Clar. 1340. Lupoldi Episcopi Bambergensis, de veterum principum Romanorum erga religionem zelo.

Austriæ.

Chronicon ducum Bavariæ & Sueviæ incerti autoris.

Volfangi Lazij Viennensis Austriaca historia libris IIII. comprehensa.

Clar. 1500. Ricardi Bartolini Perusini Austriades libri XII.

Hungariæ.

Clar. 1530. Io. Turotij Hungari chronicō Hungariæ, libri tres.

Clar. 1440. Melchioris Soiteri de bello Pannonico.

Antonij Bonfinis Asculani rerum Hungaricarum libri xxx. usque ad Mathiam Corvinum.

Poloniæ.

Chronica Polonorum.

Clar. 1552. Martini Cromeri de rebus Polonorum libri xxx.

Philippi Callimachi Polonica historia contra Turcas.

Sclavoniæ.

Helmoldi presbyteri Sclavorum historia, à Carolo magno usque ad Fridericum Aenobardum.

Daniæ & Sueciæ sive Gothiæ.

Chronicon incerti autoris de origine Francorum, Vandalorum, Gothorum, Burgundionum.

Clar. 1520. Alberti Crantij historia Daniæ, Norvegiæ, Sueciæ, quæ Gothia & Scandia dicta est, ab eorum origine usque ad annum M.D.IIII.

Clar. 1530. Olai magni Gothi Principis ac pontificis Christiani de rebus Gothorum libri XXII.

Saxonis

Saxonis Grammatici de historia Danorum libri XVI.

Procopij de bellis Gothorum libri III. *Clar. 530.*

Agathiæ Smyrnæi de bellis Gothorum lib.V. *clar. 550*

Idacij chronica à Theodosio magno usque ad annum Christi CCCC. *Clar. 410.*

Sidonij Apollinaris Galli, qui in regia Gothorum sub rege Alarico ad Tholosates claruit, variæ narrationes rerum à Gothis gestarum. *clar. 470.*

Iornandi Episcopi Gothorum libri duo, de bellis Gothorum & Romanorum. *clar. 540.*

Aurelij Cassiodori de gestis Gothorum & Romanorum sparsim. *clar. 575.*

Leonardi Aretini de bello Gothorum. *clar. 1420.*

Langobardiæ.

Pauli Diaconi cancellarij Desiderij regis, de rebus Langobardorum libri VI. *clar. 780.*

Saxoniæ.

Alberti Crantij Saxonum historia. *clar. 1520.*

Vvitiquindi Saxonis de rebus Saxonum, libri III. *clar. 950.*

De bello Saxonico libri III. incerti autoris.

Sebastiani Boisselineri de obsidione Magdeburgica. *clar. 1560.*

Lubeci.

Lubeci chronicorum libri V.

Borussiæ.

Erasmi Stellæ de antiquitatibus Borussiæ.

Bataviæ.

Gerardi Noviomagi Batavica historia. *clar. 1530.*

Bohemiæ.

Aeneæ Sylvij Bohemica historia. *clar. 1416.*

Io. Dubravij historia Bohemica.

Sueciæ seu Helvetiæ.

Io. Stumphi Tigurini Helvetiorum historia tribus tomis comprehensa. Germanicè.

Eiusdem epitome totius historiæ Iosiæ Simleri.

Historici Britannorum, qui pòst Anglosaxones, & Scoti sunt appellati.

Gildas Britannus historicus Anglorum.

Clar. 1560. Georgij Lilij Britanni chronicon ab Hengisto, id est, ab anno Christi D C. usque ad annum M D. LX.

clar. 1520. Pontici Vitruvij Tarvisini historiæ Britannicę libri VI.

Polydori Virgilij Vrbinatis historiæ Anglicæ libri XXVI.

Clar. 731. Bedę Angli libri v. historiarum Anglosaxonum, usque ad suam ætatem.

Clar. 689. Galfridi Arturi Angli de reb. Britannicis libri VIII.

Clar. 1420. Hectoris Boëtij Scotorum historia.

Nicolai Triveti Angli annales Anglici, à comitibus Andegavensium, id est, ab anno Christi M. CXXXV. usque ad M. CCCVII.

Historici Hispanorum.

Clar. 1530. Francisci Taraphæ Hispani, brevis epitome omniũ historiarum regumque Hispanię, ab orbe condito usque ad Carolum V. Imp.

Chronica Hispaniæ Petri Antonij, Hispanicè & Italicè.

Appiani Hiberica.

clar. 200. Roderici Palentini de rebus Hispanorũ, Hispanicè.

Petrus Medimna de rebus memorabilibus Hispaniæ lingua Hispanica.

Mariæ Siculi Aragonensis historia,

Anto-

Antonij Nebrissensis, de rebus à Ferdinando gestis. *Clar.* 1494.
Io. Bracelli de bello Hispano libri v. *Clar.* 1496.
Caroli Verardi de expugnatione regni Granatæ, & eiusdem Betica historia. *Clar.* 1468.
Damiani Goesij de rebus Lusitanorum in India gestis. *Clar.* 1510.

Historici Arabum, qui olim Africæ, Syriæ, Persiæ, Hispaniæ imperia tenuerunt: vulgò Saraceni appellati.

Leonis Afri Geographistorici, omnium Africæ regionum ac populorum accurata descriptio. *Clar.* 1510.
Hermani Dalmatæ chronica Saracenorum.
Ruperti Monachi, de bello adversus Saracenos libri VIII. *Clar.* 1087.
Gulielmi Tyri Archiepiscopi, de bello sacro libri XXIII. *clar.* 1150.

Historici Turcarum.

Andreæ Cambini de origine Turcarum, Italicè.
Gulielmi Postelli Barentonij de moribus, religione, & Republica Turcarum lib. III. Gallicè. *clar.* 1150.
Ordinatio politiæ Turcarum, incerti autoris.
Leonici Calcondilæ historia, de rebus Turcarum. *clar.* 1490.
Christophori Richerij Torignæi de rebus Turcarum libri v. *clar.* 1530.
Martini Barlatij de rebus gestis adversus Turcas, & Scanderbei regis Epirotarum vita, libris XIII. comprehensa. *clar.* 1488.
Pauli Iovij liber XII. XIII. XIIII. XV. XVI. XVII. XXXII. XXXIII. XXXIIII. XXXV. XXXVI. XXXVII. *clar.* 1540.
Henrici Peniæ de bellis inter Ismaelem & Selimum gestis.

Historici Tartarorum & Moschovitarum.

Haitonis Armeni historiæ Tartarorum liber unus. *clar.* 1290.
Pauli Veneti de regionibus orientalibus & imperio Tartarorum libri III. *clar.* 128●.
Matthiæ Michæi de Sarmatia Asiana atque Euro-

pæa libri ij. in quibus Tartarorum ac Moschovitarum historia brevissimè continetur.

clar. 1540. Pauli Iovij Novocomensis de legatione Moschovitarum liber I.

Historici Aethiopum, Indorum, Americorum, & omnium penè Africæ populorum.

clar. 1500. Leonis Afri descriptionis Africæ libri novem, Italicè, Gallicè.

Clar. 1496. Francisci Alvaresij descriptio Aethiopiæ, Hispanicè, Italicè, Gallicè.

Clar. 1504. Aloysij Cadamusti navigatio ad terras novas.

Clar. 1512. Christophori Columbi Genuensis navigatio ad insulas anteà ignotas.

Petri Aloysij navigatio.

Clar. 1501. Alberti Vespucij navigationum epitome.

Clar. 1497. Americi Vespucij navigationes IIII.

Clar. 1500. Iosephi Indi navigationes.

Clar. 1515. Ludovici Rom. Patritij navigationum Aethiopiæ, Aegypti, utriusque Arabiæ, intra & extra Gangem libri VII.

Clar. 1540. Pauli Iovij liber XVIII.

Primùm de viris illustribus omnium populorum: postea de singulis.

Post historias omnium populorum communes, & eas quæ civitatis cuiusque propriæ sunt, sequitur historia singularis illustrium virorum.

clar. 1500. Raphaëlis Volaterrani de claris viris omnium gentium.

Plinij iunioris, vel, ut alij putant, Cornelij Nepotis de viris illustribus LXXVII.

clar. 1540. Pauli Iovij de viris illustribus.

clar. 1374. Francisci Petrarchæ de viris illustribus.

clar. 1530. Polydori de origine insignium Regum.

clar. 1370. Io. Bocatij de casibus illustrium virorum.

clar. 1540. Gasparis Vrsini de vitis Regum, Imperatorum, & Pontificum Romanorum usque ad Carolum V.

clar. 1540. Ioan. Feronis stemmata, cum gestis illustrium familiarum, partim edita, partim edenda, Gallicè.

Plu-

Plutarchi & Ph. Bergomẽsis, de claris mulieribus. *Clar.*120

Diogenis Laërtij de vitis philosophorum, libri x. *Clar.* 200.

Baptistæ Egnatij de Romanis principibus, à Cæsare usque ad Carolum V. Imp. *Clar.*1530.

Ioan. Cuspiniani de Cæsaribus usq; ad Carolũ V. *Clar.*1540.

Plutarchi vitæ principum Græcorum & Roman. L. *Clar.*120.

C. Suetonij Tranquilli vitæ XII. Cæsarum à Cæsare usque ad Nervam. *Clar.*120.

Dionis Nicæi vitæ Imperatorum, à Nerva usque ad M. Aurelium. *Clar.*140.

Aelij Spartiani de vita Adriani, Antonini Pij, & M. Aurelij *Clar.* 240.

M. Aurelij à se conscripta vita, libris XII. *Clar.*170.

Iulij Capitolini libri III. de vita Antonini utriusq;, Veri, ac Pertinacis. *Clar.*307.

Dionis Cassij historia principum Romanorum, ab Augusto usque ad Alexandrum Severum, cuius epitomen complexus est Xiphilinus. *Clar.*240.

Aelij Lampridij de vita Didij Iuliani, Cõmodi, Heliogabali ac Severi. *Clar.*300.

Herodiani libri VIII. à morte M. Aurelij usque ad Gordianum iuniorem. *Clar.*200.

Sexti Aurelij Victoris de vitis Imperatorum ab Augusto ad Theodosium magnum. *Clar.*420.

Pomponij Læti de vita consequentium Imperatorum, à Gordiano usque ad Heraclium. *Clar.*1490.

Trebellij Pollionis de imperio Valeriani, Galieni, Claudij, ac XXX. tyrannorum. *Clar* 310.

Fla. Vopisci de vita Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Firmi, Saturnini, Proculi, Cari, Carini, Numeriani. *Clar.*320.

Eusebij de gestis Diocletiani, Maxentij, Constãtini. *Clar.*312.

Eutropij epitome principum Romanorum usque ad Iovinianum. *Clar.*340.

Ammiani Marcellini de gestis Constantij, Iuliani, Ioviniani, Valentiniani, & Valentis. *Clar.*360.

Michaëlis Ritij de regibus Francorum, Hispanorum, Neapolis, Siciliæ, Hungariæ, Hierosolymæ. *Clar.*1505.

Q. Curtij de rebus gestis Alexandri magni libri VIII. qui restant de x. *Clar.*1480.

Turpi

Turpini, Eguinardi, & Acciæoli de vita Caroli magni. priores ætate Caroli magni, tertius MCCCCXC.

Clar. 1480. Platinæ de vitis Pontificum Rom. à Petro usque ad Sixtum, & annum Christi M.CCCCLXXII.

Clar. 1540. Pauli Vergerij de gestis principum Mantuanorum.

Clar. 1550. Principum Montisferati series, autore incerto.

Caroli Stephani epitome ducum Mediolanensium.

Io. Bracelli de claris Genuensibus.

Xenophontis de factis & dictis Socratis.

Philonis de vita Mosis.

Othonis Frisingensis de gestis Friderici Aenobardi.

Philostrati lib. VIII. de vita Apolonij Thianæi.

Laur. Vallæ de gestis Ferdinandi regis Aragonum.

Staphili de gestis Caroli V.

FINIS.

FRAN-

FRANCISCI PATRITII DE HISTORIA DIALOGI X.

IOANNE NICOLAO STVPANO Rheto interprete.

GIGANTEVS DIAL. I.

Franciscus, Patritius, Alphonsus Bidernutius, Giganteus.



EMPLVM divo Francisco dicatum; cùm hodie fuissem ingressus, ut peragendis ibi sacris interessem: fortè illic aderant, eandem ob causam, viri tres amicitiæ vetustate nobis coniunctissimi; Benedictus Barisellus, Camillus Sabãtius, & Alexander Priamus. Quibus m[...]ne adiunxissem, peractis iam sacris, discessimus, & lentè versus Sancti Marci Palatium procedendo, de varijs iocundisq; rebus, præsertim verò Historijs quibusdam disputavimus. Nam & Barisellus nobis aliq[...] [...]ravit de Foro Iulij patria nostra Bidernuti antiquissima, deque vestris Maioribus: nonnullas Sabantius & Priamus etiam recensuerunt de Veronensi urbe & Scaligeris nobilibus. Quo factum est, ut rerũ earum novitate propemodum obstupuerim, eoq; colloquio incredibilem voluptatem perceperim. BID. Iocunda fuit illa & digna societas, Patriti. Nam & Historia, uti mihi quidem videtur, egregia res est, & supra modum utilis: quam meritò omnes homines politici senatores, & principes, sibi comparare, magnoque studio familiarem reddere debent. Habet enim omnem vivendi rationem, & tam privatorum quàm potentium cæcæ instabilisq; fortunæ exempla continet: hæc versat, sursum deorsumq; rotat familias, urbes, respublicas, imperia: Neque quicquam est, quod magis sapientibus quàm historia prosit, ut sese adversæ fortu-

nę opponere, aut illius violentiam prudenter evitare queant: quod tanquam in speculo seu theatro potius omnis generis rerum humanarum felices infelicesq; eventus proponat. Quare illius studium, quicunque aut res proprias rectè administrare, aut in Republic. & principum aulis cum laude versari cupit, aut princeps egregius censeri velit, cæteris omnibus præferat, ei dies noctesque incumbat, ut eius commoditate in omnibus vitæ casibus fruatur, habeatque ex aliorum infortunijs, fortunatè vivendi rationem. PATR. Multa sæpe de historiæ laudibus, pręclare dicta memini Alphonse, & placet etiam idipsum, quod ex te iam audio, fidem habeo omnibus: sed aperiam nunc quod diu animo mecum reputavi, cælaviq; hactenus, quoniam metuebam, ne si cui id patefacerem, me hebetioris ingenij æstimaret: nam etsi fortè talis sum, nolim tamen errores meos omnibus patere: tibi verò atque Giganteo, id aperire audebo, si modò promittatis, vos non id populo deinde patefacturos, quòd vos præ cæteris plurimum amem, speremq; me in rebus historiam aliaque negotia concernentibus, à vobis erudiri posse. GIGAN. Dic liberè, neque enim ex me quisquam sciet. BID. Neque quisquam ex me, PAT. Subridetis: sed quicquid sit, quoniam fructum aliquem hinc spero, ingenuè vobis confitebor, nescire me adhuc nunquam scire potuisse quidnam esset historia. BID. Qui hoc? An non paulo antè dicebas historias esse, quas ex nostris amicis audivisses? PAT. Dixi ego sanè, & scire mihi quoque videor aliquid de ea, nempe quòd narratio quędam sit, sed quæ, qualis, & quarum rerum, id planè ignoro. BID. Res talis est, quam omnes propè intelligunt: nam dicit Cicero esse rerum gestarum, & remotarum à nostra memoria. Sed numquid tu hisce adversum habes? PAT. Hoc habeo, quòd me hoc dicto magis adhuc intricasti. nam si id historia est quod dicis, multò magis iam ignoro, quid ea sit, quàm anteà. BID. Iocaris ne tu, an seriò dicis? PAT. Imò verò seriò dico, & id vel iureiurando confirmare possum. BID. Quamobrem quæso? PATR. Dicerem certè, nisi

time

timerem mihi vitio verti, quòd de ijs quæ à tanto viro pronunciata sunt, dubitarem, vosque ei tantopere addictos ægrè fortassis laturos. BIDER. Isthæc mihi verba videntur. Dicendum est liberè cur ita sentias. PATRIT. Quoniam ita videtur, dicam: Aristoteles, si bene memini, scripsit historiam animalium: Theophrastus plantarum: Plinius universalem totius quasi naturæ. BID. Et quid sit illud? PATR. Fortè nihil: sed tamen sunt ne illæ magis rerum antiquarum, quàm recentium? BID. Non: PATR. Neque rerum ab hominibus gestarum. BID. Non sunt. PATR. Eodem modo nec qui bellum inter Paulum IIII. pontificem Maxim. atque Albæ ducem, altero ab hinc anno gestum scripsit, res à memoria nostra remotas narravit. GIGAN. Non ita leve est istud, Bidernuti, quod Patritius in dubium vocat, sed dignum de quo dili... considerem⁹. BID. Est ut dicis certè: fiat. ...R. Ego verò ista sæpe mecum cogitavi: neque ta... ...ple me unquam potui extricare: sed quantò ea ...s perpendi, tantò magis implicari me ani... Quare rogo vos ambos, ut quoniam in ...sputationem sumus ingressi, explicetis iam ...idnam nostra hæc historia sit. BIDERN. ...o iam satis, quod me attinet, reliquum Gi...nditer explicet. GIGANT. Quantum e...lem video, non facilè, Patriti, tibi per omnia satisfecero: quoniam tamen non est omnino negligenda hæc res, ideo tibi aliam historiæ definitionem, itidem ex Cicerone adferam. Historia est narratio rerum gestarum, sicuti gestæ sunt. Placétne hæc? PATRIT. Poterit hæc fortè bona esse & vera, sed tamen in re de qua maximè sum sollicitus, nolim dubia pro certis amplecti. Quare dicite quæso hic, quas res gestas vocatis, numquid omnes quæ in hoc universo sunt factæ. GIG. Omnes proculdubiò. PATR. Videlicet ut si quis, quo pacto factæ essent caligæ, vestis aut domus extructa, narraret, is etiam historiam scriberet? GIGANT. Maximè talis enarratio, quo pacto res istæ factæ sint, historia est: sed Cicero, uti mihi videtur, nó

de tam minutis humilibusq; rebus intelligebat. PAT. Verùm de magnis scilicet atq; sublimibus. GIG. Ita, sublimibus. PATR. Quemadmodum si quis enarraret quomodo nubes, pluviæ, venti & fulgura generentur: aut fortè sublimioribus adhuc atque maioribus, ut quo pacto luna cornua renovet, eclipses fiant, planetæ coniungantur, cœli versentur: quanto item tempore annus magnus constet, & hisce similibus? GIG. Video te iocari: sed tamen ut scias, forent hæ quoque historiæ: quamvis neque de hisce quidem dixisse Ciceronem existimem. PATR. De quibus ergo dixit? GIG. De iis quas homines agunt. PATR. Et quas prius recensui, nonne ab hominibus factæ erant? GIG. Erant illæ quidem, sed neque illas nec alias ullas arte confectas intellexit. PAT. Non iam ergo intelligo. Historia est rerum ipsius hominum contemplationis causa confectarum narratio. GIG. quid hoc tibi dicere velis, iam ego planè nescio. P Cuiusmodi sunt Astrolabia, Quadrantes, & id s instrumenta Mathematicorum, observandarum larum causa confecta. GIG. Deus bone, quis e diei ex tus? PAT. Non hæc putas? Quomod de Thalete historia refertur, quòd dum amb cœlum contemplaretur, in foveam inciderit. tis nugarum iam, Ciceronem puto historiam lare narrationē rerum ab hominibus politic rum. PAT. Agricolæ verò, nautæ, & alij eius generis homines, frustrà erunt? GIG. Aliena sunt hæc à nostro proposito, adeoq; omnia ab historia excludo, ecquid tibi vis? PAT. Alinomus hoc modo, quem ex paupere hortuli cultore Alexander regem Paphi creavit, non caderet in historiam: neque rectè fecisset Plutarchus, qui machinas ab Archimede, in Syracusarum obsidione artificiosè excogitatas, recensuit. nec Portugallenses & Castellani navigationum suarum historiam nobis relinquere debuerunt: ineptéq; & frustrà laborem susceperunt, qui sanctorum patrum historias scripserunt, quòd hæc in historiam non cadant. GIG. Iam nimiū sophisticè negotiū implicare videris, uno verbo dico:

dico: Historiam esse narrationem rerum gestarum à Regibus aut Rebuspublic. BID. Et hoc ipso nihil dicis. Obijciet enim Patritius, qui Indicas navigationes, & Vitas Eremitarum scripserunt; an non historiam composuerũt? Quod certè si negaveris, facies iniquè. Accedũt huc res gestæ multorum heroum, qui neque reges, nec Rerumpub. principes fuerunt, sed exules: an non potest eorum esse historia? Perpende modò rem accuratè, certè enim Patritij argumenta æquè benè tuę sententiæ repugnant, atque prius meæ. GIG. Quocũque modo res habeat Bidernuti, hęc mea sententia, est hominum eruditorum, maximè verò antiqui illius. PATR. Cuiuscũque tandem sit, non illam refutabo sanè, sed quod dixi, id feci in eum finem, ut intelligeretis verè à me atque seriò dictum esse ab initio, quòd ignorarem quid historia esset: Et id quidem ob difficultates quas undique video. BID. Id an ita sit nescio: sed hoc benè novi, effecisse te, ut quod pri⁹ scire nos putabamus, id nũc planè nesciamus: novimus etiam, te rem multò melius tenere, quàm fatearis: quare æquum est, ut tu iam nobis quid historia sit, explices: PATR. Næ tu homini imperito iam loqueris, sed qui erudiri cupit. Quod etsi ex quotidiana conversatione optimè intelligatis, censeo tamen, quoniam eò usque in hac disputatione sumus progressi, ut omnes simul coniuncta opera, rem accuratè pensemus, vestigemusque quidnam historia verè sit: apparet enim neutrum veram ex Cicerone definitionem adhuc attulisse. BID. Præclara quidem res hæc foret: sed unde eius initium sumeremus? PATR. Istud verò onus per me tuum sit. GIG. Per me itidem. BID. Sed non ita tamen, ut in hac ceu ignota regione, me planè deseratis. GIG. De hoc ne dubites. BID. Ergo quod fœlix faustumque sit, exordiar. Duo omnino præstãtissimi viri fuerunt, qui de historia, aliquid literarum monumentis prodidêre, Lucianus inter Græcos & inter Latinos Pontanus: quare non ineptè facturos nos existimo, si sumpto ab ijs initio, expẽdamus diligenter quæ de ea tradiderunt. Illinc namque spero,

quid historia sit deinde facilè colligemus. PATR. Optimè tu quidem rem aggressus es, nec melius potuisses: perge igitur, & hos ipsos imitare. BID. A quo autem eorum sumemus initium? ab antiquiori? GIGANT. Ab antiquiori. BID. Audite ergo attentè. Placet Luciano in historia scribenda, octo esse potissimùm consideranda, Principium, ordinem, finem, res quæ vel silentio prætereundæ sint, vel enarrandæ, atque harum, quasnam obiter tantùm dicere conveniat, & in quibus sit diutius immorandum: quomodo denique res gestæ narrandę sint. Sed antequam hæc singula explicare, ut ipse facit, incipiam, vellem mihi diceres Patriti, an is tibi benè negotium aggressus esse videatur? PATR. Ego verò, Alphonse, cùm usu, tum natura ipsa, hosce magni nominis viros tantum revereri consuevi, ut in ijs etiam sæpe consentiam, à quibus animus meus planè abhorret. BID. Ecquid hisce verbis tibi vis? PATR. Idipsum mihi nunc usuvenire. Nam ob viri authoritatem comprobare cogor eius de historia differendi rationem, quamvis animō longè diversum sentiam. Neque hoc tibi libenter confiteor: nam posses me fastidiosum nimis æstimare: deinde metuo, si me non assentiri sibi resciverit, ut est insignis derisor Lucianus, si quis alius, ne ceu levem pilam in aerem, ita me in omnium ora deridendum conijciat, tandemque huius facti serò pœniteat. GIG. Hoc verò ridiculum est, an non centeni anni, ab eo quòd vita functus est, aliquoties elapsi sunt? PATR. Non tamen propterea fidere ausim: metuo enim eius existimationem. BID. Pro ea ego spondebo: neque enim fuit magnopere eruditus, sed iocosus & derisor. PATRIT. Non fuit insigniter eruditus Lucianus? BID. Non sanè, sed insignis derisor, uti dicis, in ethnicorum aulis versatus. PATRIT. Videtis ergo quæ mea simplicitas sit, qui nesciam adhuc de huiusmodi hominum existimatione iudicare. BIDERN. Omittamus ista: dic quid est illud quod tibi animus, adversus ea quæ recensui, dictat. PATRIT. Dicam planè ut dictat, ita mecum loquitur: Si cupias scire umbra mea

quid

quid sit homo, an non investigas illius definitionem? tum ego, investigo, inquam: & eam quidem talem, inquit is, quę ei propria sit, neque cuiquam alteri conveniat? Propria inquam. Qualis est, inquit, si hominem definiamus, animal constans capite, duobus brachijs, binis pedibus, pectore, ventre, femoribus? Fortè est, respondeo. Quòd si autem, inquit ille, Simiam aut Satyrum lubeat definire, annón etiam ea animalia dicis unius capitis, duorum brachiorum, & totidem pedum, quæq; pectus etiam habeant, ventrem & femora? Dicerem. Quomodo ergo, ait is denuò, definitionem hanc hominis propriam esse affirmares, cùm alijs etiam competat? Nullo modo, respondeo stupidus. Hæc verò ei propria erit, inquit, Homo est animal rationis particeps, mortale: neque enim aliud ullum animal participat ratione, nec quisquam Angelus aut Dæmon est morti obnoxius. Rectè inquam, vera est, & propria hæc hominis definitio. Sed quid hinc concludis anime mi? In quærēda rei alicuius essentia, respondet, non oportere eam in membra partiri, quæ omnia alijs rebus itidem conveniant. Verum dicis, inquam: sed quid hoc ad rem? Neque quid historia sit, posse cognosci, inquit ex eo, quòd eam talé aliquod principium requirere sciamus, medium atque finem: non enim sunt hæc solius Historici, sed omnibus alijs scriptoribus, itidem competunt, adeoq; omnibus ferè alijs etiam rebus, quæ in hoc universo existunt. Verum dicis, respondeo, Propterea, inquit præcipiendum est Poetæ, Philosopho, Oratori, alijsque scriptoribus omnibus, ut certo quodam exordij genere utantur, certa ratione procedant, & certo demq; modo finiant. Hoc ita est. Eodemque modo, inquit, observandum oratori est, ut hæc quidem dicat, illa verò non: & eorum quæ dicenda sunt, alia breviter significet, alia copiosè exponat; & alia alio quodam modo recenseat. Vera sunt quæ dicis anime mi, respondeo. Non sunt ergo, inquit, mea Vmbra, Luciani præcepta historico propria, quare neque nos docere possunt quid historia sit. Atque hæc quidem Al-

phonse, multaq; hisce similia, mihi animus meus in præsentia dictat: ego verò aliorum authoritate motus sæpe hisce contraria pronuncio. BID. Non desunt animo tuo argumenta Patriti: atque hoc non advertit certè quod hæc Luciani historiæ præcepta, etsi aliorum quoque scriptorum communia sunt, tamen alia quadam ratione ad historicum, quàm alios scriptores referuntur: nō aliter videlicet, quàm diversa forma est capitis, brachiorum, pedum & aliarum corporis partium in homine, quàm in simia, aut satyro appareat. PATR. Atque hisce iubet animus meus respondere Bidernuti, verum quidem illud esse: sed non posse tamen rei cuiusquam essentiam, ex partibus ijs, quæ simul iunctæ totum constituunt, cognosci, quòd hæc alio quodam modo sit vestiganda. GIGANT. Rectè profectò animus tuus dicit Patriti: Sed hoc vellem diceres Bidernuti. Verum scribere, putésne historico esse necessarium? BIDER. Imò verò maximè, & nunquam mentiri. GIGANT. Si ergo vera sunt quæ scribit, qua de causa aliqua obiter tantùm significet, quædā silentio prætereat, nonnulla augeat & amplificet? BIDER. Facilis est responsio Gigantee, obiter enim significare dabat res parvi momenti, cuiusmodi esset ducis pileus albis plumis exornatus, aut lanceæ acies pensili serico decorata. GIGANT. Benè dicis, præteribit autem silentio, quot numero unam aliquam expeditionem susceperint, quot uno in prælio occubuerint, quo tempore & loco hæc & similia gesta sint. BIDERN. Tu verò cupis derideri. GIGANT. Nequaquam cupio, sed hoc contendo, nihil hactenus Lucianum bene dixisse, firmaque adhuc esse Patritij argumenta. BID. Non ita statim fuerit à tam celebris viri sententia discedendum Gigantee, nam si non hactenus satisfecit Lucianus, fortè posthac faciet: dummodò porrò attendas. GIG. Id verò maximè vellem, si modò faceret. BID. Pergit is, & duo adhuc historiam scripturo præscribit, quorum unum, quid sit in scribendo vitandum docet, alterum quid sequendum. Vitare enim

debet falsum, & cavere ne Poëticas fabulas mentiatur. Numquid rectè hoc? GIG. Rectè. BID. Præterea non debere historicum eum finem sibi proponere, ut delectet, quòd hoc etiam sit Poetarum, sed ut prosit. GIG. Hoc quoque bene dicit. BID. Vitandum quoque, ne in laudem principum ac ducum, qui suæ partis sint, aut in alterius vituperium plus satis dicat, quòd hoc suspectam reddat historiam. GIG. Aequum est etiam istud. PATR. Vultis ut sermonem vestrum interpellem, & de scrupulo quodam scisciter? BID. Libenter. PATR. Si scriberem historam fortè gentis alicuius quæ nec mihi adversa, neque amica esset: aut si bellum quod nunc inter binos reges geritur explicandum susciperem: licerétne alterutrum laudare ac vituperare, cùm neuter altero amicior esset? BID. De hoc nihil iam pronunciabo. Lucianus istud tanquam minutum præterijt. PATR. Videtis quæ mea simplicitas sit, putabam ego hoc magnum quiddam esse. Sed neque mirum videri debet, si de hisce dubitem, cùm sollicitus etiam sim de re, quæ fortè hac minutior fuerit. BID. Quæ nam illa est? PATR. Si philosophi alicuius vitam scribere statuissem, qui nunquam fuisset dux, sed studijs suis intentus semper vixisset, forétne hic laudandus vel vituperandus? At fortè negabitis, istud historiam esse; cùm eam ad solos duces & principes referatis. BID. De hoc in progressu disseremus. Debet autem etiam vitare historicus dictionem Poeticam, nimiamque in referendis minutis illis rebus diligentiam: quam, etiamsi Poetæ studio sectentur, tamen ab historico, ceu verum à falso, procul esse oportet. GIG. Ea de causa videlicet, admirationi habetur hodie recentior quidam historicus, quoniam sæpe res quasdam, etiam magni momenti præterit. BID. Iocaris tu nunc: ego res minutas & parvi momenti intelligo, qualis esse potest vestimenti, clypei, aut speluncæ descriptio, aut tale aliquid minutum ac vile. GIG. Bene est, iam rectè intelligo. BID. Non debet igitur immorari in huiusmodi minutarum rerum narratione, nec magis obiter tantùm significare. At-

que ab hisce quidem rebus cavere Historicus semper debet: quæ quidem cohærent cum quibusdam supradictis, sed eas amplius declarant. GIGANT. Sic est. BIDERN. Pergit deinde, & præcipit ea quæ in historico requiruntur: ut scilicet Reipublicæ administrandæ cognitionem habeat, gerendique belli peritiam, & ad dicendum sit aptus. Quibus accedit corporis & animi libertas, quæ eo requiritur, ut singula uti gesta sunt, liberè enarrare possit: nec tam eorum qui nunc vivunt gratiam aucupare, quàm posterorum utilitatem spectare cogatur, qui ex rebus præteritis, præsentes sibi & natis suis futuras, utiles aut inutiles metiuntur. Genus autem sermonis planum atque dilucidum sit, ut à vulgo intelligatur, & laudetur ab eruditis. Iam ista, Gigantee, num aliquod pondus habere, & bene vereque dicta videntur? GIGANTEVS. Quantum ego quidem intelligo, rectè dicta sunt: sed nescio tamen an ita quoque Patritio videatur. PATRIT. Si vos illa bene vereque dicta iudicatis, cur non mihi itidem viderentur? Sed habétne præterea aliquid de historia Lucianus? BIDERN. Dicit ille quidem plurima alia, sed quæ non nisi ad eorum explicationem faciunt. PATRIT. Possumus ergo, quid sit historia explicaturi, dicere eam, ex illius sententia, rem quandam esse, in qua certa quædam principij, ordinis atque finis habenda sit ratio, earum item rerum, quæ hìc sunt subticendæ aut enarrandæ, atque harum quidem, quæ tantùm attingendæ, aut copiosius explicandæ: in quo nihil mentiri oporteat, & reliqua deinceps attexere, quæ is consideranda proposuit. Atqui sic longissimam certè definitionem habebimus. BID. Scilicet: Non eam hìc definivit, sed quibus partibus tantùm constet docuit, & qualem illius scriptorem esse oporteat. PATR. Non ergo dixit, quid ea sit? BIDER. Id certè non definivit. PATR. Prometheum quendam mihi producis, sicuti animo quidem meo videtur, qui ad formandum hominem, hanc terram & ignem queritat, & modò hoc membrum sic fingit, modò aliud aliter efformat, & quid

quid tandem sit proditurum ignorat. BIDER. Quomodo ignorat? PATR. Ego certè an sciat nescio. BID. Nónne de historia scribit? PATR. Scribit ille quidem, sed quid est hæc historia? BID. Hoc equidem non demonstravit. PATR. Ergo uti animus meus sentit, nihil monstravit. Is enim sic mecum loquitur. Non possũ capere, Vmbra mea, qui possit quisquam rerum qualitates proprietatesq; cognoscere, ni prius quid eæ sint intelligat: atq; hanc meam opinionem velim Bidernutio & Giganteo renũties. BID. Delicatus admodũ est hic tuus animus Patriti, qui omnia fastidit. PATR. Idẽ mihi olim obiecit etiã Nicolaus Pignolatus, insignis Medicus: quare admonui illũ certè sæpius, ne ita scrupulosus esset, quòd hoc hominibus displiceret, sed immutaret hanc naturam, & aliam cõsuetudinem aliquã placidã indueret. Quibus respondet, non esse hoc sui muneris, nec posse se temperiem, quã à Deo accepisset, immutare. Non igitur huius in causa sum ego Bidernuti: sed animus meus tã durus, ut quicquid sentit pronũtiare me cogat, qui alioquin vobis assentiri vel maximè cuperẽ. GIG. Parũ refert hoc Patriti: quoniã enim de Luciano nõ inter nos cõvenit Pontanũ consulamus. nã ut fuit vir ille insigniter eruditus, fortè nobis satisfaciet: Cuius rei ego sanè magnã spem habeo. BID. Si ita vobis videtur, faciamus. Inquit autem is, historiam, non ex sua tantùm, sed etiam antiquorũ sententia, poesin esse solutã. Et quoniam mirũ cuipiã videri posset, rationẽ subiungit talẽ: uterq; poeta nẽpe & historicus enarrat res antiquas, describit loca, regiones, gentes, populos, leges, cõsuetudines. in eorumq; laudem ac vituperium vterq; dicit. Cũ enim historico proprium quodammodo sit verum profiteri, necessum est ut, quæ digna laude sunt, laudet, & contraria vituperet. Vtriusque oratio & in exornationis & deliberationis genus incidit. nam ambo deliberant, consultant in senatu, milites hortantur, digrediuntur de cursu dicendi, amplificant, verba pro rerum momentis immutant, ornant, movent, docent, delectant, augent, & extenuãt. Verborum ornatus utriq; expeti-

tur sed magis tamē Poëtæ: uterque etiam rem, de qua scripturus est, proponit, instituti sui causas reddit, rē q; ab origine prima orditur. Ac talia quidem habent inter sese communia, ait: differunt fine, quòd solam veritatis explicationem sibi proponat historicus: Poeta præterea, quicquid probabile est, sequitur, interdumque etiam talia quædam fingit, quæ esse non possunt. Numeris planè diversi sunt, & ordine item. Historia enim res eo ordine enarrat quo acciderunt, hunc autem Poëtæ plerumque invertunt. GIGANT. Videntur ista quidem, Bidernuti, explicare, in quo historia cum poësi conveniat, & in quo differat: at non certè quid sit. Adde quòd Luciano ista repugnant, qui in historia negat quicquam Poëticum esse oportere, quod tamen tu suprà omisisti. BID. Verum dicis: sed exponam nunc etiam quid historiam esse velit. GIG. In hoc certè vertitur cardo. BID. Vult Pontanus historiam rebus & verbis constare. Res ordinem maximè requirunt: quare certa serie recenseri debent. Enarrandas præterea in historia sæpe esse rerum gestarū causas, ducum ac principum consilia, Rerum publicarum vires, civium mores, belli apparatus, & in ipsorum bellorum descriptionibus, explicandos esse etiam locorum situs, montes, valles, castra præterea quomodo posita, qui exercitus progressus, qualis instructa acies ostendendum: quæ gentis & civitatis cuiusque origo, quæ aëris marísve tempestas sit, enarrandum, & describendas ipsas quoque conciones, quæ ad milites habentur, & alia hisce similia exprimenda. Quæ omnia dilucidè explicata, tantùm certè utilitatis hominibus afferunt, quantum ipsæ leges, quòd sicut ex hisce præcepta, ita ex illis rectè vivendi exempla habeamus. atque hoc quidem illud est, quod Pontanus historiam esse existimat: debetque tibi id, vel eo nomine satisfacere, quòd simul etiam, quanta eius vtilitas sit, exposuerim. GIG. Multa certè præclara de historia, Alphonse, iocundaque narrasti: quæ etsi non explicant quid illa sit, tamen mihi satisfieri ijs paterer, si modò idem de Patritio mihi polliceri auderem

rem. PATR. Per me quidem Gigantee, non est quòd tibi satisfieri non patiaris: si enim ego præclaris ijs rebus, quæ iam explicatæ sunt, fidem habere noluero, mea, non aliorum intererit. Videor autem mihi similis esse natatori audaculo, qui, etiamsi prius aquam nunquam fuerit ingressus, tamen prima vice, sine utribus aut alia re qua sustineri queat, audeat natare. Tu verò Alphōse prudētiori consilio: quāvis enim ipse sis nandi peritissimus, ut tamen securior sis, ad antiquorum autoritatem ceu utres quosdam, inter natandum profuturos, confugis. Facis in eo prudenter: & ut ingenuè fatear, malim ego, si possem, hunc animum meum mutare, quoniam nunquam sinit, ut ijs acquiescam, à quibus ipse dissentit. Quare condonabis mihi, quæso, nunc quoque, si in tuam atque Pontani sententiam descendere nequeo: quos tamen ambos magni facio, & scio quantum tu possis præstare, & quanta sit venerandi illius senis eruditio. BID. A qua igitur parte dissentis, prima ne an secunda? PATRIT. Ad primam quid dicam sanè nescio, nisi quòd historiæ qualitates prius sciri nequeant, quàm quid ea ipsa sit. BID. Ad secundam, quid obijcis? PATR. Docere quidem Pontanum, ex quibus historia constet: & quis sit illius finis, sed non monstrare quid illa sit, cum tamen is primus noster scopus fuerit. BID. Quomodo hoc? Si enim hominem ex corpore & anima compositum esse dicerem, eumque caput, pectus, humeros, aliasque partes habere docerem, an non quid is esset demonstrare tibi viderer? PATR. Videreris quidem animo eas explicasse partes, ex quibus integer componatur, sed essentiam illius ac formam, nondum certè demonstrasse. BID. Sed non parum tamen præstitisse Pontanus censendus est, qui isthæc explicans, ita propè accessit, ut ex ijs, quid historia sit, facilè queat investigari. PATR. Ad hoc obijcit nihil, sed cætera, quæ ex binis hisce præstantissimis viris adduxistis in hac disputatione, aut levia sibi videri ait, aut historico cum alijs scriptoribus communia. Quæ si ita sint, an non, vos dijudicabitis. BIC. Quin tu

ergo Patriti efficias, ut scrupulosus ille animus tuus rem nobis explicet, cui nemo satisfacere potest. Neque enim quicquam laude dignum fecerit, si aliorũ rationes in dubium vocet, ac refellat, ipse verò nihil melius afferat. GIG. Fortè nos in hoc non male erudire poterit Robertellus, amicus tuus Patriti, quem scimus præstantem esse virum, & de eadem hac re aliquid scripsisse audimus. PAT. Robertellus præceptor mihi fuit, & ego illi infantem ex sacro baptismate suscepi, vir est proculdubio summæ eruditionis, & qui scire optimè possit quid sit historia. Nolo tamen ad eum ingredi, ne hic meus animus irritatus, & quasi extra se me fortè cogeret aliquid pronunciare contrà quam requirat amor & reverentia, qua eum alioquin prosequor. Quare transeamus ad alia.

FRANCISCI PATRITII

BIDERNVCCIVS DE HISTORIAE DIVERSITATE, DIAlogus II. Ioanne Nicolao Stupano *Rheto interprete.*

IOAN. GIGANT. ALPHONS. BIDERNVC. Franciscus Patritius.



TRANSEAMVS, ita tamen ut non negligamus interim, ecquid isthæc historia sit, investigare, cùm hac die, illa nobis tantum laboris peperit. BID. Non sanè, est enim istud omnino quærendum. PATRIT. Quærite, sed de me non est quòd aliquid speretis. ego enim sicut ab initio dixi, planè id nescio. BIDER. At necessum est certè Patriti, ut quoniam ingenio tuo, quod prius nos scire putabamus evertisti: nodos hosce solvas, & ademptam quasi nobis scientiam restituas. GIG. Hoc nimirum

nimirum decet, ut facias. PATR. Deceret equidem, ſed oſtendet vobis animus meus iam, ſe iſtud ignorare, & id quidem aperiendo declarandoque ea, quæ huic cognitioni obſtiterunt: fortè enim ſi illa quæ dubium eum reddiderunt, diligentius examinaveritis, deprehendetis quidnam hiſtoria ſit, quòd remotis ijs, quæ cognitioni adverſantur, ſolent deinde res facilè intelligi. EIDER. Bene habet, declaret ergo iſta nobis, & quidem ſtatim. PAT. Sed cupit apud vos primùm excuſari, quòd ſe vobis oppoſuerit, quibus cùm eruditionis tum reverentiæ cauſa, & benevolentiæ, quas utrique debet, omnibus modis concedere debuit. Culpam verò omnem in Philoſophiam ipſam transferetis, à qua fuit antehac crudeliter tractatus atque corruptus, ita quidem, ut eam modò malignam quandam fœminam æſtimet, quæ carminibus quibuſdam dæmoniacis, ingenuos hominum animos irretiat, deq; rebus, quorum cauſas ipſa ignorat, ſollicitos reddit, adeoq; omnium rerum ignaros, & propemodum ſtupidos reddit: Cuius rei in me ipſo, proh dolor, habeo experimentum. Nam cùm duodecim iam annos me ei credidiſſem, cor meũ morſu neſcio quo, plus quàm viperino apprehendit, ita ut veneno per arterias ſubitò in univerſum corpus diſtributo, intumuerim ſcientiæ quadam vana perſuaſione vehementer: donec ſcilicet ad maturitatem reductus tumor diſflari ſubſidereque cœpiſſet, quo fit ut iam vix me ex tumoris eius digeſtione ampliusPhiloſophum agnoſcam: quin imo decreſcendo Rhetor factus ſum, & ſi Dijs placet, etiam Poeta. Ac certè ſi ita perrexero, uti cœpi, neſcio quid intra paucos annos aliud debeam ſperare, quàm ut Idiota quolibet indoctior evadam, quod proinde eò magis metuo, quò magis video venenum hoc, altiùs uſq; ad ipſas medullas penetraſſe, neq; poſſe me amplius mihi ipſi temperare. Quare omnium ingenuos animos hortor, ſi modò eò, ubi ego hæreo nunc, nolint venire, ut huius Circes amicitiam planè devitent, quòd quoſcunq; apprehenderit, eorum animos oblivionis quodam poculo,

in nescio quas formas transmutet. Atque id magis etiam Politicis hominibus dictum volo, quos scio, si eam paulò magis familiarem sibi fecerint, ad Reipub. gubernationem inutiles reddi, omnemque intellectum amittere. Si verò quis suavissimo eius aspectu delectetur, ei suadeo, ne se ipse, suumque ingenium perdat (quod re qualibet clarius habere debemus) sed à prima tantum facie eam intueatur, & primoribus solùm labris degustet: in eius autem altiora penetralia, si modò salvus esse velit, minimum descendat. Nam talem esse Philosophiam, quæ homines perdat, & à mente reddat alienos, amplissimè comprobatur opulentorum & omnium præpotentum testimonio: quos certè iudicio præ cæteris omnibus pollere, nemo dubitaverit. Quoniam intellectus vel spontè eos comitari videtur, eisque quisque suum parvi pretij spe donare consuevit: adeoque cùm à natura, insignem quandam familiaritatem aurum cum sapientia habeat, fit necessitate quadam, ut hæc illos sicuti canis leporem sequatur & appetat. Atque omnes hi Philosophos tanquam ineptos stupidosque (uti re vera sunt) contemnunt. Quæ causæ omnes certè me movent, ut vos ambos amicè horter, ad Magam hanc Philosophiam procul fugiendam: si modò velitis dignitatem vestram tueri, & honestissimo huic muneri præesse, quo in foro bonorum civium causas agitis, qui linguæ titubantia aut timore seipsos in Iudicijs defendere nesciunt. Te verò inprimis Alphonse moneo, ut illam relinquas, iam enim videris ea esse infectus. nam doleremus profectò omnes, non immeritò, si ingenij tui placidissimi, & insignis illius dexteritatis, ac eloquentiæ tuæ iacturam, hoc modo faceres. Nec minus te quoque Gigantee cavere velim, ne illius amore capiaris, si modò humanitatem tuam, qua omnibus hominibus admirationi es, conservare cupias: subitò enim te severiorem, magisq; austerum efficeret. Cavete ergo vos ambo: & simul mei commiseremini, quem illius malitia, ita infectum perditumque videtis. GIG. Totum hunc diem iocis præter

soli-

ſolitum, contererc videris Patriti, nosque ludibrio habere, at minus rectè agis certè, ſed nos admittemus tamen iam tuam excuſationem libenter, dummodo accedas tandem ad dubiorum eorum explicationem, uti promiſiſti, quę & te & nos intricarunt. PAT. Faciam ſanè, & id quidem prout mihi iam animus dictaverit. GIG. Bene habet, ſed incipe iam. PAT. Cauſa ergo quę mihi hactenus obſtitit, quo minus intelligere potuerim, quid eſſet hiſtoria, eſt quòd infinitas quaſi eius differentias viderem, quas una definitione comprehendi non poſſe æſtimo, & ſi fortè poſſent, non tamen eam invenio. Quare ſi vos, poſtquam omnes eius diverſitates modosque expoſuero, unam omnibus definitionem accommodare potueritis, ſcietis certè quid ea ſit, & ego vos tanquam deos adoravero: ſi neque vos id facere potueritis, ignorantiam hanc etiam mihi condonatę. GIG. Inveniemus, perge tu modò. PAT. Quantum ex multa hiſtoricorum lectione deprehendere potui, duobus modis hiſtoriam ſcribere aggreſſi ſunt noſtri maiores, nam aut res maioris aut minoris mundi enarrarunt. Sed mihi altius volare videor, quàm par ſit. ſcis enim, credo Alphonſe, earum rerum cauſas, quæ in hoc univerſo generantur, ad Philoſophos pertinere. BID. Scio, eſt eorum muneris cauſas explicare. PAT. Noviſti præterea ex cauſis naſci effectum & non econtrà? BID. Novi id quoque. PAT. Cumque inter ſe ad aliquid affecti ſint: duo ea eſſe, & non plura. BID. Et hoc itidem novi. PAT. Veriſimile etiam eſſe, qui cauſam intelligit, eum effectum quoque cognoſcere? BID. Verum eſt. PAT. Et ſi hæc ſingula intelliguntur, poſſe quoque ſimul ambo intelligi? BID. Hoc etiam poteſt ita habere. PAT. Cauſarum ergo cognitionem num dicemus ad Philoſophum pertinere? BID. Sic dicemus. PAT. Cauſarum autem unà cum effectibus ſcientiam cui tribuemus? BID. Itidem Philoſopho, quoniam cauſarum facta eſt mentio, quæ ſolius Philoſophi ſunt: PAT. Cuius autem erit ſolius eventus cognitio? BID. Cuiuſlibet, dummodo non ſit ijs ſenſibus orbatus, quibus res

obiectas percipere queat. PAT. Optimè dicis, sed quo nomine scriptorem appellares, qui solos rerum eventus absque ulla causarum mentione, narraret? BIDER. Fortasse voles hunc historicum esse? PATR. Dixisti: & si videatur, in Philosophica quæstionis explicatione, aliquantulum ero Grammaticus, nec fortè vobis in hoc displicuero. BID. Tu verò perge, ut tibi placet. PAT. Historiæ historicique vocabula Græca esse scitis. BID. Scio. PAT. Scitis etiam unde formentur, & originem suam habeant? BID. Non ego. PAT. Mihi ergo in hoc fidem habebitis. nam tantam utique illius linguæ cognitionem habeo, quæ ad explicandum hoc sufficiet. BID. Explica igitur. PAT. Quidam linguæ Græcæ insigniter peritus formavit historiam, ab εἴδω quod video significat, quoniam soli rerum eventus, sub sensus cadant: Videre auté hic, idem quod sentire significat: atq; hoc modo historia erit, rerum per sensus facta comprehensio: Quidam aliter interpretantur, quorum sententiam si audieritis, eam quæ magis placet, amplecti licebit. BID. Expone nobis eam. PAT. Aiunt ij ὁράω ὁρῶ Græcorum lingua esse, video: εἰς deinde idem quod in: quibus compositis, oritur εἰσοράω: & paucis hinc immutatis, ἱστορέω, quod idem valet, ac in rem ipsam oculis intueor: atque hinc historiam derivari: quo fit, ut magnus quidam vir, eam narrationem vocet earum rerum, quas proprijs oculis quis vidit. BIDER. Græca hæc etsi non bene intelligam, tibi tamen in hisce fidem habebo. PAT. Sic decet, sed scitis ne oculos, præ cæteris sensibus, ad rerum cognitionem facere? BID. Scio. PAT. Et solos effectus, cùm oculis cerni, tum reliquis sensibus comprehendi? BID. Videlicet solos. PAT. Narratio ergo effectuum, quæ sub sensus cadunt historia erit. BID. Prout tu interpretaris. PAT. Etiam secundum authoritatem gravissimorum scriptorum, qui cùm de solis eventibus & sub ipsos sensus cadentibus rebus scripsissent, libros suos historias nuncuparunt. BID. Qui nam illi sunt? PATR. Recensebo tibi primùm eorum exempla, qui

maioris mundi, deinde etiam qui mundi minoris, historiam confecerunt. Et primò quidem se offert Plinius, qui de omnibus totiùs mundi rebus scripsit, adeoque universalem quandam totius Naturæ historiam composuit. BID. Hoc verum est. PAT. Fuerunt deinde alij, qui de partibus ipsius mundi maioris historiam scripserunt. Sic enim Iginius cœlum descripsit. BID. Ita est ut dicis. PAT. Aratum verò an non inter historicos referemus, quamvis poeta videatur? BID. Si ita tibi placeat. PAT. De terrestri deinde parte mundi universa, historiam scripserunt Ptolemæus, Strabo, Solinus, Mela, & de eius quibusdam partibus scripsit Ioannes Leo, qui Aphricam, Portugallensiumque & Castilianorũ navigationes in novum orbem enarravit: an non hæc partium orbis terræ historiæ sunt? GIG. Sunt illę quidem historiæ, sed mixta tamen, quòd præter locorum descriptionem, etiam gentium mores, animantium & plantarum quarundam formas explicent, & aliquorum regum potentiam, & alia similia hisce complectantur. PAT. Benè dicis: fuerunt qui de maioris orbis parte, utpote de una sola provincia historiam scripserunt. sic enim Leãder Italiam descripsit, ac alius quidam Germaniam, & alij alias regiones, & quidã alicuius provinciæ partem aliquam, sicuti Coppus Istriam, ut mixta historia sit appellanda: nec deerunt, qui parva quædam loca historicè enarrarint, utpote lacus, flumina, montes, urbes, quæ omnia certè in numero historiarum, terrestis mundi partis, censenda veniunt. BID. Placet mihi hoc. PAT. Iam consideremus omnes quæso simul, an non Topographiæ, Chorographiæ, locorumque & regionum in tabulis expressio, sint historiæ nũcupandæ? nam ut in usu frequenti sunt, ita certè videtur esse descriptiones locorum in sensus ipsos incurrentes. BID. Non ineptè inter historias recenseres fortassis, si pro descriptionibus narrationes essent. PAT. Rectè tu quidem, tamen possumus has historias vocare, donec inter nos constet, quid historia sit: fortè enim aliquid aliud quàm narratio erit, BID. Fiat ergo

ut placet. PATR. Si velimus ergo de ijs differere, quas historias esse constat, quæque etiam hoc nomen à suis authoribus sunt consequutæ: inveniemus eorum multas, de ijs rebus esse conscriptas, quæ ortum & interitum habent: cuiusmodi est de mineralibus Alberti & aliorum, Orphei de gemmis quamvis eas poeticè descripserit, Theophrasti & Dioscoridis historia plantarum. BID. Sic se hæc habent. PAT. Aristoteles deinde universam historiam animalium conscripsit, & Oppianus & Ovidius carmine, cum quibusdam alijs recentioribus de piscibus. fuerunt quidam alij, qui de solis terrestribus animalibus scripserunt: nec deerunt in posterum, qui de aliqua solum stirpis aut animalis specie, utpote de aliqua ave aut pisce hoc idem præstabunt. BID. Intelligimus, hæc ita sunt certè. PAT. Colligamus ergo differentias historiarum, quas de maiore mundo conscriptas videmus. Sic enim deprehendemus aut de universo eo esse compositas, aut de parte illius altera, cœlesti scilicet aut elementari. & huius quidem, vel de ipsis elementis integris, utpote Terra aut Aqua: vel de eorum partibus, vel de rebus denique ex elementis ipsis compositis. Atquæ hæ aut perfectæ sunt iterum, aut imperfectæ: & quæ sunt perfectæ, vel animam habent, vel eius expertes existunt: Quæ verò animâ participant, denuo vel sensu carent, ut plantæ; aut sentiunt, ut animalia, sive terrestria ea sint, aut Marina, aut Aerea: & sub hac divisione certè, si vobis ita videatur, omnes historiæ suprà nuncupatæ differentias comprehendemus. GIG. Sic certè omnes hic cõprehenduntur. PAT. Sin aliquas fortè omisissem, forent tamen ad has referendæ. GIG. Forent. PAT. Sin aliquis etiam de pluribus eorum, quæ ex divisione pervenerunt, simul historiam scripsisset, esset ne tamen ea, ad easdem hasce classes referenda, utpote mixta? GIG. Qui ni, esset. PAT. Præterea esset ex eodem hoc genere historiæ mixtæ, si quis de rebus suprà nominatis unà cùm minoris mundi una aliqua re scriberet? GIG. Esset utiq;. PAT. Ecce iam quæso Gigantee tuque Alphonse, an

iniuriâ

iniuriâ me nescire dixerim, quid historia esset, cùm tanta illius diversitas sit? Nec tamen mediam partem adhuc recensuimus, quòd iam memoratæ perpaucæ sint, si cum ijs quæ de mundo minori sunt scriptæ, conferantur. Itaque non iniuria Deum summis precibus sæpenumero rogavi, ut me vel unius aut alterius harum historiç differentiarum cognitione donaret, utpote de Romanarum, aut Græcarum rerum antiquitate, aut alia aliqua simili: quòd vel ijs me eruditissimum fore sperarem: sed quãtum ego video, nondum me petitionis meæ compotem fecit. BID. Quoniam videlicet ineptæ preces fuerunt. PAT. Atqui ego in eo me prudentem putabam: sed hæc iam omittamus, & eas historias contemplemur, quæ de minori mundo scriptæ sunt, quas certè infinitas propemodum inveniemus. GIG. Contemplemur. PATR. In hoc autem, velim uterq; vestrûm mihi adesset ne à recto tramite aberremus, & regredi oporteat: ut enim diversum animal est à reliquis homo, ita certè iter hoc quod iam ingredimur, varium est. BID. Perge tu modò, nos ambo advertemus, ne erres. PATR. Sic ergo facite, Ego sic incipiam: Historiarum quç de minori mundo habentur, aliæ quidem de pluribus hominibus conscriptæ sunt, aliæ de uno tantùm. BID. Rectè cœpisti. PATR. At non mihi attentus videris Alphonse, aut me certè voles fallere, quod hercle si feceris, in te quoque fallacia redibit. BID. Ecquid iam quæso dicis? PAT. Non videtis nos in trivio esse, neque scire facilè posse, quo sit ingrediendum? BID Nescio quæ trivia dicas: neque enim aliquam viæ ambiguitatem hic video. PAT. Sequimini me ergo, si viam præmonstrare nescitis, & si fortè in hoc deserto aberrare contingat, culpam simul & pœnam communem sustinebimus. BID. Placet, ingredere quò visum fuerit. PAT. Vos quoque, ne in re quapiam delinquamus, advertite. Tria omnino mihi esse videntur, quæ in hominem cadunt: nam aut animæ conceptus sunt, aut dicta, aut facta; an vobis aliter videtur? GIG. Spero hãc veram esse progrediendi methodum. PAT. Ergo hanc

ipsam sequemur. Dij faveant. ipsi verò conceptus, seu sententiæ, si quis ita malit appellare: aut unius hominis sunt, aut plurium. idemque de dictis factisque est sentiendum. BID. Sic bene progrederis. PAT. Fuerunt autem, qui communes aliquas totius gentis alicuius opiniones descripserunt, cuius generis sunt placita, quæ ad nationis cuiuspiam religionem pertinent, aut sectam aliquam Philosophorum. BID. Verũ. PAT. Atq; etiam si quis Democriti placita conscriberet, is de uno solo historiam cópon ere diceretur. BID. Diceretur utique. PATR. Idemque de eo sentiendum esset, qui aliorum dicta describeret, sive unius seu plurium essent. GIG. Idem sine dubio. PATR. Et huiusmodi quidem dicta, aut succincta breviáque sunt, aut copiosius explicata. GIG. Sic est. PAT. Brevia scilicet ea sunt, quæ proverbia appellantur, de quibus fuerunt utique qui etiam scripserunt. GIG. Fuerunt sanè. PATR. Vnius quidem viri brevia dicta sunt ioci, aut scommata & dicteria, cuiusmodi Plutarchus scripsit. GIGAN. Optimè dicis. PATRIT. Alterius generis dicta autem historia comprehenderet, qui Academicorum, Pyrrhoniorum, aliorúmve Philosophorum disputationes enarraret: cuiusmodi fortè etiam extant. GIGANT. Verum est. PAT. Et si ego aliquam moralem sententiam à Ioanne Antonio Podengo disputatam, aut ex Iure aliquid à Ioanne Francisco Bagolino declaratum enarrarem, an non dictorum unius hominis, quæ copiosius essent explicata, historiam scriberem? GIGANT. Vtique. PAT. Quamvis autem talia multa à scriptore fingi queant, non tamen dubitandum est, quin etiam re vera existere possint. GIGANT. Sic est. PAT. Videtis ergo, nos iam de solis dictis iterum sex historiarũ differentias habere, nec de factis adhuc quicquam disputavimus? Sunt autem illa quoq; aut unius aut plurium. BID. Et hoc ita est. PAT. Qui verò plurium hominum historiam scripserunt, ij aut universalem de omnibus quasi gentibus confecerunt, aut de aliquot nationum, aut de unica. Et in eorum quidem numero,

ro, qui universalem & de pluribus nationibus scripserunt historiam, Berosus censendus est, & qui Chronica exararunt, necnon etiam insignis ille historicus, qui omnium Barbarorum originem descripsit: De unica verò natione scripsit Iosephus, de solis videlicet Hebræis: quidam de Gallis: alij de Polonis: nonnulli de alijs. CIG. Intelligimus, hæc ita sunt. PAT. Atqui hæc historiæ genera, subtiliorem divisionem adhuc admittunt: nam possumus dicere, scripsisse quempiam, aut de omnibus imperijs omnium nationum, aut plurium, aut unius, aut de regnis pluribus, aut de uno. BID. Sed hæc partitio mihi nimis minuta videtur Patriti. PAT. Atque hæc cogor vobis omnia explicare, & alia item multa, si modo scire velitis quæ me animi dubium reddant: nisi fortè malitis ut taceam planè, neque deinceps vobis sim molestus. BID. Non hoc voluimus, quin tu perge, ut tibi visum fuerit PATR. Volo, ut me sic intelligatis: Vna natio plurium imperijs sæpe parere solet, Vt Italica, quæ Pontifici, principibus, ducibus, & rebuspubl. subdita est. Iam qui de Italia scribere constituit, is aut de omnibus huiuscemodi regulis scribere potest, aut de quibusdam, aut de uno tantùm. Numquid hoc tibi rectè dici videtur Alphonse? BIDER. Optimè. PATR. Sed, an nonne etiam alio quodam modo, posset quispiam scribere de origine omnium regnorum, cuiuscunque gentis, aut aliquot nationum tantùm, vel etiam unius solummodo? BIDER. Posset. PATR. Eodemque modo etiam res ab aliquot seculis gestas, aut in omni totius orbis imperio, aut aliquot regionum, aut tantùm unius? BID. Posset hoc itidem. PATR. Nec non etiam, quid nunc geratur in omni imperio, aut orbis terræ universi, aut aliquot gentium, aut unius? BID. Sine dubio. PATR. Ecce igitur novam historiæ, quæ de factis scribitur, partitionem, ex quatria membra adhuc, prioribus novem illius differentijs accedunt. BID. Video certè & simul adverto historiam permultum crescere. PATR. Sed nonne videtis ambo etiam, nullam ur-

bem cum imperio statim nasci: sed postquam conditæ sunt, tunc tandem imperium successu temporis acquirere? GIG. Mihi verò etiam cum imperio nasci posse urbem videtur, ut quæ à principe conditur, & in quam sedem regiam transfert. PATRIT. Rectè dicis certè Gigantee, neque ego istud animadvertebam, sed quæ absque imperio extruuntur, postea verò illud acquirunt, an non possent scriptores sortiri, qui enarrarent res ab ijs gestas, à tẽpore originis suæ, donec ad imperium pervenisset? GIG. Sic sanè. PAT. essetque hoc diversum historiæ genus à præcedentibus? GIG. Quid ni, esset. PAT. Adeoque posset hic aut omnes eius temporis res gestas enarrare, aut aliquot, aut unam aliquam. GIG. Posset. verum est. PAT. Qui autem earum urbium ac civitatum historiam conscripserunt, quæ alijs nunquam imperarunt, an non diversi à cæteris historicis censendi sunt; GIG. Sunt. PATR. Ijque potuerint etiam, aut omnes talis cuiuspiam urbis res gestas scripsisse, aut aliquas, aut unam tantum. GIG. Et hoc potuerint. PATR. Atque hisce omnibus, novum historiæ genus denuo accedit, eorum qui aliquot Heroum rem quampiam præclarè gestam explicarunt: cuiusmodi historia est de Argonautis, de Magaliani victoria, & Columbi navigatione: quamvis enim à pluribus hæc suscepta perfectaque sunt, non tamen imperia cuiquã tribuenda sunt. Sed quid tu sentis Bidernuti? BID. Planè uti dicis. PAT. Sed non advertitis iam ambo, quantùm noceat in principio errare? Quoniam enim non præmonstrastis tunc veram progrediendi viam, factum est, ut iam ab ea permultùm declinaverimus. BID. Quomodo hoc? PAT. Nam ab initio putabam omnes res humanas ad tria illa capita posse reduci, cùm tamen sint plura. BID. Quot nam ergò erunt? PAT. Mihi iam quatuor videntur, & fortè etiam plura erunt: sed vos in ipso limine disputationis, me debuistis admonere. GIG. Perge igitur hoc modo, & fortè ad veram viam redibimus. PAT. Quoniam ut ad principiũ denuo revertamur fieri nequit, pergamus.

Est

Est autem quartum illud humanarum rerum genus, ab ijs historicis explicatum, qui non tam res gestas hominum, quàm mores, vitæ instituta, & leges descripserunt, quod proinde diversum est ab ijs, quæ de imperijs, literarum monumentis tradita esse memoravimus. Possunt autem hæc itidem aut de omnibus gentibus, aut aliquot, aut una aliqua scribi: cuiusmodi historicorum exempla, si opus sit, possum in medium producere. BID. Non est opus, sufficit nos scire, tales etiam inveniri. PAT. Accedit huc aliud genus, eorum qui alio quodam modo, & maximè nostris temporibus, scribunt de Romanorum Græcorumque vestimentis, armorum forma, ponendorũ castrorum ratione, deque eorum navibus, ædificijs, alijsque eius generis rebus ad vitam necessarijs. BID. Verum est. PAT. Et alij iterum nova quadam ratione, scribunt de Magistratibus Romanorũ atque Græcorum, alij de forma Reipublicæ Romanæ, Atheniẽsium, Lacedæmoniorum, Carthaginensiũ, Venetorum, quod proinde genus scriptionis perutile esse scitis. BID. Sic sanè. PAT. Atque has quidem historiæ differentias, quæ in hunc modum iam accreverunt, ab ijs tantùm historicis habemus, qui res gestas plurimorũ hominum scripserunt, quod primum erat divisionis nostræ membrum: Nec sufficit hoc tantùm de eorum distinctione disputasse: nam si bene consideremus, eas omnes denuo bipartitas esse deprehendemus: quoniam aliæ ita scriptæ sunt, ut summa tantùm rerum capita comprehendant, quomodo Annales olim scribebantur: aliæ, res copiosè & cum facundia quadam explicatas continent: quo fit, ut historiarum formæ duplo augeantur, à qua re vel sola deterreor. BID. Posset in angustum contrahi, sed cum nihil eius intersit, veni iam ad illud genus historiæ quod de unico homine scribitur. PAT. Rectè adhuc meministis, veniam. Homo is de quo scribitur historia, aut Reipublicæ præest, aut privatus existit. Sed advertite diligenter, si quid præterea esse possit, ne hic quoque statim in ipso limine erremus. BID. Mihi certè ni-

hil præterea esse posse videtur sed horum alterutrum. GIGANT. Idem ego quoque sentio. PATRIT. Iam si unicus is de quo historia sit scribenda, cùm potestate fuerit: aut erit Princeps absolutus, aut Princeps Reipublicæ, aut munus aliquod Principis aut Reipublicæ nomine administrat, vel exul erit, & qui fortunam experietur. Absolutũ principem appello, eum qui legum Armorumque dominus est, sive iure id, sive iniuria habeat. Reipublicæ principem voco illum, qui legibus paret, Arma verò non nisi cum civium legumque consensu administrat. BID. Benè dicitur hoc. PAT. De ijs qui sunt principes absoluti, ut qui Reges, Imperatores, Duces, Marchiones, & alijs eiusmodi nominibus appellantur, permultas habemus historias. Sic enim Romanorum Imperatorum vitæ à multis descriptæ sunt, & Regum Neapolitanorum, Mediolanensium Ducum, & aliorum plurium, qui quamvis ratione dignitatis & stemmatis permultùm differant, eorum tamen historiæ, sub idem genus incidunt, quod omnes hi absoluti principes fuerint. BID. Verum dicis. PATR. Rerumpub. principes deinde fuerunt, Reges Spartanorum, Duces Venetorum, Genuensium & aliorum: quorum historiæ diversæ sunt à præcedẽtibus. GIG. Procul dubio. PATR. principibus deinde & Rebuspubl. munus obtinent, qui sub ijs stipendia merentur, aut alio modo illis inserviunt: cuiusmodi historiam Plutarchus & alij quidam scripserunt. Exules verò fuerunt Aeneas, Antenor, Franciscus Sfortia, Tamerlanus, & alij eius generis: quos milites magis sponte sua sequuti sunt, quàm quòd ijs parére coacti fuerint. GIG. Verum dicis certè. PAT. Ergo absolvimus iam hanc partem, superest altera de historia privatorum, quæ mihi rectè distingui videtur, ratione studij, quod quisque sequutus est. BID. Quo pacto? PAT. Quod Tranquillus descripsit vitas Grammaticorum: Calistratus Sophistarum: Dionysius & Plutarchus, Oratorum: Crinitus Poetarum, Laertius Philosophorum: Pictorum atque Sculptorum alius: & alij fortè

aliorum

aliorum historiam composuerunt, qui aliud aliquod vitæ genus egerunt. BID. Bene dicis. PATR. Accedit huc aliud quoddam minutum historiæ genus: & id quidem bipartitum: cuius altera pars non nisi certas quasdam actiones, singularium quorundam virorum comprehendit: cuiusmodi scripsit Valerius Maximus, Fregosius, Egnatius. BIDERN. Verum est hoc quoque. PAT. Alterum est historiæ variæ, cuiusmodi scripsit Aelianus, Gellius, Athenæus, Politianus & alij. Atque has, ab ijs quæ de singulis hominibus scribuntur, diversas esse videtis, & itidem latè patere. BIDER. Dicis hoc ipsum quod res est, id enim manifestè videmus. PATR. Ecquis igitur mihi vitio vertat, clarissimi viri, si ego adhuc planè rudis, me hactenus ex hoc labyrintho tenebroso explicare, & quid nam historia esset, dicere nequiverim? Atque hæc quidem ea sunt, quæ animum meum in hunc usq; diem, suspensum dubiumque tenuerunt, & quo minus Luciani, aut Pontani sententiæ, possem acquiescere, obstiterunt. Quare rogo vos obnixè ut hanc meam ignorantiam, & in respondendo insolentiam, mihi ignoscatis & condonetis.

D

FRANCISCI PATRITII CONTARENVS DE HISTORIAE DEFINITIONE,

Dialogus III. Ioanne Nicolao Stupano Rheto interprete.

F. PATRIT. GEORG. COMES, ET *Paulus Contarenus.*



VM gravi diuturnoque morbo superiori hyeme detinerer, fortè ingressi sunt in cubile meum sub vesperã, visitandi mei causa, Comes Georgius, & Paulus Contarenus fratres, viri cùm è summa nobilitate nati, tum virtute ornatissimi. Et cùm me quædam profundius cogitantem, invenissent, Comes accedens, quomodo, inquit, Patriti habes? itáne vehementer hac febri vexaris? Ego verò vultum attollens, studeo, inquam. Quomodo studes? inquit, neque enim librum apud te video. Ego autem video, inquam, etsi alioquin invisibilis sit. Videlicet heliotropium habebit liber hic, inquit tum Paulus subridens, ostende nobis quæso quis sit, & modico risu se mutuò intuebantur. Sed ego, animæ meæ liber iste est, inquam, quo à Deo conditore donata, semper fruitur, semperq; apud se retinet. Hìc Comes suspiciens, putabat certò me delirare: itaq; quidnam continet hic liber? inquit. Quoniam manu Dei conscriptus est, inquam, omnis generis res cõtinet. Tum magis adhuc desipere me censuit. quod ut certius cognosceret, ecquid agit anima tua, inquit, cum hoc libro? Studet, inquam, dùm modò corporis affectibus, aut proprio morbo non impediatur, & si eius officij sui meminit: nam est alioquin, circa res quæ in sensus incidunt, plerumq; occupata. Tua verò Comes generose, quidnam agit cum suo? Nescio sanè, inquit, habétne illa quoque huiusmodi librum? Imò habet,

in-

inquam;& tua,& Pauli,omnesq; omnium totius orbis hominum. Atqui istud ego ignorabam,inquit Comes, nec enim unquam vidi librum,aut apud me adverti. Res tamen ita habet,inquam. Tum ille accedit, apprehensoque brachio, & manu lentè temporibus applicata, pulsum observat: ut cognosceret videlicet, num febris vehementia delirium istud peperisset. Cũ verò & pulsum mediocrem, & reliqua circa frontem temperata deprehendisset, obstupuit: concedensque paululùm cum Paulo,à febri,inquit,liber est,sed peperit hauddubiè hanc phantasiam alicuius libri recordatio, quem fortè hodie vidit: quæsivitque ex ministro, num mihi eo aut superiori die librum quempiam dedisset,aut habere vidisset. Sed cùm respondisset me nullum unquam habuisse,ex quo in morbum incidissem: videamus igitur,inquit Paulus,an in hac cogitatione persistat: accedentesq; ambo ad lectum,bene diu taciti consedêre,ut cognoscerẽt videlicet, an in sententia permanerem. Tum ego paulò pòst, Vos verò sępius,in quam,clarissimi viri,& diligenter librũ hunc versare deberetis: quod sic vérè fœlices futuri essetis. Atqui oporteret prius scire, inquit Paulus, quid animarum nostrarum libri isti contineant, & tunc tandẽ ijs operam navare. Continent omnis generis res, quę cunque in mundo reperiuntur, inquam, itidem, ut meus. Quo modo? inquit. Vt eas ceu in imagine omnes exprimãt,non secus atq; scribi solent libri Giapanitarum & Chinitarũ, quorum significatio, sola characterum effigie, non eloquutione,intelligitur. Hoc, inquit,nequeo capere. Singuli in ijs libris characteres res singulas significant: eodemq́ue modo singulæ in animis nostris Ideæ literarum homini ea proponunt, quæ alioquin non nisi eloquendo solemus pronunciare. Incidisti videlicet in hęc Platonis deliria,inquit Paulus,qui nescio quas Ideas somniat: quare desine quæso hæc apud te cogitare, & animum ad alia converte. Ne sic sentias,Paulo magnifice,inquam,sed Platonem tanquam divinum hominem reverere,cole & admirare: itidemq; Ideas divinas,quas ipse patefacit.

Irascitur enim Deus magnopere ijs, qui viros bonos & sapientes contemnunt, ignorantes verò & sceleratos laudant, quòd magnum quiddam atque divinum propè sit, bonus ac sapiens vir, malus verò nequaquã. Hisce verbis agnoscere videbantur, me non omnino à mente alienum esse: nec tamen in disputationem de animę libro descẽdere audebant: præsertim cùm iam sæpius urgerem, ut ei diligentem operam navarent. Itaq; recense nobis quæso, inquit Comes, ecquid potissimum iam in hoc tuo libro studeres: efficies enim fortassis, ut nos quoq; ad illius studium animum applicemus. Egregium quiddam in eo iam sanè quærebam, videlicet quid historia esset. Quomodo? an non hoc, inquit, in alijs libris licet invenire? aut oportet ne propterea animæ librum inspicere? Quicquid, inquã, in externis libris reperio, idem in animæ meæ libro studeo invenire: ac invenio quidem aliqua, in illo eodem modo habere, quędam verò nequaquam: nonnulla ex parte tantùm. Atque illa certè, quæ eodem modo reperio, vera: quæ nequaquam, falsa existimo: quę verò ex parte tantùm invenio, ea dubia censeo. Egregia videlicet isthęc forent, inquit Comes, ni ita obscurus esses. Eloquar ergo clarius, inquam. Quæcunque in communibus hisce libris lego, revocare soleo ad ea, quæ in mentis meæ libro scripta sunt: quo fit, ut multa eodem modo in utroque habere deprehendam, multaque diverso, & quædam denique partim eodem, partim diverso modo esse affecta, quæ proinde dubia censeo. Non desunt etiam quædam, quæ ex Diametro quasi pugnant. Hìc verò Comes atque Paulus, dubitare sese significabant, essem ne apud me an non. Itaque in quo differunt, inquit Paulus, libri hi, quos ab hominibus scriptos esse dicis, à tuo illo, qui Dei manu scriptus est? Nam si is ab eo sit omniũ animis inscriptus, verisimile esset, omnes reliquos inter sese consentire, quòd quisq; scribat ad interni sui libri exemplar. Dicam tibi Paule, inquam, Animæ libri characteribus constant crassiusculis, & quodammodo supra paginam eminentibus: qui possunt dera

di, &

di,&ad medullas usque pervestigari. Et quoniam in ipsius animæ penetralibus latent libri hi,à nemine cognoscuntur,qui animam ipsam ignoret. Quo fit herclè,dum plerique ad externa tantùm intenti sunt, ad interiora verò raro convertunt oculos, ut perpauci divinam hanc scripturam agnoscant: & si ad scribendum postea animum applicuerint, ea tantùm literarum monumentis mandant, quæ in externis corporibus viderunt. Non desunt etiam, qui agnoscunt quidem intra sese librum hunc,sed non excolunt, nec intra primum secundúmve characterum corticem perveniunt. Atque hinc est exteriorum librorum tanta diversitas.Cæterum,Platonem nemo unquam in istius libri cultu superavit:quo fit,ut quicunque animi sui codicem itidem excolere velit,ei summo studio legenda sint ea, quæ is reliquit,literarum monumenta.Substitêre heic ambo, stupefacti quodāmodo, quod in istius libri sententia, tam constanter persisterem:videbanturque iam manifestè cognoscere, quòd non essem à mente alienus,& cupere,ea quæ de historia dicere haberem,intelligere. Itaque,quid ex hoc tuo libro iam didicisti?inquit Paul⁹,aut quidnam de historia pronuntiat? Multa, inquam, quæ eius definitionibus,ex aliis libris desumptis repugnant. Quibus? inquit. Ei, inquam, qua Cicero historiam asserit, esse rem à temporis nostri memoria remotam. Et ei item qua is,rerum gestarum memoriam pronuntiat.Ecquid ergo habes,inquit; quod eis repugnet? Quod primò non nisi vetustas historias comprehendit,recentes autem, & rerum hoc aut superiori anno gestarum, (quale esse posset bellum, quod etiamnum ab urbe Roma geritur) nequaquam: neque enim id à temporis nostri memoria remotum est. Tu sanè,inquit,rectè dicis. Nam & cùm idem Cicero persuadere Luceio conabatur, ut res ab sese contra Catilinam gestas,historia complecteretur,non è sui temporis memoria discedebat.Non sanè,inquit. Necessum igitur non est,inquam, ut historia de rebus

antiquis semper scribatur: nam & ipsi Pontifices Maximi, in Annales referre solebant, quæ singulis annis reipub. fausta infaustáve accidissent. Tum Comes, rectè hæc à te dicuntur, inquit, nec bona esse potest, prior hæc historiæ definitio: sed quid habes adversus alteram? De ea adhuc magis dubito, inquam, nam primum quidem etiam earum rerum quæ nunc fiunt, historiam scribi posse, meus liber testatur. Et quomodo, inquit Paulus, cum ipsum nunc, vix tẽpus censeri debeat? Rectè tu quidem Paule, ut es philosophus insignis, inquam, ego autem rem penitius inspicio: nam eius partis, rerum quæ iam geruntur, historiam scribi posse assero, & quæ iam gestæ sunt, non autẽ eius quę iam fit. Sed ita videlicet denuo redimus, ad ea quæ iã gesta sunt. Sic certè est, inquit. Ego verò rem adhuc penitius considero, inquam: nam & futuras res historia comprehendi posse animadverto. Atqui hoc nequaquam fieri potest, inquit Comes subridens. Imò potest, inquam: nam sicuti historicus ad præterita affectus esse videtur, ita ad futura sese habet propheta: quod etsi ita sit, Moses tamen fuit propheta rerũ præteritarum, itemq; Epimenides Cretensis, vel Aristotele attestante. Eodemq; modo possunt etiam Esaias & Ieremias historici futurorum appellari: At minus propriè, inquit. Imò magis propriè hos historicos, inquã, appellaveris, quàm eos, qui res à temporis nostri memoria remotas conscribunt. Si enim historia ἱστορία quædam est, & proprius rerum intuitus, quis melius quàm propheta videt res, quas venturas prædicit? aut quis melior intuitus eo, qui divino lumine collustratur? Cogit quidem ita confiteri ipsa vis vocabuli, inquit, res tamen ipsa, & communis hominum opinio non consentiunt. Ad rem ipsam nõdum pervenimus, inquam, communis autem opinio hominum non cõvincit, rem hoc aut illo modo habere. nam & in alijs sæpe est falsa, utpote, quæ historiam rerum humanarum tantùm esse censeat. Quomodo, inquit, est ne ergo aliarum etiam? Est certè, & quidem plurimarum, inquam, cum ipsius naturæ, tum earũ quæ supra naturam

turam ſunt. Quæ ſunt naturæ ipſius? Cùm Livius, Thucydides & alij regionem quampiam, montem, vallem, fluvium, portum, aut aliquid hiſce ſimile deſcribunt, an non hæc, inquam, naturalia ſunt? Sic ſanè ſunt, inquit. Et ſupra naturam, inquam, ſunt itidem prodigia, auguria, miracula, & quæ hiſce ſimilia ab ijſdem enarrantur: quæ certè nemo in hiſtoriam cadere negaverit, ut hinc manifeſtè appareat, non effici ex cōmuni hominum ſententia, ut res quoque ita ſint. Dicis optimè. Et poteſt hiſtoria ſcribi, inquam, de omnibus rebus quæ conſpici queant, ſive humanæ ſive aliæ fuerint: præteritæ aut futuræ, dummodo viſæ ſint. Ita, inquit, ſed de his prophetæ tantùm. Id autem non impedit, inquam, quo minus hiſtoriæ ſint. Sit ita ſanè, quoniam ſic vis, inquit Paulus, & ita in tuo libro ſcriptam eſſe deprehendis. itaq; deprehendimus, inquā, nunc, quarum rerum hiſtoria ſcribatur. ſed quid nam ea ſit, id nondum habemus. Ecquid aliud eſſe poſſit, quàm ſcriptio quædam? Quid ſi potius depictio eſſet? inquam. Nonne enim habetis vos Veneti nobiles in Curia depictam. Alexandri III. & Barbaroſſæ hiſtoriam? Habemus ſanè, inquit. Quid autem aliud eſt pictura iſta quàm hiſtoria? Et quid item aliud Romæ, in Traiani & Antonini columnis, arcubusq; Conſtantini atque Severi ſculptum eſt, quàm hiſtoriæ eorum victoriarum & triumphorum? Certè, inquit, nihil aliud. Quare non ſcribuntur ſolùm hiſtoriæ, inquam, ſed etiam ſculpuntur atque pinguntur: adeoq; magis hæ, quam illæ ἀ(οςίαν nomē merētur, ut quæ in oculorū ſenſum verè incidant. Vera ſunt hæc, inquit Paulus, ſed quid tu illam eſſe dices? Quin tu, inquam, Paule mihi dicito, in quem finem maiores noſtri hiſtoriam hanc Alexandri in curia depingendam curaverint: nā id pro tua ſapientia, qua in Reipub. ſecreta perveniſti, facilè ſcire potes. Non iſta ſunt Reipub. ſecreta, inquit: quilibet per ſe facilè eius cauſam deprehendet eſſe, ut nobis ac poſteris noſtris memoria ſupereſſet piæ illius expeditionis, quam vnà cum tota eccleſia catholica, maiores noſtri ſuſceperunt, idque iuventus, quæ ſolet

diebus festis ibi convenire, ante oculos fixum perpetuò haberet. Et fortè etiam illæ, quas modò memoravi columnarum atq; arcuum sculpturæ, factæ sunt in memoriam rerum præclarè gestarum, ab illustribus illis principibus? Videlicet, inquit, ob hanc ipsam causã. Sed quæ characteribus, inquã, certum quippiam narrantibus sculpuntur, an non historias itidem appellaveris: Imò maximè, inquit, & quidem magis propriè quàm reliquas: sunt enim hę verę rerũ narrationes. Id verò nihil refert, inquam, nam historiã nõ narrationẽ, sed rerũ memoriam appellamus. Quid tũ? inquit: nã est quoq; isthæc narratio memoria. At si rerũ memoria absq; ulla narratione conservari potest, sola videlicet rerum effigie, quomodo primùm olim scripta fuisse consentaneum est: cur potius verbis constare eam, quàm alia rerũ explicatione dicemus, dummodo memoria sit? De hoc ipse videris, inquit Comes, sed quomodo fuit ab initio scripta? aut quæ fuit eius origo? Dicam id tibi modò, inquam. Sæpius ego à magni nominis viris audivi, historiam primum in Aegypto scriptam fuisse, nõ tam de rebus gestis hominum, quàm Nili inundationibus. Nã in urbe Memphi erectã fuisse columnam in altum, cui Niloscopius nomẽ erat, in qua solebãt Nili incrementa, quib⁹ vicinã regionẽ irrigare singulis annis cõsueverat, annotari: simulq; etiã quæ illinc nascebatur anni fertilitas. Quod ubi per multos annos observassent, poterant deinceps finito incremento, qualem essent habituri annum præsagire: pro ratione altitudinis scilicet ad quam in columna Nilus ascendisset. Nihil autẽ erant ijs aliud isthæc signa columnæ, quàm conservata quædam effectuum aquæ memoria: quorum exẽplo postea ad scribendas res gestas illustr. virorum, impulsi fuerunt. Testantur autem quidam, antea longo tempore scriptas in colũnis fuisse res gestas Osyridis, regis totius orbis potentissimi. Ad quorũ imitationẽ postea descripserint alij cœlestium orbiũ conversiones, cum cæterorũ annorũ numerũ, tum binos illos maiores, aliasq; eius generis observationes. Sũt etiã qui antiquiorẽ adhuc historiæ

origi-

originẽ fuisse putant: adeoq; ipsum Noachũ postquã ex arca finito Diluvio exijsset, totũ illud negocium lapidi inscripsisse, quem postmodum in Myriada planicie, ad Gordiei montis radicem erexerit, in cuius cacumine arca hæserat. non desunt etiam, qui eam longè ante diluvium scribi solitam fuisse asserant, multosq; ex vetustis patribus, sive astrologia sive divino afflatu, docti de futura mũdi ruina, idipsum in lapideis columnis, memoriç mandaverint, fuisseq; istud vel ab ipsis Adami filijs factitatum, qui primi & antiquissimi historici fuerint. Egregia sanè, inquit Comes, est harum rerũ cognitio. Egregia certè, inquam, vel propter id cuius nos admonet: primam videlicet historiam, non de rebus iam gestis, sed futuris scriptam fuisse. istud, inquit Paulus, verũ est, si modò illa primùm scripta sit. Quare non errabamus, inquam, ab initio, cùm de futuris quoq; historiam scribi posse asserebamus. Non equidẽ si hoc verũ sit. Et si sperarem, vos fidẽ mihi habituros, narrarem vobis aliquid, quod etsi ob magnitudinem atque novitatem fabula videri posset, tamen ego magni facio, simulq; admiror. Quid ergo illud est? inquit Comes. Longa quędã historia, inquam, de mundi corruptione & renovatione. Maxima verò res ista est, inquit Paulus subridens, quam tu commemoras. Scio, inquam, te Aristotelis disciplina institutum, nec istã credere: quare Comiti tantũ recensebo. Quin potius mihi quoq; recenseas. neque enim ita sum in scholis Peripateticorum enutritus, inquit, ut aliis omnibus fidem derogare soleam: sed te quoq; nunc audiam libenter. Faciam, inquam, sed attentos vos esse oportebit. Antonius Patritius, Marcellus Minoritarum ordinis præses, Novæ civitatis episcopus, & archiepiscopus Patrensis, avi mei frater erat: vir magnæ eruditionis, summæq; eloquentiæ. Is patri meo, à quo ego accepi, commemoravit, quòd cùm Iuvenis adhuc, invisendi sacri sepulchri causa, profectionem versus Ierosolymorum urbem suscepisset: navim tempestate actam ad littus Aegyptium appulisse: Incidisseq; illic se, in hominem solitarium, cuiusmodi E-

remitas vocant, ætate, eruditione & vitæ sanctimonia reverendum, cui Hamon nomen erat. Ex eoq; in quotidiana consuetudine, cùm alia audivisse digna memoria, antiqua, & ei regioni peculiaria, tum verò inter cætera istud admiratione dignissimum. Nolim enim te ignorare fili, inquit Hamon ad eum, nostram hanc regionem præ cæteris omnibus, permultis privilegijs cælitùs esse donatam. Nam pręter id, quod ferax est omnis generis fructuum, habetque aërem saluberrimum: homines quoque progignit summi ingenij, quiq; elapsis seculis necessarias quasq; artes, & maximè utiles ad hanc vitam sustentandam invenerunt. Vt sæpe magni nominis viri ex vestra Europa, capessendi animi cultus gratia, ad nos hucusque pervenerint. Fuêreq; Aegyptij semper omnium antiquissimi: ut qui binos totius mundi interitus, totidemque illius restaurationes meminerint: adeoq; ob insignes quasdam planeq; divinas dotes, quibus excellit Aegyptus, semper fuit veluti templum totius universi, cœlique ipsius imago. Admiratus ista Marcellus, ecquos vocas, inquit obstupescens, binos mundi interitus, binasque eius reparationes? Tum Aegyptius, apparet, inquit, vos in Europa semper iuveniles fuisse, nec dũ maturam scientiam didicisse. Instabat tamen Marcellus, ut explicaret quid hisce sibi vellet, & quo pacto tantarum rerum memoriam Aegyptij obtinerent. Cui ille, libenter inquit istud faciam: sicq; exorsus est. Istud imprimis te scire decet fili, eos qui violenti sunt hominum interitus, pluribus modis fieri. è quibus tamen primarij sunt bella, fames, pestilentia & terræmotus, quibus humanũ genus deletur. maioraq; hisce sunt etiam Diluvia, & Incendia, quę præsertim per universam terram grassantur: solent enim ista non homines modò, verùm etiam cætera animantia, plantas, urbes, artes, ipsasq; integras regiones delere. Aër enim pestilentia corruptus, etsi permultùm noceat, tamen quòd elementum est permultis animalibus familiare, in eoque illa vitam degunt, ceditq; omni solidiori corpori: non equidem tantum potest detrimenti afferre, quan-

quantum ipsa aqua. Hæc enim & animantibus respirationem habentibus natura inimica, suaque mobilitate ad nocendum aptissima est. Ignis verò cùm hac de causa, tum ob suam subtilitatem, qua facilimè omnia penetrat, in destruendo reliqua omnia superat: quo fit ut inter cætera eleméta, causæ efficientis rationem habeat. Terra verò materiæ, ob crassitiem suam videlicet, qua minimum potest nocere. Hæc autem, fili, nequaquam possunt tantam rerum perniciem moliri, nisi cœlesti radiatione moveantur. est enim certo certius, quòd inferiora hæc, superiorum facultate gubernantur. Nam & bella ipsa quadam astrorum vi moventur, quæ hominum corda calefacit, & ad vindicandum excitat. Manifestumque est etiam, famem atque pestilentiam aeris vitio generatas, ex cælesti lumine habere originem, nec aliunde terræ motus hiatusq; modò hoc modò illo loco generari. Sunt enim terræ spatia, certis cæli regionibus distincta, hæcque subiecta certis luminum aspectibus, qui tempore & cœlestium orbium conversione producuntur, & in subiectam regionem, eos quos modò dicebam affectus immittunt. Quoniam autem hi stellarum aspectus, quorundam tantùm astrorum coniunctione fiunt, sæpius quoq; fames, pestilentia, terræ motus, & alia huius generis eveniunt, quàm Diluvia atque incendia: quòd hæc non nisi plurium stellarum complexu rariusque producuntur. Cæterùm huiusmodi rerum interitus, etsi universales sint, omnium ferè rerum, quæ in hoc inferiori mundo existunt, tamen non penitus humanum genus extinguunt, sicuti neque reliquas res humanas. Etenim irradiatio cœlestium luminum atque aspectus, cùm ex certa planetarum & firmamenti conversione oriantur: hæcque motus divinos imitetur, qui in primi illius mundi, sub solum intellectum cadentis, formis consistunt, sintque illæ perpetuæ; necessum est, tot semper ex singulis rerũ formis superesse individua, quæ ad conservandum reparandumq; hunc mundum, ad primi illius exemplum sufficiant: reliqua verò omnia interire. Quare si incendio sit re-

bus humanis intereundum, solent ex ijs hominibus ad humani generis restaurationem conservari, qui mari, aut magnis quibusdam fluvijs vicini habitant, quòd aqua quosdam ab ignis violentia defendat. Cótrarium accidit in Diluvijs & inundationibus, ex quibus ij evadunt, qui summos montes incolũt: quæ res Græcis occasionem dedit, ut Deucalionem & Pyrrham in montibus conservatos assererent, fabulámque, ex eo quod verè acciderat, fingerent. Sed in utroque tempestatis genere, cùm deletis iam rebus omnibus, perpauci homines supersunt, ijque per saltus locaq; maritima dispersi vivunt, ij primùm ferarum instar vitam incivilem, & ab omni liberali scientia alienam: postea verò, ubi temporis spacio creverunt, inque familias primùm, deinde etiam vicos & civitates sunt distributi: rerum necessariarum usum addiscunt, ipsasq; artes & scientias, civilemque vivendi rationem paulatim acquirunt. Atque huiusmodi civilis politicæq; vitæ in sylvestrem & feram mutatio, & huius iterum in illam toties evenit, quoties rerum isti interitus accidunt. Quo fit ut Europæ aliorumque terrarum incolæ, iuvenes semper novique homines appareant: nec antiquiorem rerum memoriam habeant, quàm quatuor aut quinque annorum millium. Nos verò Aegyptij ab incendio Nilo ipso defendimur, nec metuimus Diluvium, quoniam nunquam apud nos pluit: quare nunquam interimus, nec unquam artium & scientiarum cognitionem amittimus: sed omnium totius mũdi hominum antiquissimi, infinita quasi annorum millia recordamur. Et quamvis ex vestra Europa Romani: Arabes ex Asia: & ex Aphrica Mauri: aliæque gentes, sæpe elapsis seculis, hanc patriam nostram ferro ac flamma devastarint, multarumque rerum antiquissimarum memoriam deleverint: supersunt tamen adhuc plurimæ, plurimæque sub terris absconditæ latent. Ecce enim fili, quid Sonchis avi mei temporibus acciderit: Erat tunc in urbe, quam Saium veteres appellabant, sacerdos quidam Bitis nomine, qui cum domunculæ fun-

læ fundamenta iaceret, reperit fodiendo pulcherrimam columnam, figura quadrilatera, sacrisque quibusdam characteribus decorata, quibus de mundi interitu & renovatione mira quædam significabantur: quæ vellem, fili, attentius auscultes, admireris, & Deum harum rerum conditorem concelebres. Mundus hic animal quoddam egregium est, effigies illius qui in solum cadit intellectum, Deus sensilis, maximus, optimus, pulcherrimus atq; perfectissimus, partim verò à seipso movetur, partimq; à Deo conditore: sitque ista motus vicissitudo, cùm magnus annus, qui triginta sex annorum millia continet, una cum omnium rerum interitu, completur. Tunc enim postquam mille annos Chaos quieverit, tanquã ex prioris mundi semine suppullulare in altero incipiunt singularum rerum formæ, cœlique ipsi suas adornare conversiones. Estque illius ver quidem, Sole in Ariete binisq; alijs signis proximis novem annorum millibus, converso: æstas, dum totidem annos, in sequentibus tribus signis conficit: æqualique temporis spacio duæ reliquę anni partes, in alijs signis perficiuntur: ita quidem ut sol singula signa tribus annorum millibus singulos verò gradus annis centum emetiatur. Atq; hanc motus vicissitudinem in æternum servat, sicuti æternus quoque est eius conditor. Quòd si autem prius à seipso motus fuit ab ortu in occasum: postea à Deo contrario motu impellitur: estq; vicissitudo ista necessaria (nam eodem modo sese semper habere divinę tantùm essentiæ possunt, corpora verò nequaquam) & cùm cœlum corpus sit: non potest omnis mutationis expers esse, sed quoad eius fieri potest in seipsum recurrendo versatur: neq; id semper facere potest, quòd id eius solius sit, à quo omnis motus principium est. Binis verò contrarijsq; motibus ferri, non fuerit itidẽ asserendum, præsertim quòd foret etiam impium, id Deo conditori tribuere, multoque magis etiam binos Deos statuere, ipsum in contrarium agentes. Quo fit ut necessum fit asserere, eum semel quidem à Deo in alteram partem motum esse, à quo sumpserit tunc

vitæ & immortalitatis initium, semelque propria vimoveri: & id quidem super parvis quibusdam punctis fieri. Iam verò dum huiusmodi circuitus complentur, sicuti maximi sunt, ita quoque maximas mutationes pariunt, cùm in nobis, tum in cæteris rebus omnibus, quæ in mundo continentur, ita quidem ut omnia interire necessum sit. Hunc autem rerum interitum, diversi generis multa præcedere solent, admiratione sanè dignissima. Tendente enim versus finem tanto annorum circuitu: desinunt statim ætate provectiores fieri homines, cæteraque animantia omnia atque plantæ, videnturque ad iuventutem denuò tendere. Quo fit, ut qui senes canique iam sunt, capillos denuò barbamque nigram, & frontem sine rugis expolitam acquirant: & qui erant in ætatis vigore, ad iuventutem, hique iterum ad pueritiam infantiamque revértuntur, pergitque paulatim ista rerum diminutio, donec omnia decrescendo in nihilum resolvantur. Quo facto quiescit tunc Chaos mille annos, informe planè, & absque ullo motu, donec ijs finitis, denuò germinare moverique, uti diximus, incipiat: & qui homines, animantia, ac plantę prioris mundi finem attigerant, ea quoque prima ex terra prodeunt: paulatimque crescendo, contrà quàm prius fecerant, ad ætatis vigorem contendunt. Atque ista quidem fili, in tribus columnæ lateribus scripta erant, sicuti iam ex me illa audivisti, ex quo manifestum fit, quòd homines antiquitùs ex terra conditi fuisse dicuntur, verissimum esse, etsi multi fabulam arbitrentur. Hic Marcellus ob rerum novitatem, & Hammonis eloquentiam obstupescens bene diu conticuit: postea verò sese recolligens, & in quarto latere Hammon pater, inquit, quidnam erat sculptū? Res, inquit Hammon, non minus quàm præcedens, admiratione digna: nempe binorum completorum iam circuitū historia; cui tamen de primi principio aliquid deerat. Eratque inter cætera annotatum, quemadmodum in primi anni maioris fine, ab ortu motus esset sol in occasum: in secundo econtrà, ab occasu sit ortus;

tus,& in orientem conversus: in tertio verò, qui est iste in quo nos modò vivimus, iterum ab oriente in occidentem, moveatur: ferrique iam mundum per sese, sicuti etiam tertio abhinc anno, quoniam à seipso repullularit: nec motum iri amplius cœlum, post finitum hunc ambitum, quoniam eius totiusque mundi materia usq; adeò debilis facta sit, ut non nisi magna cum difficultate rerum generationem queat tolerare, veluti id nobis ipsis apparet. Quare absoluta hac magna conversione, cuius non fortè multum superest, conditam iri à Deo novam materiam, ex eaque novos cœlos, terram, cæterasque res, quæ itidem ut priora, centum huiusmodi magnos ambitus conficiant. Atq; horum omnium, fili, si apud nos in Aegypto memoria non extat, ne speres extare apud alios. Istud certè adhuc memoriæ proditum conservamus, quòd in primo illo annorum ambitu homines fuerint usque adeò grandi corpore, ut pedibus in terram nixi, capita inter sydera conderent, & Emephimos fuisse appellatos: atq; secutos deinde alios annorũ successu Phtaimos nomine, paulò minores, sed qui tamen capitibus nubila contingerent, quos alij itidem grandes postea sequuti sunt, in Aegypto Gygini nuncupati, vos puto gigantes appellatis: cuiusmodi certè usq; ad Noachi tempora durarunt, & ut erant grandi corpore, ita etiam permultos annos sani incolumesq; vivebant. Sed à Diluvio cœpêre omnia in peius ruere, cùm in cæteris rebus, tum maximè in ijs quæ artes atque virtutes concernunt: quæ certè apud nos in Aegypto ferè in nihilum redactæ sunt, eodemque modo apud vos habere credidero. Sed neque hoc ignorare te velim fili, quemadmodũ circa finem superioris anni magni, quidã in Aegypto extiterit ex Phtaimis, vir omnium qui tunc in orbe terræ essent, sapientissimus. Huic lapidum, herbarum, animalium atq; etiam cœlestium corporum vires, notæ erant: nec ignorabat etiam quo tempore hæc ipsa maiorem minorémve efficaciam in hæc inferiora haberent: ex qua scientia, miranda quædam opera perpetrabat. Cùm igitur

præxideret, annorum illius ambitus finem propè adesse: sciretque ex animalium quorundam experientia, quæ occisa denuò in vitam revocaverat, fore in vitam redeundum: præparavit omnia, quæ ad alteram vitam redeunti postea forent necessaria: eaque secum magno cuidam vasi inclusit, & ubi characteribus suis effecisset, ne vas & quæ intus continebantur, generali totius mundi corruptione interirent: sese in profundum terræ abdere curavit. Hic, sicut ipse postea narravit, & literarum monumentis prodidit, occidit seipsum: & finiente annorum ambitu, unà cum toto mundo consumptus: postmodum incipiente altero anno maiori, cùm suorum characterum, tum cœlestium corporum vi, resurrexit idem qui prius fuerat, cum omnium rerum, quæ abscondisset copia: seque postea Sethum nuncupavit. Idem cùm postea inferiori huic mundo, denuò cùm igni tum aqua intereundum adverteret: prioris suæ vitæ & posterioris etiam, sicuti iam ex me audivisti, historiam binis columnis inscripsit. Erant autem altera ex ære, ut aquæ; & ex lateribus altera constituta, ut igni resistere posset: quas ubi in Nili fontibus novies lavisset, erexit in montibus Lunæ, ut cùm præteritarum tum futurarum rerum æternam memoriam conservarent, prædixitque, ubi completus esset iste annorum ambitus, non fore, ut ex eadem materia mundus amplius germinaret: sed novam, novumque mundum à Deo conditum iri. Atq; ex hisce columnis desumpsêre postea Aegyptij, omnem quam habent rerum antiquarum memoriam, & sacris quibusdam characteribus in pyramides suas transtulerunt, inque marmoreas columnas, cuiusmodi sanè ista est, quam modò tibi commemoravi. Avus autem meus ubi hanc invenisset, statim ad Lunæ montes profectus est, ut etiam videret, quas sapientissimus ille Sethus extruxisset: mihique sæpius uti vidisset, commemoravit. Hæc, fili, tuam in Europam feras, & ijs commemora, qui hisce tam sacris digni esse videbuntur: ut & Deo gloria, & Aegyptijs nostris suus honos tribuatur. Atq;

hanc historiam clarissimi viri retulit secum ex Iudæa Morcellus meus, patrique meo sæpe commemoravit; ex quo ego itidem sæpius audivi, vobisq; nunc ut prodessem recensui. Gravissima sanè ista res est, inquit Comes, & si historia censeri debeat, meritò admiranda, sed quid facit ad id, quod à nobis iam in dubium vocatur? Plurimùm, inquam. Primum enim videmus ex hoc, tam de futuris quàm præteritis rebus, à Setho historiam scriptam fuisse: deinde etiam antiquissimam esse historiæ originem, & ferè cum ipso mundo cœpisse, ut prima omnium quæ scripta sunt, queat videri. Ita sanè, inquit. Apparet etiam hinc, inquam, illam non literis primùm, sed ipsa rerum effigie sculptam fuisse: cuiusmodi ab Aegyptijs sacri characteres nuncupãtur. Nec quicquam aliud, quàm rerum memoriam fuisse. Certè, inquit, res ita planè habet. Et possumus hinc concludere, inquam, eam verè memoriam esse: sive scripta sit, uti hodie solet: sive sculpta rerum effigie, ut quam modo recensuimus. cæteræque etiam quæ in Aegypto sunt antiquissimę: sive alio signo annotata, ut quæ in Niloscopio signabatur: sive denique picta, ut illa quam de Alexandro III. in Curia depictam habetis. Res, inquit Paulus, non habet aliter, sed ita planè est ut dicis. Nam & tales sunt, inquam, Maximorum Pontificum Annales, & historiæ Livij de Romanorum, & Thucydidis de rebus gestis Græcorum, Videlicet, inquit, sunt rerum conservata memoria. Et quid inquam aliud sint historiæ Tranquilli de Cæsaribus, & Plutarchi de tot viris illustribus? Ecquid aliud, inquit, sint illæ etiam quàm memoria? Quare apparet hinc, inquã historiam verè memoriam dici debere: sed cuius rei? Actionum, inquit, humanarum scilicet. Sed Theophrastus, qui historiam plantarum, inquam, & Aristoteles qui scripsit animalium, non huiusmodi memoriam sanè scripserunt. Rectè dicis, inquit, sed cuius ergo memoria fuerit? Considera tu quæso, inquam, si historiam voco rerum memoriam, an non sit æquale subiecto attributum. Rectè, inquit Paulus, sed vel-

lem tamen, ut de rerum ab hominibus gestarũ historia, à nobis haberetur oratio: omissis videlicet alijs. Hoc modò non ineptè dixeras, inquam, memoriã esse humanarum Actionum: sed oritur hinc quæstio tamen, quæ etsi levis ab initio videatur, habet tamen, si penitius consideretur, difficultatem. fuêre enim historici, qui Augusti Cæsaris formam, pulchritudiné, oculorum decus & sapientiam descripserunt, nec sunt tamen ista illius actiones, sed tantùm animi & corporis habitus, quamvis historia comprehensa sint. Optimè dicis, inquit, ecquid igitur agemus? Contenti erimus, inquam, generali vocabulo, & historiam, rerum humanarum memoriam appellabimus. Fortè ita benè erit, sed an non advertis, inquit, aliam difficultatem, & hac quidem maiorem? nam memoria tantùm præteritorum est, historiam verò etiam futurorum esse vis. Est sanè istud non leve quiddam, sed videamus tamen an quo modo explicare possimus. Memoria animæ facultas quædam est, qua res imaginatione comprehensæ servantur: hæc autem sunt, quæ vel in sensus incidunt, vel aliàs quoquo modo, animæ offeruntur, ab eoq; concipiuntur. an non sic asserunt philosophi? Vtique, inquit. Sed dic mihi quæso iam, an non possint animæ huiusmodi rerum imagines de futuris quoque offerri, sive per somnia id fiat, sive augurijs, visionibus, divino afflatu, aut alia aliqua ratione? Videtur hæc ratio, inquit, convincere, quòd futurorum quoque memoria sit. Quare, inquam, videtis iam manifestè, tam historiam quàm memoriam futurorum esse posse. Sed est tamen aliud, quod mihi scrupulum iniicit, nam multis conservatur rerum memoria, quæ fortè historiæ non fuerint: sicuti sunt codicilli, quos de suis rebus quisque, memoriæ gratia conficere solet. Rectè, inquit Comes, sed conficiuntur ij de rebus domesticis tantùm, quas quisque habet expediendas. Quinimò inquam, de præteritis etiam interdum scribuntur. Rectè, inquit, Sed quid eos esse dices, num fortè commentarios? Quoniam privatim conficiuntur, difficilè fuerit pronuntiare, inquã, si auderem

tamen, & si vos non ægrè laturos scirem, hos etiam historias appellarem. Tu verò istud vix audes efferre, inquit Comes. Quoniam videlicet & mihi quoque res ista nova videtur, inquam: nam venia non impetrata, nequaquam pronunciare ausus fuissem. Est certè nova, inquit, nam hoc modo, historia memoriaque idem essent. Sunt utique idem, inquam, dummodo memoriam extra animam intelligas, quæ literis, sculptura, aut alio aliquo modo conservatur. Sed est etiam hoc novum admodum, inquit, quòd æquè historiæ nomen mereantur huiusmodi privatorum hominum commentarioli, atque ij quibus principũ & rerumpub. res gestæ enarrantur. Iam verò inquam, me id pronuntiasse pœnitet, cùm tantopere displiceat: sed adhibeamus hoc remedium, ut historiam magnarum tantùm rerum esse dicamus, cuiusmodi vocas magnorum principum & rerum publicarum res gestas. Sic utique rectè habebis, inquit. Imò minimè, inquam. Quare? Quoniam historia quoque ea est, inquit Paulus, quæ de parvo principe, parvaque republic. conscribitur: cuiusmodi certè sunt etiam vitæ quorundam, qui neque principes fuêre, nec singulare aliquod munus à rebuspubl. sustinuerunt. Rectè tu quidem, inquit Comes, sed non fuerit tamen alienũ, distinguere has à commentariolis illis, qui de rebus privatis memoriæ causa conficiuntur. Quoniam rei magnitudo discrimen non statuit, inquam, videamus an id fortassis alio modo possimus præstare. Ecquonam? Iamque hanc disputationem iubebat ulterius persequi, sed ecce Leander Zarottus medicus, visitandi mei causa conclave ingreditur, cuius adventus nostrum colloquium interrupit.

FRANCISCI PATRITII SANNVTVS DE HISTORIAE FINE, DIALOGVS IIII.

Ioanne Nicolao Stupano Rheto interprete.

DANIEL SANNVTVS. F. PATRITIUS & Scolaris.



ERBELLE intelleximus, quæcunque de historia cum Contarenis tuis disseruisti, quare superest nunc, ut disputationem eam prosequamur, illinc sumpto initio, ubi medici interventu desijstis. PAT. Prosequamur: sed tui muneris istud erit Sannute magnifice, itemque huius nobilissimi Iuvenis, ego enim pergere certè nescirem. SAN. Quisque operam suam conferet. itidemque tu facies. PAT. Si modò quid possem, facerem herclè libenter. SCOL. Credo vos, dum historiæ definitionem absolveretis, adventu medici desijsse. PAT. Quomodo? SCOLAR. Quoniam nihil aliud historia est, quàm publica quædam rerum conservata memoria. PAT. Itane? SCOL. Vtique. PATR. Istud verò mihi prebellè arridet: an non etiam privatarum rerum commentarij, historiæ sunt? SCOL. Non. PATR. Fortè quoniam in publicum prodire historiam oporteat? SCOL. Ita. PAT. Et si qui huiusmodi commentariorum in publicum edantur, historiæ ne erunt? id enim exigui foret laboris. SCOL. Id non efficit: requiruntur enim alia quoque. PATR. Ecquæ nam illa sunt, quæso? SCOL. Vt sit in eum finem scripta, quo in publicum edatur. PAT. Sed ne istud quidem difficilè est, si modò tūc historiæ essent. SCOL. Essent utique, si publicarum rerum memoriam continerent. PAT. Non igitur licebit mihi, quoniam priva-

privatus homo sum, de meis rebus historiam scribere? SCOL. Nequaquã. PAT. Istud non capio: nam si prodeo in publicum, nonne sum etiam publicus? SCOL. Rectè sanè sophistam agis Patriti? PAT. Sophistam ego? nequaquam sanè, nam illius artis sum planè imperitus. Sed ignosce tamen mihi, quoniam, quid per istud publicum tibi velis, cupio cognoscere. SAN. Id ego tibi explicabo. Publicas personas vocant Principes, Magistratus, Duces, & quæ eius generis sunt. PATRIT. Lictor verò aut tabellio, an non publicæ personæ sunt? SAN. Sunt: sed est tamen eorum alia ratio, nam sunt Principis ministri. PATR. Miles verò gregarius, an non est etiam principis minister, sub quo stipendia meretur? SAN. Est. PATRIT. Et persona publica etiam? SAN. Sine dubio, eò modo, ut dixi. PAT. Ecce ergo, Sannute præstantissime, quid mihi iam usu veniat: dum enim ea quæ apud me dubia sunt, explicare instituo, incido in Sophistices suspicionem: tam videlicet infelix ego sum. Sed ne ista ægrè feratis quæso. Nam tanta est mea simplicitas, & cognoscendi desiderium. SAN. Quorsum ista Patriti? PATR. Quòd nondum intelligam, qui possit miles gregarius publicus homo censeri. SCOL. Cur nequeat? PAT. Ego ista non intelligo: tu verò etiam nimis præceps es. Nam si esse queat, id quod nunc tibi concessero, scribetur etiam historia de privatis, cùm alicuius gregarij militis res gesta describitur: sicuti Cæsar videlicet, qui Pulsionis & Varreni mentionem facit. SCOL. Facit eorum mentionem ceu militum suorum, & eo nomine personarum publicarum. PATR. Magna est ista è privatorum numero evadendi licentia: nam præter hanc licebit de Lictore quidem historiam scribere, de Socrate verò præstantissimo viro non licebit, quia privatus vixit. SCOL. Rem nondum intelligis, Patriti. PATR. Idipsũ est quod me cruciat Scholaris nobilissime: quæso igitur feras me, hac ratione illud addiscere cupientem, Possétne aliquis Varreni vitam scribere? SCOLAR. Egregiam verò quæstionem. PAT R. Tu parum ha-

bes ignorantiæ meæ rationem. Dic mihi tamen an posset? SCOL. Posset, quid ni? PATR. Essetque scriptio isthæc historia? SCOL. Esset. PATR. Et rectè illius exordium sumeretur à Varreni ortu, ab eoque ad pueritiam & adolescentiam progredi oporteret, deinde ad iuventutem & ætatem maturam, sicque foret ad senectutem, si tamdiu vixisset, & ad mortem usque pergendum? aut oporterétne aliter negotium instituere? SCOL. Non sanè. PATRIT. Iam verò Romani (nam id mihi iam venit in mentem) Dic mihi quæso, quo ætatis anno iuvenes militiæ idoneos æstimabant? SCOL. Decimooctavo. PATR. Rectè: eo igitur anno, si modò militarent, evadebant è privatorum numero. nam fiebant Principum ministri: & deinceps publicæ personæ erant. SCOL. Sic est. PAT. Anteà verò, quoniam neque militiæ apti erant, nec à quoquam principe munus obtinebant, privati fuêre. SCOL. Sine dubio. PATR. Itaque sequitur hinc, quæ de vita Varreni scribitur historia, partim historiam esse, partim verò non mereri historiæ nomen. SCOL. Quomodo? PATR. Nam quæ de illo, post decimum octavum annum gesta narrantur, historiæ nomen merebuntur, quòd de publica persona scripta sint: quæ verò ante id tempus de eo scribuntur, non cadunt in historiam, quoniam erat adhuc privatus. SCOLAR. Ecquid tum? PATRIT. Quòd si id verum est, quod prius ambo confitebamur, eum qui scriberet vitam Varreni, scribere historiam, sequetur historiam non esse historiam. SCOL. Id non efficitur hic: nam historiæ nomen sumit ab ea sui parte, qua res ab eo gestæ continentur, postquam evasisset è privatorum numero. PAT. Id fortè aliquo modo sese ita habebit. Sed historia an non memoria est? SCOL. Est. PAT. Scriptoque conservata memoria, historia? SCOL. Hoc itidem. PATR. Sed quomodo iam habet res? nónne enim in vita Varreni memoriæ mandantur ortus, educatio, sicque illius vita describitur? SCOL. Ita dicimus. PATR. Quare si hoc est, scripto conservata memoria, de vita Varreni

reni, historia quoque est: & id ipsum iam antè confessus es. SCOL. Sit hoc uti volueris, sed quid tum? PATR. Quòd de privatis quoque historia scribitur. SCOL. Tanta est videlicet isthæc tua subtilitas. Sed cogites tamen oportet, non fuisse perscriptã historiam de Varreno, si semper privatus vixisset. PAT. At Tranquillus nónne Grammaticorum vitas scripsit? SCOL. Scripsit: fortè quoniam scholas publicè haberent, nec essent amplius privati. PATR. Ille verò qui vitas poëtarum, quos non dixeris scholas publicas habuisse, & alter ille qui Aesopi vitam conscripsit, quem servum fuisse scimus: nonne historiam scripsêre. SAN. Iam in angustias quasdam incidistis, è quibus non facilè vos poteritis explicare. PAT. Sed credas tamen Sannute magnifice, me huc certo quodam sciendi desiderio impulsum esse: & si ita tibi videatur, ab instituto planè desistam. SAN. Quoniam pervenistis huc usque, nolo equidem ut desinatis, fuerit enim aliquid certum de historia statuendum. PAT. Id verò summopere expeto: sed ecce per Deos, quos habeant hominum cogitationes eventus. Nam dum bene rem apud me considero, rectè mihi dixisse videtur vir hic nobilissimus, historiam esse publicam. SCOL. Cur igitur id tantopere oppugnasti? PAT. Ob id me iam antè excusavi, & si non satis, adhuc tentabo melius. SCOL. Sit ita sanè: sed videamus quomodo rectè dixerim. PATR. Si publica vocetur, quòd eo nomine scribitur, ut in publicum edatur. SCOL. Hæc mea sententia erat, quam tu tantopere oppugnasti. PAT. Sic soleo ego cũ cæteris in rebus agere imprudenter, tum verò maximè in ijs quæ ad historiam pertinent: nunc enim hanc tuam sententiam utcunque intelligo. Sed historiæ nomine an non eam intelligis quæ communiter ita nuncupatur? SCOL. Vtique. PAT. Eaq; scribitur ut ab hominibus publicè legatur. SCOL. Hìc possem te etiam arguere. Livij enim historia an non historia est? PAT. Est sanè. SCOL. Et si is in eum finem scripsisset, ut sibi ipse servaret, nec traderet cuiquam, an non idem esset, quod nunc est? PAT. Pru-

denter sanè obijcis hoc. Quid igitur dicendum fuerit, cum isthæc publici vox nullo modo consistere queat? SCOL. Magna hic est difficultas: & statuendum esset tamen aliquid certi. PAT. Rectè tu quidem. Sed quid si alio modo ageremus, & quoniam invenire non possumus communem definitionem omni historiæ: quæramus propriam cuique speciei? SCOL. Fiat, quoniam non habemus rationem aliam, qua nos hinc expediamus. PAT. Dicamus ergo privatam historiam, esse rerum humanarum privatam memoriam. Rectè ne habet ista? SCOLAR. Vt mihi quidem videtur. PAT. Et publicam, memoriam esse publicam rerum humanarum. SCOL. Bene est sic. PAT. Atque hisce binis definitionibus comprehenderimus, spero, omnis generis historias, neque enim quicquam amplius in rebus humanis est, quàm publicum & privatum. SCOL. Sic puto. PAT. Sed dubito tamen hic quoque de quibusdam: Dij nostri tandem misereantur. SCOL. Ecquæ sunt de quibus dubitas? PATR. Quòd nesciam, satiusne sit priores definitiones, sicuti prius efferre, aut potius dicere, Historiam rerum humanarum memoriam esse privatam quidem privatarum, publicarum verò publicam. Aut etiam aliter fortassis: Historiam nempe aliam esse memoriam privatam, quæ de rebus privatis scribitur, aliam verò memoriam publicam, quæ de publicis rebus componitur. SCOLAR. Mihi verò iam ad maiores angustias reducti videmur, quàm anteà unquam fuerimus. PATRIT. Est sanè ut dicis. Deus nos tandem suo lumine ex tenebris hisce adiuvet: quò magis enim progredimur, eò maiores occurrunt tenebræ. nam & alijs modis pronunciari posse videntur prædictæ definitiones. SCOI. Alijs aliquibus? PAT. Esse publicarum rerum privatam memoriam. Atque etiam rerum privatarum memoriam publicam. Nec possum equidem iudicare, ecquis horum modorum optimus sit. SCOL. O quàm vellem in hunc labyrinthum nunquam incidisse, unde nusquam exitus patère videtur. PAT. Credo sanè:

nè: est enim periculum ne sit nobis hic intereundum. Sed ecce tamen lumen illic, per quod fortè nobis ex hoc loco exitus patefiet. Si enim hos publici atque privati nodos hinc sustulerimus, iam iam exire licebit. SCOL. Quo modo? PAT. Vt historiam rerum humanarum memoriam vocemus. SAN. Tu sanè, Patriti, vir præstantissimus es: sola hæc omnia comprehendit. Sed ecce tam levis res, quantam pareret difficultatem. PATR. Sic solet Deus hominibus in rerum inquisitione, cùm minimè putant, adesse, Tu verò, Sannute præstantissime, cur nobis non aderas? Et tu, nobilissime Scolaris, es ne hac definitione contentus? SCOL. Ita sanè: nam omnis generis historias complectitur. PATR. Ergo continentur hic etiam binæ illæ publicæ privatæque historiæ species. SCOL. Ne redeamus quæso Patriti denuo in hunc labyrinthum: metuo enim ne illic fortè hæreamus. PATRIT. Quin tu bono animo es: filũ istud ad portæ vestibulũ alligato, & me sequere, nam te salvum & incolumẽ reduxero. Oportet enim nos aliquid utilitatis hinc venari, præsertim quòd viam nobis ad id patefactam cernamus. SCOL. Faciamus ut libet. PAT. Cõsidera iã, historia postquã scripta est, manet historia, quãvis non publicè ab hominib. legatur. SCOL. Sic est. PAT. Et cum eam publicam privatáve memoriam appello, non eò dico, quòd rerũ privatarũ aut public. sit: sed eò respicio utrũ sit in publicum edita an verò privatim conservetur. SCOL. Et rectè quidem sic dicis. PAT. Atq; alia ratio est privatę Publicęq; historiæ, quæ ita dicitur, quòd de publicis aut privatis rebus scripta sit: nam publicũ & privatũ hic, ad res non memoriam refertur. SCOL. Ita mihi quoque videtur. PAT. Et rectè quidem, nam publica memoria est, quæ publicè conservatur: quamvis fortè rerum sit privatarum. Nullus est enim historicus, qui non in eum finem scribat, ut in publicum edatur. SCOLAR. Rectè. PAT. Sed hoc ipsum quæso, in quem finem faciunt historici? SCOL. Vt res enarrent videlicet. PAT. Ita habet res aliquo modo: sed hanc rerum e-

narrationem, officium potius eorum censebam. Habétne autem hæc ipsa alium aliquem finem? SCOL. Vtique scriptoris gloriam. PATR. Ita sanè, & fortè etiam utilitatem, atque illius de quo scribitur, laudem. SCOL. Id etiam. PATRIT. Sed erravi ego videlicet quòd de historiæ non historici fine quærere oportuit. SCOL. Qui hoc? PAT. Quòd historicos multos existimem, animum ad scribendum appulisse, laudis, lucrique causa: nonnunquam etiam ut alicui gratificarentur, cæterisque hominibus complacerent: is verò non historiæ, sed ipsius scriptoris finis est. SCOL. Verè dicis. PAT. Ecquis igitur sit historiæ ipsius finis? SCOL. Fortè rerum ab hominibus gestarum memoriam conservare. Fortassis: sed idipsum in quem finem? SCOL. Vt humano generi prosis, iam antè gestarum exemplis. PATR. Delectatio ergo finis non est? SCOL. Minimè. PATRIT. In quónam igitur utilitas ista consistit, quam dicis? SCOL. In eo videlicet quod Cicero exprimit, dum historiam inquit tẽporum esse testimonium, lucem veritatis, memoriæ vitam, magistram vitæ, & antiquitatis nuntiam. Magna hæc est historiæ laus. Ego verò non intelligo, quid amplius prosit quàm quod fortè magistra vitæ esse queat. SCOL. Iam mecum ne, an cum Cicerone contentionem suscipis? PAT. Cum neutro sanè, nam utrumque revereor. Sed ignorantiam meam, iam ante notam esse tibi credebam, tantam scilicet ut ne eloqui quandoque noverim quæ animo concepi. Quo fit, ut interdum etiam aliter, quàm velim pronuntiem. Sed mihi tamen non videor ineptè dixisse: non apparere quòd his historia laudibus contineretur, præter unam partem. SCOL. Et illud tibi parum esse videtur? PATR. Imò plurimum. Sed, ut ingenuè fatear, ne hanc quidem planè capio, mihique ex parte falsa videtur. Tu verò huic meæ dicendi libertati ignosces. neque enim quicquam ignorantia liberius. SCOL. Iam mihi nimium scrupulosus videris, & qui nodum in scirpo quæras. PATR. Agnosco id, & idcirco vehementer doleo, & te mei misericordia moveri,

oportuit. Ostende enim per Deos, quo pacto historia vitæ magistra sit. Nisi fortè satius sit, ut aperiam prius illa, quæ me dubium reddunt, ut agnito morbo, medicina commodior queat adhiberi. SCOL. Age ergo, eloquere, ego attentè auscultabo. PAT. Attenti igitur sitis ne à via aberrem. Sic mecum ratiocinari soleo: An non fuêre historiæ maximorum pontificũ Annales? Fuerunt. Et referebatur in hos, quicquid singulis annis reipub. faustum infaustumque accidisset? Vtique. Hosque postea suspendebat pontifex de Capitolio, ut quid eo anno accidisset, à populo cognosceretur? Suspendebat. Erant autẽ in Annalibus tantùm summa rerum capita cõprehensa, cuiusmodi ferè sunt Berosi, Daretis Phrygij, Fabij Pictoris, & Sempronij historię: Ita. Sic ego mecũ rem istam considero: sed dum mihi placeo, fieri potest fortassis ut aberrem. Tibi verò, Sannute, quid videtur de hac re? SAN. Idem planè quod tibi. nam & ipse Cicero, Catonis, Fabij, & aliorum quorundam historias appellat Annalium confectionem. PATR. Rectè: non aberro igitur. Sed si hæc ita sunt. quid ex hisce annalibus mihi potest utilitatis accidere? Hercle nihil. SCOL. Quomodo nihil? PAT. Et tu hinc utilitatis quippiã dimanare posse existimas? SCOL. Imò plurimùm certè. PAT. Quæso te igitur, explices illud mihi, ne in legendis Chronicorum libris, tempus frustra consumam. Ecce enim Berosus commemorat, Iovem Belum fuisse secundum regem Babylonię, & ibi duos & sexaginta annos regnasse: cuius regni anno secundo condita in Italia fuerit civitas Veiorum. Tyrum Tyri conditorem fuisse Thracum autorem. Anno autem quinto & quinquagesimo colonias fuisse à patre Iano in Arabiam felicem deductas. Hæc ita ad verbum à Beroso commemorantur ipsique postea id videre in eo poteritis. SCOL. Credo, sed quid tum? PAT. Quòd vellem edoceri, quid hinc utilitatis ad vitæ meæ institutionem desumere queam. SCOL. Ex hoc equidem nihil. PATR. Sed ex ista fortassis Daretis historia. Transacto tertio belli anno, Hectore ac Troilo Troianorum ducibus,

exercitus pugnavit, Agamemnon cum exercitu Grę-corum sese opposuit, magnaque hinc clades sequuta est. Hector enim primo statim congressu Phidippum Xantippumque occidit. Achilles autem interemit Lycaonium atque Euphorbium: ista videtis, vel accuratius, quàm à Beroso commemorari, nec possunt tamen utilitatis quicquam præstare. SCOL. Cur nihil utilitatis præstare illa dicis? Nam etsi non aliud præstent, illud certè non est exiguum, quo pacto res istæ successerint, verè cognoscere. PAT. Est sanè illud non exiguum. Ego autem diversum genus æstimabam esse rerum bonarum, ab eo quo veræ continentur: sed errabam nimirum. SCOL. Non errabas tu quidem. Sed quid hoc sit? Sic omnia cum aculeo dicis. PAT. Vt sciamus diversum esse iudicium de historiæ veritate, ab eo, quo pensitatur eius utilitas ad vitæ institutioné. etiam prius rectè dicebam, Magnifice Sannute, non esse vera quę in historię laudé à Cicerone dicuntur: eaque causa erat quòd illa non intelligerem. SAN. In annalibus res ita fortè habebit: sed ex cæteris historijs possem equidem ostendere quãta utilitas dimanet. PAT. Quare rogo te per deos, ut id facias. SAN. Faciam, si tamen tu prius, & nobilissimus hic vir, vestram de hac re sententiam dixeritis. SCOL. Id ego faciam libenter: hincq; exordium sumam, quòd historia ceu theatrum quoddam est, omni exemplorum genere refertum, & in suam utilitatem, & civitatis principisq; sui quisque referre potest: & ex tanta copia, quæ utilia esse possunt eligere, & fugere contraria. Habes enim ex historia bellicos apparatus, bellorum causas, instructas acies, præcepta militum, rationem præparandi commeatus, arma, exercitus, quo modo exercitus progrediatur, castra ponat, moveat, quis pugnandi modus sit levibus gravioribusque prælijs, aut etiam excursionibus atque insidijs. Vt flumina, valles, montesq; superentur, urbes obsideantur. Inter pugnandum quis modus sit sese muniendi, hostilisque robo-

ris

ris cognoſcendi, locum præmunitum expugnandi, quod ducis militiſque munus, quid equites pediteſque poſſint, hoſtem quouſque perſequi aut fugere oporteat, cogere, aut ubi coactus ſis, periculum evitare, quomodo hoſtium conſilia inquirenda, difficultates animadvertendæ, ſtratagematis uti, producere bellum aut citò perficere, transferre in ditionem hoſtium aut domi ſuſtinere, copias ſuas coniungere, aliorum diſpergere, ſibi proſpicere, aliis commeatum impedire, hoſtem fallere, ab eo decipi, in tempore celeritate aut tarditate uti, ad colloquium venire, de pace tractare, inducias paciſci. Hic cernere eſt unius ducis prudentiam, alterius imprudentiam: audaciam huius, illius timiditatem. Nam hic eſt celer, ille tardus: hic præceps, ille ſapiens: hic occaſiones rei gerendæ captat, ille negligit: hic eſt crudelis, rapax, perfidus, ille clemens, liberalis & iuſtus: hic dexter & agilis, ille imperitus & obeſus: hunc amant milites & magnifaciunt, illum oderunt atque contemnunt: hæc multaque hiſce ſimilia poſſunt in hiſtoriis obſervari, & belli paciſque tempore, in Reipubl. ac Principis uſum accommodari. Multaque præterea de ratione adminiſtrandæ Reipubl. regni, tyrannidis, de diverſarum gentium legibus: quæ omnia ſi obſerventur, ad vitæ inſtitutionem utilia eſſe poſſunt. Atque hęc quidem illa ſunt, quæ de hiſtoriæ utilitate nunc potui afferre. PAT. Multa hæc ſunt & planè admiranda, quæ nunc de hiſtoria dixiſti, vir nobiliſſime: ex quibus ego pauca ſanè & fortè etiam nulla prius obſervaveram. SCOL. Magno cum fructu igitur legiſti hactenus hiſtorias, Patriti, ſi iſta non obſervaveris. PATRIT. Vos ipſi videtis iam, quàm ſubtilis ego ſim hiſtoriæ obſervator, & amplius etiam ex hiſce videbitis, quæ deinceps dixero, univerſam hanc materiam, certis capitibus diſtinguens: Quod etſi in tam ſpatioſo campo vix rectè fieri queat, tamen facio, ne confundam hoc meum ingenium iam antè perturbatum. Cùm hiſtoria humanarum rerum memoria quædam ſit, eæque tribus generibus, honeſto ſcili-

cet,utili,& iocundo contineantur, poteſt ad hæc ipſa quoque omnis hiſtoriæ utilitas referri? Itaque ad honeſtatem referentur,quæ de legibus, ſacrificijs, cæremonijs,religione,bona civium inſtitutione & moribus,literarum ſtudijs,iuſtitia,temperantia, fortitudine, prudentia, magnanimitate, magnificentia, liberalitate,modeſtia,clementia,alijsque virtutum generibus in hiſtorijs continentur. Vtilitate comprehenduntur,cum cætera ab hoc nobili viro modò commemorata tum alia plura,quæ ipſarum urbium & civitatum propria ſunt. Iocundæ deinde ſunt, egregiæ illæ deſcriptiones locorum, urbium, regionum, montium, vallium, planorum, camporum, fontium, portuum,promontoriorum, exercituum, armorum, peditatuum, equitatuum, inſtrumentorum bellicorum, inſtructarum acierum, caſtrorum, foſſarum, murorum, munitionum, & aliarum item rerum quæ hiſce ſimilia ſunt, & deſcribi in hiſtoria conſueverunt. Cuius generis cenſentur etiam pulcherrimæ orationes,quæ à principibus,legatis,ducibusque haberi conſueverunt,dicta item quædam argutè & ſententiæ graves, & ſi quæ eius generis ſunt. Cæterùm non ignoro ego nunc, dum nimium ſubtilis eſſe volui, à via me aberraſſe. Quare tuum fuerit iā Daniel præſtātiſſime,dicere de hac re quod ſentias, meque ad verū tramitem reducere. SAN. Non tu ſolùm Patriti,verū etiā hic nobiliſſ. Iuvenis à via aberravit. Vterq; enim illa refert ad finem hiſtoriæ,quę potius media quædā ſunt ad ſcribendam hiſtoriā neceſſaria,ſive etiam accidentia quædam: nam eſt illius finis ab hiſce longè diverſus. PAT. Quapropter oſtendas ipſum quæſo. SAN. Faciam ſi attentè me audire volueris. PAT. Audiemus SAN. Tria omnino genera ſunt eorum quæ expetimus,ad quæ reducūtur reliqua omnia. Nam & eſſe, & bene eſſe,& ſemper eſſe omnes expetimus. Poſſumus autem idipſum etiā brevius pronuntiare,ſi dicamus,omnes homines cupere, ut ſemper bene vivant, & in eo ſtatuere fœlicitatē. Cū autē id à natura ſingulis hominib. inſitū ſit, veriſimile eſt etiā idipſum ineſſe,

esse hominum societatib. utpote familijs, civitatibus. Et debent ad hunc semper bene vivendi finem ambæ intueri, idipsumq; etiam propositũ habere, quicũque ad eorum gubernacula sedent. Quo fit ut eò non nisi sapientes iure admitti debeant. & qui consequendæ huius felicitatis rationẽ cognoscũt: multoq; magis in urbibus gubernãdis ubi multitudo ipsa parit difficultatem. Sed duo omnino sunt, per quæ ad fœlicitatem hanc possumus pervenire, leges & civium institutio. Vt autem intelligas quæ leges, & quæ civiũ institutio felicẽ reddere possint hominũ societatem, tria requirũtur: Vniversalis naturæ hominum contẽplatio, quæ propriè philosophorum est: cognitio rerum singularum, quæ casu aut alio modo evenire consueverunt, & utraque simul. Hinc fit ut apud Platonem legamus, felices esse respub. quæ à philosophis gubernãtur: quoniam in huius summi boni contẽplatione, perpetuò versantur. Scimus etiam Gottifridum Bolioneũ, postquam Iudæã armis occupasset, velletque certam reipub. formam in ea constituere: solitum fuisse à peregrinis, qui eò invisendi sacri sepulchri causa veniebãt, sciscitari de legibus & gubernandi ratione, quæ in eorum patria essent: selectisque ex omnibus quæ optima esse videbantur, eam reipub. formam ex singularium animadversione cõstituit, qua deinceps regnum illud longo tempore fuit administratum. Lycurgus autem, quem verè philosophum fuisse existimo, generales contemplationes cum singularium cognitione coniunxit: & varias regiones peragrans, & earum leges examinans, optimam illam administrandæ reipub. rationem constituit, quæ permultos annos, magna cum civium utilitate fuit observata. Cæterùm in constituenda reipubl. forma, optimè coniunguntur universales contemplationes, cum singularium cognitione, si aut cum multis colloquaris, quod Bolioneus fecit, aut peregrinis, ut Lycurgus & Zamolsis: aut denique si historias rerum ab hominibus gestarum legas, quæ omnium optima ratio est. Nam ex historiarum lectione patent cùm antiquissima illa, tum quæ pa-

trum nostrorum, nostraque memoria acciderunt: tam nostra quàm peregrina, tam vicina, quàm longè abhinc remota. Ex quorum observatione potest quisque ea traducere ad Reipub. suæ gubernationem, quæ felicem illam efficere queant. Ac talem quidem historiæ finem esse hactenus semper existimavi.

FRANCISCI PATRITII CONTILIS DE HISTORIAE VERITATE DIALOGVS V.

Ioanne Nicolao Stupano Rheto interprete.

F. PATRIT. ANTONINVS BORGHESIVS, Lucas Contilis, & Romanus.



HOC modo navicula vecti ego & Borghesius, iocundè colloquebamur, donec ad ædes Lucæ Contilis ventum est. Is cum nobilibus quibusdam deambulabat, & cùm nos vidisset, procedens obviam ecquid novi, inquit, affertis Antoni tuque Patriti? De rebus pulcherrimis, ait Borghesius, in navi disseruimus, quas vobis quoque iocundas fore credo: eique sic quæcunque de historia inter nos disputassemus, breviter aperuit. Tum Contilis, periocundum hoc vestrum colloquium fuit, utinam vobis adfuissem: sed quoniam me absente hactenus disseruistis, pergratum mihi erit, si vos de eadem re disputare perrexeritis, proculdubio enim aliquid adhuc superesse poterit. Non venit mihi in mentem, inquã, quid amplius dici queat, sic Borghesio quæ sciebam omnia exposui. Tu verò Contilis, aut alius aliquis ex hisce nobilibus, facilè aliqua de historia proponere poteritis, quæ sint à nobis præterita: ut ea proinde, loco aliorum, inter nos

nos conferamus. Tum promptè accedens Iuvenis quidam, quem Romanum ex sermone conieci; superest, inquit, ut inter cætera dispu[illegible] modo historia vera scribi possit: nam præte[illegible] quam de nostra religione sanctus spiritus dictavit, nullam planè unquam à quopiam homine veram scriptam esse crediderο. Ego verò rei novitate ferè perterritus, magnum, inquam, est hoc quod credis, vir nobilissime. Nil refert, inquit, tibi enim sic videtur: ego autem hanc meam sententiam defendere paratus sum, si tu contrarium asserere ausus fueris: atq; hisce brachium, ut solent qui paulò ferociores sunt, extendit: ego verò mox cedens, non tecum congrediar, inquam, si tam ferociter velis. Ferociter? citò detrectas, inquit. Quoniam imbecillem me agnosco videlicet. Quin potius volo, inquit, ut amicè colloquamur, si ita malis. Volo, inquam, hoc quidem modo conferre: nam dum nova hæc ex te disco, semper aliquid lucrifecero. Cur nova vocas? inquit. Quoniã nunquã credidero fuisse aliquẽ historicũ, qui falsum ex professo scripserit. Ecce inquit, ineptias hominis, in ipso statim principio. Apparet te rerũ humanarum valde imperitũ esse, qui te ipsum ita decipias. Non sunt, inquã, historici omnes viri boni? Iterum, inquit, sic ineptis. satius fuerit, ut cum altero quopiam horum nobilium disputem, qui me intelligat: nam inter nos, quãtum ego video, nunquam conveniret. Hoc ego non sine molestia audiens, Contilem Borghesiumque obnixè rogo, ut efficerent, quo mecum hic Iuvenis conferret: nam etsi ignorantiam meam agnoscerem, ægrè tamen ferebam, me indignum censeri, quem de historia erudiret. Præstitère hoc illi, effeceruntque ut mecum hanc rem disputare pergeret. Quare, inquam tum, ut intelligas, nobilissime vir, me non sine causa pronunciasse novam esse hanc tuam sententiam: adferã eius rationem. Ciceronis hæc est, prima de scribenda historia lex, sicut memini me apud eum legisse, ne quid in ea falsum pronunciemus: secunda, ne quod verũ est, dicere metuamus: tertia, ne alicuius gratia aut odio ad-

ducti scripsisse videmur. Quæ sicuti rectè constituta videntur, ita mihi quoq; persuadeo, fuisse ab historicis observata. Te miserum, inquit, ille tunc, pietatem quandã præ se ferens. An censes, si principum, qui orbi terræ dominantur, legibus, non nisi rarò obtemperatur, Ciceronis legibus per omnia obtemperatũ iri, qui parvi aut fortè omnino nihil fit hoc nostro tempore? Quoniam me, inquam, tali viro confers, æquo animo ferre possum: sed rogo te per Deum, ut ineptam hanc meam opinionem, cuius causa me omnes derident, eripias, meq; edoceas melius. Faciam, inquit, & à Romanis exordiar, quorum res à perpaucis eodem modo narrantur. Salustius enim Romam à Troianis conditam fuisse scribit, qui Aeneam ducem sequuti, sese Aboriginibus, ibi tunc temporis degentibus, coniunxerant. Livius à Remo & Romulo exordium habuisse asserit. Fabius Pictor tradit à Saturno fuisse ædificatam. Sempronius deniq; ab Atlantis Itali filia extructam fuisse memorat, quæ Roma vocabatur, vixeritq; mille & centum circiter annis ante Romulum. Sed & reliqua ad urbis extructionem pertinentia quod attinet, nonne à Dionysio Livius infinitis locis differt? Inter Græcos verò historicos an nullæ sunt? Sed dicamus potius de ijs qui bella nostris temporibus gesta conscripserunt. nam & ipsi mille modis à se mutuò dissentiunt, adeoque sibi eandem rem, cui uterque interfuerit, describant: cernere est eos plurimùm differre, multaque ab uno narrari, quæ alter se vidisse negabit. quę si ita sunt, qui fieri potest, ut historicus, qui Romæ fortè fuerit eo die, quo prælium ad Ravennam commissum est, tibi illud verè enarret? Certè nullo modo. Ego verò cùm rem aliter quàm putassem successisse viderẽ, magna cum admiratione, inquam, nescio qua de causa, vir nobilissime, nos volueris omnes fallere. Cur fallere, respondit ille. Ita fallere, subdidi. Cùm enim demonstrare nobis proposuisses, historiam nullam veram esse: non id fecisti, sed quantum in ijsdem rebus enarrandis multi differant à se mutuò, ostendisti.
Sed

Sed nonne eodem modo historiarũ falsitatem ostendi? Minimè gentium, inquam. nám fieri potest, ut verum scribat uterq;, & tamen dissentiant. Videte hominis ineptias, inquit ille, caput ferociter ostẽtans. Quare ineptias? inquam iracundus, nonne potest uterq; vera narrare, uno aliquid prætereunte, quod ab altero recenseatur? Ad hæc obmutuit, nec quicquam ausus fuit amplius eloqui. Quod cũ advertisset Contilis, nõ negandum est, Patriti, inquit, perpaucos historicos esse, qui res verè semper enarrent: nec aliundè diversitatem, quam inter eos hic nobilis vir modò ostendebat, quàm ex veri ignorantia dimanare. Cuius rei ipsi sæpius sese accusant: estq; hoc argumentũ abstrusæ rerũ narratarum veritatis firmissimum: cuius rationem, si tibi videatur, paratus sum reddere, & id quidem paulò aliter quàm hic vir fecerit. Id verò, inquam, unicè expeto, utq; facias te per Deos omnes rogo. Faciam: Historicus, aut res quæ suo tempore geruntur, scribit, aut quæ iam anteà gestæ sunt. nunquid hoc ita necessum est? Est, inquam. Si ergo de rebus præteritis scribat, sive recens, sive iam olim gestæ fuerint, necessum habet imitari, quæ à maioribus memoriæ prodita de ijs accepit, de suo verò nihil fingere. Cùm enim res vetustæ à memoria nostra remotæ sunt: nihil de illis scire, præter ea quæ maiores nostri literarum monumentis mandaverunt, possumus: quare illa omnino sequi oportet. Verè dicis, inquam, iam, dum maiores nostri historias illas exarabant, inquit, aut de præsentibus aut præteritis rebus scribebant: ac si quidem de hisce ijs itidem veluti nobis aliorum scripta imitari necessum fuit: sin de præsentibus, tunc idem ijs usu venit, quod nobis scripturis de rebus nostro tempore gestis. In scribendis autem hisce oportet historicum rei gestæ interfuisse, aut ab alio qui vel interfuerit vel non interfuerit accepisse: Ita ne hæc sunt? Sunt sané, inquam. Si iam scriptor rei gerendæ interfuit, aut alterius partis amicus hostísve fuit, aut à neutra dependebat: numquid? Certè, inquam. Ac si fuit alterius partis amicus, nõ dubium est, quin ita sit res nar-

raturus, ut suorum autoritatem & existimationem augeat, hostium verò extenuet: quod dum facit, quantũ putas à vero discessurum? Discedet proculdubio. Non est igitur sperandum, inquit, ut ab eo, qui erga alterutram partem odio aut amicitia affectus est, res omnino vera proficiscatur. Sin verò ab odio & amicitia liber, à neutra parte dependeat: non poterit partiũ consilia primùm investigare, quæ maximum pondus in huiusmodi negocijs habent. Quare etiamsi rem gerere videat fortassis, causas tamen, propter quas hęc fiunt & alia originem habent, ignorabit, adeoq; totum hoc quod sciet, propemodum nihil erit. Hoc, inquam, convincit rem ita habere. Itaq; fieri non potest, Patriti, inquit, ullo modo, ut humanas actiones, sicuti verè gestę sunt, omnino cognoscamus: quare seu recens historia sit, sive antiqua, non potest ipsam rerum veritatem planè explicare. Adduxisti in angustũ Contitis, inquam, historiarum veritatem, eamq; planè extenuasti. Quid enim deinceps credamus ijs qui rerum gestarum historias nobis reliquerunt, aut quid speremus ab illis qui eas pollicentur, si ex ijs veritas cognosci nequeat? Metuo profectò ne si hæc tua sententia resciatur, multi futuri sint, qui & historicos defendendi, & gloriæ comparandæ causa, tanta occasione oblata stylum adversus nos acuant. Ego verò cuperem hoc omnibus innotescere, inquit: nam si errare deprehensus fuero, non deerunt qui adversus me scripturi sint: ac si ego errorem cognovero, non pertinaciter sententiam meam defendam, sicuti nunc dum me bene sentire puto, & tibi idipsum persuadere enitor. Non equidem illi libenter iam omnem fidem adimo: sed tamen quoniam necessitas & hoc nostrum colloquium ita postulant, nõ verendum est quod sentias ingenuè profiteri: Sin aliter deinde quàm sentio res habere deprehendatur, utilem mihi reprehensionem ducam. Non est ergo remedium aliquod huic historiæ morbo, inquam, aut nobis consolatio quædam? Hæc unica consolatio nobis relinquitur, si credamus seriem illam historiæ quæ à principio mundi ad nostra tempora

pora extenditur, crasso quodam modo veram esse: præterea ipsos rerum gestarum eventus, plerosq; non tamen omnes, uti scribuntur accidisse: sed quæ de cõsilijs, apparatibus, alijsque rerum attributis narrãtur, fieri non potest ut omnino vera sint. Si vis, inquam, Contilis, ut eloquar, quod iam mihi de hac re venit in mẽtem: dicam, nihil interesse, veráne an falsa sit historia. Qui hoc? inquit. Quoniam sufficit famam esse, quòd hoc aut illo modo res gestæ sint: & scimus famam antiquitùs divinum quiddam æstimatam fuisse, cui multum concedere debemus. Proculdubio id ipsum suffecerit, inquit Iuvenis Romanus. Ego verò ne colloquium denuò interrumperet, sed ferè videor sententiam mutare, inquam: nam fama sæpe contraria sibi ipsa est, & aliud alio loco profitetur: cùm autem rebus Divinis contrarietas hæc non insit, famam quoque divinitatis nihil habere credidero. Tum Borghesius, quid igitur dicamus, inquit, cùm in has angustias simus compulsi? Sanè in angustias, inquam, sed nónne cum navicula veheremur, de historiæ usu differebamus? & paululum vocem supprimens, quæro ex illo occultè, eundémne censeat eius finem, quem prius ipse, an fortè quem ego potius cõtendissem? Vtrum malueris, inquit, subridens: quid enim opus est ista cælare? Non feremus, inquit tum Contilis, ut huius vestri colloquij fructu spoliemur: palàm dicendum est, quid sciscitamini occultè? Quærebam ex Borghesio, inquam, eum ne censeret historiæ finem esse, ut illius exemplis homines vitam ad consequendam fœlicitatem rectius possent instituere: quòd si ita est, ut ille annuit, advertisse mihi videor, quòd nihil intersit, veram an falsam historiam esse. Ad hæc cùm cæteri ridentes, tum Contilis, quorsum ista, Patriti? inquit. Ego autem verecundus, númquid ineptius dixi? Nihil ineptè protulisti, inquit Romanus ut me consolaretur, sed quod nobis paradoxum visum est. Cumque pudore suffusus nihil auderem proferre, Borghesius, ne ita facilè terrearis, Patriti, inquit, sed causam potius & ra-

tionem adfer, propter quam sic pronuntiâris. Ex Landino, inquam, edoctus sum, Virgilium sua poësi, homines ad consequendam fœlicitatem instituere voluisse: quod certè vir ille fabularum mysteria explicando, pro facundia sua facilè potest persuadere. idemque tētasse Homerum utroque poëmate, ex multis alijs audivi. quod certè si ita sit, fabulis id instituerunt, neque enim quicquam aliud scribunt? Nihil sanè aliud, inquit, sed quid tum postea? Quòd nihil intersit, veram aut falsam historiam esse, quoniam fabulis atque figmentis ad fœlicitatem institui possumus. Posset hoc aliquo modo habere locum, inquit Contilis ioco, nisi in navi cum Borghesio contrarium affirmasses. Fieri potest ut affirmarim, sed eius, inquam, non memini amplius. Convenerat inter vos inquit: historiam esse rerum humanarū memoriam: nomenq; ex eo obtinere, quòd res quæ historię mandantur, proprijs quasi oculis essent conspectæ: num ita convenerat? Sic sanè. Res verò quæ oculis conspiciuntur, non fabulæ neq; figmenta sunt: quare nec historia esse potest, nisi rerum verarum, quę sensibus aut saltem intellectu comprehendi queant. Certè ego, inquam, cùm usque adeò extenuatam, & ad nihilum ferè redactam à vobis historiam cernerem, misertus voluí succurrere, sed nihil præstiti quantum intelligo. Sanè nihil, inquit Borghesius. Sed relaxa per Deos hæc vincula Contilis, inquam, quibus eam mēdacio astrinxisti, ut vera queat iterum censeri, neq; enim illam versàri in tanto discrimine sine dolore cernere possum. Ego verò, inquit, vel magis constrinxero potius: Sic facito, inquit Borghesius: dic liberè quod sentis, nec te, Patriti, amor ille modò moveat. Patritius de Historia ita loquitur, inquit Contilis, ac si illius amore teneretur, sed quanvis rectè omnium pulcherrimarum rerum amore teneatur, non debent tamen veritatem cum dolore sentire. Hoc cùm audissem, subticui certè aliquantulū, metuens ne urgeret fortè quæstionem, quam per omnem vitam quasi mecum animo versavi, nec dum explicui; paulò pòst autem, dic

tu

tu igitur liberè, inquam, quod ſentias. Dicam inquit. Qui ſcripturus eſt hiſtoriam, aut ſcripturo res geſtas commemoraturus, vel idiota quiſpiam è vulgo ſit neceſſum eſt, vel munus aliquod Reip. obtineat. Ac ſiquidem idiota vulgaris fuerit, eorum quæ in foro aguntur & dicuntur in tonſtrinis hiſtoriam ſcribet, fabulas videlicet. Sin verſetur in Repub. haud dubiè obnoxius erit Dearum imperio, quas in Repub. verſantibus Iuppiter præfecit. Sunt hac ita, ut dicis, inquit Borgheſius, ſed quæ ſunt Deę hæ? Metus, inquit Contilis, atque adulatio, quarum altera proprias res auget mentiendo: altera ut ſilentio prætereãtur multa efficit, quæ non ſine ſcriptoris periculo, & infamia principis ad quem pertinent aperiri poſſent. Ad hæc ego ga viſus, putabam rationem inveniſſe me, qua hiſtoriæ veritas conſtaret: itaque lætus, inquam, iam qua ratione hiſtoriæ veræ ſcribantur Contilis oſtendiſti. Fortè contrarium potius, inquit, ſed quomodo? Si Principes ipſi ſcripſerint, inquam, aut ſcripturis, res geſtas earumq; cauſas atque conſilia commemorent, quę ipſis ignota eſſe nequeunt. Tibi ipſe contrarius es Patrici, inquit Borgheſius. Qua, inquam, de cauſa? an non ſciunt Principes conſiliorum ſuorum ſecreta? Sciunt inquit melius quàm quiſquam alius. Et nónne igitur ſcribent? iocaris túne, an seriò dicis? inquit Borgheſius ad hæc. Ego verò admiratus quòd hæc ſciſcitaretur, ſeriò inquam: putas ita novum eſſe quod dixi? Apparet ſanè ex hiſce, inquit, te parum in Principum aulis eſſe verſatum: neque enim tibi unquam res ſuas verè patefacient. Sed iſtud iniquum eſt, inquam. cur autem faciunt? Dicam tibi, inquit, ſed cave ne cuiquam patefacias, efficit enim eorum potentia, ut inter homines, ceu Dij quidam habeantur, ne quiſquam ijs maledixerit, quin pœniteat poſt ea. Rectè facis Borgheſi, inquam, quòd me moneas, potuiſſem enim facilè labi: Tu ergo in hiſce cautus eſto, inquit, ego reliquum explicabo, hinc exorſus, quod optimè norunt ij, qui potentia ſua dijs quibuſdam ſimiles reddãtur. Quo fit, ut dum Bonum Dei effigiem putant, id veri-

nissem. sed & quid illud nocere queat, quod dixi? Ego verò tunc capite annuens, meritò, inquam, curãt absorbendum Principes hunc veritatis ventum: nam eius flatu fieri posset, ut non cæteris tantummodò vestibus, verumetiam interula quandoque nudarentur, & non secus ac de Ptolemæo quodam Aegypti rege accepimus, omnibus deridendi proponerentur. Arrisit adhæc Borghesius, quòd ioco dixissem: & meritò igitur veritatem odio prosequuntur, inquit. Meritò herclè: sed videor tamen principes quosdam novisse, inquam, qui cupiant res suas historia comprehendi, honestisque præmijs donant eos, qui provinciam talem susceperint. Tum ad Contilem conversus Borghesius fieri nequit, ut de veritate cum hoc amplius disseras, inquit: aut fingitne ista? Istud ergo negotium mihi permitte, inquit Contilis: nam & novi ego hominis ingenium, & scio quomodo cum eo agendum sit: conversusq; ad me, ait, nonne magnum quiddam est admiratio, Patriti, qua animus noster ob rem quãpiam afficitur? Est sanè, inquam. Eaque, inquit rerum absconditarum novitate & magnitudine excitatur? Sic est, inquam. An igitur, inquit, mirum est, si Principes omnium hominum doctissimi, cùm ad devinciendos sibi amplius subditos, tum ad perterrefaciendos alios, res suas admirationi esse velint? Non est, inquam, sed quo pacto id efficiunt? vitia, inquit, sua consiliaq; occultando & vires suas opesq; ostentando. Rectè, sed quid hoc ad historię veritatem impediendam? Quoniam volunt, inquit, ut historici eorum vitia & ineptias silentio prætereant: nec patefaciant etiam, quo consilio quidlibet egerint, ni fortè tale quidpiam sit, quod eorũ potentiam & autoritatem illustrem reddere possit. Ego sanè, inquam, huiusmodi principum mores ignoro, Contilis, sicuti alia quoq;: & quoniam tibi hæc nota esse scio, ob multam conversationem fidem habebo. Interea tamen rogo te, ne me fallas in re tanti momenti, quamque ego scire summopere cupio. Quin tu securus es, mihiq; & Borghesio fidẽ habeas: nam si te maximè falleremus, quid illinc nobis

lucri foret? Totum ergo me vestræ fidei concredam. Sed quid sentiendum fuerit de historijs, quas homines privati & nullis Principibus addicti scribunt? In hisce, inquit, considerandum est itidem, fuerint ne scriptores hi de rerum successibus eorumque causis atque consilijs à principibus ipsis edocti, an ab alijs. Nam si principes res gestas scriptori recensuerint, idem sentiendum de tali historia est, ac si ipsimet scripsissent. Sin alij id fecerint, certè hos tales esse oportet, qui rei gestæ interfuerint, aut non: si non interfuêre, aut potuerunt rem integrè videre, aut non: atque hisce quidem fides non haberi potest, illis verò ut tutò credatur, necessum est ab omnibus affectibus sint alieni, tantaque insuper authoritate præditi, qua consiliorum, rerumque gestarum plenam cognitionem consequi possint. Atqui istud certè eo difficilius est, quò magis debent duces ac principes consilia sua prudenter celare, nec cuiquam nisi fidissimo & cuius ope consilijsque indigeant, patefacere. Nulláne igitur ratione fieri potest, inquam, ut rerum humanarum sicuti geruntur, vera historia scribi queat? Durum enim est istud, sanè & creditu difficile: quare si aliqua sit Contilis ratio adhuc, qua id fieri possit, eam quæso nobis aperias. Vnica est, inquit, si princeps ipse eam veram scribi velit: sic enim scriptori leges, statuta senatus, consilia, literas & quæcunque eius generis in belli ac pacis negocio occurrunt, suppeditabit. Commemorabit etiam propria consilia, adeoque omnia illa, per quæ in veram rei gestæ cognitionem pervenire queat. Ergo quod Dij benevertant invenimus tandem modum huius rei conficiendæ, inquam. Invenimus nos quidem, inquit, sed cui tamen inniti nequeas propter odium quo principes omnes ferè veritatem persequũtur. Tu verò non desinis istud urgere, inquam. Atqui res ita est, inquit, & si id deponerent veram historiam haberes: idq; certò apud te statuas oportet, talem esse historiam, qualis est animus Principis, qui curat eam scribi: nisi fortè propterea etiam veri semper aliquid ei desit, quòd occulta alio-

rum

tum consilia investigari non possint. Ad hæc ego obmutui historiæ fatum non sine suspirijs atque dolore mecum reputans: videbatur enim perinde historia sine veritate affecta esse, atque si solem ex hoc mundo tolleremus: cumque me ista cogitantem omnes tacitè intuerentur: venit iam mihi in mentem, inquam modus quo veteres historias suas veras cóficiebant. Quis ille erat, inquit Borghesius. Eorum sacerdotes, inquam, sanctissimi homines in monumenta literarum referebant, quæ singulis annis accidissent, eaque in templorum adytis conservabant: ex quibus deinde historiæ à scriptoribus contexebantur. Apparet enim tales esse Berosi historias, sicuti etiam Metasthenis Persæ, & Manethonis Aegyptij, quæ proinde etiam à sacerdotibus in templis, tamquam sacra quædam custodiebantur, fuitque hæc consuetudo à Pontificib9 Romanis diu quoque observata. Quòd si enim rerum memoria hoc modo conservata per Annales vera erat, etiam historias quæ illinc conficiebantur fuisse veras oportuit. Tum Borghesius, non est, inquit, necessarium argumentum hoc: nam ex Annalibus veris historia falsa, addendo quippiam, aut detrahendo aut immutando facilè contexi potest. Ad quod ego nihil equidem respondi: nam verum mihi dixisse videbatur: ipse verò pergens, huc accedit Patriti, inquit, quòd Annales non nisi solos rerum eventus, & fortè tempus etiam continent: cætera autem quæ in historia necessariò exprimuntur, minimè. Quænam sunt cætera illa? inquam. Rerum, inquit, attributa, quæ cum Actionibus humanis perpetuò cohærent. cuiusmodi sunt autores ipsi, occasiones, locus, tempus, modus & instrumenta agendi: nam hæc omnia, in perficienda re aliqua requiruntur. Sed quid hinc vis concludere, inquam, Borghesi? Quòd ex Annalibus ipsam rem gestam quidem habeamus, & nonnunquam etiam autorem ipsius, & tempus quo gesta sit: reliqua verò ex historia peti oportere. Eademque, inquam, in ea omnia falsa esse? Non esse, sed posse falsa esse assero: si enim quòd alioquin immobile est, inquit, ut lo-


cus, & quod ſuapte natura nunquam corrumpitur uti tempus, ab hiſtoricis mutantur & corrumpuntur, multò magis in uſu venire poterit, quæ in hominum poteſtate planè ſunt poſitæ. Nam ut non careat res manifeſtis exemplis, ecce adhuc quo loco Patavium primò extructum fuerit ambigitur, ſicuti etiam à quo & quomodo Roma primùm fuerit condita. Et iſti quidem, quoniam pro Contili pronunciavi, non dubitabo aliquid dicere, quod fortè illi aduerſum futurum ſit. Nónne fieri poteſt, ut quod à diverſis alio atque alio modo narratur, ab aliquo verè recenſeatur, etſi alij contrarium aſſerant? Poteſt, inquit. Et ſi vice verſa, inquit Borgheſius, quippiam à pluribus hiſtoricis propè eiuſdem ætatis, eodem modo ſcriptum deprehendamus: cur non crederemus omnes verum ſcripſiſſe? Subſtitit ad hæc Contilis, & credidero, inquit, verum eſſe: nam ut perſuaderent verum eſſe, omnes eodem modo ſcripſerunt. Non autem, inquit Borgheſius, quòd reipſa ita ſit? Donec mihi ratio monſtretur, non mutabo ſententiam, inquit Contilis. Si quis autem rationem hanc eſſe diceret, inquit Borgheſius, quòd hi omnes de re, quam eodem modo ſcripſerunt, eodem modo edocti fuerint, quid ad hoc eſſes dicturus? Quærerem, inquit, an qui eos de eadem re omnes edocuêre, interfuiſſent rei geſtæ, an ex aliorum auditu haberent: & ſive interfuiſſent ſive non, omnia reliqua perpenderem, quæ prius perpendenda dixi: de quibus etſi bene reſponderent, tamen de eo tantùm ſcripſiſſe eos dicerem, quod fama ferretur. Nullam ne igitur rationem aliam noviſti, inquit Borgheſius, qua poſſit vera hiſtoria ſcribi? Neſcio quid noverim, inquit, hactenus certè cogitanti mihi nulla incidit: quare meritò DEVM oraremus, ut nos heic melius erudiret. Ego verò ſuſpirans, utinam moleſtum hoc colloquium hodie omiſiſſemus Contilis, inquam, nec enim cerneremus iam, hiſtoriam in id diſcrimen incidiſſe, quod nemo unquam ei imminere putaſſet. Immò verò adducam, inquit, in maius adhuc: nam etiamſi vera ma-

ximè aliqua ſcribatur., tamen ſpoteſt eam quilibet corrumpere,vel paulò aliter res narrando. Cuius rei exemplum nobis eſſe poteſt, qui de Eccellino hiſtoriam ſcripſit,& erit etiam is,qui adverſus Iovium ſcribere inſtituit. Commutata eſt enim iam hiſtoria in poëſin quandam.Atquè hoc certè telo omnem ſpem conſequendæ in hiſtoria veritatis amiſi: cumque de hac re mecum triſtis cogitarem, en adfuêre quidam qui colloquium noſtrum interruperunt.

FRANCISCI PATRITII
ZENVS DE VNIVERSALI HISTORIAE GENERE, DIALOGVS VI.

Ioanne Nicolao Stupano Rheto interprete.

FRANCIS. PATRITIVS, LVDOvicus Stupanus, & Nicolaus Zenus.



AEPIVS ego Nicolaum Zenum magni ingenij ſummæque eloquentię virum celebrari audieram: cùm alias ob cauſas, tum ob inſignem patriæ amorem,excellenté in Mathematicis, Coſmographicis,totiusq; philoſophię ſtudijs eruditioné: hiſtoriarum verò tantam cognitioné, quanta vix cuiquam totius orbis poſſet contingere. Quæ res animũ meum illius amore ita accenderãt, ut coràm revereri hominem,& quo pacto eſſem erga illũ affectus declarare ſummopere cuperem.Quoniam autem quod revereor,etiam pertimeſco:Ludovicum Stupanum eius familiarem accedo,& quando,inquam,ad Nicolaum Zenum tandẽ mihi aditum patefacies Stupane,quem mihi tãtopere cõmendare ſolitus es?Iam,inquit,ſi placet. Quare accepta occaſione naviculã conſcendimus,

& ad eius usque domum pervenimus: is domi in musæo scribens, cùm Ludovicum unà adesse intellexisset, nos statim admisit. Iam quibus ego verbis meum animum tum illi declarârim, non equidem amplius dicere possem, quòd ex nescio qua nobilissimi illius viri maiestate perturbatus essem. Subitò enim postquam consedissemus, colloqui cœpit, quę ego timore quondam percussus non capiebam in primis: sed tamen cùm responderet ad quæsita Ludovicus, & ego interdum aliquid etiam adderem, fortè faventibus ita superis, ad disputationem de historia devenimus. Ex quo magnopere gavisus sum, non aliter scilicet ác solent phalangio morsi certo quodam sonitus genere delectari: quare exiliens propè gaudio, alijs atque alijs verbis, aliquid de historia pronunciare cœpi, & inter cætera fortè excidit, non esse magni laboris historiam scribere: quæ res Zeno ad sequens colloquium occasionem dedit. Non tam facile est, inquit, omnis generis historias scribere, Patriti, uti dicis. Hebræis quidem, quorum Annales à pontificibus confecti, & tanquam sacra quædam religiosè conservati erant, non fuit magni laboris gentis suæ historiam conscribere, sed nostro tempore sunt in hocce negotio plurimæ difficultates. Nam & temporis vetustas, & pauci eorum temporum scriptores, brevisque & concisa eorum oratio & gentium, quæ res memoria dignas gesserunt & literarum monumentis mandarunt, diversitas, magnam confusionem attulerunt. Quibus tanta varietas scriptorum accedit, ut vix queas veritatem investigare. Auxêre hanc difficultatem mutua quæ semper fuerunt gentium quarundam odia: propter quæ multa sæpe in aliorum contumeliam sunt ementiti, multaque propriæ laudis causa de se, suorumque maiorum gloria finxerunt, adeoque ut illustre redderent genus suorum, multa fabulati sunt, quæ hisce nocere potuerunt plurima silentio præteriêre. Exemplo nobis esse possunt Scythæ & Græci, qui imperij magnitudine & victoriarum gloria inebriati, hasce tantùm memoriæ mandarunt, silentio præteritis om-
nibus,

nibus, quæ illis infausta accidissent. Et Orpheus cùm ad altiora philosophiæ penetralia in Aegypto pervenisset, multaque de mundi vetustate, de inferis, de Acheronte & Oceano, alijsque eius generis rebus occultis didicisset: omnia hæc ad Græcos retulit, & quæ in Aegypto de Thebe & Horo ferebantur, ea omnia de Hercule & Thebe Græciæ urbe fabulatus est. Habuitque gentem suam mirè in eo obsequentem, adeò ut Tamyram qui ex scholis Aegypti reversus, contra Orphei fabulas doceret, occiderint, & quę ab Orpheo accepissent, tanquā sacra quædā conservarint, ac venerati sint: quo fit ut in hunc usque diem, quæ de Græcorum antiquitate feruntur, censeantur fabulosa, cùm potius veræ historiæ sint eorum, quæ alibi extiterunt. Quòd si igitur hisce de causis tanta difficultas est in contexenda gentis unius historia, quantam esse censetis in multis nationibus simul? Certè immensa. Et cùm hæc tantùm ratio rerum sit, nullámne scriptorũ rationem existimatis? Atqui hæc quoq; maxima est: nam qui velit verus esse historicus, vel saltem ne in Græcorum olympiadibus, aut Romanorum consulibus aberret, non saltem decem, quinquaginta, aut centum legat oportet, sed longè plures. Quorum multitudo certè tanta est, ut sola quodlibet ingenium perturbare queat: nam habeo ego in hoc meo musæo, quod fortè vobis difficile creditu videbitur, plusquā mille sexcentos: ex quibus multos natura vanos & ambitiosos fuisse deprehendo, quòd multa in aliorum gratiam augere, multaque odio aliorum extenuare & detrahere, suis verò plusquam convenit semper attribuere, adeoque ineptè & absque iudicio scripsisse videam. Quo fit, ut qui se illis addixerit, in tenebris profundissimis versetur, ex quibus vix sese unquā extricare possit, nisi divinitùs quasi illustretur. Vt autem sese quis ex huiusmodi confusione explicare queat, tria sunt quæ lumen afferre possunt, lectori observanda: temporum scilicet consensus: gestæ res ab alijs atque alijs eodem modo descriptæ: & partium orbis terræ situs: per quæ certè omnis historiæ veritas

deprehenditur. Quatuor autem omnino sunt genera historicorum, ex quibus veritatem sperare possis. Primum eorum, qui ipsi rebus gestis, quas describunt, interfuerunt, atque in hisce legendis conferendi sæpe sunt inter sese, qui ex utraque parte fuerunt. Ab his proximi sunt, qui scripsêre res memoria sua gestas. Tertio loco, qui ex eadem gente nati fuerunt, cuius historiam contexuerunt. Vltimi sunt, qui unius tantùm gentis factum aliquod aut totam historiam scribere instituerunt, quamvis ex eadem nati non sint. Ii verò historici, qui summa tantùm capita rerum ab singulis gentibus gestarum, generali quodam modo conscripserunt, non in alium finem legendi fuerint, quàm ut videas, quo modo ex alijs historicis in sua monumenta quæque traduxerint. Sed prę ter hæc omnia considerandum fuerit etiam, aut esse privatum eum qui historiam scripturus sit, aut cum potestate: Quorum ille certè non aliam poterit historiam texere, quàm rerum quæ in foro & tonstrinis aguntur. hic autem aut principis sui benevolentia, aut odio adversariorum, aut periculi metu quod impendere queat, si quid magis occultum explicârit, inductus, vix unquam veritatem simplicem sectabitur. Rerum verò peregrinarum nemo tantam peritiam habere censendus est, ut earum perfectam historiam scribere possit. Hę sunt igitur, Patriti, & fortè etiam plures eius generis causæ, quæ in cognoscendis rerum humanarum successibus, difficultatem pariunt: & quidẽ eo modo, quo omnes ferè cognoscimus, nõ utiq; quo scire deberemus. Posset autem maior fortè eorũ certitudo haberi in ijs vestigandis, si ab re aliqua, quæ certo quodam tempore accidisset, & cuius certa memoria servaretur, initium sumeremus: atque hinc conferendo res gestas cuiusq; gentis, cũ viris qui certis temporibus fuerunt, ad ea quæ ante hoc factum initium, & postea gesta sunt, inquirenda pergeremus: nam ex collatione rerum gestarum cum personis & temporibus, veritatem inveniri necessum est. Historia verò quoniam duplex est, Vniversalis scilicet, & quæ huic op-

oppoſita eſt (quorum illa aut de univerſo orbe terrarum, aut imperio aliquo, aut etiam univerſis viri alicuius rebus geſtis: hæc autem de una tantùm, aut aliquot rebus geſtis unius gentis ſcripta intelligitur) maior quoque hinc aut minor oritur difficultas in hiſtoria, prout multa aut pauca ſuo ambitu comprehendit. Atque heic cùm ſubſtitiſſet Zenus, novi ego optimè, inquam, quæ ſit in omni hiſtoriarum genere difficultas, & quæ iam diſſeruiſti de ea re optimè à te dicta ſentio. Sed hoc quæſo iam nobis explica, quæ ratio ſit, hiſtoriam de univerſis totius alicuius imperij rebus geſtis, conſcribendi: nam id ex te diſcere vehementer cupio, teq; id optimè poſſe præſtare exiſtimo. Ingenuum & dignum laude eſt hoc tuum ſtudiũ Patriti, inquit, ſed fruſtrà tibi morem gerere tentavero. Vix enim fieri poteſt, ut vera huiuſmodi hiſtoria ſcribatur: quare nec præcipi de ea cùm fructu quicquam poterit: iſtud verò non te movere debet Zene præſtãtiſſime, inquit Stupanus: nam & Plato atque Ariſtoteles eiuſmodi formas Reipublicæ deſcripſerunt, cuiuſmodi nunquam fuerunt, nec erunt. Nec uſquam gentium talis inuentus eſt Princeps aut Orator, cuiuſmodi Xenophon atque Cicero informârunt. Quod ſi autem præſtantiſſimi illi viri operæprecium facturos ſeſe æſtimarunt de rebus hiſce præcipere, quæ fieri planè non poſſunt, nec ſine fructu id fecerunt: multò ſanè magis ſperandum eſt, te de rebus pręcipere utiliter poſſe, quæ etſi difficultatem habeant, non ſunt tamen ex eorum numero, quæ omnino fieri nequeant. Sic eſt, inquit Zenus, gratificabor utrique libenter, ſed erit certè iſtud, quod veſtri cauſa ſubibo, onus graviſſimum. Onus ipſum ſanè grave eſt, inquit Stupanus, ſed quoniam in hiſce enutritus es Zene, feres tu quidem facilius. Sit hoc uti vobis placet, inquit. & paululum ubi conticuiſſet, hiſce verbis fari exorſus eſt. Accingam me nunc veſtri cauſa ad explicandũ, quo modo id gen⁹ hiſtoriæ, de quo quæſiviſtis ſcribi poſſit, & quidẽ ea ratione, quæ mihi videbitur optima: vobis ta

men intereà libenter concedam, ut pro arbitrio de eo statuatis, & veluti ceream quandam figuram, aliter atque aliter, uti visum fuerit effingatis. Vt qui volet hisce nostris præceptis insistere, ex adumbrata hac nostra, veram historiam contexere possit, omnibus ijs dotibus exornatam, quas modò describemus. Vestrûm fuerit attentas aures nobis præbere. Sic faciemus, inquit Stupanius. Tum ille, existimo, inquit, omnes qui rem aliquam tractandam suscipiunt, talem sibi scopum præfigere debere, qualem necessitas requirat, ipsaque rei natura admittat. Cùm enim fluxæ ac fragiles humanæ res in perpetuo motu sint: fit, ut sæpe esse eas, & non esse pronunciare queas, nec certam earum scientiam habeamus. Quæ cùm ita sint, norma quædam historiæ statuenda est, ad quam quodammodo firmentur, possitque cognitio nostra earum successum adæquare: id verò proculdubiò optimè fiet, si ita historia scribatur, uti res successerunt. Itaque contexetur eodem planè modo, quo prudentia humana, aut divina providentia, aut fortè etiam fortuna res ipsas in lucem produxêre. Cumque eas omnes initium, incrementum, statum, declinationem & finem habere oporteat: omnibus hisce quinque intentum esse historicum velim, ut singula ab eo qui in historia versatur, animadverti atque distingui possint. Atque id eò libentius moneo, quòd fuerunt quidam, qui de rebus urbis nostræ gestis scripserunt, sed non hosce earum gradus observarunt: quamvis & in hoc inter sese differant. Sed iam ista manifestius explicabo. Historia, sicuti ego sentio & alios itidem sentire existimo, in eum finem scribitur, ut aliorum exemplis possint Respublicæ ad fœlicius vivendum institui. Ac siquidem obscura exempla illa fuerint, nihil aut certè parum proderunt: nam est in excelsis collocata fœlicitas: & illustria claraque esse oportet, quæ lucem ad eam tendentibus præmonstrare debeant; quare à nulla urbe sumi poterunt, quæ semper imperio caruerit. Ne-

que

que ego fœlicitatem hanc ad vivum reseco, ut solent philosophi, qui de fœlicitate quadam disserunt, quæ non modò civitatem nullam adhuc, verùm ne unum quidem hominem beatum reddidit: sed loquor de illa, quæ est in usu communi. Vbi fuerit etiam advertendum, non solere urbes statim cum imperio nasci, nisi rarissimè: sicuti nec hominem ijs viribus præditum, natura producit, quas in ætatis vigore assequitur. Quo fit ut diversum sit urbis cuiusque, & eiusdem imperij principium, diuersumque incrementum, status, declinatio, & ut plurimum finis etiam: nam hic potest quandoque idem esse. quapropter disseremus deinceps de ijs, tanquam de rebus diversis. Historicus igitur, qui describendam urbem aliquam suscepit, debet eius rei initium, ab origine illius sumere: permultum enim interest novisse, quomodo condita fuerit, quòd pro huius varietate, incrementa, & gubernationis ratio immutari soleant. Nam quæ ab eiusdem conditionis hominibus conduntur civitates, eas cernere est, tali Reipublicæ forma uti, qua sit æqualis omnium civium potestas: contrà scilicet quàm in ijs soleat fieri, quæ ab aliquo principe extruuntur. Quare & novisse historicum, quomodo quæque urbs condita sit, & id memoriæ mandasse oportet, ut rectius in scribendis reliquis, quæ memoratu digna fuerint progrediatur. Id verò ut possit fœlicius præstare, non erit abre, quot modis civitates originem habere soleant, cognoscere: qui certè tot sunt, quot mox commemorabo. Cùm nullus hominum solus possit fœlicem vitam degere, consentaneum est vero, omnes homines communis utilitatis gratia nasci: hæc verò utilitas duplex cùm sit, duplicē quoque causam statuemus, ob quam homines in civitates reducuntur. Nam aut in rerum ad hanc vitam necessariarum conquisitione, aut conservatione consistit: & necessariæ quidem res victus & amictus, conservatio autem cùm ipsorum hominum est, tum rerum suarum. Quo fit ut interdum civitas, ob agri fertilitatem, aliquo loco exædificari incipiat, qui ex-

cultus rerum necessariarum copiã suppeditare queat: atq; hoc quidem præcipuum est,& quod maximè expetitur,sin verò nequeat talis ager haberi, proximum esse solet,ut consideretur quàm facilè aliunde res istæ importentur. Neque enim urbis alicuius fundamenta,sine harum rerum consideratione iacta deprehendes. De quibus postquam prospectum est, ita est de custodia atque defensione cogitandum, ut sive à loci natura,sive hominum vi periculum immineat,occurratur. Nam quemadmodum nemo sanæ mentis urbem in Aetnæ montis vertice, aut medio mari civitatem condiderit,ita certè neque in loco, ubi aër pestilens sit, nisi fortè imprudentia aut necessitate id aliquando contingat:nec manerent in ea etiam,nisi imprudentia,necessitate,rerum suarum amore, & laboris novas conquirendi metu continerentur. Itaque conduntur in huiusmodi locis quædam civitates, quòd eò confluant homines fugientes pestilentiam, terræ motũ,inũdationes,incẽdia,aut etiã vim hostilé: & situm eligũt,qui aut natura munitus,qualis hic est, quo urbis huius fundamenta maiores nostri iecerũt: aut qui arte muniri possit. Interdum etiam extruuntur civitates,muniẽdæ totius regionis causa, cuiusmodi fuerũt Romanorũ Coloniæ, in ditionis eorũ finib. collocatæ. Cũ autẽ nihil aliud sit civitas: quàm multitudo quædã cœtusque hominũ,ad benè beateque vivendũ sufficiens,necessum est,aut ab eadem stirpe originẽ habeat multitudo hæc,aut diversa:& vel in propria,aut peregrina regione ædificent. In peregrinas autem regiones solent homines aut sponte sua, aut coacti commigrare:sponte quidem cùm corporis vigore,& utilitatis cuiuspiam spe moventur: Coguntur autẽ aliqui infortunio quodam, nonnulli propter seditiones aut bella , quidam etiam propter delicta exilio mulctantur,& à principibus expellũtur. Sic Galli cum antiquitus fortè in Italiam pervenissent, multas in ea civitates condiderunt. Scythæ verò, ex quibus Amazonum gens originem habuit, sedibus suis seditionum causa pulsi fuerunt. Spartani iussu magistra-
tus

tus sui, ad Tarentum occupandũ ędificandumq; profecti sunt: & Alexander Macedo civitates quas in expeditionibus condiderat, veteranis militibus incolendas tradebat. Cyrene autẽ & Heraclea Ponti urbs, & alię quædam oraculi iussu extructę sunt. Nec puto plures esse modos, quibus urbiũ fundamenta iaciuntur: pręsertim si hunc mixtũ addamus, quo partim ab exteris partim incolis extruuntur, cuiusmodi Lavinium fuit, quod à Latinis & Troianis advenis conditũ fuisse accepimus. Cæterùm sivę ab incolis, sive peregrinis civitas extruitur: hoc in eius exędificatione discrimen observandum est, quòd aut paulatim lenteque extruitur, aut cõiunctis plurimorũ operis, exiguo temporis spacio conditur: à quo deinde crescit nõ modò reb. ad vivendũ necessarijs, verũ etiam earũ abundantia, quæ ad ornatũ splendorémq; faciunt. Nam sicuti homines corporis magnitudine, robore, opib. sapientiaq; augeri dicuntur: sic civitatẽ publicis privatorumq; opibus, civium cõpia, militarib. disciplinis, domestica prudentia, & bonis legibus crescere paulatim cẽsemus: donec omniũ copia quæ ad felicem vitam faciunt, abundet possitq; nõ modò ab hostium iniurijs sese defendere & quietè vivere, verumetiam bellũ, si opus fuerit, inferre. Quò ubi pervenerit, certè non erit ei difficile ad statum summumq; vestigium ascendere: cuius nomine totũ illud tempus intelligo, quo imperio potitur, quòd hoc summum culmen sit, ad quod possint resp. pervenire. Sed in hoc fuerint itidẽ principiũ, augmentum, status, declinatio & finis, ab ijs quę sunt civitatis ipsius distinguenda. Et principium quidẽ omnis imperij hinc censendũ est, quòd aliæ nationes sub aliarum veniant potestatem, sive sponte id seu invitè faciant. Vtriusq; autem modi plures sunt differentiæ: nam qui sponte in aliorum potestatem veniunt, id faciunt interdum dolo persuasi, interdum propria voluntate impulsi, ut cùm maius aliquod periculũ metuũt, aut melius habituros sese sperarint. Triplex autẽ solet omnino esse cõditio, qua se spõte alij alijs dedũt: nam aut totos sese eorum arbitrio permittunt, quibus

se dedunt: aut libertatem suam conservant, & quibusdam tantùm rebus dominos agnoscunt: aut medio quodam modo se dedunt. Qui verò in aliorum potestatem inviti veniunt, ij itidem aut dolo, aut vi, aut utroq; coguntur: Et quibus modis acquiritur imperium, iisdem etiam augetur: quoniam non est incrementum aliud, quàm adiectio eius quod augetur. Sed ubi iam acquisitum est auctumque imperium, superest ut conservetur, subditorum animos continendo, ut libenter, aut etiam inviti maneant: quorum istud vi perficitur, illud si eos optimè tractaris, aut melius quàm alij, aut saltem si melius quàm alij tractare videberis. Quibus si accedat gravitas quædam magistratus, quæ in subditis timorem quendam cum admiratione ac reverentia mixtum afficiat: nihil erat, quod subditorum animos æquè devinctos, ceu catena quadam continere possit: nam nihil est quod hominum animos ita terreat atque fascinet ut admiratio. Atque hasce conservandi imperij rationes, quæ maximi faciendæ sunt, obiter tantùm percurro, quòd existimem vos pro vestra prudentia posse reliquum intelligere. Quare omissis plurib. exemplis, quę huc possem ex historijs adducere, transeo nūc ad imperij declinationem: quæ certè tunc incipit, cùm subditi eadem patiuntur ab alijs principibus, quæ prius ab hisce patiebantur, dum scilicet ab ijs capiuntur, aut se sponte dedunt. Quibus alius modus etiam accedit, cùm regna violentia aut fato quodam inevitabili, peste, fame, terrę motibus, incendijs, diluvijsq; perduntur. Et quemadmodum civitatum imperia cœpêre, crevêre, declinavêre, sic etiam finem plerunq; sortire consueverunt, interdum unà cùm civitatū excidio, uti Troianis & Carthaginésibus accidit, nonnunquā ijs etiámnum manentibus, sicuti non ante multa secula Græcorum imperio cum Soldanis accidit. Vbi verò finitum iam imperium fuerit, non erit historico diutius immorādum, in civitatis ipsius declinatione ac fine describendo, quòd iam ademptum sit id, quod claris exemplis viam ad felicitatem possit monstrare.

In-

Interdum tamen potest accidere, ut manente imperio, civitates intereant, quod proinde evenit Iesolo, Heracleæ, & Medauco veteri, civitatibus nostris, quorum imperium, post urbium ruinam, Rivaltũ translatum est: fuerintque in huiusmodi casibus historico omnes hæ mutationes observandæ, quòd talia exempla ad vitam rectè instituendam, permultum facere possint. Hic subsistens Zenus aliquantulum, nova quædam secum meditari videbatur, & paulò pòst. Veniunt iam mihi alia quædam in mentem, inquit, quorum cognitio tam necessaria est in historijs, ut sine ijs, vanæ omnino videantur: nam perexiguum fructum lectori afferre possunt, si planè victus rationem, qua civitas utitur, omittant, opes item ac redditus, vires, atque formam reipublicæ: Quorum duo priora ab omnibus historicis neglecta sunt, posteriora verò rarò & negligenter descripta. Ego verò hæc sentio omnia scribenda esse, si non copiosè, saltem leviter attingenda: nam sicut urbi & imperio ad sui sustentationem necessaria sunt, ita in perfecta eorum historia comprehendi par est. Accidit hoc idem nostræ huic urbi, de cuius origine multi quidem scripserunt, sed vix apud ullum deprehendes quis esset victus civium antiquis illis temporibus quibus condebatur, & à tot barbaris gentibus, ferro ac flamma omnes vicinæ regiones infestabantur. Et tamen hoc minimè fuerat negligendum, cùm, ut maiorem fidem mereretur historia, tum ut eius exemplo, aliæ ijsdem angustijs constitutæ, uterentur. Debent etiam redditus ac vectigalia reipublicæ, vel saltem obiter annotari, quo pacto paulatim creverint, unà cum aucto imperio: nec ineptè etiam narrabuntur sumptus publici, & alia hisce similia. Atque hoc quidem eò magis faciundum est, quoniam si nostra tempora cum antiquis illis cõferamus, non possumus non obstupescere, Romanos primo bello Punico, cùm hondum extra Italiæ fines eorum imperium extenderetur, trecentas & triginta quinqueremes publicis sumptibus armasse: cùm tamen Turcus tantus Monarcha, quique maius in Oriente

imperium obtinet quàm ipsi, cùm in vigore essent, vix iam queat instruere mediam partem earum navium, quæ nostro tempore in usu esse consueverunt, dimidio scilicet minorem, ijs quas in usu habuêre Romani. Tertiò minimè præteriri silentio debent in historia, imperij cuiusque vires, cùm cæteræ, tum quæ in copijs & militiæ peritia consistunt, alijsq; bellicis instrumentis. Quæ, etsi absque opibus & pecunia rarò comparari queant, tamē ab opibus speramus, quòd magnę quādoq; copię sine pecunijs comparatę sint, sicuti in bello accidit, quod adversus Carthaginenses gessêre Mathon & Spendius. Talis etiam hodierno die est militia Persarū, & quandoq; etiam Gallorum. Omnis autem vis copiarum, aut in militū disciplina consistit, aut numero, aut robore. In cuius rei descriptione, debet historicus diligenter annotare, pecuniáne, an magistratus iussu, alióve modo sit exercitus comparatus. Dum enim istud Polybius neglexit, effecit ut hodie non immeritò omnes admiremur, Romanos olim ex Italia reliqua, præter Longobardiam, Liguriam, Insubriam & Flaminiam octingēta circiter millia peditum & sexaginta equitū millia coegisse: quòd nunc ex Italia universa, vix decima tanti exercitus pars possit comparari. Tertium quod in historia generali totius imperij scriptori observandum censeo, est forma reip. cùm ea qua primùm civitas uti cœperit, tum qua aucta sit, imperium acquisierit, auxerit, conservarit, amiserit. atq; etiam si quando sic sit immutata, recensendæ fuerint eius causæ, quiq; illinc eventus sequuti sint. Sunt enim ista vel imprimis lectori utilia, & ex quibus ad Remp. feliciter regendam, permulta documenta sumuntur ad talem gubernationis modum eligendū, quo amplum diuturnumq; imperium sperari possit. Atq; istud facilius præstare poterit, si queat à se invicē discernere formas reipublicæ, cùm bonas à malis, tum simplices à compositis: quare ne hac quoque in parte, aliquo modo defuisse videar, omnes hic recensebo: & quidem paulò aliter, quàm id à Platone, Aristotele, & qui horum vestigia sequuntur

tur,

tur,præstitum sit. Nam ijs, quæ tunc temporis erant, reipublicæ formas haud dubiè considerantes,tres tantùm bonos gubernandi modos, & totidem malos cõstituerunt.Ego verò rem ipsam penitius inspiciam, & rerum quæ post illa tempora successerunt,quæque etiamnum sint,experientia nixus: omnis urbis imperium afferam,aut in unius esse potestate,aut omnium civium: & inter hæc extrema,tres adhuc modos posse inveniri,ut scilicet aut in paucorum, aut plurium, aut mediæ civium partis sit constitutum. Quamvis enim non fuerunt fortè hactenus in usu omnes hæ formæ rerum publicarum, sed quædam inter eas extent, quæ in nulla unquam civitate fuerint usurpatæ:tamen nihil obstat,quin posthac esse queant, præsertim quòd ipsa divisionis methodus, hunc earum numerum necessariò constituat.Itaque quinque omninò erũt simplices rerum publicarũ formæ,ex quibus siquidem misceantur omnibus modis quibus id fieri potest,viginti & sex compositæ oriuntur.Nam ex binorum commixtione decem:totidemque eveniunt ex trium compositione,& ex quatuor cõmixtis quinque:atque omnibus compositis,unum adhuc oritur: possemque id ego demonstrare, nisi metuerem minutias hasce molestiam parituras,vosque scirem hęc spõte percepturos.Quæ cum ita sint,omnem gubernandæ reipublicæ modum, quicunque unquam fuerit, iam extet, aut postea sit in usu futurus, ad unum aliquem iam à nobis commemoratum reducere oportebit,simplicem vel compositum.Quare si cognitos eos omnes historicus habeat, facilius explicare in imperij cuiusque descriptione,historiamq; melius cõtexere poterit,& quæcunque memoratu digna videantur, enarrare.Atque hisce dicendi finem fecit Zenus: cuius sermonem ego & Stupanus magna cum admiratione,& ore propè hiante hauseramus. Sed non intelligebam tamen, qui posset eadem in civitate, esse Reipublicæ forma ex pluribus commixta: quare, explica mihi quæso Zene præstantissime, inquam, hoc ultimum,quo pacto plures reipublicæ formæ misceã-

tur, neque enim id capio adhuc. Faciam, inquit, libenter: sit nobis exemplo hæc nostra Respublica, cuius gubernandę ratio composita est ex ea qua unus, & qua pauci, & qua omnes cives imperium obtinent: estque hæc res admiratione dignissima, quòd imperij conservandi causa, ita commisceri potuerit. Cùm enim esset unius quidem potentia formidolosa, paritura confusionem omnium æqualis autoritas, & paucorum dominatus ob ambitionem seditionesque formidabilis: factum est divinitus, ut quòd homo mortalis providere non potuisset, temporis successu nostræ huic reipublicæ sponte contigerit, contemperata scilicet ista gubernandi ratio, omnium quæ in rebus humanis inveniri queant, perfectissima. Id verò paulatim ei evenit, dum ipsa experientia, & rerum eventus, bonas leges à malis distinguere docuerunt, & advertentes hoc sapientes ij, quos semper habuit legislatores, subinde illam renovarunt. Sed ut hanc temperaturam intelligatis, en, Dux ipse maiestatem regiam refert, cuius admiratio, & reverentia subditos in officio continet, efficitque ut veluti cum uno, omnium quæ ad rempublicam spectant principe, reges exteri, ac principes consultent. Nec tamen metuendum ab eo quicquam est, quòd omnis ei nocendi potestas adempta sit, & in solis ijs concessa, quibus prodesse reipublicæ queat. Senatus ipse ex minori civium parte constitutus, tantùm gubernandæ ditioni præest: & concilium omnium nobilium honoribus distribuendis satagit. Populus quoque habet deinde suam gubernandi rationem, sed à priori longè diversam: quæ in tot quasi respublicas iterum distributa est, quot artium manuariarum genera in urbe exercétur: atque harum singulæ, ad maioris illius imitationem constitutæ, habent unum aliquem primarium, & minus maiusque concilium, coram quibus causas suas agunt, litesq; dirimunt. Et ex hoc quidem exemplo spero intelligere iam vos, quo pacto ex simplicibus illis reipublicæ formis, aliæ quædam contemperentur. Intelligo, inquam, Zene præstantissime: eique

insuper

insuper gratias egi, quòd nos tam amicè docuisset, non tamen memini amplius, quibus verbis id præstiterim: quoniam ob gravissimam eius orationem, tunc planè obstupueram: hoc autem recordor adhuc, quòd ab eo dimissi ego & Stupanus, inter eundum, illum laudibus ad sydera usque extulerimus.

FRANCISCI PATRITII GVIDO, DE HISTORIA MINORI, DIALOGVS VII.

Ioanne Nicolao Stupano Rheto interprete.

FRANCISC. PATRIT, NOBILIS, ET *Laurentius Guido.*

Diu iam mecum animo versabam, fixumq; tenebam Nicolai Zeni gravissimum de generali historia sermonē: & iam animum meum occupaverat magna quædam cupiditas cognoscendi, ecquænam ratio esset etiam conscribendæ minoris historiæ. Sed quoniam is, ut est eius rei peritissimus, ad siccandas reducendasque Gorgoniæ paludes ijsdem diebus Senatus decreto missus fuerat: non mihi licebat illum, de eadem hac re consulere: discendi tamen desiderio propè ardens errabam hinc inde, & omnes qui mihi obviam fierent, supplex per omnes deos orabam, ut, si quid de minori historia novissent, me erudire dignarentur. Iamque id per multos dies continuè feceram, ex multisque hominum millibus sciscitatus, neminem inveneram, qui vel quod quærebam, intelligeret. Demum verò in generosum quendam iuvenem fortè incidens, eum itidem per suos natales clarissimos rogavi, ut me in scribendæ historiæ minoris ratione,

instituere vellet, si modò de ea quicquam sciret. Qui postquam ista ex me audijsset, aliquantulum subsistens, meque ob quæstionis novitatem cum admiratione quadam intuitus, imò, inquit, intelligo & scio quod quæris. Ego verò ante illius pedes subitò procumbens: quare, inquam, obsecro te per deos, perque tuum generosum animum, ut me illud quicquid est, docere digneris: quoniam enim id in multis hominum millibus non inveni, te ceu deum quendam venerabor. Is facturum se id libenter respondit, itaque in propinquum templum, quod divo Stephano sacrum est, ingressi considemus. Tum ille, cupis ergo ex me cognoscere, inquit, quicquid de minori historia novi? Id ipsum est, inquam, quod summopere expeto. Non equidem novi, inquit, quis sis, sed quoniam tamen scio humanum esse, alteri libenter gratificari: non verebor te in hoc pro mea virili erudire. Ita tamen ut me attentè audias, nec abhorreas etiam si fortè novo quodam modo de hac re disseruero: neque enim quisquã extat adhuc, qui de hisce scripserit. Non sum aliter facturus, inquam, cùm ob hanc causam, tũ quod ex ore tuo, cui nescio quid divini inesse videtur, nihil promanare posse existimem, à quo abhorreri quis possit. Sed quoniam de historia minori sciscitaris, inquit, novisti proculdubiò iam quid maior atque Vniversalis sit. Videor mihi scire, inquam, ni fortè hisce diebus oblitus sim. Vniversalem namq; eam appello, quæ vel de universo hoc mundo cõscribi possit, vel de toto aliquo imperio, vel omnibus hominis alicuius rebus gestis. Maiorẽ verò historiam nomino, qua plures eiusmodi res gestæ continentur: Minorem qua una tantùm describitur. Rectè dicis, inquit, iam attentis auribus ausculta. Quę de unico homine scribitur historia, Vniversalis ab omnibus alijs diversa est, possemque id si opus esset, ostendere. Sed quæ de scribenda imperij unius præcepta traduntur, si in describendis omnibus imperijs, quæcunque unquam fuêre, observentur: sufficient ad contexendam totius mundi universalem historiam. Eodem planè modo

si ex me didiceris iam, quo modo minorem historiam scribere conveniat, scies etiam maiorem componere: quòd hæc pluribus minoribus constet. Sic res habere mihi certè videntur, adeoque plus, inquam, præstiteris, quàm sis ab initio pollicit⁹, eoq; magis etiam me tibi devincies. Atque ita est sanè, inquit. Quid autem dicturus esses, si doctrinam de minori historia, etiam ad scribendam Vniversalem cùm mũdi universi, tum unius imperij aut hominis permultum facere ostenderem? Te, inquam, super omnes totius orbis homines extollerem: sed quomodo hoc? Quoniam hoc illi cum omni historiæ genere commune est, inquit, ut rerum gestarum memoriam cõtineat, nec opus est nunc quidem id copiosius explicare. Rectè, inquam, fortè enim id postea facies. Fortè, inquit, sed prius id expediemus, quod de minori differere constituimus. Hanc autem unam quampiam rem gestam continere diximus: sed quámnã & quomodo? Istud ego ignoro, inquam, neque enim alioquin ex te discere cuperem. Historia dubio procul de rebus publicis, non privatis conscribitur, inquit. Bene est, inquam, hoc ne volebas? Hoc ipsum, inquit, sed publicas res eas voco, quæ pro Rep. & contra Remp. geruntur. Intelligo ista satis. Atque hæc triplici genere omnino distinguuntur, inquit: nam aut pacis negotia continent, aut belli, aut seditiones quædam atque cõiurationes sunt: nec ulla geritur res, quæ non horum aliquo comprehendatur. Obstupui ego ad hæc quòd iuvenis, tantã rerũ magnarum cognitionem præ se ferret, & ex tam docto principio magna quædam sperare cœpi, simulque etiam admirari, num suo Marte ista loqueretur, an fortè aliunde didicisset. Quare optarem ego nunc summopere, (si res votis responderet) inquam, Iuvenis nobiliss. ut is essem, qui tu es, tot pulcherrimarum rerum cognitione ornatiss. nec cogerer in ijs discendis tibi molestus esse. Sed quia non sum, nec etiam esse possum, necessum mihi est, vel in hoc etiam tibi negotium facessere, ut scisciter: ex téne an alio quopiam patre, tam doctè instituta hæc rerum ad

Remp. pertinentiũ divisio, proficiscatur: quòd iunior mihi esse videatis, quàm ut huiusce fœtꝰ parés queas existere. Ille verò subridens, credo quòd magno cum apparatu leve quiddam quæsivissem, magnũ quiddam esse cupis, inquit, ut parum scias: sed mox risu contento, & iuvenili quadam superbia indignatus, itáne ingenio debilis, & adversa valetudine præditus tibi videor, ait, ut huiusmodi fœtus progignere nequeam? Ego verò cùm viderem hominem ad iracundiam pronum, cogitabam mox, ne mea spe frustrarer, oportere illi per omnia assentiri: tacui igitur statim, & deinde etiam singularibus verbis erroris mei veniam petij, meque quàm optimè potui excusavi effecique apud eum, ut institutam disputationem prosequeretur. Itaque cum dicamus, inquit, unicam rem in historia minori contineri, necessum est, ut aut in bello, aut pace, aut seditione coniurationéve aliqua gesta sit. Et posteriorum quidem exemplum, Sallustij historiæ esse possunt. Sed rei in pace gestæ, quis scripsit historiam? inquam ego subitò. Valdè curiosus es & præceps, inquit, nec expectas donec alij loquantur. At tu ignosce mihi per deos, inquam, quamvis enim sermonem tuum sæpius interrumpam, tamen id non fit, nisi immoderata quadam discendi cupiditate, qua teneor: eoque fit ut cum aliàs sæpe non sim apud me, tum verò nunc, cum te ista ceu divinitus loquentem audio. Tacebo tamen posthac, & te attentè audiam. Sic agito, inquit. nam fieri posset sanè, ut etsi maximè scripta sit historia minor, de re aliqua in pace gesta: tamen ego non possem iam exemplum afferre. Talis esset tamen, si quis Lycurgi, aut Solonis decreta legesque descripsisset aut aliud aliquid eiusmodi: cuius generis certè tot sunt quæ in pace geruntur, ut nescirem iam tibi certum aliquod exéplum afferre. Iam istud perbellè intelligo. Et sic te decet, inquit. Sed omnis res, quocunque trium generum, belli, pacis, seditionísve contineatur, necessum est ab aliquo primario Authore geratur, ceu causa efficiente, & sine qua perfici nequeat. Autor autem hic

hic ſemper etiam movetur ad agendum aliqua occaſione. Cumque omnis humana actio motus quidam ſit, in tempore tanquam certa ſui menſura perficiatur oportet. optimè doces, inquam. Et quoniam Author etiam corpus habet quo ad agendum movetur, in loco eſſe, & operari conſentaneum eſt: præterea certo quodam modo & ordine agere. Nam in omnib⁹ quæ fiunt, modus quidam eſt, quo alia præcedunt, & ſequuntur alia: hæc hoc, illa alio quodam modo perficiuntur. Optimè dicis, inquam. Quamvis autem cœleſtes rerum autores, ſicuti extra locum & ſupra tēpus conſtituti ſunt, ita etiam ſine inſtrumentis illis communibus operantur: omnes tamen qui corpus habent reliqui, ad actiones ſuas inſtrumentis indigent. Nam & cœlum ipſum, haſce res in mundo hoc inferiori, inſtrumentis ſuis, motu ſcilicet, tempore, lumine & irradiatione producit: & ex elementis eodem modo animalia cæteræque res generantur, eorū qualitatibus, cùm primis & ſimplicibus, tum compoſitis, inſtrumenti vicem ſubeuntibus. Sed humanarum actionum inſtrumenta, de quibus in præſentia loquimur, partim interna ſunt, & veluti noſtri partes quædam, ut corpus ipſum animæ inſtrumentum, cuius iterum inſtrumenta cenſeri poſſunt, manus, pedes: partim externa, ut ſerra, malleus, & quæ hiſce ſimilia ſunt, quibus ad aliquid agendum utimur. Intelligo hæc itaque in hiſtoria minori, inquit, cùm res quædam geſta contineatur, eaque ab aliquo authore ſēper, certa occaſione, tempore, loco, modo & inſtrumētis perficiatur, neceſſum eſt, ut qui velit eam benè ſcribere, iſta omnia exprimat, quæ certè rem ad ipſum uſque finem concomitantur: & ita quidem exprimat ut unà cum re ipſa, quam produxerunt, cuilibet manifeſtè appareant: ſicque optimi ac perfectiſſimi hiſtorici nomen merebitur. Atque hæc quidem ſunt, quæ in minori hiſtoria obſervanda eſſe cenſeo, quibus & tuo illi deſiderio, & meæ promiſſioni ſatisfeci.
Et ita diſceſſurus ſurrexit: ego autem apprehenſa ſubitò veſtis fimbria, quæſo te, inquam, Iuvenis no-

bilissime per deos, perque tuum generosum animũ, ne me hic exanimem ita relinquas. Obstupuit ille ad hoc, & exanimẽ? qua de causa exanimem? Quòd certò scio, inquam trepidus, fore tuo discessu, ut animus meus addiscendæ minoris historiæ studio, te sequatur, hic relicto corpore: fieriq́ue posse, ut in tuum corpus intret, & aliquid illinc mali oriatur. Hisce verbis perterrefactus iuvenis, subitò uno atque altero passu recessit, metuensq́ue ne fortè in magũ quempiam incidisset extemplò benè celeri gressu properavit. Insequor ego sine mora, sed cum vix essem unum atque alterum passum emensus, ecce adest mihi obviã Laurentius Guido amicus meus charissimus. Qui cùm me ita trepidum pallentémque vidisset, unde ita tremens pallidusq; nobis venis? inquit. Insequor hunc nobilem, inquam, ut meam animam, quam secũ ille defert, recuperem. Siste gressum, inquit, quomodo potest tibi animã deferre: apprehensaq; manu retinuit, & quid tibi accidit? mihi dicito, quo modo tibi animã sustulerit, & fortè remediũ adhibebo. Nil sanè obstat, quo minus tibi dicere ausim, sed ille interea discesserit, inquam. Quid tum? tu modò commemora. Vix potest dici, inquam, quantopere diu iam flagrarim studio addiscendi illa, quæ ad minorem historiam scribendam requiruntur: iamque in nobilem hunc iuuenem incideram, qui multis meis precibus motus, me docere volebat. Sed postquam pauca quædam doctissimè narravit, satis fecisse æstimavit, & citius quàm par erat, se ex meo conspectu recepit. Hunc animã mea sequitur, non secus atque solent apes floribus adhærere, exsuctura videlicet ab eo omnem quam poterit historiæ dulcedinem. Benè est, inquit: mox revertetur, præsertim si memoria valeat uti apes: quare eamus nos. Sicque redire secum coëgit, quæsivitque inter eundum, ecquid mihi de minori hac historia narrasset: quare recensui à principio quidquid ab eo audijssem. Tum ille, redijt ergo tibi anima, inquit, quoniam omnium recordaris. Fortè, inquam, nisi potius dicendũ sit, accensam eam esse ex radijs tuæ,

veluti

veluti solent recens extinctæ candelæ ex proprio fumo accendi, si is aliud aliquod lumen cōtingat. Et hoc fortè ita poterit esse, inquit subridens. Sed quid amplius ab eo Iuvene requirebas, cuius gratia ei anima tua adhæserit? Vt manifestius mihi hasce historiæ partes explicaret, ipsam rem gestam, Authorem, inquam, occasionem, tempus, locum & instrumenta. Nam si non clarius isthæc intelligam, longè à vera scientia abero: undequaque enim adhuc video densissimas tenebras. Quoniam enim res gestæ hominum, veluti Chaos quoddam sunt plusquam mille thecis instructum, quis noverit in quibus Author, occasio, & reliquorum singula contineantur? quæ alioquin vix agnosco, etsi singula clara luce mihi obijciantur. Consilio meo obtempera, inquit, & istud Chaos lumine animorum nostrorum, quod iam accensum esse dicebas, ingrediamur: nam si quæramus hoc modo in tenebris hisce, quas dicis, singula citius quàm putaveris inveniemus. Animi mei lumen exiguum est, inquam, & satis obscurū: quare si maximè sit in hanc caliginem ingrediendum, non nisi tui animi luce fretus, id faciam. Vtut volueris, inquit, dummodo fiat. Iamq́ue in templum redieramus, & eodem loco, quo prius, consedimus. Tunc Guido, nónne tibi narravit Iuvenis, rem ipsam ab aliquo homine geri solitam? Narravit, inquam. Et id quidem propter aliquam causam? Narravit etiam hoc. Et certo quodam tempore? Sic. Loco item, modo & instrumentis? Etiam. Et sic mihi vinculo quodam contineri hæc omnia videntur, inquit, ut non sit difficile ei qui unum habet, reliqua omnia ceu rete quodam apprehendere. Tuo lumine collustratus, cernere mihi videor rem ita habere: auderemq́ue propemodum rem aggredi. Sic nimirum faciendum est: inquit, Age ergo, inquam, rem aggrediamur: ac primùm quidem se nobis offert ipsa Res gesta, quare tuum animi lumen adhibe: nam illa mihi figura quædam cæparum instar mille modis involuta videtur. Rectè, inquit, vísne igitur, ut isthæc involucra explicem, aut mavis tu id

præſtare? Imò explica tu, inquam. Si ita tibi gratum ſit, faciam: ita tamen ut ſis tu quoque attentus, advertasque ne aberrem: nam huius artis cæpas diſſecandi non ſum admodum peritus. Quin tu perge, inquam: nam ego pro virili advertam. Hìc opus aggreſſus, mihi, inquit, in ipſo ſtatim limine videtur, omnem rem geſtam, circa quam minor hiſtoria verſatur, ab aliquo homine proficiſci, qui vel ſponte eam vel ab aliis coactus perficiat. Sic eſt. Et quæ hoc quidem modo fiunt, quòd aliundè motus atque originis ſuæ principium habeant, non propriè illius ſunt, qui perficit: ſed illæ tantùm, quæ ex libera agentis voluntate proficiſcuntur, aut putásne rem ſic habere? Sic habet proculdubiò, inquam. Actionum autem eiuſmodi duo omnino ſunt principia, quòd totidem animæ humanæ partes ſint: Ratio & Appetitus. Ex illa conſilium & electio dimanant, quas niſi quid impediat, actio ſequitur: ex hoc verò affectus & aliæ animi perturbationes naſcuntur, quæ itidem ad agendum impellunt. Sic ſanè, inquam. Ignorantia autem quam diverſum principij genus quidam conſtituunt, eodem modo ad Rationem affecta eſt, quo ad Appetitum, impetus & perturbatio quædam animi, abſque ratione, hoc eſt, imperfectum quiddam. Ita certè videtur. Quare non eſt diverſum actionum principium, Ignorantia, inquit. Nam ſicuti pravus appetitus, ab appetitu non differt, ſic neque ignorantia, quæ depravata quædam ratio eſt, ab ratione ſeparatur. Non certè. Itaque bina ſunt, nec plura, actionum, quas proprias aliquorum hominum eſſe dicimus, principia. Videlicet bina. Quo fit, ut totidem differentiæ actionum exiſtant, quibus continentur quicquid homo aut propriæ utilitatis, aut Reipublicę cauſa agit. Hoc ita eſt, inquam. Sed hìc advertas animum oportet, Patriti, inquit: nam actionis nomine intelligo, quicquid homo à binis hiſce principijs môtus egerit, ſed magnum quiddam, aut leve aliquid fuerit, publicæ aut privatæ utilitatis cauſa. Intelligo hoc ſed quid tũ? Quoniam actiones hę eiuſmodi partibus con-

constare videntur, quæ interdum quidem & ipsæ a-ctiones sint, interdum verò non. Hoc nondum intelligo, inquam: quare paulò melius explica. Faciam, inquit, sitque nobis exemplo primum bellum Punicum. Hoc, unam quandam Actionem, sive rem gestam esse scimus, sed talem, quæ plures tamquam sui partes continet: cuiusmodi sunt quę Duellius, Luctatius, Imilcon, Amilcar, aliique Carthaginensium & Romanorum duces peregerunt. Atque horum res gestæ, sicuti primariæ illius partes sunt: ita alias & ipsæ partes habent, quo itidem actiones sunt, & hæ iterum alias, donec ad minima & simplicissima veniatur. Usque adeò, inquam, minuta sunt hæc, ut oculis meis cernere nequeam. Afferam tibi exemplum paulò crassius, inquit, ex quo me intelliges melius. Ecce corpus hoc unum quiddam integrum est, cuius primariæ partes corpora idem sunt, caput, thorax, venter & aliæ, Verum est, inquam. Atque alijs itidem partibus constant hæ, quę corpora etiam sunt, nempe ossibus, nervis, carne & alijs: quæ iterum & alijs minoribus constituuntur, donec ad quatuor humores primaque elementa ventum sit: intelligis iam hæc? Optimè, inquam. Eodem modo habet res gesta, quæ nobis describenda proponitur. Capio hoc itidem, inquam, ex prioris exempli similitudine. Bene habet: pergamus igitur, inquit. Quoniam omnis gesta res à quodam authore proficiscitur certam ob causam, certoque loco, tempore, modo & instrumentis, idq; cernimus nos manifestè: consentaneum est hoc perinde esse in Primaria illa & integra, atque in minoribus ac minimis, quæ Primariæ partes sunt. Sic sanè videtur. Possuntque hæc attributa omnia in singulis primariæ rei gestæ partibus differre. Quo, inquam, modo? Prout differunt partes humani corporis, forma, officijs, magnitudine & situ, inquit. Et quemadmodum harum omnium functiones, ad corporis totius utilitatem, tanquam finem suum diriguntur: ita singulæ actiones ad Primariam perficiendã referuntur. Quod si ita est, verisimile fuerit etiam primarium quendam

Authorem esse, ad cuius nutum omnes reliqui actiones suas moderentur. Qua ratione? Vt si in aliqua expeditione, inquit, aliquis primarius exercitus dux eligatur, aut princeps ipse, cuius nomine bellum geritur, summæ rerum administrationi presit: atque huic deinde inserviant imperator, castrorum magister, duces, centuriones, signiferi, & reliqui deinceps omnes, etiam gregarij milites. Optimè hæc sanè dicuntur, inquam. Et quoniam primarium Authorem esse cernimus, inquit, præcipuam etiam causam censere debemus, quæ ad agendum impellat, & ad quã reliquæ omnes referãtur. Meritò. Itidemq; tempus, locus, modus & instrumentũ, inquit, precipuum aliquod fuerit. Et hoc, inquam, rationi consentaneum est, tibique fidem in eo libenter habebo, quòd te in huiusmodi historiarum studijs optimè versatum esse sciam: cùm ego econtrà vix historiam unquam legerim, excepta ea fortè quæ de muribus ac ranis, quæ se mutuis hastis cursuque petebant, scribitur. Accedit huc Iurisprudentiæ studium, ex quo etiam multa ad hanc rem pertinentia haud dubiè hausisti. Tum ille subridens, ne, inquit, tu ad scopum tendis. Sed utut ista sint, inquam, intelligo te iam optimè. Atqui deinceps attentus sis oportet, Patriti, inquit: nam cùm hactenus ea, quæ in re gesta consideranda sunt, non nisi prioribus labris degustaverimus: iam penitùs illa introspicere, tempus est, ut ad illius medullas usque perveniamus. Hæc enim sicuti est forinsecùs ornata attributis, quæ modò recensuimus: ita tria alia habet intrinsecùs per totam substãntiam diffusa, difficultatem nempe, occasionem & successum. Quomodo? Quoniam nulla res unquam geritur, inquit, nisi talis sit, quæ fieri queat: quare totam eam cum singulis partibus, eiusmodi esse oportet, quę possit perfici. Neque debet historicus facilitatem hanc in ea enarranda negligere: quòd alioquin posset ac si fieri nequivisset, suspecta haberi. Sic sanè & meritò quidem, inquam. Nam multis, inquit, usuvenire solet istud: dum aut locum obscurius explicant, aut tempus, aut alia quæ concomita-

mitari rem consueverunt: quo fit ut ista minimè negligi debeant, sed ita planè uti fuerunt narrari. Merito. Neque etiam prætereunda erit occasio, inquit, qua cœpta res, & ad finem usque perducta fuit: nam solet hæc quoque per universam rem sparsa esse: permultum que facit etiam ad finem historiæ, si rectè explicetur, efficietque, sicuti ego certè existimo, ut vera ac magis facilis fuisse videatur. Non falleris sanè, inquam: nam ita planè est, nihil que sine occasione aliqua perficitur. Eodem modo in rerum eventibus describendis, si omnia ut accidêre narraverit, historiæ ornamenti, & lectori plurimum emolumenti afferet. Sed ecce iam, Patriti, ipsam rem gestam à nobis explicatam cum omnibus quæ in eo forinsecùs intrinsecus que consideranda sunt. Sic est, inquam, Laurenti, video. Promptos ergo decet esse viros, inquit, nec tam facilè despondere animo, ubi res paulò difficilior fuerit: nam præclara certè multa ex hac rei gestæ contemplatione didicimus. Vt non alienum sit, si iam ad Authorem veniamus. Verum est, inquam, sed ille prius inveniendus fuerit, quàm considerandus. Rectè: itaque pergamus, inquit, ut eum inquiramus. Atqui satius fuerit heic consistere, & tanquam piscatores, hamo nostro adhærentem Authorem, tempus, locum & reliquam prædam attrahere. Quæ proinde talis erit, qua poterimus ditescere, inquit. Sic spero, inquam, dummodo hæc omnia hamo adhæreant: præsertim quod idem prius nobis pollicitus sit iuvenis ille nobilissimus. At si errasset, frustrà certè ulterius pergeremus, inquit. Rectè mones, inquam, itaque retia heic expandamus. Tum Guido lætus acclamat, ecce Authorem iam ab hamo pendentem. Et quidem præpinguem, inquam, talem que quo perfrui magna cum voluptate possimus: tu eum aperi, ut, an quæ arena aurea in eius visceribus lateat, videamus, quòd ea ali dicatur. Quoniam ita vis, inquit, faciam: en dum per mediũ secamus, quotuplicia sunt quæ in eo invenimus: alia enim ostendunt quis sit & qualis: alia verò eum Autorẽ verè declarãt. Hoc meli⁹ monstres opor-

tet, inquam. Priori genere continentur illius nomen, inquit, familia, patria, & quæ eius generis sunt. Posteriori autem potentia, sapientia atque animi impetus: suntque hæc tria eiusmodi, quæ & facultatem & occasionem & rerum successum permultum promovere possint. Et qua ratione istud Guido? nam clarius id fuerit explicandum. Quòd Authoris potentia, inquit, facilem rem efficiat: sapientia autem atque prudentia arripere doceat occasionem, & in actum hæc omnia producant animi impetus. Egregia herclè hæc sunt quæ heic reperimus, inquam, Laurenti, & eiusmodi fortè visa hactenus non fuerunt. Fieri potest, inquit, sed pergamus ulterius in huius rei contemplatione: nam potentia Authoris aut in opibus consistit, aut potestate qua reipublicæ nomine fungitur, aut sua ipsius existimatione. Intelligo. Et in tribus itidem sita est, inquit, sapientia. Quæ sunt illa? Naturalis quædam calliditas, prudentia rerum usu comparata, & quæ ex studio literarum acquiritur disciplina. Optimè dicis, inquam. Impetus verò animorum, quibus ad suscipiendum perficiendumque aliquid homines excitantur, aut in corporis viribus est, aut in naturali quadam audacia existit, aut affectibus quibusdam subitis, aut animi denique constantia invenitur. Necquisquam est qui aliquid memoria dignum aggrediatur atque perficiat, nisi aut omnibus hisce aut saltem aliquibus moveatur. Quare necessum est, ut ista Historicus cognoscat & explicet etiam in historia, si modò eam lectori emolumento esse cupiat. Dicis, inquam, optimè. Ac quemadmodum cernimus ei non convenire, inquit, ut in re gesta, Autorque enarrando quicquam prætermittat eorum, quæ negocium promoverunt: ita est ei vel imprimis cavendum etiam, ne causam, quæ primùm permovit Authorem, & ad agendum excitavit, omittat: quòd hoc primarium sit eorum, quæ in re qualibet perpenduntur. Sed ecce quæso, Patriti, quàm facilè grandem hunc occasionũ causarumque piscem cœperimus. Deus bone, quis, inquam, hic illius color est? nam efficit, ut interdum

quidem videatur, interdum verò non: eiusmodi certè pisces nunquam amplius vidi. Talis est eius natura, inquit, dum in aquis est, ubi exierit non item. ecce enim an non iam cernis? ego sanè video. Verum dicis, inquam: quare videamus ecquid boni in eius visceribus lateat. Deprehendemus certè, neminem sine causa aliqua quicquam attentare, sive animi affectu aliquo, sive consilio & deliberatione id instituat: quapropter necessum est, ut eam historicus exponat, sive rem describat in bello, sive pace, aut coniurationibus gestam. Rectè, inquam, sin verò absque ulla causa, & casu tantùm quid aliquis fecerit, quid tunc agendum? Ita planè enarranda res est, uti accidit: est enim hoc eius muneris, inquit, ut semper verũ profiteatur. Tum mihi cùm nescio quid fortè incidisset, Iam mihi in mentem veniunt, inquam, quatuor causarum genera, quæ à philosophis numerantur, materia, forma, efficiens & finis: quare scire ex te cuperem, quódnam eorum genus historico in rerum gestarum narratione explicandum censeas. Ad hoc ille heic, inquit, adverte, Authoris materiam esse rem ipsam quam gerit in bello, pace aut seditione, formam, ipsum agendi modum, efficiens est ipsemet: superest ergo, ut finalem velimus ab eo explicari. Intelligo, inquam, & benè hæc dicuntur: sed affectus animi & subitæ illæ perturbationes, habéntne etiam causam aliquam finalem? Heic te, inquit, advertere oportet, iram ad vindicandum & ad nocendum odium impellere, amorem que urgere ut potiaris, misericordiam ut bene facias, eodemque modo alios affectus ad aliud atque aliud hominem hortari. Rectè, inquam, sed quid diceres quæso Laurenti, ad id quod omnes ferè sentiunt eruditi? Historicum solos rerum eventus enarrare debere: causas autem scrutari philosophorum esse? Subtilis, inquit, quæstio hæc est: sed ausculta tamẽ attentè, an ei satisfieri queat si dicamus, aliud esse scrutari, & ratiocinando investigare rerum causas: aliud verò causam occasionémve alicuius facti commemorare. Quo, inquam, modo? Quoniam id quod ad aliquid agendum movet Au-

thorem, etsi sit alterius causa, tamen & ipsum factum quoddam est, eaque ratione sub historici cadit narrationem. A philosophis autem investigantur ista, tanquam res ignotæ & solùm quatenus causæ existunt. Iam mihi hæc, inquam, perbellè intelligere videor: quare perge modò ad alia. Placet certè quòd intelligas, inquit, iamque ad alia veniemus. Ecce autem tempus animal illud grādissimum. Sic sane, inquam, rotundum & cœli modo efformatum: vides quomodo rotatur? Video, inquit, hoc nimirum ex sua levitate habet, qua vel ignorantibus nobis præterlabitur. Certè nisi huic hamo adhæreret, nobis è manibus tamquam anguilla quædam elaberetur. Ita certè, inquam: quare non oportebit id ab hamo liberare, donec ad vivum resecuerimus. Et id quidem eò magis, inquit, quòd latuerit quosdam historicos recentiores, ut eius nomine contumelia non caruerint. Cæterùm quatuor omnino modi mihi fuisse videntur, quibus id antiqui in historijs annotabant. Hebręi enim atque Chaldæi annos suorum regum successione numerabant, Athenienses atque Romani Archontibus* Consulibusque suis. Et quoniam hæc ratio ob interruptum huiusmodi magistratuum ordinem fuisset errorem paritura, immutata est postea à quibusdam in aliam, quæ tempus olympiadibus metiebantur. Verum est. Et Thucydides, inquit, historiam suam annis stationibus distinxit: quod proinde egregium illius fuit inventum. Fuit sanè. Non defuêre etiam Historici, inquit, qui ut certiorem redderent lectorem, tempus pluribus modis annotarunt, nempe magistratibus, annis & olympiadibus. Vltimi Christiani fuerunt, qui tempora, quibus res accidissent, servatoris Christi annis expresserunt. Sic certè fecerunt. Sed cave, inquit, ne elabatur nobis ab illa parte. Qua? Quòd etiam extitêre quidam, qui cùm de gentis unius rebus gestis scriberent: diversis & quidem exterarum gentium regibus annotarunt, sed ut mihi videtur minus aptè. Quare? Quia sufficit, ut quælibet gens suos observet, omis-

ſis ijs, quibus cum nihil commune habet. Sed cave tu itidem, inquam, ne ab altera parte labatur. Quo pacto? Vt explices, inquam, quo modo id annotare debeant Turcæ, Indi, aut qui in nuper inventis inſulis degunt, ſi quando hiſtoriam ſcribere cuperent. Iſtud verò, inquit, propemodum omiſeramus: ſed conſentaneum eſt, talem ijs rationem in hoc eſſe ſervandam, qualem in obſignandis publicis literis habent: eſt enim veriſimile talem quampiam rationem ab omnibus hominibus obſervari. Quem ergo notandi temporis modum habent in iudicijs, contractibus, ſervandaque impiorum memoria: idem eis in ſcribenda hiſtoria deſerviet. At ſi idem fortè tentarent, ſimpliciſſimi quidam homines, quales Patalos & Braſilios eſſe dicunt, qui neque lites, neque iudicia habent, & literas ignorant: quo pacto ij tempus annotarent? Hoc ipſe videris, inquam, ego certè neſcivero. Conſentaneum eſt, inquit, aliqua re quæ ipſis maximè foret memorabilis. Quid vero, inquam, ſi omiſſo tempore ſcriberent hiſtoriam? Hoc, inquit, nequaquam fieri debet: nam & rei id auferrent, ſine quo geri non potuit, & efficerent, ut unà cum ipſis lateret. Ac tempus ipſum quod res produxiſſet, parvos poſt annos eaſdem conſumeret: non aliter videlicet atque Saturnus dicitur antiquitùs proprios filios deglutijſſe. Niſi enim antiqui hiſtorici tempus & annorum numerum annotaſſent mundi vetuſtatem, Monarchiarum durationem, Imperiorum mutationes, omnemque antiquitatem, ignoraremus: adeoq; non aliter per infinitum temporis ſpacium vacillarent humanæ actiones, atque ſub Solis ſplendore atoma corpuſcula ſemper verſari cernimus. Rectè, inquam, ergo id ſemper annotari oportebit. Semper, inquit, & quidem diligenter. Cùm enim tempus menſura motus ſit omnium cœleſtium & inferiorum, naturalium atq; humanarum actionum, ſummopere obſervari debet: ita quidem, ut in omnis rei geſtæ deſcriptione initium, finis, duratioque explicentur. Sine dubio. Atque hæc quidem

de eo tempore dicta sunt, quod in primaria re gesta consideratur: quę quoniam suis partibus minoribusque rebus gestis constat, est idem de tempore sentiendum. Quare necessum est etiam aliquando, quo anno, & qua anni parte quęlibet minor res gesta sit, minimè silentio præterire. Vtque temporis oportunitas atq; occasio melius in rebus agendis captari queant, non ab re fuerit dies quoque interdum notare: præsertim verò si ad agendum pro eo ac frigidi calidíve, festi, nefasti, solennes, aut hisce contrarij fuerint, magnum aliquod momentum præstiterint. Sic est certè. Nec, inquit, prætereundæ sunt aliquando dierum partes matutinæ, meridianæ, vespertinę: veluti neq; noctium initia, exitus, vigiliæ, sive serenæ aut nubilæ, breves aut longæ fuerint. Optimum, inquam, factu fuerit hoc quoque. Multum etiam refert quandoque horam annotasse, qua gestum quippiam sit: æquè videlicet atque intererat, id ea hora factum esse. Proculdubiò, inquam. Sed iam ad alia, inquit, transeamus: ecce enim locum, de quo iam differendum fuerit. Et mihi quidem ille, tanquam Proteus quidam, in mille formas immutari videtur, inquam, atque ob vetustatem mille testis fustibusque intectus undequaq;, alijsque mille sordidis cespitibus obsitus: ita quidem, ut parũ nobis prodesse eum posse existimem. Ne sic dixeris, inquit: nam facilè si in eo explicando paulò diligentius versemur, corallium, margaritam, aut aliam aliquam gemmam inveniemus. Bene, inquam: videamus an tale aliquid contineat. Videamus, inquit, & quidem hinc sumpto initio, quod ęquè necessum est, locum cognoscere, quo res gesta sit, atq; tempus: sint enim hæc duo ceu bini pedes historiæ, quibus distincta rerum memoria insistit & conservatur. Fortè ita est, Laurenti. Et mihi quidem videtur hic Proteus quem vocas, triplicem vultum habere: Vnum generalem, specialem alterum, & tertium singularem. Hoc, inquam, intelligo. In primo, inquit, quatuor universi orbis partes, Europa, Asia, Aphrica & novus orbis continentur. In secundo provinciæ comprehen

henduntur, quæ in singulis quatuor maiorum existunt:duplices certè & ipsæ:nam aut continentur sub alijs, aut alias sub se habent. Quomodo? Sicuti Italia,inquit,Gallia & Germania sunt: quæ permultas alias sub se continent regiones. Rectè. Tertiò denique sunt singuli omnis generis loci, ut continens, insulæ, maria, lacus, fluvij,stagna, paludes, urbes, arces,villę,loci celebres, deserti,culti, inculti, opaci, aprici,læves,asperi,fertiles,steriles, salubres, pestilentes, & alij quàmplurimi. Video. hæc ita planè se habent,inquam. Sed & hinc apparet,Historico plurimum prodesse posse, si diligenter legat & observet Cosmographicos typos,cùm eos qui de universo orbe, tum qui de singulis eius partibus confecti sunt: multoque magis etiam si ipsum orbem terræ peragrârit,venationibus sæpe interfuerit, & per varia flumina perque maria navigârit. Nec parum proderit etiam si ipsemet huiusmodi typos delineârit, propriaque manu varias provincias, regiones, aliosque omnis generis locos effinxerit. Proderint, inquam, hæc omnia hauddubiè plurimum. Sed ecce modum iam, quem apprehensum attrahimus. O faciem plani, ut scintillat & modò latet, modò se concedit videndum. Attamen apprehendimus, inquam, nec potuit hisce artibus evadere. Sed apparet tamen hinc, inquit,illum res, interdum quidem occultè, interdum verò apertè perficere. item ordinem quendam in agendo quandoque observare, quandoque nullum. Sic res habet, inquam, mihique ita planè videtur. Sed & mille artibus utitur, inquit, in civitatum & imperij gubernationibus, ferendis legibus,creandis magistratibus, deliberationibus, iudicijs,constitutionibus artium atque religionis, acquirendo commeatu, exigendis vectigalibus:alijsque eius generis rebus quamplurimis. Quæ omnia talia sunt,ut cognosci ab historico,& ubi opus fuerit,explicari debeant.Sic sanè,debent,inquam. Nam ubi coniurationem describit, necessum habet explicare, quo pacto inter coniuratos primùm convenerit, quo-

modo aucti sint, negotium perfecerint, puniti fuerint, aut impunes evaserint. Ita est, inquam. Vbi verò rem bello gestam enarrare voluerit, cùm eius administrandæ rationem explicare oportet, tum modum exercitus conscribendi, exercendi: instruendi: quomodo exercitus proficiscatur, in aciem militarem explicetur. Quo pacto levibus gravioribusque prælijs inter hostes binos dimicetur. Vt fluvij, paludes, montesque superentur, currus, tormenta & instrumenta bellica vehantur. Quæ omnia supra quàm dici potest utilia cognitu sunt: propter omnis generis casus qui nobis in hac vita usuvenire solent. Verisimile hæc à te dicuntur, Laurenti, inquam. Iam tempus erit ut piscandi finem faciamus: nam ecce instrumentum recte comprehensum adest grave, aduncum, & mirum quoddam animal referens, habetque acumen munitissimum durissimumque & dorsum mille rebus intectum. Rectè dicis, inquit: tales sunt formæ variorum instrumentorum, quorum usus esse solet in vita communi, pace ac bello. Quomodo? Vt, exempli gratia sunt, quæ in bello usui esse consuevêre, inquit, & quidem quadruplicia, pedites, equites, arma & exercitus. Intelligo, inquam. Atque hæc omnia, inquit, pro temporis & regionum varietate plurimum immutantur. Nam alia ratione olim armabantur Macedones, alia Græci, alia Persæ, Romani, & aliæ gentes. Fuit etiam tunc longè alius equorū usus quàm nunc sit: nam præter quòd ijs sine freno sellisque utebantur, multos etiam elephantos, & alia animalia usurpabant: præterea ex curribus dimicabant, & acies falcatis curribus frangebant. Sic sanè hæc sunt uti dicis. Præterea longè alia ijs arma fuêre, inquit, quibus muniebantur, & quibus hostem cominus eminusque petebant, quàm nostro tempore habeamus: pro eo enim quòd tunc utebantur sagittis, fundis, balistisque, nunc bombardas & tormenta usurpant, adeoque omnia reliqua ferè sunt immutata. Cuiusmodi certè omnia, quæcunque in gerenda aliqua re usui esse solent, si ab historico enarrentur suis locis, & quandoque etiam


de-

deſcribantur, lectori plurimum emolumenti afferre poſſunt. Ita ſanè, inquam. Idemque, inquit, ſentiendum eſt de alijs rebus omnibus, quę concomitari huiuſmodi actiones conſueverunt. Vtique. Iamque nihil aliud ſupereſt, quàm ut heic receptui canamus: quoniam retia nunc planè attraximus. Et quidem magna cum præda, inquam, Guido tua gratia, qui me ad opus excitaſti, iuviſti, & ex tenebris in hanc clariſſimam lucem deduxiſti.

FRANCISCI PATRITII VALERIVS DE HISTORIA, QVAE DE VNO HOMINE SCRIBITVR: DIAL. VIII.

Ioanne Nicolao Stupano Rheto interprete.

AVGVSTINVS VALERIVS, *& Franciſcus Patritius.*



S T ita ut dicis: ſunt enim conſcriptæ vitæ Philoſophorum, Sophiſtarum, Oratorum, Poëtarum, Grammaticorũ, Muſicorum, Pictorũ, Sculptorumq; & aliorũ item plurium: ſed eſt tamen hoc ſcriptionis genus diverſum ab eo, quo viri in re militari & reipublicæ adminiſtratione excellentes deſcribuntur. PAT. Sed in quo conſiſtit iſta diverſitas quæſo? aut non ſunt ij quoq; in ſua excellentes? VAL. Sunt certè illi etiam excellẽtes: ſed diverſitas tamen eſt, penes artis eiusq; finis dignitatem. PAT. Fortè ita eſt: ſed ego nõ intelligo. VAL. Aliam eſſe dico rei militaris pe-

ritiæ excellentiam, item que civilis ſcientiæ præſtantiam, quàm Scriptorum, Pictorum, Grammaticorum & aliorum: quamvis enim eæ quoq; artes, in quibus iſti excellunt, egregiæ ſint: tamen nondum cum illis conferri poſſunt ullo modo, quæ rempub. acquirunt, augent atque conſervant. Habentque finem, hæ quidem pacem & felicitatem humanam: illę verò non niſi delectationem quandam & artificis utilitatem. PAT. Bene habet. Sed ego tamen philoſophiam ſemper æſtimavi reliquarum artium præſtantiſſimam; ut quæ nos in ipſius Dei, mentis divinæ, cœlorum atq; mundi totius cognitionem duceret. Accedit huc, quòd & de hiſce tuis civilibus ac militaribus rebus diſſerit: & finem in illis quidem ſtatuit, ſolam veri cognitioné: in hiſce autem Actionū etiam ad conſequendam fœlicitatem. Sed & Poëtæ ipſi an non ſunt planè divini? VAL. Poëtas tanquam divinos homines ſuſpicio: & philoſophos ſupra omnes alios revereor, quod omnium proximè ad cœlos acceſſerint, atque hominum animos in campis cœleſtibus vera rerum cognitione paſcere voluerint. Quod etſi ita ſit: tamen eorum vitę deſcriptio non facit ad fœlicius gubernandam remp. qua de re nobis in præſentia ſermo eſt, & in quo fœlicitas noſtra conſiſtit. PAT. Videlicet eram oblitus ego iam, velle te ob eandem hanc cauſam facere debere omnes qui deſcribendas aliorum vitas ſuſcipiunt. Sed putas tu non niſi ob hanc cauſam fieri debere? VAL. Puto certè. PAT. Itaque fruſtrà laborarunt, qui vitas Sophiſtarum, Muſicorum atq; aliorum ſcripsêre: quoniam ad regendam remp. & conſequendam fœlicitatem nihil profuerunt. Sed miror tamen, quòd hoſce viros ita nihil facis, qui cunctis totius mundi hominibus utiles & iocundi fuerunt: quod utiq; maius eſt, quàm uni patrię profuiſſe. VAL. Non equidem fruſtrà illi laborarunt: nam excellentum virorum notitiam nobis pepererunt, quos in precio haberi convenit. Nam in quacunque arte multa hominum millia ſuperes, in ea animi vigorem & excellentiam oſtendis: quæ ſicuti eſt donum deorum immortalium, ita
magni

magni fieri debet. Sola tamen eorum vitæ, morum ac studiorum cognitio, non facit ad fœlicitatem consequendam, etsi maximè emolumentum aliquod secum afferat: neque enim est ex eorum numero, quæ ad reip. administrationem pertineant. Vt taceam interea, quòd pictorum & aliorum huius generis artes tantùm delectationem quandam affectant, ad fœlicitatem verò minimè spectant. PAT. Sed quid de Oratoribus dices? VAL. Si in iudicijs tantùm causas egerunt, ad hunc finem nihil faciunt: sin verò etiam in senatu reip. negotia tractarunt, ad homines politicos refero, qui ad vitam rectè instituendam alijs exemplo esse queant: & quidem eò magis, quo maiora illa fuêre, quæ gesserint. PAT. Ergo de solo hoc oratorum genere hominibus politicis & rei militaris peritis historia scribi potest, quæ viam ad fœlicitatem exemplis illustrare possit, de alijs verò non? VAL. Non sanè. PAT. Vix hisce assentiri potero: quare rem paulò penitiùs inspiciamus. Fœlicitas perfecta quędam virtutis operatio est: quæ sine fortunæ corporisque bonis, quibus tanquam ministris utatur, consistere nequit. nunquid? VAL. Concedam hoc libenter, itemque alia quædam. PAT. Vt hoc sit: dic quęso, an quenquam esse æstimes, qui fortunæ casibus, bonis iuxta ac malis obnoxius non sit? VAL. Non sanè. PAT. Eodemque modo nemo est etiam, qui non ex habitu animi, corporis membris, loco instrumentorum utens, operetur. VAL. Verum est: sed quid tum? PAT. Quod nihil prohibet, quo minus ex Platonis Plotinique animi moribus, eorumq; fortuna, exemplum ad rectius instituendam vitæ meæ rationem sumant: & quæ in ea desiderantur corrigendo, minuendo, augendo, si non ad summum fastigium, saltem ad felicitatis initium pervenire? VAL. Nihil equidem: sed non me tamen intellexisti. PAT. Fortassis: fac ego ut te intelligam. VAL. Dixeram ergo statim in nostri sermonis initio, non conducere ad communem omnium civium fœlicitatem, alias de vitis singularium hominum historias, quàm binæ illæ, de quibus modò dicebamus. In-

terea tamen non negavi, quin ex alijs etiam exempla sumi possent, ad cuiusque vitæ fœliciorem institutionem. PATR. Rectè, iam intelligo te: Itaque duplicem finem statuere poterimus historiarum, quæ de singulis hominibus scribuntur: communē omnium fœlicitatem & singulorum vitæ institutionem. VAL. Poterimus utique: atque tertium insuper addere, qui in sola cognitione artium, morum, ac totius vitæ eorum, qui describuntur, consistit: cuiusmodi historias scripsit Callistratus de Sophistis, & alter ille de Sculptoribus. PAT. Bene habet. VAL. Quare duplex omnino finis est omnis, quæ de alicuius vita scribitur, historiæ, veri scilicet cognitio, & eius ad fœlicitatem consequendam usus. Annales enim, Chronica & quæ singulis diebus breviter annotantur, tantùm faciunt ad veri cognitionem: quæ verò copiosè scribuntur, alterum quoque usum obtinent. Eodem planè modo se habent historiæ, quę de vitis hominum scribuntur: hoc uno excepto, quòd ex illis, quæ ad fœlicitatem facere dictæ sunt, commune tantùm bonum totius civitatis spectant: hæ verò & publicum, & cuiusque privatum. PAT. Divina propè sunt ista quæ doces, Valeri: sed istud etiam quæso explica, quo pacto scribi historia debeat de vita alicuius: unde usus ille cùm ad publicam, tum privatam singulorum civium utilitatem manare possit. nam mihi certè sępius scribi posse videtur, unde nullus talis usus existat. VAL. Sic sanè: quare ausculta diligenter, & iam explicabo. PAT. Libenter faciam. VAL. Ac siquidem de duplici hominum genere, quorum vitæ exempla publicæ fœlicitati inserviunt, disseruero: eadem opera de alijs quoque dixero. Vtrique enim aut corpore, aut animo, aut fortunis exemplo esse possunt, eoque cùm publicæ tum privatę cuiusque fœlicitati inservire. PAT. Sic est certè, sicque tu facito. VAL. Ac de primo quidem genere si primò dicendum sit: eos censere debemus tot modis excelluisse, quot sunt reipublicæ formę. Sunt autem illæ sicuti nosti, omnino quinque numero, Regnum, Tyrannis, Aristocratia,

tia, Oligarchia & Democratia. Et id quidem eò dico, quòd aliter excellere politicum virum in regno, & aliter in Aristocratia oporteat: nec non etiam in populi dominatu, paucorum potestate, & ipsa denique Tyrannide. In qua certè omnes cives servi sunt, nec quicquam in Republica cum Tyranno commune habent, præter id quòd imperat: cuius exemplum nobis Turcarum Imperator esse potest. Quo fit, ut civium fœlicitatem ex forma Reipublicæ in qua degit, emetiri oporteat. Atque hæc puto te intelligere. PAT. Sicuti ego quidem existimo. VAL. Iam cogita etiam, posse aliquem bonum esse civem in Republic. nec tamen excellentem, quòd nihil memorabile gerat. PAT. Ita est. VAL. Sin verò gerat tale aliquid magnum, censebitur excellens? PAT. Vtique. VAL. Potestque etiam scelere & nequitia excellere? PAT. Potest. VAL. Et virtute itidem, præsertim ita Reip. forma requirente? PAT. Itidem. VAL. Cùm ergo triplex sit eorum, qui in rep. versantur genus: boni & non excellentes: excellentes scelere & virtute: de quo censes scribendam esse historiam? PAT. Id ego ignoro. VAL. Heic rationem habere oportet eius finis, quo lectori, uti diximus, queat prodesse. PAT. Verum est. VAL. Quorum ergo historia ad eum finem magis faciet? PAT. Quæ scribitur de primo civium genere. VAL. Et quæ de secundo? PAT. Etiam. VAL. Imò hæc, & quæ de tertio scribitur, maximè faciunt ad rē: nā & aliena virtus & scelus, exemplo esse possunt ad fœlicitatē consequendā, quo factum est, ut non minus scelestos, quā pios Romonorū Imperatores nobis historici descripserint. PAT. Sic est: sed venit mihi iam in mentem etiam quosdam esse descriptos, qui neque virtute, neque scelere excelluerunt. VAL. Sic est, & rectè quidem: ut quis status Imperij fuisset sub omni Imperatorum genere cognosceretur At non ita res habet in civibus: quoniam neque natura hi, neque legibus præ cæteris excellunt: sed sola virtute aut scelere. PAT. Nondum hæc intelligo: quippe nemo fuit qui de Hipperbolo scripserit: Aristidis autem vitam descriptam habe-

mus:cùm tamen uterque Athenis, sed contrario modo & malo civitatis excelluerit. VAL. Hoc nihil facit ad rem: & alij quamplurimi extitêre virtutibus ac vitijs memorabiles, quibus tamen fortuna præcones huiusmodi negavit: præterea potuit etiam temporis longinquitas permulta literarum monumenta destruere, quibus plurimorum vitæ memoria conservabatur. PAT. Fortè est ita ut dicis. Sed unde est ista diversitas? nam scriptam habemus vitam Periclis, qui optimus civis fuit reipub. Atheniensium, quamvis non admodum iustus: habemus & de Catone, qui iustissimus erat, eoque minus bonus fuit Romanæ reip. VAL. Ausculta, Prudentia & Iustitia binæ sunt virtutes civiles: & binæ item militares, Prudentia & Fortitudo. Atque in re militari quidem, quicunque duabus hisce excellens, magnum quippiam patraverit, dignus est de cuius vita historia scribatur. Sed non idem in rebus civilibus accidit: quippe aperta Iniustitia nihil magni in repub. patrat, sed eò minus semper potest, quò maior & manifestior fuerit: unde factum esse existimo, ut de Hiperbolo historia scripta non sit. Itemque ex altera parte, summum ius nihil memorabile efficit: quod verò ex utroque temperatum est, ad maxima quæque patranda plurimum potest. PAT. Nimis procul digrederis, Valeri, ut nequeam assequi quæ dicis. VAL. Iam ergo ad propositum revertar. Tres sunt modi, quibus ad laudem atque gloriam quis potest eniti: nam aut sunt ambæ hæ virtutes in eo, de quo scribitur historia: aut in Republica, qua is degit, aut altera in altero. Hinc factum est, ut cùm in Aristide & Catone Iustitia, & in eorum Repub. Iniustitia dominaretur, ij in magni nominis viros evaserint, ob hanc scilicet contentionem quam cum repub. habuerint. Periclis verò atque Alcibiadis vita literarum monumentis mandarij meruit, quòd & ipsi & Respublica eorum mixtum quoddam atque temperatum ex Iustitia Iniustitiaque habuerunt: ex quo tantum nominis splendorem sunt consequuti, ut exemplo alijs esse potuerint. PAT. Ego te Augustine, ut ingenuè confitear, nō intelligo: quare

re vellem ut planiori aliqua via istud explicares. VAL. Libenter. De eorum civium vita, historiam scribi debere assero, qui patriæ aut profuêre permultum, aut nocuêre. Intelligis hoc? PAT. Intelligo optimè. VAL. Idem dico quod prius: sed quoniam ita melius intelligis, pergam hac via explicare. Multum patriæ prodesse, multumque nocere potest quis, tam iustitia quàm iniustitia. Nam qui in Repub. malè ordinata admodum iustus esse velit, & potestate, qua præditus fortè sit, ad reformādam rempub. utatur: is necessariò priorem reipubl. statum evertet, aut aliàs ei magnum aliquod detrimentum afferet, quod proinde Catoni atque Gracchis contigit. Iniustitia verò eodem modo si in aliquo præpotente sit, Rempub. benè ordinatā evertere potest: atque hoc modo Alexander & Agesilaus exitij Spartanæ Reip. initium fuerunt. PAT. Nova quædā & inaudita mihi commemoras: cuiusmodi fortè non quilibet crediderit. VAL. Sed tamen vera sunt: & iniustitia, etiam iniustum dominum potest evertere. PAT. Quo modo? VAL. Vt cùm Tyrannis in popularem reipub. statum transit, aut hic in Oligarchiam, aut alium aliquem convertitur. PAT. Verum est. VAL. Itaque concludimus tandem, ut exemplis aliorum, alijs queas prodesse, scribendam de ijs historiam esse, qui dum vixerunt, patriæ multum profuerunt, nocuerunt, aut in re militari vehementer excelluerunt. PAT. Intelligo. VAL. Nam eiusmodi historia, quis familiares sibi tantos viros quodammodo reddere potest, ac, velut cum receptis in domum suā, colloquens, eorum animi & corporis habitus investigare, quibus aspirante fortuna, tam magnas res patraverint. Quarum splendorem & magnitudinem, si contemplamur, facilè, ob occultam quandam vim cùm in rebus tum nobis ipsis insitam, isthæc imitandi, aut evitandi desiderio accendimur: prout videlicet bonæ nobis aut malę videbuntur. PATR. Intelligo hæc omnia, & mihi sane ita habere videntur. VAL. Sed oportet etiam istud animadvertere, huiusmodi viros bellicosos, & item alios in duplici differentia es-

ſe:nam aut poſſunt illi patriæ militare,aut alijs,quippe Tamberlanus,Sfortia, & Piccininus in militia ſeſe ſtrenuè geſſerunt,ſed non pugnarunt pro patria. Inter ciuiles itē viros, alij patres quodammodo ſunt in Repu.ac veluti reges,aut etiam tyranni, alij verò hiſce parent. Præterea ſunt etiam quidam,qui ſeruiũt principibus,aut Rebuſp.inter quos diſcrimen non ſtatuo, quoniam ijſdem modò hiſce,modò illis queunt inſeruire. PAT. Iocundè hæc & grauiter dixiſti, mihique certè ſatisfacit:ſed quoniam de fine,qui in hoc hiſtoriæ noſtræq́; ſcriptori propoſitus eſſe debet, & de quibus item viris ſcribere id conueniat dixiſti, expone iã tandem, quomodo informare oporteat talem hiſtoriam. VAL. Eo modo informari ac ſcribi debet:quo plurimum ad vitæ inſtitutionem lectori prodeſſe queat. PAT. Scio hoc ego,ſed non ſufficit. VAL. Intelligo, & libenter ulterius gratificabor,ſi modò queam. Eſt autem facilius de rebus cogitare, quàm dicere, & dicere quàm facere:nam cogitatio ipſa ab omni materia ſeparata eſt,non autē dicere,& multò minus agere. Quo fit,ut non mirum cuiquam videri debeat, etſi cogitatione & verbis hoc hiſtoriæ genus melius informare,quàm re ipſa conſcribere poſſim: nam hæc ita ſunt natura comparata. PAT. Ita eſt ſanè, quamuis te talem eſſe ſciam, qui omnibus modis id poſſit quàm optimè præſtare: ſed quoniam verbis modò & cogitationibus opus eſt, eiuſmodi ex te quoque deſidero. VAL. Tu ergo ad audiendum attentus eſto. PAT. Faciam. VAL. Itaque,primũ quidem explicandum eſſe cenſeo ſcriptori,ecquis ſit is de quo ſcribit,quòd alioquin in tenebris verſaremurq́; cõmodiſſimè verò fiet id, ſi nomen illius,familiam, patriamque indicârit. Quo facto, ad vitæ deſcriptionem properabit, atque ex omnibus quæ illi à prima origine uſq; ad vitæ terminum evenêre,ea exponat, quæ alijs exemplo eſſe queant:talia autem erunt dicta & facta. Hæc facilè ut puto intelligis. PAT. Intelligo. VAL. Ergo hic paululum conſiſte, atque iſthæc quoque ex altera parte conſidera. Omnis homo agit externo aut interno principio

principio motus. Et externum quidem esse dicimus, fatum, fortunam, aut vim: Internum naturam, affectus, aut electionem appellamus, quorum hæc iterum excitatur natura ipsa animi perturbatione, moribus aut ratiocinatione. Et hoc intelligis? PAT. Et hoc item. VAL. Atque illa quidem, quæ externa causa moti agimus, sicuti non directè à nobis proficiscuntur, ita neq; laudem nobis aut vituperium, præmium aut pœnam merentur, nec virtutibus vitijsve nostris iure attribuuntur. PAT. Sic est. VALER. Et quoniam nec nota nobis, nec in potestate nostra plerunque posita sunt, non opus fuerit in alijs explicandis multũ laborare, quæcumq; tandem sint, quæ fato, fortuna, aut alia vi quispiam fecerit: nisi quatenus promovẽt aut impediunt fortè eas actiones, quæ ex proprio principio proficiscuntur. Sæpe enim accidit, ut animus natura bonus aut malus, cùm ad bonas tum malas operationes producendas externis illis fortuitisque causis plurimùm iuvetur aut impediatur: quo fit ut tunc sint etiam explicanda. PATR. Optimè dicis. VALER. Quare superest, ut eas solummodo actiones ex professo scriptor exponat, quæ ex hominis libera voluntate dimanarunt. PATRIT. Verum est. VALER. Et is peregit de quo historia scribitur. PATRIT. Vtique. VALER. Itaque frustrà laborant, qui in alicuius vitæ descriptione, in eorum narrationem digrediuntur, quæ sui maiores, aut alij eius cognati gessêre: multoque magis etiam historici illi recentiores ineptiunt, qui omnia explicant, quæcumq; acciderunt eo tempore, quo is, cuius vita describitur, vixit: quamvis fortè nihil ad eum, de quo scribitur historia, pertineant. PATRIT. Et mihi certè itidem à via & proposito scopo aberrare videntur. VAL. Nam id eò magis vitare oportet, quòd ne illius quidem, de quo historia scribitur, omnes actiones explicare liceat. PAT. At istud mihi novum videtur. VAL. Nec novum est istud, nec alienum à ratione. Si quis enim in Vita Pompeij omnia cõmemorare vellet, quæcunque egisset ab eo tempore, quo in lucem

editus fuit, deridendum se omnibus proponeret, pręsertim verò si vagitus, eiulatus, & puerilia reliqua explicaret. PAT. Ob puerilia hæc credo. VAL. Imò etiam ob alia multa, quæ in senatu, & dum magistratu fungeretur, domi militiæque peregit. neque enim dubiũ est, quin multò plura gesserit, quàm de eo memoriæ prodita habeamus. PATR. De hoc neque ego certè dubito: sed bene an malè fecisse putandi sunt historici, qui illa silentio prætериêre. VAL. Sanè optimè: nam si ad eum finem, quem hìc historię diximus esse propositum, omnia referenda sunt, non nisi eæ res gestæ commemorandæ fuerint, quarum permultum interest, & quæ patriæ, aut principi multum prodesse, aut nocere potuerunt. Atque eędem hę delineandæ potius atque adumbrandæ, quàm suis coloribus ita pingendæ, ut viva eorum imago exprimatur. PATR. Assentior tibi, credo certè rem ita habere. VAL. Sed redeamus nunc ad causas internas, naturam nempe, affectus, electionem, perturbationem, mores & ratiocinationem: nam ut melius ea intelligas, non malum fuerit ea paulò clarius explicare. PATR. Sic utiq; te facere decet. VAL. Naturam voco eam animi inclinationem, qua ab incunabulis sumus alij ad alia proclives; sic enim legimus Themistoclem ad agendum natura promptum fuisse: Catonem severum, & Philopomenem bellicosum: quo loco veniunt interdum affectus animi etiã naturę nomine intelligendi. PAT. Intelligo. VAL. Ac debet huiusmodi naturæ proclivitas, ab historico diligenter explicari, quòd cùm ad dicta tum facta permultum faciat. PAT. Sic sanè. VAL. Secundum à naturá locum obtinent affectus, quorũ nomine, animi quasdam motiones intelligo, ut ira, odium, amor, quę actiones producunt, & duplici quidem ratione. Nam aut subita commotione, & absque omni electione operantur, quo modo propriè affectus nuncupantur: aut ex quodam veluti habitu: qua ratione mores potius sunt æstimandi. Diversæ deinde sunt ab hisce actiones, quæ ex sola ratiocinatione nascuntur, nulla perturbatione aut mora comitante: sicut


ſicut & illæ item diverſæ ſunt, quæ ex ratiocinatione dimanant, principium ſuum ex moribus bonis aut malis habente. PAT. Intelligo hæc omnia & ita eſſe ſcio. VALER. Quare ſummo ſtudio eniti debet hiſtoricus ut in enarrandis ſingulis actionibus ſimul etiam explicet, ex quo commemoratarum cauſarum genere originem habuerint. Nam ſi bonæ & Reipub. utiles fuerint, voletque eas aliquis imitari: dabit operam ut iiſdem hiſce ad agendum facultatibus inſtructus ſit. PAT. Bene habet: ſed poteſt ne quis ſibi comparare omnes internas haſce cauſas, quas in alio cernit? mihi enim id non ita fieri poſſe videtur. VALER. Non omnes equidẽ, neque enim quiſquam alterius naturam, atque affectus animi ſibi comparârit: alias verò quæ non minus etiam momenti habent, certè aſſequetur. Accedit huc, quod poteſt etiam quis naturam, & inſitos affectus paulatim immutare, ſeque ad normam alterius conformare: quod ubi perfecerit, non tam naturæ, quàm moribus quibuſdam acquiſititiis tribuendum fuerit. PAT. Credo ſanè ſic iſta habere. VAL. Itaque explicandæ enarrandæque ſunt omnes huiuſmodi actionum cauſæ, & præſertim quæ cum electione coniunctæ ſunt, quoniam ex hac optimæ quæque actiones dimanant. PAT. Vtique. VAL. Atque id quidem ut melius præſtare poſſit, non fuerit ignorandum, quòd ratiocinatio & affectus, ex quibus naſcitur ipſa electio, etſi naturæ ipſius ſunt, tamẽ rebus externis plurimùm adiuvantur. Cuius generis ſunt, educatio liberalis à teneris annis adhibita, literarum ſtudia, itemque exercitatio, quorum poſtrema duo, triplicem uſum præſtant: nam & naturam ipſam emendant, commutantque in melius, & affectus animi ac perturbationes ſedant, & ex hiſce tandem optimaque indole & ſtudiis, certos quoſdam morum habitus efficiunt, ex quibus quæ proficiſcũtur actiones iure laudem aut vituperium merentur. PAT. Rectè dicis. VAL. Itaque ſi colligamus iam tandem in unam ſummam ſingula rerum capita, quæ confusè tractata hactenus à nobis ſunt, ſedecim ea eſſe deprehende-

mus, quæ historico in Vita cuiusq; observanda sunt: nomen videlicet, familia, parẽtes, patria, fatũ, fortuna, vis (si quę manifestè ad agendũ conducere visa fuerit) natura, affectus, electio, perturbationes animi, mores, educatio, studia, dicta, facta. Pręterea etiã ętas, qua maxima quęq; patraverit, ac forma corporis etiam, quę & certa, eorũ quæ in animo hærent, indicia suppeditat, & ad agendum persæpe prodest. Nam cũ ex vultu de animi moribus certò conieceris, statim cognosces, habeásne quod in aliquo imiteris, aut fugias PAT. Intelligo ista, & mihi sanè ita habere videtur. VAL. Et quemadmodũ debent, in vitæ descriptione, educatio ac studia enarrari, quibus mores bonos, is de quo scribitur comparârit: ita etiam commemorari debent, si quę in iuventute dixit aut fecit, ex quibus pręclari quippiam de eo conijci potuerit, nõ de moribus tantũ, verùm etiam natura, cogitationibus, studijs, alijsq; animi virtutibus ac vitijs. Cùm enim animus ceu fons sit actionum, danda opera est omni modo, ut in eius cognitionem veniamus & ex eo dictorum factorumq; bonitatem & malitiam, honestatem atq; turpitudinem metiamur. PAT. Optimè tu certè dicis. VAL. Et quamvis ex vita alterius, nõ nisi dicta factaq; ad nostram utilitatem transferre queamus, tamen horum causa annotandæ sunt, cùm causæ iam à nobis positæ, tum reliqua omnia, quæ actiones sermonesq; cõcomitari solent: cuiusmodi sunt autor, occasio, tempus, locus, modus, instrumenta, & si quæ hisce similia fuerint. Vt ex hisce omnibus, viva eius, de quo scribitur imago exprimatur: quæ certè eò magis pictorum sculptorumq; effigies superabit, quòd illę corpus solius, hæc verò ipsius etiã animi adumbrationem proponet. Sitq; hic finis scriptori propositus in hoc historiæ genere, ut explicet quantũ viri huiusmodi humano generi profuerint aut nocuerint, quantumq; nos itidẽ prodesse aut obesse queamus, si nos cõponamus ad illorũ imitationem: non autẽ is, quem Pictores Sculptoresq; habẽt, ut in corporis effigie animũ quoquo modo repręsentent: quod tamen bona venia Plutarchi sapientissimi illius senis dictum velim.

FRANCISCI PATRITII DONATVS DE HISTORIÆ VTILITATE DIALOGVS NONVS,

Ioanne Nicolao Stupano Rheto interprete.

LEONARDVS ET IOANNES DONATI, ac Franciſcus Patritius.



ST herclè ridicula hæc tua opinio: ſed quo pacto in novam hanc ſententiam incidiſti? PATR. Atqui tu fortè aliter ſentires, Leonarde magnifice, ſi cauſas intelligeres, quæ me, ad ita credendum impulerunt. LEO. Quin tu igitur illas nobis commemora, quæſo. PATRIT. Scis omnibus hominibus quoddam imitandi ſtudium inſitum eſſe: quoniam videlicet ad voluptatem proclives ſunt, nec quicquam eſt, quod imitatione animis noſtris maiorē pariat delectationem. Quo fit ut ſtatim à pueris, infantulos nobis, equulos, gladiolos, lectulos, & hiſce ſimilia fingamus, in quo tota penè tenella illa ætas verſatur. Poſtea verò, ubi ætate paulò maiores facti ſumus, pictura ſculpturaque delectamur, placentque tū etiam Comœdiæ & Tregœdiæ aliaq; poemata, quę rerum quorundam imitatione conſtant. Vſque adeò nanque placent nobis, quæ noſtri, aut noſtrarum rerum ſimilitudinem quampiam habent: ut ſæpenumero fuerint homines qui pluſquam humana induſtria, omnibus modis conati ſunt ſpiritum & vitam in ſtatuas infundere: idque etiam quodāmodo perfecerunt. Deos ſcilicet imitati, qui hominem ex corpore & anima compoſuerunt. Cæterùm ſicuti placent hominibus, quæ aliquam ſui ſuarumque rerum imaginem referunt: ita etiam Dijs. Itaque ante multa annorum millia perfectæ fœlicitatis conſequendæ cauſa, animal

hic in terris effingere constituerunt, quòd efformatum ad eorum imaginem, ipsos delectaret, magisque fœlicem eorum vitam efficeret. Cuius rei curam tradiderunt quatuor eorum Magistris, Vulcano, Minervæ, Veneri & Mercurio: qui Terræ, Igni, cæterisque elementis, nescio quid divini admiscentes, hominem produxêre talem, qualem etiámnum cernitis. Possem autem manifestius adhuc explicare, quo pacto Dijs solatio simus. LEO. Fac quæso, ut rideam. PAT. Scio te Tragœdias legisse, & agere vidisse. LEO. Sic sanè utrumque. PAT. Est ne autem Tragœdia aliud quàm ludus? LEO. Non utique, sed quid hoc ad propositum? PAT. Id iam iam ex me audies. Cernere est in Tragœdijs Reges, Reginas, viros magnos, mediocres, plebeios, sapientes, stultos, & eius generis alios. Nónne? LEO. Vtique. PAT. Scio autem non ignorare te, quòd nec reges isti sunt, qui hos lupos agunt, nec reginæ, nec aliæ item personæ, quas exprimunt: sed histriones tantùm, qui eos repræsentant, quos in fabulã poeta introduxit. LEO. Id quilibet cognoverit. PAT. Atque hoc quidem modo induti histriones, regum aliorumque magnorum virorum habitu, voceque ac cæteris gestibus eorum actiones & orationem imitãtes: ante oculos quasi proponunt miserias, & infortunia huiusmodi principum virorum: ita quidem, ut vel ad lachrimas suis hisce iocis spectatores moveant. LEO. Ita est. PAT. Ex quibus, ubi sapientes tantam eorum hominum miseriam, quæ ex errore & ignorantia nascitur, intellexerunt: discunt alieno periculo, sibi ab ijs cavere, quæ magnos hosce ac fœlicissimos alioquin homines, in has miserias coniecerunt. LEO. Iamque non amplius ludus est, ubi tantum adfert emolumenti. PAT. Ita res habet etiam in eo, quod modò diximus. Dij enim cùm perpetua beatitudine fruerentur, nec non semper hilares essent, ludos quosdam invenêrunt, feceruntque hominem. Quem apparente quadam divinitate exornârunt, ut in hac mũdi Comœdia, non minus ex fictorum horum deorum intuitu delectarentur, quàm nos dum histriones regio habitu

bitu indutos cernimus. Id verò ob eam causam etiam fecerunt, ut hac divinitatis specie decepti, ea quoque agére tentarent, quæ cum divinis affinitatem habent. Quibus, cùm ob errorem miserias sibi pararent & ruinam: dij voluptatem, non secus atque nos ex rebus tragicis percipere, suamque fœlicitatem melius æstimare possent. Huic iocis etiam egregiè prospexerunt: nam Vulcano id muneris dederunt, ut iocis ac scommatis risum illis perpetuò moveat, quo fit ut ille quidem comœdiæ, nos verò tragœdiæ vicem illis exhibeamus, ipsique tanquam ex contrario, fœlicitatem suam agnoscere magisq; amare possint. Atque hic quidem usus est, quem præter voluptatem Dij ex miserijs nostris consequuntur. Itaq; verũ est, quod dicitur, hominem ioci causa conditum fuisse, incidisseque in miserias hasce, ut cum ijs collata deorum fœlicitas maior appareret. Quę cùm ita sint, necessum est, vitam humanam miseria atq; calamitate semper esse refertam, ut semper habeant dij unde gaudeant, sibiq; gratulentur. Atq; id quidẽ cùm ego intelligam: nequaquam historiarum lectioni libenter incumbo: nam dum illã video humanis miserijs refertam, non possum equidem à dolore & lachrymis abstinerę. LEO. Tenellus videlicet est hic animus tuus, Patriti, qui tam facilè moveatur. Sed ego non possum hosce tuos ludos Tragœdiasq; non deridere, quòd mihi somnia hæc atque deliria esse videantur. PAT. Neque id mirum, quoniam Aristotelis doctrina imbutus es. LEO. Quid tum? PAT. Et idcirco Platonem odisti. LEO. Sed quid hic nobis cum Aristotele aut Platone? PAT. Quoniam Plato testatur, hominem ioci causa à Dijs conditum esse. LEO. Testetur ille aut non: quid hoc ad quæstionem de historiæ utilitate faciat? PAT. Plurimùm sanè: neque enim censeo, ex miserijs nostris nobis quærendam esse delectationem, quòd id sit impium. LEO. Longè à via digrederis, Patriti, id quod non equidem existimassem. Dic enim quæso, tragœdia, an non ludus est, ex quo emolumenti quippiam ad hominem redire potest? PAT. Est. LEO. Et quid ve-

tat igitur, quo minus idipſum ex hiſtoria queat deſumi? Nam eoſdem caſus & humanas miſerias seriò explicatas continet, quæ in Tragœdijs ficta proponuntur. Vt queat ex ijs vir ſapiens normam deſumere, ad vitæ ſuæ inſtitutionem, ad eamq; ſuas actiones, quoad eius fieri poteſt, accommodando, adverſam fortunam planè evitare, aut ſaltem non omnino ſuccumbere. Vt vel ob hanc cauſam hiſtoria longè utiliſſima cenſenda ſit: & ego hactenus certè eam ſemper magnifeci, & magno ſtudio legi. Sed Iohannes Donatus noſter, cùm de eadẽ hac re fortè colloqueremur, multò maiora hiſce & ijs quæ legiſſem, aut tunc mecum cogitarem, de illius utilitate demonſtravit. Cuius orationem libenter tibi commemorabo, ut ab hac tua opinione diſcedas, quæ certè abſurdiſſima eſt. PAT. Ad præſtantiſſimi huius viri nomen, animum mihi excitaſti, Leonarde ornatiſſime, novi enim, ſimulque etiam longo tempore admiror, ſummam eius prudentiam, eloquentiam, amorem patriæ atq; eruditionẽ. Quare promptiſſimo animo audiam & admittam quaſcunq; ab eo accepiſti rationes. LEO. Tu ergo attentus eſto. Cùm fortè unà colloqueremur ijſdẽ diebus, quibus erat à ſenatu cõtinentis Sapiens deſignatus, quæſivit ex me, quibus potiſſimũ ſtudijs eſſem addictus, poſtquam ex Cypro redijſſem. Ego verò hiſtoriarum, inquã. Recentiúmne, inquit, an potius antiquarum? Vtriuſq; generis, inquã. Et in quem finẽ? inquit. Vt mihi uſui eſſe poſſint, ad rectius inſtituendas vitæ meæ actiones, inquã. Quamvis nõ ignorem permultos eſſe qui ob nullum alium finem tantũ temporis earum lectioni impendant, quàm ut non eas ignorent, ſi quando de ijs inter pocula quæſtio oriatur. Tum ille, ut ſolet citò moveri indignabundus, propè ergo, inquit, tantũ ut colloqui poſſint? Hic magnus eſt error: neq; enim is eſt hiſtoriarũ finis, ut de ijs garrire, ſed ut eorum cognitionem in actionem cõvertere poſſis. Sicuti enim philoſophiæ morali, nõ ipſa cognitio, ſed actio propoſita eſt: ita qui ſe hiſtoriarum ſtudio addicit, ut habeat quod interdũ colloquatur,

quatur, is ostendit, se ob infortunia aut ignorantiam, indignum censeri in hoc mundo, cui ad agendũ quippiam committatur: & proinde otio quasi destinatum. Sed neque levior est error ille, qui nunc irrepsit, ut nõ nisi recentiores historici legantur. Deberent autem iuvenes omnis generis historias legere, ut multifariam ex ijs utilitatem, ad gubernandam hanc Remp. & pacem illius conservandam, consequerentur: intentique esse in earũ rerũpub. imitatione, quæ longo tempore floruerunt. Sed qua ratione, inquam, possumus ex historia quicquam ad patriæ utilitatem desumere? Qua ratione? inquit. Quis tibi est ergo historiæ usus ille, quem antea dicebas? Dum miserias humanas cõsidero, inquam, quibus historiæ refertę sunt: & aliorum exemplo vitam meam ita instituo, ut quoad fieri potest, adversam fortunam semper evitem. Bonum est hoc quoque tui studij propositum, inquit, sed in bono cive, sicuti magis reipu. quàm privatæ cura laudatur: ita maior etiam censetur historiæ utilitas, quæ ad Rempub. refertur, quàm illa, quæ ad ipsius lectoris usum accommodatur. Tantùm ex historijs emolumẽtum posse desumi, inquam, nondũ equidem sciebam. Itaque rogo te amicè, ut quoniam id fieri posse asseris, doceas me quo pacto ad hunc finem studia mea derigere queam. Faciam, inquit, libenter atque hinc exordiar. Quòd omnes humanæ actiones bonum quoddam propositum habent, ad quod, ceu ultimum finem, omnes respiciunt: idque, communi nomine fœlicitas nuncupatur. Hæc, sicuti nos divinus Plato docuit, in eò potissimum consistit, ut ratione contemplationũ Deo similes quodammodò reddamur. Id verò optimè consequimur, si prius affectus atque animi perturbationes, virtutibus, bonis moribus, alijsque ad hanc rem necessarijs, sedentur. Sed ista proculdubio non nisi in hominum societate inveniuntur. Voco autem societates hominum, ipsas civitates, sive Resp. mavis appellare. Hæ civibus suis debent suppeditare quæ ad vitam sufficiant: & satisfacere triplici scopo, quo omnes natura esse, benè esse, &

ſemper eſſe cupimus. Cæterùm pace facilius comparatur iſtud, quàm bello: ſive inteſtinum id ſit, ſive cum exteris geratur. Cùm enim triplex omnino ſit Reipu. ſtatus: pax, bellum, atque ſeditio, expetuntur hæc duo propter pacem: quòd præſtantiſſima iſta ſit, & in hominum animis infixa hæreat: ſolaque illa ſuppeditet, quæ ad vitam, & triplicem, quem diximus, inſitum nobis à natura ſcopum, neceſſaria ſunt: & in hac ſola poſita ſit noſtra fœlicitas, quã in ſimilitudine quadam cum Deo ſupra conſiſtere dicebamus. Quamvis autem in votis & deſiderio hominũ potius ſita ſit iſta fœlicitas, quàm reipſa acquiratur: neceſſum eſt tamẽ, in eam intenti ſimus, & vel ad ipſam pacem fœlicitati proximam contendamus: quod in hac perfrui optimè ijs liceat, quæ ad ultimũ illum, triplicemque finem perducunt. Sed pacem intelligo omniũ perfectiſſimam, quæ in civium, cum inter ſeſe, tum erga alios mutuo amore conſiſtit potius, quàm in externis officijs & actionibus, ubi tamen intrinſecus odia agitantur. Cæterùm viam prius tenere oportet ad hanc perveniendi, & poſtmodum ei inſiſtere. Itaque diſcenda fuerit ea partim à philoſophis, partim ab hiſtoricis: quorum ij præceptis & rationibus, hi verò uſu & experientia docent. Non deſunt autẽ, qui experientiam rationi præferant, ſed utrum rectè id ab ijs fiat, nunc non eſt propoſitum explicare. Quare ſummo in honore à nobis haberi debet hiſtoria, quoniam uſu & experientia docet pacem in Repu. & fœlicitatem conſequi. Ac longè aliter ſentire debemus, atq; ij qui legunt hiſtorias, ut tantùm in colloquijs eas adducere poſſint: eſt enim hic eorum finis ineptus & ridiculus, ille verò optimus, & ad benè vivendi rationem utiliſſimus. Itaque cuperem ego magnopere, mi Leonarde, ut hęc tua hiſtorica, aliaque ſtudia, ad huius reipublicæ patriæ tuæ, tuamque utilitatem referres. Vbi enim univerſi cives fœlices ſunt, ibi etiam ſinguli benè habent. Tum ego, in profundam cogitationem, inquam, me deduxiſti, Donate ornatiſſime: dum mihi tam multiplicem hiſtoriæ uſum explicaſti. Et dum

iſta

ista ex te intelligo, ardeo propemodum huius studij desiderio: cuperémque à te amplius erudiri, quo modo in historia, singula hæc observāda sint, quæ ad pacem & fœlicitatem huius nostræ reip faciunt. Te, inquit, libenti animo erudiam, dummodo attentè me audias. Præcepta autem communia proponam, ut nō tibi solum ad observanda ex historijs quæ nostræ Reip. utilia sunt: verum etiam alijs usui esse possint, in earum, quibus fortè præsunt, Rerumpublicarum administratione. Atque hinc quidem exordiar, quòd omnis Reipublicæ status, aut bellum est, aut pax, aut seditio: nec quicquam à Republica geritur, quòd non alicuius horum trium causa geratur: quamvis in singulis deinde plura sint observanda. Vera pax fundamentum suum habet in trāquillis civiū animis & bonis eorū institutis, legibus ac mutuis officijs conservatur. Si enim quisque officium suum faciat, ac legib. obtemperet, firmā pacem manere oportet. Cæterùm turbatur illa, aut civium seditionib aut bello ab externis illato: quorum utrunque fuerit penitùs cogitandum. Qui ad condendam urbem aliquam conveniunt, homines eos habere in loco quē incolunt, victū & amictum oportet: neque enim sine hisce vivere possunt. Quo fit, ut, ubi ista desunt, cives adversus magistratus insurgant, aut contra opulentos, aut etiam vicinis suis eripiant: atque ex hisce bella deinde sequuntur. Vt manifestè hinc appareat, rerum ad vitam necessariarum penuria pacem turbari, & conservari abundantia. Necessum præterea est in honorum distributione, quos omnes natura appetimus, certum modum & rationem observari: nam si alij omnes, alij verò nullos possideant, pacem perturbari oportet: sicuti conservatur vice versa, ubi certa proportione distribuuntur. Tollitur etiam pax mutuis civium iniurijs conservaturque, siquidem ab ijs abstineant: sumus enim natura omnes, ad vindicandam iniuriam nosque ac nostra conservanda proclives. Ac talia quidem sunt, quibus pax & civium fœlicitas conservatur: debentque ad triplicem hunc finem o-

mnes leges & instituta spectare. Nam etsi ijs plurimæ aliæ res adhæreant, tamen reliquis legibus facilè comprehendentur:ut non temerè quis possit pronũciare, pacem atque tranquillitatem in bonis legibus, quæ rectè observentur, sitam esse. Leges enim malæ quamvis observentur, non possunt tamen seditiones prohibere:& frustrà quoque bonæ sunt, nisi observentur. Atque hæc quidem dicta sufficiant de pace inter ipsos cives conservanda:externos autem hostes, non metuet etiã Respublica, nisi aperti belli aut proditionum ratione. Ac proditionibus quidem optimè occurritur, si indices præmijs, & proditores pœnis afficiantur. Bellum verò suscipitur, vel defensionis causa, cuiusmodi dictum est: aut offensionis, quod iustum esse non potest, nisi fortè aliquando ob violata vectigalia, honores & existimationem. Quare vitari istud debet ab ea Republica, quæ volet fœliciter gubernari: nisi cogàtur, quòd alioquin fœlicitatem suam ab hostibus turbatam iri conijciat. Cæterùm omne bellum quod suscipitur adversus nos, aut geritur à potentioribus, aut æqualibus, aut minus potentibus. atque hi quidem si bellum apertè suscipiant, minimè formidulosi esse debent, præsertim si nihil sit, quod eos peculiariter iuvare queat. Aequales etiam parum metuuntur. Superest ut quo pacto potentioribus resistendum sit, cogites: cuius rei binæ tantùm viæ sunt, ut caveas videlicet ne te aggrediantur, aut si adoriantur te, ne queant nocere præmunias. Ne te aggrediantur evitabis, si eos tibi amore devinxeris, aut ijs incusseris timorẽ. Et amore quidem tibi principes devincies per pacem, cuiusmodi illa est, quam habemus cum Turcis:per tributum quẽ eidem tribuunt Ragusei:et si eorumpotentiam agnoveris, teque ijs officijs, donis, commercijs, alijsque eius generis rebus obligaveris. Timorem verò ijs incuties industria tua tuorumque ducum, militiæ modo, subditorum fide, auxilijs quæ cùm à tuis, tũ alijs sperare possis, munitionibus, & alijs quæ hisce similia sunt. Hæc enim potentiorem quoque hostem, ne te

adoriantur

adoriantur, deterrent. est enim hoc apud omnes quasi fixũ, quòd non sit in aliorum detrimentũ quicquam moliendum, nisi certa utilitatis spes proposita sit, & quam infortunia potius, quàm imprudẽtia queat impedire. Si te hostis tamen adoritur: vel fines tuos, vel loca intra eos posita oppugnat: quare debent semper fines ipsi munitissimi esse, ut nec expugnare illos, nec ulterius progredi queat securus, dum te retrò relinquit. Et si processerit, fame, insidijs, viq; occurrendum est. Quoniam tamen potentior esse intelligitur, insidijs magis utendũ est, famemq; illi magis formidabilem reddere, quàm arma. Atq; istę quidem rationes sunt, quibus potentiores copię superantur, paxq; cum exteris conservatur: quæ proinde omnia ad triplicem, quem omnes appetimus, finem referuntur. Sed ei adversantur seditiones: nam per homicidia, ne quis amplius superstes sit efficiunt: & suspicionibus, inimicitijs, proscriptionibus, contumelijs, curis, alijsq; eius generis rebus, quò minus bene sit alicui, impediunt, & obstant ne quies semper sit: liberorum etiam privationes, vacationes bonorũ studiorum, aliarumq; pulcherrimarum rerum iactura, quæ æternæ memoriæ consecratæ erant. Iidemq; sunt etiam ferè bellorũ eventus, nisi quòd melior tamen horum conditio videatur, quoniam non sunt domesticæ clades, potestq; sibi quis ab illis cavere, & ad leges atque magistratus confugere. Tam perniciosæ videlicet sunt seditiones omnes, quamvis ex levi detrimento, iniuria aut ignominia originem habere cõsueverint. Sunt enim qui eas concitant, plerumq; aut infimæ sortis homines, qui magnos æquare cupiunt: aut magni, qui alios superare cõtendunt. Cæterùm sedentur illæ severè aut humaniter: severas voco pœnas à magistratu seditionum autoribus inflictas, & civium in seditiosos impetus: humanus autem est gravis alicuius viri interventus; aut restitutio eius rei quæ seditionem concitaverat. Atque hoc quidem modo pacatur civitas tumultibus agitata. Sed actiones bellicæ triplici genere continentur. quicunque enim belli gerendi causa, exerci-

tum comparavit, is aut se in castris continet, aut iter facit, aut pugnat. In ponendis castris eligi debet locus securus, salubris, & in quo aqua & commeatus haberi commodè possint. Cum exercitu autem dum iter facis per tuam aut alienam ditionem, amicam aut hostilem: videndum est ut id secundum militarem disciplinam fiat, omneque periculum, quoad eius fieri potest, evitetur. Pugnandi verò tres omnino sunt differentiæ: nam aut levioribus, aut gravioribus prælijs, aut ex insidijs pugnatur: sive sint hę in alijs castris positæ, sive alio quopiam loco natura aut arte munito. Cæterùm sicuti habent cæteræ actiones omnes finem suum: ita bella etiam. Nam desinunt bellum gerere aliqui ob victorias quas de suis hostibus obtinuerunt: alij quòd victi superatique sint: nonnulli etiam pacem cum adversario certis conditionibus factam: & aliquando denique ob fractas unius aut utriusque adversarij vires. Atque hæc quidem sunt, mi Leonarde, quæ à Republica ac Principibus geruntur: & generaliter quidem à nobis hìc descripta sunt, sed plura tamen sub sese complectuntur. Nec invenies fortè scriptorem, qui ista tam accuratè enarrârit, aut in historijs antiquis recentioribusque observare docuerit. Quo fit ut sperem, hæc summa rerum capita in hunc ordinem à nobis distincta, plurimùm tibi in historiarum lectione profutura. Hæc ubi dixisset, conticuit: ego verò tam gravem illius orationem admiratus, præclara, inquam, ista sunt, Ioannes ornatissime, quæ tu me, & optima quidem methodo, docuisti: quare tibi gratias quàm possum maximas habeo. Sed quod reliquum est, cuperem ex te etiam audire, quo pacto hæc ad studium meum, & historiarum lectionem accommodare debeam: quòd alioquin frustrà hic tuus labor futurus esset. Dicam hoc quoque libenti animo, tu esto attentus. Omnes res quæ geruntur, aut eædem sunt, aut contrariæ inter sese, aut diversæ, aut similes: quare & quæ fiunt comparationes rerum, sumuntur à contrarietate, diversitate, similitudine, aut eo quod eędem esse intel-

ligun-

liguntur. Verisimile est igitur res omnes quæ iam antè nostræ huic Reipublicæ acciderunt, aut posthac possunt evenire, cum ijs quas in aliarum gentium historijs legimus esse easdem aut contrarias, aut differentes, aut similes, & proinde eventus quoque sortituras, prout illæ, ratione causarum diversitatis habuerunt. Sed cùm ipsa rerum diversitas infinita quasi sit, nec queat ad certos terminos reduci; parum potest historiarum lectioni prodesse, ut eius ratione res nostræ cum antiquis conferantur. Superest ergo ut reliqua tria id præstent: quod facilè potest fieri. In binis enim rebus quæ eædem sunt, videre est causas & effectus eosdem; sicuti & in contrarijs, quæ semper duæ tantùm sunt, causas effectusque contrarios: ut facilis sit admodum in historijs horum observatio. Similitudo autem quæ inter has medio quodam modo se habet, est hisce certè difficilior aliquantum: prout magis varia est videlicet. Vt non fortè à Protagora ineptè dictum sit, inter omnes res similitudinem quandam esse. Quod etsi ita sit, tamen non tam latè patet atque diversitas: possunt enim perbellè quoque ab ea rerum comparationes desumi. Quare ita observabis ea quæ in historiarum lectione comperies, ut quid ijs, quæ huic nostræ Reipubl. evenire consueverunt, contrarium, simile atq; idem sit, consideres. Heic cùm cætera quidem mihi intelligere viderer, præter quod de earundem rerum observatione dixerat: intelligo, inquam, cætera quæ disseruisti, Donate præstantissime, sed illud non capio, qui possit aliqua res à nostra Republ. gesta, eadem esse cum aliqua alia, quam olim alij gesserint: quod enim idem est, id non nisi unum esse oportet. Hoc fortè ita se habet in singularibus, inquit, sed in reliquis non absurdum fuerit, si te idem mecum esse dixeris, quòd ambo una hominis specie contineamur. Quæ igitur efficiunt, inquam, ut binæ actiones eædem esse dicantur? Eadem maximè causa, inquit: cætera verò adiuncta, quò magis similia fuerint, eò magis idipsum præstabunt. Vt si quis eodem modo in hac nostra Republica, quo olim Romæ nar-

raret ex annonæ caritate seditionem fuisse concitatam. Aut si mavis exemplum manifestius, en Philopemenes Græcus, qui historias Alexandri non sanè in eum finem legit, ut haberet de quibus loqueretur, sed ut ijs in actionibus suis rectè instituendis uteretur. Is cùm hincinde venandi aut bellandi causa proficisceretur, considerabat montes, valles, flumina, campos, fossas, & reliqua hisce similia, ut sciret qui loci ad eum modum, quem apud Alexandrum legisset, pro castris ponendis, instruenda acie ac prælio committendo apti essent: & in ipsa necessitate minori periculo, maiorique cum victoriæ spe, rebus præesse posset. Ex quarum rerum successu tantam laudem sibi comparavit, ut dignus iudicatus sit, qui Achæorũ militarem disciplinam æstimaret. Itaq; pro exiguo clypeo maioris usum eos edocuit, & pro brevi hasta Macedonicam sarissam ostendit: iussitque caput armare galea, pectus lorica, & femora tibiasque ferreis caligis: quo factum est, ut sicuti prius ad levia prælia agiles & apti erant: ita postea ad maiora firmos reddiderit. Qua militari disciplina, favente fortuna, peritissimus omnium totius Græciæ imperator evasit, ita quidem ut postea cum illo omnis antiquæ Græciæ virtus occubuisse putaretur. tantã scilicet utilitatem ex historijs comparavit, dum omnia ad isthæc similium, eorundem & contrariorum capita revocavit. Idem quoque præstitit Africanus, dum illa quæ de Cyro Xenophon scripsit, observavit. Idemq; fecisse ipsemet Alexander putatur, dum Heroas Homericos est imitatus: alijque quamplurimi in administranda Repub. aliorum exemplis excelluerunt: dum ijs in similibus cõtrarijs ijsdemque casibus sunt usi. Atque hac quidem ratione cuperem iuvenes nostros, teque etiam mi Leonarde, ea quę à diversis gentibus, pace, bello ac seditionibus gesta legitis, ad patriæ vestræ utilitatem revocare. Nec mihi dubium est, quin magnam harum rerum copiam, cùm in omni historiarum genere sis inventurus, tum maximè in ijs, quibus rerumpub. res gestæ enarrantur, quæ aliquam cum hac nostra affinitatem

ha-

habuerunt: quamvis fortè difficile sit aliquam reperire, quæ ad eum modũ, quo nostra hæc gubernata valde floruerit. Nec amplius censeo opus esse singularia harum rerũ exẽpla adducere: quòd id ingenio generoso frustra futurũ sit: possisq́; iam ipse ad Philopemenis exemplũ reliqua omnia observare. Talis tãque gravis fuit Donati nostri oratio, Patriti, quæ sicuti placuit, ita me quoque permovit, & usque adeo animo meo insedit, ut eius recordationem nunquam sim amissurus. Tibi verò ecquid de eo videtur? Videris planè attonitus, cur non respondes?

FRANCISCI PATRITII STROTTIVS DE HISTORIÆ DIGNITATE ET COLLOCATIONE.

DIALOGVS X.

Ioanne Nicolao Stupano Rheto interprete.

FRANCISCVS PATRITIVS, CAMILlus Strottius, Clemens Politus, Sardus & P. Baptista Cataneus.



CVM anno superiori circa Veris initiũ, Roma rediens Bononiam pervenissem: diverti ad Camillum Strottium Mãtuanum, qui tum ibi literis operã navabat. Narravi illi ut Hercules cõsobrinus qui mecum Romæ fuerat, valeret: & ille vicissim mihi de Pompeio Herculis fratre, alijsq́ue amicis quæ sciret, cõmemoravit. de ipso etiã recensuit, quòd postquã ego ab eo alijsq́; socijs Patavio discessissem, reversus sit ipse eò iterum anno sequẽti: sed ubi pestis

illic cœpisset grassari, statim se illinc cum Ascanio Salimbeno, Fabio Borghesio, Alberto Floraio & Clemente Polito, Bononiam contulerit. Et hinc cùm fuissent ab Alberto invitati, semel fuisse in Consentinũ profectos: quo in loco omnes ægrotarint, solo Clemente excepto: & se quidem ita graviter laborasse, ut periculo mortis non caruerit. Vbi autem aliquantum convaluisset, ipse Bononiam redierit: alij verò in patriam, nempe Albertus Aretium, Ascanius Viterbium, & Fabius Senas se contulerint: & intelligere iam ex eorum literis, quòd hi duo etiamnum longo morbo conflictarentur, & essent in magno periculo. Albertus verò tandem à morbo liberatus esset. Ego verò econtra ei commemoravi, quòd Patavio postquam in patriam redijssem, Melancholia & febre quartana correptus fuissem, & cum undecimo mense tandem melius habere cœpissem, ipse mihi remedium ignarus medicinæ quæsiverim, quo morbi reliquiæ tollerentur, sed ineptum, nempe solitudinem, in qua circiter per annum vixissem, & solis studijs morbi dolores mitigassem. Cuius vitæ cùm pertæsus essem, confectis octuaginta passuum millibus navali itinere Anconam primùm, deinde Romam pervenerim: perfectisque meis rebus, iam inde reverterer. Sicque de charissimis quibusque amicis, quibus cùm Patavij vixissem, percunctatus cum gaudio simul etiam molestiam percepi, quòd tam graviter laborasse eos me absente, intelligerem. Sed ab hisce orationem ad studia, ubi convertissemus: ecquid leges tuæ agunt, Strotti? inquam, Tum ille subridens: ignoras igitur planè, inquit, me dereliquisse eas, & ad alia studia animum convertisse? Ad quæ? Philosophiæ, inquit, iam: deinde ad historias quoque venire constitui. Tum ergo, egregia sanè est, hæc tuorum studiorum commutatio, Camille, teque ac generoso tuo animo dignissima: hoc tuum institutum placet vehementer. Iamque ex ea studiorum commutatione occasione sumpta amplius colloqui, & summi illius ingenij fructus degustare instituebam: sed ecce studiosus quidam Sardus, qui nobis

nobis unà cum Clemente aderat, ex ijs quæ dixeram offensus: ego igitur & Clemens, inquit, quoniam legibus operam damus, non studia sectamur ingenuis animis digna? His ergo perturbatus & dolens quòd hominem offendissem, nesciebam equidem quo pacto hæc mea dicta excusarem, eumque mihi conciliarem. Tandem ut eius animum ab offensę cogitatione abstraherem: sermonem deflectens, an non me novisti, inquam, nobilissime vir? Non, inquit, Nec ego te sanè novi. Id nihil refert. Imò refert, inquam, ut me cognoscas virum pusillanimem, qui nullis animi motibus queat repugnare. Movēt me omnia quæ video, quæque audio: & prout diversa sunt, quæ sensibus objiciuntur, ita quoque diversis animi motibus eodem tempore rapior, quò fit, ut rarò me non stupidū videas. Magisque adhuc perturbant me illa, quæ ignoro, si de improviso occurrant: cogorque illa vel nolens revereri. Quare non mirum est, si quid nunc minùs rectè pronunciavi, cùm tot charissimorum amicorum memoriam revocarem, Camillumque hic atque Clementem recognoscerem, & te Sardum esse intelligerem, meque ipsum ad focum Bononiensem calefacerem: quæ mihi universa fortè dum vivo, nunquam prius usuvenerunt. Hic Sardus suaviter ridere cœpit, Clementemque accedēs, hic nimirum, inquit, fatuus quispiam est, quòd ad nova isthæc progrediatur. Sed ego cùm ridere eum, & mihi reconciliatum cernerem, Quare te quoque, inquam, revereor: simulque rogo ut iudices an censęas, ineptè prius à me dictum fuisse, quòd historiarum & philosophiæ studia ingenuis animis digna pronunciavi. Nec meministi quidem, inquit, quo modo prius pronunciaris. Id, inquam, fit ob stuporem, qui me postea subitò cōprehendit: cuperem tamen te respondere ad id, quod iam quæsivi, ne sit mihi opus priorem quæstionem cum labore denuò in memoriam revocare. Ad hoc, inquit, satis faciam, ne videar cum peregrinis inhumanus esse. Sæpius nos hactenus de studiorum dignitate disseruimus. Clemens motus authoritatę

Lanciloti patrui sui legum studia cæteris omnibus anteponit: cuius rei causam esse dicit, quòd hisce mundus quasi gubernetur. Camillus econtrà, ut suam studiorum mutationem defendat, sua studia reliqua dignitate antecedere asserit. Ego verò Clementis sententiam unà cum huius parte complector, & legibus simul atque historia mundum gubernari existimo: philosophiam autem vanam & inutilem cēseo, ut partim rectè partim te minus benedixisse putem. Hoc eius responsum suscepi: & cùm noveris, inquam, historiæ quanta sit dignitas, etiam historiam ipsam procul dubio novisti.. Haud dubiè, inquit. Quare fœlix ego hodie sum, inquam, qui in hominem inciderim, tum historiæ ipsius, tum eiusdem quoq; dignitatis peritissimum: sed quæso ne graveris me aliquantulũ audire. Ac cùm velle se audire, respōdisset, quid de hac re haberem: sic sum iterũ exorsus: Deus opt. max. (si tamē ita sentiendum sit, ut qui de mũdi origine sanctissimè pronunciârunt) ab initio cōdidit ex nihilo Chaos, ex eoq; postea hanc, quam cernimus mundi machinam fabrefecit: atq; eam ubi varijs ornamētis decorasset, filijs suis tradidit, alijs videlicet dijs quibusdam minorib. ut illam pro sua quisque dignitate gubernarent, si non totam, saltem aliquam eius partem. Nã quæ sunt machinæ illius partes corporeæ, sorte distributæ fuerunt. quo factum est, ut infima, infimis Dijs attributa sint, ut scilicet ea colerēt, & ex ijs germina producerēt: quòd desineret heic omnis divinitas, nec ulterius etiã cœlestium corporum lumen pertingeret. Atq; ex hoc inferiorum deorũ cultus germine nascimur nos, hoc corpore exornati, ut germinationis varietatē & inconstantiam quoad intellectu nostro fieri potest moderemur. Vt hinc appareat triplices esse qui operantur artifices, & quidē inter sese diversos, Deum nempe, qui ex nihilo mundum fabrefecit: eos qui germinationi præsunt, quiq; ex parvis initijs res in magnam molē adaugent: & homines ipsos, qui artibus suis ita res tractant, ut ex maioribus minores efficiant. Hæc dum ita recēserem, admirabatur me Sardus, simulque occul-

tè

tè ridebat. Sed faciunt quoq; homines, inquam, interdum multum ex eo quod parum est, nonnunquam æquale ex æquali, & ex nihilo quandoq; etiam multũ. Ad hæc Sardus effusè ridere cœpit, & iam video, inquit, delirare hunc hominẽ: surgensq́; à conclavi discessit. Sed ingressus est ad nos, ita favente fortuna, eodem momento Petrus Baptista Cataneus Genuensis vir nobilissimus, ut me inviseret atq; complecteretur. Quem postquã excepissem, & essemus utrinq; de nostrarũ rerũ statu sciscitati: Camillus, ne sinas, inquit, Patriti, ut nos amici tui ob Sardi offensam patiamur: sed perge quæso nobis has tuas cogitationes exponere: neq; enim intelligimus quæ dixisti, ita omnia cælare, & non nisi ænigmata loqui videris: te quoq; Cataneus noster audiet libenter. Ego quamvis ignorem de quibus differatis, inquit Cataneus, tamen ex ijs quæ ex te Camille audio, nova quædam esse conijcio, eaque expecto. Quare commemoravit ei Strottius tunc, quicquid eò usq; disputatum fuerat, rogavitq́; Cataneus, ne gravaretur institutam disputationem prosequi. Ego verò cum Sardi discessu & adventu Catanei, tum hisce alijs verbis gavisus, & tanquam animus mihi ex tenebris quibusdam liberatus esset: Nemini vestrûm, inquam, mirum videri debet, si aliquando stupidus obscura quædam atque involuta pronunciem, quæq; ne ipse quidem intelligam: fortè enim non sum ego qui illa eloquor. Iam verò cùm mihi animus, nescio qua de causa à quadam veluti nebula ereptus sit, efficiam utiq; ut me omnes intelligatis, quos ob singulares animi dotes magni facio. Heic cùm instarent, ut rem clarè explicarem, sic exorsus sum. Triplex genus artificum vobis suprà proposui, cùm non admodum essem apud me, Deum, ortus & interitus autores, atq; ipsum hominem, quos operibus à se invicem distinguo. Deus enim ex nihilo condidit hoc universum. Ortus autores, quos alij naturæ nomine comprehendunt, id quod exiguũ est, semper augent: contrà quam faciant homines scilicet, qui suis artificijs res imminuere cõsueverunt. Quamvis non-

nunquam ex nihilo multum quoque, ex parvo magnum, & æquale possint ex æquali efficere. Paulò melius nunc te intelligimus, inquit Strottius, sed explica melius quæ dicis hominem efficere? reliqua enim mediocriter tenemus. Quæ proficiscuntur ab homine talia sunt, ut vel illa efficiat aut agat, aut verbis expediat. Efficere dicitur ex ligno statuam, aut alias res, quæ à diversis artificibus perficiuntur: quibus omnibus dum rerum formas immutat, ex eo quod maius est dolando efficit minus. Atque istud, puto, intelligitis? Optimè. Et sicuti priora duo operum genera Deo, inquam, atq; naturæ tribuuntur: ita nobis istud proprium est. Et ita sunt inter sese affecta omnia, ut ipsius Dei opus præstantissimum sit, Naturæ mediocre, ipsius verò hominis vilissimum. Et ista quoque à te, inquit Camillus, optimè dicuntur. Sed in actionibus, inquam, & oratione hominis alia quædam ratio est: nam & saltare quandiu alter psallat aut diutius: & dicere quod res est aut etiam magis, id sanè difficile non est. Hæc itidem intelligimus, inquit Politus, sed ex nihilo quomodo multum efficit? Id verò, inquam, verbis perficitur, & eorum hominum proprium est, qui poëticum habent ingenium. Quo fit ut divinos olim poëtas appellârint: quòd tanquam dij quidam ex eo, quod non extat, multa effinxerint. Subrisêre ad hoc &, inquiunt, nos ob aliam causam Divinos appellari putabamus: sed de historia tandem aliquid dicito: nam à proposita disputatione nimis procul digredi videris. Tum ego veluti ex somno expergefactus, inquam paulò pòst meditabundus, atqui ad eam nos tandem redire oportet: & quamvis illa iam mihi excidisset, tamen spero quæ hactenus diximus, nobis deinceps ad institutum profutura. Historia enim, Camille, certè ipsius Dei opus non est? Non. Nec etiam naturæ? Nec illius sanè. Verùm ipsius hominis? Vtique, inquit. Sed è quo genere eius operum? inquam. num est eorum quæ facit, quę agit, aut quæ verbis expedit? Ad verba, inquit, refertur: sed quę tamen actiones explicent, aut fortè etiam illa quæ arte efficiuntur.

tur. Hæc videlicet est ingenij tui dexteritas Camille, inquam, ut antequam scisciter, respondeas: sed fuerit satius tamen ad quæsita solùm respondere. Dic enim mihi quæso verbis, an non multum sæpe efficimus ex nihilo? Vtique. Et ex parvo magnum quippiam? Ita. Aequale ex æquali, atque etiam minus ex maiori? quod tamen prius omiseramus. Sic certè, inquit, rectè dicis. Hæc verò, inquam, quo pacto sunt inter sese dignitatis ratione affecta? Eodem, inquit, modo, credo, quo prius sese habebant opus Dei, naturæ & artis humanę: ita quidem ut primum sit præstantissimum, cui ordine reliqua duo cedant, & postremum sicuti ea quæ ab arte conficiuntur, infimum sit. Rectè sanè, inquam: tertium autem genus an non advertis cum nullo priorum trium affinitatem habere? Adverto, inquit, sed nescio tamen cui proprium illud sit: nam videtur ultimo etiam præstantius esse. Rectè sentis Camille, inquam: nec multum refert, etiamsi nescias cuius sit proprium: dummodo mihi respondere possis, è quo verborum genere historia sit, num eius scilicet, quo multum ex nihilo, aut ex minori maius, aut ex æquali æquale, aut denique minus ex maiori efficitur? Obmutuit ad hæc Camillus, & cogitabundus non obscurè se istud ignorare significabat. Ego verò succurrens, an non historici officium est, inquam, verum profiteri? Sic fertur utique. Verum autem nónne tunc dixerit, inquam, cùm rem ita planè exposuerit quemadmodum se habet? certè dixerit, inquit ille. Idipsum autem est verbis tantùm efficere, inquam, quantum res ipsa est. Quare ad tertium genus verborum, ait, fuerit historia referenda. Sic utique videtur. Imò verum est, inquam, & alia quoque ratione demonstrari potest: nam minus dicere quàm res sit, imperfectum est: ex nihilo multum efficere, est Poëtarum opus: augere autem id quod minus existit, Oratoribus tanquam proprium attribuitur: quare relinquitur historico, ut verum profiteatur, & tantùm verbis exprimat, quantum res ipsa continet. Hisce consensit Camillus, quamvis ob verborum novita-

tem dubitare videretur. Ego autem minus dicere, inquam: quoniam quod imperfectum est, infimũ dignitatis gradũ obtinet: ipsaque poëtica dictio, quoniam divinum quiddam continet supremum: secundum amplificationes Oratorum: & tertio loco veræ Historicorum narrationes collocantur. Hic Camillus, qui iam bene diu suspensus tenebatur, ergo præstat mentiri, inquit, quàm verum dicere? & philosophus mendacibus Poëtis atque Oratoribus cedet? Obstupui ad hæc: nam verum mihi dixisse videbatur: nec in priori mea ratiocinatione errorem animadverteram: quare paulò pòst reduxisti me ad magnas angustias Camille, inquam, nec video, exitus ubi mihi queat patere. Nam ad philosophum quoque dices ipsam veri professionem pertinere. Sine dubio, ait. Quin potius veri investigationem, inquam. Hæc, ait, est nimis minuta distinctio. Ego verò, inquam, observatione dignã esse putabã: sed omittamus tamen si ita videatur: & an fortè hoc modo nos queam⁹ explicare consideremus. verba poëtarũ, oratorum, historicorum & philosophorũ, aut scripta sunt, aut voce pronũciata: suntq; omnia ipsorum animi conceptuum indicia, nónne? Vtique. ipsi verò animi conceptus, inquam, aut ex rebus desumuntur, aut ab ipso animo finguntur. Rectè. Philosophorum ergo atque Historicorum animi conceptus, inquam, à rebus ipsis desumuntur: Poëtarum verò atque Oratorum partim ficti sunt, partimque à rebus ipsis desumpti. Sic certè. Bene habet, inquã: non igitur dissentimus hucusque: sed mihi iam quæso, illa quæ maiorem affinitatem cum tribus Dei proprietatibus habent, an non sunt perfectiora ijs, quæ obtinent minorem? Sunt utiq;, inquit: quas autem vocas proprietates Dei? Bonitatem, inquam, qua voluit creare universa: sapientiam qua scivit, & qua potuit potentiam. Intelligo, inquit, sed quorsum hoc? Potentia, inquam, quoniam priores duas complet, sui & earum respectu perfectior est: quamvis in Deo æquales censendę sint. Sit ita sanè, inquit, non video tamen quid hinc velis concludere. Maiorem esse Poëtarum quàm philoso-

pho-

phorum atq; Historicorum potentiam, inquam: nam illi & de ijs & mundo & hominibus quicquid lubet fingere possunt: isti autem non amplius dicere audét quàm res gestæ aut naturæ rerum postulent. Sed fortè nimis minutæ tibi videbuntur istæ rerum comparationes. Ita certè sunt, inquit: deinde nihil quoq; ad propositum facere videntur. Tu ignosces tamen mihi, inquam: neq; enim ista dixissem, nisi ob angustias, in quas me coniecisti, planè obstupuissem. Sed cõsidera num me possim hoc modo explicare. Veritas ipsa ab intellectu atq; ratione dignoscitur: perpauci autẽ sunt homines, qui secundũ rectam rationem verè vivant. Paucissimi, inquit. Plurimi verò sunt econtrà, inquã, qui pravis affectibus & concupiscentiæ dediti sunt. Proculdubiò infiniti. Nec dubium est, quin Poëtæ & Oratores suis scriptis animi affectibus inserviant: sicuti econtrà Historici & Philosophi rationem suis studijs atq; intellectum excolunt. Rectè, inquit. Quo fit, inquam, ut hi in paucorũ manus pervenire debeant: illi verò ad commovendum mundũ aptissimi sint. Sic est, ait. sed quid subrides? Vix iam risum, inquam, aliquandiu cõtinere potui, quòd admirari satis nequeã, quid me spiritus cogat nunc, ut de re mihi ignota, ita temerè & ineptè disseram. Nam hæc de historiæ dignitate quæstio, ex eorum est numero, quæ ego planè ignoro: quo magis censeo importunũ fuisse nobis Sardi discessũ: quoniã enim ille noverat ista perbellè, potuisset nos facilè ex hoc Labyrintho educere, unde mihi iam nusquã eius videtur patere exitus quòcũq; me convertam. Quare rogo te, ut aut omittamus planè istud negotiũ, aut aliquid temporis ad deliberandũ assumamus. Faciamus ut lubet, inquit Camillus, & ubi paulũ cum Polito & Cataneo fuisset colloquutus, perpaucis, inquit Cataneus, potest hæc quæstio explicari, Patriti. Quæso igitur explices, inquã, & animũ mihi ex hac confusione eripias. Nam amplectẽda fuerit Ciceronis de hac sententia, inquit, qui historiã scribere, Oratoris opus esse dicit, quo fit, ut eiusdem dignitatis utrũq; censeat. Amplexurus erã Ciceronis autoritatẽ.

tunc: sed Camillus occurrens statim, Cicero heic erravit, inquit, motus authoritate Theopompi, qui cùm esset Orator, transtulit in historiam ornamenta oratoria, quæ ab Isocrate præceptore didicerat. Idemque accidit etiam magno illi Critico Halicarnasseo: quare nihil est sanè quod dicis Catanee. Hisce perculsus Cataneus, quomodo, inquit, nihil est? Quoniam sic esset Historico discedendum extra veri limites, inquit Camillus, & maius ex minori efficiendum: contrà quam suprà didicerimus. Sed quid vis ex Halicarnasseo inferre? inquit Cataneus: Diversas esse Sartoris & Tonsoris artes, inquit Camillus, & oportuisse Halicarnasseum distinguere Oratores ab Historicis. Cataneus contrà, istud ego relinquo, inquit, sed hoc dico, leve admodum esse quod iam attulisti: nam videmus præstantissimorum Historicorum (cuiusmodi fuêre Livius, Thucydides, Salustius & alij plures) scripta orationibus esse referta: quas Oratorum esse nemo certè negaverit. Prætereà etiam continere laudes, vituperia, accusationes, defensiones, aliaq; quamplurima, quæ oratorum propria sunt. Camillus hisce commotus derepentè, succurre, inquit, Patriti, mihi, tibi & veritati. Ego verò, nescio cuius spiritus afflatu, libenter, inquam, Camille, succurrerem, sed cùm descenderitis in disputationem iam de quibusdã singularibus historicis, ijsq; celeberrimis, metuo herclè, ne si eos læsero, pœnã cogar subire gravissimam. Nescis enim sæpe antiquitùs accidisse, ut qui graviter contra pios & excellentes viros deliquissent, furijs pessimè agitati fuerint? Scio hoc, inquit, sed quid tum? Quòd nolim de singularibus illis ac celeberrimis viris disserere, ne si famam eorum atq; existimationem, quã summis laboribus pepererunt, fortè læderem, ipsi indignati me furijs agitarent, & alterum Orestem efficerent. Tu ergo, inquit, ob hunc vanũ timorem, & meæ & veritatis defensioni deeris? Neutri deero, inquam, dummodo mihi nullus sit voce cõpellandus. Interea te Clio, omnis historię mater venerãda precor, ut quoniam & tuo afflatu & Camilli huius precibus cogor

de

de historia, quòd tu suggesseris pronunciare, eorum iram temperare velis, quos fortè inter dicendum læsero. Donec ego me ipse purgare, & meum crimen sacrificijs solennibus, & purissimo thure expiare queam. Rectè habent, inquiunt omnes, hæ tuæ preces, quamobrem perge, & ea de quibus dubitamus, expone. Tũ ego, vos heic primũ confiteri oportebit, inquam, num certò statuatis, Historici propriũ munus esse, ut verũ profiteatur. Sine dubio est, inquiunt omnes. Et qui verum dicere volet, rem gestã ita planè narrabit sicuti habet. Sic sanè, inquiunt. Itaq; nequaquam erit Orator, nec orationes scribet, nec aliud oratoriũ munus obibit historicus. Ecquomodo pugnãt ista cũ veritate? inquit Cataneus. Docebo, inquã, Non dicebas tu prius orationes oratorum opus esse? Dicebam. Eosq; verbis ex eo quod minus est, maius efficere? Ita. En tibi igitur, quomodo orationes veritati, quæ debet historico proposita esse repugnẽt. Hoc, inquit Politus, habet aliquam speciem: satius tamen esset alio modo demonstrare. Rectè, inquam. Audite igitur quæ mihi Clio atq; Polymnia suggerunt. Qui magis dicit quàm res ipsa sit, is aut rem amplificat, aut ei aliud quiddam adiungit, sive verum sive falsum, aut ex utroq; mixtum fictumq; sit, nec veluti pars ad rem quæ narratur, pertineat. Quod ut melius intelligatis, sic accipite: primi generis sunt rerum amplificationes, quas historijs inserunt duorum deorum, qui cordibus nostris tyrannico imperant iussu, Odij scilicet & Amicitiæ, quorum alter augere, alter res gestas semper extenuare consuevit. Ad secundum genus pertinent primùm, quæ gesta narrantur, quamvis nunquam acciderint, quæ proinde falsa sunt. Deinde multæ inter cętera finguntur orationes: cuius rei manifestum argumentum est, quòd nequaquam ita loquuti sunt olim Romani, quemadmodum eos quidam recentiores historici loquentes introducunt: nec Lacedæmonij ea utebantur oratione, quam illis Atheniensis quidã attribuit. Intelligitis hæc clarissimi viri? Intelligimus, inquiũt. Sunt præterea fabulæ quædam, inquam, quas aliqui

ac si vera essent, commemorant, cuiusmodi multa sunt, quę de Aethiopibus, Indis, Hyperboreis, alijsque narrantur. Sic est certè, inquit Politus. Ab historia deinde removenda censeo, quæ non pertinent ad rem, quæ suscipitur describenda. Vt si in principio aut medio alicuius belli historię, quædã recenserem, quæ à re proposita lõgissimè remota essent. Hoc, inquiunt, non intelligimus, oportebit manifestius explicare. Accipite exemplum, inquam. Si rem Ciceronis tempore gestam susciperem describendam, eiusq; exordium à principio Romanæ urbis sumerem, aut aliquid, quod Iugurtæ tempore esset in Africa gestum, narraturus, de primis eius regionis incolis quippiam admiscerem: hæc omnia, & hisce similia esse possunt, quæ ad præsens institutum nihil facerent, sed amplificationis & delectationis gratia tantùm ponerentur. Tum Cataneus, suntne etiam historici, inquit, qui hæc historijs suis inseruerint? Sunt, inquam, & quidem celeberrimi, quos tamen furiarum metu non nomino. Tam es timidus videlicet: sed perge tamen, inquit. Non sunt etiam historiæ partes, inquam, censendæ, quæ de rebus longè alio tempore gestis, nostri temporis historijs immiscentur: quale esset utique, si in vita Cimonis Atheniensis, Damonis Peripolitæ cuiusdam corporis atque animi virtutes enarrarem, & quæ is earum causa pertulisset, Cimonis vitæ insererem. Aut etiam, si in Leonis X. summi Pontificis vita, Gasti Foissei res gestas enarrarem, aut Brixiæ oppugnationem, aut prælium ad Ravennam commissum. Næ tù ista accuratè inquiris, inquit Cataneus. Non ego sum, inquam, sed Clio, quæ mihi afflatu suo ista suggerit: & quosdam prætereà esse affirmat, qui in vitæ alicuius descriptione omnia illa enarrant, quæ eo tempore evenerunt, quamvis nihil ad eum, de quo vita scribitur, attineat. Hoc verò, inquit, perabsurdum est. Perabsurdum sanè, inquam. sed tamen fit à quibusdam, & quidem celebribus. Vt ut autem res habeat, ab historiæ partibus certè etiam sunt reijcienda alia omnia, quæcunque, etsi fortè ve-
ra

ra sint: tamen non faciunt ad historiæ finem, ipsam videlicet bene beateque vivendi rationem. Cuiusmodi sunt illa? Signorum, inquam, armorum coloni & eiusmodi alia ornamenta corporis sui equorumq; muniendi rationes. & quæ sunt eius generis res nimis minutæ. Ineptum est etiam rumores commemorare, qui vulgò sparsi sint, de rebus quæ geruntur, & maximè ubi non causa sunt alicuius rei memorabilis. Quod proinde vitium ijs peculiare est, qui suorum temporum historias scribunt: sicuti etiam adulatio. Verum est, inquit, & fortè etiam alia. Sed nihil dicimus, inquam, de ijs, qui invidia quadam silentio prætereunt multas res præclarè gestas. Illud verò vituperio dignissimum est. Et cùm alij, inquam, de re narrata suum iudicium interponunt, ut alium scriptorem reprehendant, an non à cursu historiæ digrediuntur? Vtique. Heic ego, quòd nescio quid mihi accidisse videretur, subitò obmutui. Camillus autē, ecquid tibi accidit Patriti, inquit, quòd ita obmutueris? Clio, inquit, afflatu suo me cogere velle videtur, ut quod reliquum est adhuc explicem: sed quoniam vitium est, magni cuiusdā ac celeberrimi viri, malim id subticere, ne in eam, quam dixi pœnam inciderem. est enim quidam magni nominis historicus, qui de rebus, quas enarravit sæpenumerò philosophicè ratiocinatur. Polybium videlicet intelligis. Et tuum erit, inquam, subitò, si quid periculi immineat, subire: quoniam eum nominasti. Isthæc, inquit, mea cura sit. Sed quo pacto damnare potes hasce tanti viri tam egregias, & ad civilem vivendi rationem tam utiles disputationes? Ita est Camille, ut dicis, & meritò mihi id obijcis: sed erravi ego prius, quòd alteram historiæ legem non adiecerim, qua huiusmodi digressiones caventur. Quæ est illa? & quomodo secunda? Quoniam historico necessum est, inquam, res veras narrare: easque ab hominibus gestas: & quæ ad bene beatéque vivendi rationem exemplum præbere queant. Secunda ergo, quæ historico præscribitur lex, non Polybium modò, verùm

etiam alios, qui tale aliquid faciant, coarguit. Dum enim res gestas enarrant, manent intra limites historici: sed ubi rerum causas & rationem scrutantur, philosophi munus obeunt. ego verò cuperem, inquit, omnes historicos, quiddam philosophicum, uti Polybius, obtinere. Id, inquam, ego parvi facio. Sed quid de collocatione sentis, inquit, quæ in historia servari debeat? Nunc quidem nihil propter timorem videlicet periculi, quod impendere mihi queat, si quem historicum voce fortassis læsero. Vsque adeò ne uti lepus timidus es? inquit Cataneus. Dic saltem aliquid in genere: cùm tot disputationes de ea nostro tempore audiamus, contrà scilicet quàm ab antiquis factum sit, qui tam parvi hanc rem faciebant, ut ne verbum de ea protulerint. Quin potius tam æstimarunt difficilem, inquam, ut non ausi fuerint de ea differere. sic enim primo intuitu apparet certè. Nec ausim ego quoque negotium aggredi, ni Clio novo afflatu me excitet. Et videor certè aliquid sentire. Quapropter exordiaris rem aliquando, inquit Camillus. Tum ego spiritu plenus, cùm de historiæ dispositione sciscitaris, inquam, quæris videlicet, quo ordine in ea res gestæ debeant enarrari: & collocare vocas, dum hæc res hoc, altera alio loco certa serie commemoratur, nónne? Sic sanè. Cupis autem, inquam, ut heic de omni collocationis genere, quam cùm cæteris in rebus tum in artibus, scientijs, & orationibus servare oporteat, an de sola historiarum dispositione? De hac sola, inquit Cataneus: mirus homo mihi videris, qui ab hisce levibus ad universalia illa velis transire. Et meritò, inquam: sum enim hoc divino afflatu repletus, non secus atque grandior pila, quæ in aërem iactatur. Et proinde, inquit Politus, meritò loqueris poëticè, si Musarum spiritum habes. Sed necessum est, inquam, ut historicus unam quampiam rem gestam, aut plures describat. Ac si plures sunt, aut continua serie cohęrent, ut quæ ab uno imperio gestæ sint: aut gestæ à diversis nationibus, sed quæ in unum finem referantur: aut diversæ & nullo modo

cohæ-

coherentes. Fortè primi generis esse dices Livij historiam, Polybij secundi, & tertij quam Diodorus scripsit? Fortè, inquam, in ijs quæ plures res gestas comprehendunt: si autem unam tantùm contineat, oportet eam vel simplicem esse, & nullas partes habere: cuiusmodi fuit superioribus annis expugnatio Rhodiorum. Aut partes quasdam habere, insignes quasdam actiones. Hoc, Camillus, quomodo, inquit, intelligendum est? Sicuti, inquam, fuêre Annibalis in Italiam expeditio, itéque Asdrubalis: & postea Scipionis in Italiam & Africam, ac si quæ aliàs hisce similes fuêre. Bene habet, nunc intelligimus, inquit Cataneus, quid velis. Iam verò si historico simplex quædam res gesta enarranda sit, eo ordine atque ita planè commemorari debet, sicuti est gesta. Nec istæ tantum, inquit, verùmetiam quæ partes quasdam insignes habent, & item reliquæ omnes. Sit ita sanè, si ita videatur. Sed considera tamen, quòd modò in mentem mihi venit, verè enarrari posse Rhodiorum obsidionem, sicuti successit, & tamen attributorum ratione confundi. Vt si quis primò militum numerum, totumque exercitum, armaque & instrumenta bellica describeret: deinde causam commemoraret, propter quam ea suscepta esset expeditio, tum locum describeret: postea eius rei authorem explicaret, & modum quo in obsidione usus esset: ultimò, quis successus eventusque belli fuisset, & quo tempore gesta hæc res esset, exponeret. Nónne enim sic etiam posset enarrari? Posset equidem, inquit Strottius, sed neque cum laude scriptoris, nec cum lectoris emolumento: nam & res ipsa confunderetur, & perturbaretur lectoris ingenium, quod alioquin semper distincto ordine in discendo indiget. Rectè sentis Camille, ut mihi quidem videtur: sed hoc quæso dic mihi, an vera cognitio ex rerum gestarum ordine, an ordo potius ex recta cognitione oriatur? Hæc proculdubio ex illo, inquit. Qui ergo rem gestam ordine enarraverit, is lectoris ingenium, ut melius cognoscat adiuvabit. : qua-

re omnis lapis historico movendus est, ut res distinctè atque ordine commemoret. Sic sanè. Sed consideremus iam quæso, inquam, num necessum potius historico sit, si res distinctas inveniat, sicuti sunt, ordine commemorare: an si confusæ fuerint, in ordinem distribuere? Rectè hæc à te instituitur divisio: est enim utrumq; necessarium. Facilius autem esset res distinctas invenire, inquam, & melior quoque is ordo foret eo, quem sibi scriptor effingat. Vtique. Sed an non, inquam, considerandum nobis est etiam, Vtrùm natura ordinem quendam rerum attributa contineant, an casu atque fortuitò eveniant omnia? Sic sanè, inquit Cataneus, considerandum omninò est. Atque hæc, inquam, cum sint Autor, Occasio, Tempus, Locus, Modus agendi, atque Instrumenta: quæso, an idem de ijs atque ego sentis, id, nempe primarium esse, ex quo reliqua omnia nascuntur? Istud, inquit Politus, proculdubio verum est. Quare, inquam, ex Autore pendent reliqua omnia: nam & res ipsa ab eo geritur, nec potest aliorum quicquam sine eo evenire. Ipse enim occasionem arripit: de re gerenda deliberat, assumptis instrumentis in locum ad rem gerendam idoneum proficiscitur, & hic denique pro natura loci, & aliarum rerum diversitate, de modo agendi consultat & perficit: nam in harum rerum administratione, rem gestã consistere rectè dici existimo, quæ ubi perfecta est, eventum extremitati quasi adhærentem, consequitur. Num ita vobis omnibus res habere videtur? Videtur omnino, inquiunt. Ergo, vel nihil tale cogitantes inquam, invenimus quo ordine enarrari in historia debeant rerum gestarum attributa. Quomodo? Vt, inquam, Autor primũ locum obtineat, secundum occasio, deinde ordine sequantur instrumenta, locus, modus agendi, ipsa actio, & successus. Et hic quidẽ ordo aut semper aut plerunque certè fuerit observandus. Mihi certè, inquit Politus, hæc ita habere videntur. Strottius verò cõtrà, tẽpus autẽ Patriti, ubi remansit, inquit, quòd in hac rerum serie non appareat? Tẽpus

inquam, mihi quiddam videtur, quòd nō aliter ex cœli motu generetur, atque ex aranea & bombyce telæ & serica fila, quibus involvuntur. Dum enim in gyrū iam per multa secula fertur, temporis denso tegmine involvitur: à quo cùm ipsum tegatur, cooperiuntur quoq; reliqua omnia quę cœlo cōtinentur. Intelligo hæc, inquit, sed quorsum dicuntur? Quoniam mihi eodem quoq; modo, inquam, tempore tecta videtur, Autor, Occasio, Actio, & reliqua rerum attributa, nec in una sola re, sed in omnibus quæ in hoc orbe terræ gestæ sunt, geruntur, aut deinceps per multa annorū millia gerentur. Ex hisce nondum te intelligo. Fortè, inquam, quòd nesciam explicare quæ sentio. Conabor tamen apertè dicere. Tempus inter cętera rerum gestarum attributa, quem locum obtinere debeat ignoro: sunt enim illa omnia in tempore. Rectè, inquit Camillus, tempore sunt omnia instituta: sed cogita aliud atque aliud esse tempus singulorum, non secus atque alia vestis parte teguntur in homine humeri, aliaque brachia, pedes & aliæ partes singulæ. Iam video, inquam, te intelligere: nempe diversum esse singulorum attributorum tempus. Quare si velit historicus, in enarranda simplici aliqua re gesta, naturæ ordinem sequi, Autorem primò, deinde occasionem explicabit, tum apparatus & instrumenta bellica describet: postea locum, & modum agendi exprimet: & ultimò enarrabit actionem ipsam atque successum. Tempus verò, quoniam communis quædam vestis est hisce omnibus, in singula dividet, ut nulli, quo vestiatur, deesse queat. Ita sanè, optimè dicis, inquit. Atque hoc quidem modo, inquam, si historicus rem gestam enarraverit: non verum modò dixerit: sed etiam distinctè explicaverit, effeceritque ut qui volet, rei cognitionem quàm facilimè consequatur. Ista tamen an non sufficiunt iam, de simplicis rei gestæ dispositione? Sufficiunt, inquit, utiq;. Sed dum iam eas res gestas intueor, inquam, quæ pluribus partibus constant, ex eodem principio natis: aut quæ alioquin in

eundem finem tendunt, obstupesco planè. Primùm enim rerum, quæ primariæ partes sunt, & eodem tempore geruntur, nescio herclè quænã prius ab historico posteriúsve collocari debeat. Da nobis exemplum, inquit Cataneus, neque enim intelligimus quę dicis. Tale esse potest, inquam, bellum Punicum, in quo, Annibale per Italiam exercitum ducente, Romani P. Scipionem in Hispaniam miserunt, qui, dum ille in Italia Romanos prælio superavit, rem adversus illum præclarè gessit. Itemque Romanis in Sicilia adversus Carthaginenses pugnantibus: Cleomenes Achæos in Peloponeso oppugnabat: & dum Themistocles in fugam Xerxen conijceret, alia in Aethiopia gerebantur. Intelligis iam? Nondum sanè. In historia, inquam, quæ diversas res, alijs atque alijs locis gestas comprehendit: non est illa series qua alię naturali lege præcedere, aliæque sequi debeant: quum eodem tempore gestæ esse intelliguntur: neque enim alioquin difficilis esset earum collocatio, si diversis temporibus evenissent. Ita est sanè ut dicis. Sed quæ ratio, inquam, collocandi erit in historia rerum diversarum, quæ ab historico ad unũ quempiam finem referuntur, qualem videlicet prius esse dicebas Polybij, & præsertim in prioribus libris? Si enim eæ res, nulla alia, quàm temporis cognatione cõtinentur, quod commune ipsis est, quid coget historicum hasce res hoc, illas alio loco enarrare? Nihil sanè, inquit Strottius, velutique neque in ijs, quæ primariæ alicuius res gestæ sunt partes: si modò aliæ alijs non prębeant originem. nam alioquin semper illæ præcederent. Ita in hisce enarrandis, inquam, sive res gestæ sint distinctæ, sive alicuius primariæ partes, cùm non sit ordo naturalis quem observare cogamur: in nostro arbitrio certè positum erit, si confusè nolimus commemorare, eas, in ordinem qui nobis placeat, distinguere: veluti etiam integras eas, aut in partes distributas recensere. Ita sanè, inquiunt, verum satiúsne fuerit integras eas, an divisas in partes narrare? Id, inquam, considerabimus nunc, ab eo exorsi, quod

prius

prius dicebamus, Proprium historici munus esse, veritatem pronunciare: quæ ut facilius cognoscatur, res esse ordine explicandas: posse enim verum & sine ordine dici, sed doceri atque intelligi nequaquam. Quapropter si res melius addiscuntur dum narrantur integræ, quàm in partes distributæ, illo, non hoc modo fuerint explicandæ. Rectè hæc in genere præcipiuntur, inquiunt, sed vellemus ut clarior esses, & hæc melius distingueres. Faciam, inquam, & primò quidem de ordine differemus diversarum rerum, quæ ab historico in unum quempiam finem referuntur: postea de ijs, quæ unius alicuius Primariæ partes sunt. Vt libet, inquiunt. Et mihi certè videtur, inquam, sicuti quæ sub sensum oculorum cadunt, melius integra cognoscuntur, quàm divisa in partes, & veluti Absyrtus discerpta, & res quaslibet si integræ narrentur, manifestiores esse, veluti id apparet ex multorum attributorum concursu, quæ simplex aliquod factum comitantur, simulque commemorata, id magis dilucidum reddunt. Rectè dicis, inquiunt, cùm autem multa facta ac veluti dispersa, ab historico, ut melius ediscantur, in unum corpus reduci debeant: facilimè proculdubiò fiet id per tempus: nam sola temporis affinitate continentur, solumque ijs commune est. Videlicet, inquam, ut quæ magis ratione temporis conveniant, minus in historia separentur. Ita. Erit ergo, inquam, dilucida maximè narratio, si quis commemoret, hoc temporis momento tale quiddam in Achaia, & tale in Sicilia gestum esse: sicque deinceps quæ singulis momentis in diversis orbis terræ partibus gesta sunt, contexeret. Neque enim res magis convenire possunt temporis ratione, quàm si, quæ singulis horis, diebus, mensibus aut etiam annis gesta sunt, coniungerentur. Nec sic quidem, inquiunt cæteri. Cataneus autem, nec tempus, inquit, nec aliud quicquam esse puto, cuius ratione res melius coniungantur, quàm si totum id scriptoris arbitrio permittatur.

Si quis autem, Catanee, historiam de diversis rebus scripturus, te, inquam, amicissimè rogaret, ut eum edoceres, ex ijs quę fortè eodem tempore gestæ sint, quas primò & quas secundò enarrare deberet, ecquid esses suasurus? aut num esses tam honestæ petitioni quicquam denegaturus? Non equidem, inquit, si scirem, sed quì possem ego eum edocere, cùm nos omnes iam bene diu de hac re disserentes, id invenire nequeamus? Ego verò, inquam, cernere mihi videor rationem, qua possit huic quæstioni satisfieri: adeste mihi, & totum id, quod adhuc dubium est apud vos, expediam. Faciemus, inquit Strottius, & quidem diligenter. Atq; hinc ego exordiar, inquam, quòd non solum tempus historiam dilucidam reddit: annotari tamen id quoque oportet, ut non ignoremus quando res quælibet gesta sit. Et cùm binæ res possint quidem eodem tempore geri, non autem eodem ab historico commemorari: una prius & posteà altera enarranda est integra: quoniam sicuti Absyrtus discerptæ difficilius cognoscuntur. Sed quì scire poterit lector, hasce res eodem tempore gestas fuisse? Nimirum, inquit Camillus, si id historicus expresserit, principio, aut etiam fine narrationis. Optimè dicis, Camille, si omnino agendum fuerit, inquam, nec superest aliud de historia qua diversę res continentur. In ijs autem rebus gestis, quę Primarię alicuius partes sunt, quænam erit collatio? Id, inquit, ignoro. Eadem nimirum quæ superiorum, inquam. Nam etsi ad Primarium aliquod caput, sicuti partes belli Punici referuntur: tamen sunt ipsæ etiam res gestæ, & necessum erit hìc itidem unam, deinde alteram enarrare, pro scriptoris arbitrio, tempusque etiam semper annotandum. Quod proinde intelligendum est de ijs omnibus, quæ tum ab una, tum utraque parte ab adversarijs geruntur. Quomodo? Vt si Romani, inquam, eodem tempore, & in Sicilia & Hispania præclari aliquid gessissent. Rectè, intelligimus. Cùm autem illa quæ utrinque geruntur, unum sunt, veluti

cum

cùm insigne aliquod prælium committitur, quomodo fuerit id rectè enarrandum? Ignoramus sanè, inquiunt. Videlicet, inquam, ut sumpto initio, ab altero adversariorum, narratio aliquousque deducatur: deinde repetatur quod ab altero geritur, & usque ad communem hunc terminum enarretur. Sed quod nobis eius rei exemplum dabis? inquit Strottius. Ego verò, dum mecum de exemplo cogitans, aliquandiu sustitissem: ecce ingrediuntur ad nos studiosi quidam amici: quorum adventu colloquium nostrum interrumpitur.

***

FINIS.

IOANNIS IOVIANI PONTANI ACTIVS Dialogus.

CAEPARIVS, ET SEGNITIVS, ET Actius colloquuntur.



PASCVTIVS Caulita, Pasculli Caulitæ filius, Sarnensis, Sarcularius, cum Pignatia Nigella, quæ viro suo nunc hic adest, & suo & uxoris nomine vẽdit Segnitio Funestillo, Acerrano viatori, qui ipsius emit sibi, liberis, nepotib⁹ pronepotib⁹, abnepotibusque suis cum omni posteritate domunculam. SEG. Adde illud, & anteritate: utraque enim parte anteriore, ac posteriore domus constat. CAEP. Cautè agito mi Caulita. Ea domuncula. SEGNITIVS. Mater eius Macronilla non domunculam, sed democulam verbo suo nominabat. Quo enim die Severatus Pasculi pater in illam ab harula demigravit cum familia & sue, oculum male auspicatò ingressus amisit. CEP. Scite, caute, averuncate, admones, pergam. Sita est Sarnensi in suburbio secundum flumen. SEG. Atqui proverbio cavetur, secundum flumen emundum non esse. CAEP. Rivum volui non flumen dicere, evincet tamen illam tibi cũ omni quoque posteritate Pascutius. SEG. Et anteritate quoque memor uti suas facito. CAEP. Tribules, ac vicinos bonos habet Pilutium Rufillum. SEG. Grex mihi suillus venum si daretur, pilus hic nequaquam placet. CAEP. Senex est, & cassus iam sanguine, institutus illi est hęres Hordeatius Panicocta, & quidem bene auspicata successio. pergam. Cocleatium quoque

que Surriponem, &c.

Reliqua præterimus tanquam ad historiam non pertinentia, sed ad poesim, usq; ad historiæ tractationem, quam ita author sequitur:

Hæc habui quæ dicerem in universum de Poësi & Poëtis, & tanquã vobis innuens qui unà hìc adestis, significare. Reliquũ est, quoniã historiam, poëticam penè solutã esse quandam de maiorũ autoritate dixi, ut quoad vires meæ tulerint, & locus hic patitur, talem esse eam exemplis quoq; ipsis edoceam. Licet autem in Livio, Salustioque historiæ Romanæ principibus, diversa splendescant claritate quæ historia digna sunt lumina, dicendique in altero maiestas heroica penè quædam emineat, atque uterq; fuerit poëticæ admodum studiosus: cùm ille poëticis non solùm numeris scripta sua, verùm etiam integris quandoque exornet versibus, hic Empedoclea in Latinũ, ut Aratea Cicero converterit, neque poëticis abhorreat à figuris: Tamen Livius in plurimis oratori similior est: Salustius verò historicis tantũ legibus ubiq; videtur addictus: Vterque tamen opus suum poëticis auspicatus à numeris, ille à semiversu dactylo, qui est, Facturus me operæpretium: hic verò alter ab integro hexametro, Iugurtina in historia: quem tamen ita refersit spondeis, præterquam quarto in loco, ut vix agnoscatur esse hexameter: gravitatem tamen illã spondaicam retinuit, inquiens, Bellum scripturus sum, quod populus Romanus. quæ verba heroicum senarium, gravem quidem numeris, verbisque maximè accommodatis constituunt. huius igitur exemplis si utar familiarius, vestrûm quidem mirari debuerit nemo. Igitur cũ in unaquaq; ad dicendum suscepta materia primùm sit Poëtæ officiũ, proponere qua sit de re explicaturus, quod quidem docuit Virgilius, cùm dicere est orsus:

Arma virumque cano. ——

Idem à Salustio servatum intelligo cũ & ipse quod paulò est antè dictum, cœpit, Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurta rege Numidarum gessit: Atque ut ille causam susceptæ à se mate-

riæ ſtatim aſſerit, difficillimos ſcilicet Aeneæ errores, bellumque ſummis viribus, maximis etiam periculis ab illo adminiſtratum, poſt quos eventus, multiplicesque ſucceſſus, urbs Roma eſſet condita. hoc enim verſus illi præſeferunt:

—— Multum ille & terris iactatus & alto.

Sic & hic ipſe Saluſtius ſuſcepti cauſam reddit operis, inquiens: Primùm, quia magnum & atrox, variaque victoria fuit: deinde, quia tum primùm potentiæ nobilitatis obviam itum eſt: quæ contentio divina & humana cuncta permiſcuit, eoque vecordiæ proceſſit, ut ſtudijs civilibus bellum atque vaſtitas Italiæ finem fecerit. Quid Livius ab exordio quamprimùm ſecundi belli Punici, nónne heroico quaſi quodam cum ſupercilio ait: In parte operis mei licet mihi præfari? quòd in principio ſummam totius profeſſi plerique ſunt rerum ſcriptores, bellum maximè omnium memorabile, quæ unquam geſta ſunt me ſcripturum, quod Carthaginenſes Annibale duce cum populo Romano geſsêre. Nam neque validiores opibus ullæ inter ſe civitates gentesque contulerunt arma, neque ijs ipſis tantum unquam virium ac roboris fuit, & haud ignotas belli artes inter ſe expertas primo Punico conſerebant bello: & adeò varia belli fortuna, ancepsque Mars fuit, ut propius periculo fuerint qui vicerunt. Altiores quoque repetitiones, præſentique ab negotio longius remotarum rerum ſuſceptæ enarrationes, & poeticæ, & hiſtóricæ facultatis inter ſe neceſſitudinem quaſi quandam arguunt. Declarant hoc & Virgilius, & Saluſtius, alter cùm exorditur:

—— Rex arva Latinus, & urbes
Iam ſenior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. ——

Alter cum Iugurtino in bello poſt redditas ſuſcepti

pti à se operis causas, repetendo incipit: Bello Punico secundo, quo dux Carthaginensium Annibal post magnitudinem Romani nominis, Italiæ opes maximè attriverat, Masinissa rex Numidarum in amicitiam receptus à Publio Scipione. Et in Catilinario: Vrbem Romanam, sicuti ego accepi, condidere, atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabãtur. Adhæc, quid cognatius, quàm quod uterque & Poëta, & Historicus affert in medium causas, edisseritque rationes antè quàm enarrare, quã subscribendam suscepit rem, incipiat? In ipso Virgilius initio explicat errorum ac laborum Aeneæ causas, ac Iunonis irarum.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni,
Carthago——Vsque ad eum versum:
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Et Livius: Odijs propè maioribus certatum est quàm viribus, Romanis indignantibus, quòd victoribus victi ultrò inferrent arma, Pœnis quòd superbè, avareque crederent imperitatum victis esse, quæque alia de Annibalis indignatione referuntur, ob Siciliam, Sardiniamque amissas. Idem quoque indicant descriptiones locorum, gentiũ, morum, legum: quod & ipsum Sallustius docuit, cum dixit: Res postulare videtur, Africæ situm paucis exponere, & eas gentes quibus cum nobis bellum aut amicitia fuit, attingere. Et Virgilius:

Est locus Hesperiam Graij cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.

Quid autem solutæ poëticæ tam simile, quàm Livianum illud? Ea que uti rata scirent fore, agnum leva manu, dextra silicem retinens, si falleret, Iovẽ cæterosque precatus deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset, & secundum precationem caput pecudis saxo elisit. Quid tempestatis illa nimbique explicatio? Deinde cum iam spiritum

includeret,nec reciprocare animã fineret,aversi à vento parumper consedere. Tum verò ingenti sono cœlum strepere,& inter horrẽdos fragores micare ignes, capti auribus,oculis,metu omnes torpere. Nam quid per Musas ô viri optimi & omni est parte magis illo poëticum? Ex propinquo visa montium altitudo,nivésque cœlo propè immistæ, tecta informia posita in rupibus, pecora, iumentaque torrida, frigore homines intonsi,inculti,animalia inanimaliaque omnia rigentia gelu,cætera visu quàm dictu fœdiora. Vtque poeticum omnino possit dicere heroicis etiam numeris res ipsa clauditur: Ingentemq; fugã stragemq; dedissent.Fuit enim omnino poëticus Livius in toto trãsitu in Italiam Annibalis describendo, & eũ ipse tum viros equosque transeuntes Rhodanũ describit ingenti sono fluminis, clamore vario nautarum ac militũ,& qui nitebantur perrumpere impetum fluminis,& qui ex altera parte ripæ transeuntes suos hortabantur. Tũ etiam elephãtes quibus primùm erat pavor, cum solutę ab cæteris in altum raperentur, ibi urgentes inter se,cedentibus extremis ab aqua,trepidationem aliquã tum edebant,donec quietem ipse timor circumspiciẽtibus aquam fecisset. Animadvertite adhuc quæso, quibus Annibal milites affatur verbis: Mirari se quinam pectora semper impavida recens terror invaserit,nullas profectò terras cœlum contingere, coli alpes,gignere atque alere animantes,eos ipsos quos cernant,non pennis sublime claros,alpes transgressos,ne maiores quidem eorũ indigenas, sed advenas Italiæ cultores ingentibus sæpe agminibus cum liberis ac coniugibus migrantium modo,tutò transmisisse.Romam orbis terrarum caput petentibus, quicquam adeò asperum atque arduum videri,quod inceptũ moretur? Quid cum ait, Equi maximè infestum agmen faciebant,qui & clamoribus dissonis,quos nemora repercussæq; valles augebant,territi trepidabant, & icti fortè aut vulnerati adeò costernati sunt,ut stragẽ ingẽtem simul hominũ ac sarcinarum omnis generis facerent? Quid etiã? cum cædendum esset saxum illud, arbori-

boribus circà immanibus dictis detruncatisque struē ingentem lignorum faciunt, eamque cum & vis venti apta faciundo igni coorta esset succedunt, ardentiaq; saxa infuso aceto putrefaciunt, ita torridā incendio rupē ferro pandūt molliuntq; anfractibus mollibus clivos. His haudquaquā grādiora plenioraque apud Virgilium leguntur, ubi Aeneam ab Antandro in Italiam devehit, per tempestates, scopulos, Harpyarumq; portenta, ac Cyclopum, ne cum ipse quidem ait:

Vastumque cava trabe currimus æquor.
Postquam altū tenuere rates, nec iam amplius ullæ
Apparent terræ: cœlum undique & undique pōtus.

Aut cum:

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira Deum Stygijs sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies uncæque manus, & pallida semper
Ora fame. ——

Néve cum intonat:

Hæc loca vi quondam & vasta convulsa ruina,
Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas,
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque & urbes
Littore diductas angusto interluit æstu. Aut cum:
Horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo & candente favilla,
Attollitque globos flammarum, & sydera lambit.
Interdum scopulos, avulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat fundoque exæstuat imo.

Quid quòd hic idem Livius quasi gemmis quibusdam, nunc verbis omnino poëticis, nunc figuris ac numeris, insignit orationem, atq; illustrat historiam? ut cum ait: *Anceps Mars.* Et: *Agitare animo bellum.* Et: *Tela micare.* Et: *Dempto hoc fulgure nominis Romani.* Et: *Circumferebant ora oculosque.* Et: *Pandi agmen cœpit* Et: *Non manes, non stirpem eius conquiescere viri.* Et: *Hunc*

iuvenem tanquam furiam facesque huius belli. Et: *Inde equitum certamen erat.* Et: *Hæc ubi dicta dedit.* Et: *Cum Pœnis bellum pro nobis suscipiatis.* Ex his itaque perpaucis, quanquam videri hæc ipsa multa quidem testimonio atque autoritate possunt sua, satis tamen, ut arbitror, factum est ei parti, quam probandam suscepi, haud malè sensisse eos scilicet, qui historiam censeant Poëticã quasi quãdam esse solutã. Quocirca, quod cũ voluntate & gratia Pudence fiat tua, horũque omniũ, qui dicenté me, vel mussantem potius audiere tam attentè, & ut video, tantum præ se ferunt audiendi studium, ad ea iam transeamus, quæ à me potius observata quidem sunt, quàm quòd ea præcepta quasi quædã institutaque scribendæ historiæ existimari velim, aut ex me ipso profecta & tradita. PVD. Et me hoc Altili volente feceris, & his ipsis qui tam intentè atque avéter audiunt, præcipuè cupientibus. Cæterũ Marcus Cicero locuples nobis author esse potest, Poëtas alia quadã lingua locutos. Itaque videndum etiam atque etiam relinquitur, si Poëtæ alia, quàm quæ Oratoris propria est, locuti sunt lingua, quonam modo historia Poëticæ erit quasi cuiusdam solutæ similis? Locus igitur expurgandus hic tibi prius est, scrupulusque Altili excutiendus, nisi forte posthabito Cicerone, Livius tibi un⁹ satis futurus est ad hæc & credenda, & cõprobanda. ALT. Livij testimonio contenti esse uni⁹ possumus, & Cicero minimè est abijciendus, vir ad omne genus eloquétiæ genitus naturæ ipsius munere, atq; ipsi⁹ Livij magister & doctor. Ac tute quidem ipse meminisse potes, Ciceronẽ exigere maius quiddã in historia, quàm quòd in Annalibus Põtificũ, aut in Fabij Antiatis, Cælij, ac Sisennæ scriptis appareret. Nã de Sallustio omnino nihil, sive quòd post Ciceronis obitũ historias is scripserit, sive propter simultates, quodq; ille ipse viveret, silétio eũ præterijt. Ipsum igitur illud maius, quod à Cicerone desideratur, præstitêre postea eorũ studia, qui Poëticæ ornaméta, & cultũ sibi ante oculos posuerũt scriptitandæ historiæ, non verba quidem confragosa illa, & perquã glutinata inter se, theatris apta, non

Senatui, ut Ferriclaves postes, ut hastas belliferas, ut Spumivomos fluctus, ut Fluentisona littora, ut talia hæc gignédæ permulta admirationi invēta: sed magnitudinē Poetarū, sed varietatē, descriptionesq; locorū ac gentiū, sed evagationes, amplificationes, digressiones, ornatū, decorūq; illud precipuè, cui Poetæ in primis videtur inservire. An quæso tranādus erat Annibali Rhodanus sine strepitu, clamore, tumultu nautarū ac militū, sine pavore & cōsternatione elephantū, sine casu deniq; unius atq; alterius in amnē è rate beluę? Videlicet traijciendæ erāt Alpes sine tempestate, sine nimbis, frigoribusq;? nō frangendū erat incēdio prius, insperso pòst aceto putrefaciendū saxum illud immane, tantis copijs, tamq; excellēti duci obvium? non adeundum promontorium illud immane, cœlo proximū, omnis è quo despiceretur Italia, in cuius vertice cōstitutus Annibal suos cohortaretur, Romamq; orbis caput illis ostentans diripiendā magnifica etiā oratione obijceret, offerretq;? Hoc sibi vult igitur soluta poeticę similis historia; hoc desiderabatur à Cicerone: hac caruerūt laude & dignitate Cęlius, Antias, Sisenna. Ac mihi quidē videtur Herodotus Poetarū in scribēdo instar habuisse, dum contemptis qui ante se scripserāt historicis, magnitudinē assecutus est illā & varietatem, & ornatū, & cultum à Cicerone desideratū. Et qui dicit Poeticam picturæ esse similem, num ideo dicit: aut illud sentit, quòd Poeta usurus sit coloribus, quibus pictores utantur adumbrandis atq; informandis rerum imaginibus? Quin de varietate loquitur, de collocatione, de dignitate, venustate, informatione, habitu, quibus in effingendis rebus Poetæ pictorū more, atq; ad illorum exemplum uti debeant. Nec verba quoq; non sibi à Poeta quandoq; mutuabitur diligens rerū scriptor, prudenter tamen ac tenerrimo cum delectu, ut cū dixit Salustius: Tuba hosticū cecinit. Et: Tela utrinq; volare. Et: Strepitus armorum ad cœlum ferri. Et: Fors omnia regere. Nonne descriptio illa Africæ mera est & soluta Poetica? Mare sævum, importuosum, ager frugum fertilis, bonus

pecori, arboribus infœcundus, cœlo terraque penuria aquarum, genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum, plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestijs interière. An ne tibi Virgilianum illud videatur aliud, nisi quod solutum non est?

Durum à stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sævoq; gelu duramus, & undis.
Venatu invigilant pueri, sylvasq; fatigant.
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, parvoque assueta iuventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, versaque iuvencum
Terga fatigamus hasta, nec tarda senectus
Debilitat vires animi, frangitque vigorem.
Canitiem galea premimus, semperque recenteis
Convectare iuvat prædas & vivere rapto.

Quid cùm paulò pòst idem ait: Africam in initio habuêre Getuli & Lybies asperi incultiq;, quibus cibus erat caro ferina, atq; humi pabulum uti pecorib. hi neque moribus, neque legibus, aut imperio cuiusquã regebantur, vagi, palantesq; ubi nox coëgerat, sedes habebant. Quid magis Poëticum dicas, nisi quòd Poëticis absque numeris? Age quæso & aliud: Erat inter ingenteis solitudines oppidum magnum atque valens nomine Capsa, cuius conditor Hercules Libys memorabatur, eius cives apud Iugurtam immunes, leni imperio, & ob ea fidelissimi habebantur: muniti adversum hostes non mœnibus modò & armis atque viris, verùm etiam multò magis locorum asperitate: nam preter oppida propinqua, alia omnia vasta, inculta, egentia aquæ, infesta serpentibus, quorum vis sicuti omnium ferarum inopia cibi acrior. Ad hæc natura serpentium ipsa satis perniciosa, siti magis quàm alia re accenditur. Descendit Crispus Romanæ, ut putant, pater historiæ, descendit, inquam, ad serpentes, atque illorum naturam attingit, quæ siti, æstuque maximè incẽdatur. Ne hoc mea quidẽ sentẽtia minus poëticè, peritè, ornatè: quàm à Virgilio illustre illud de Asilo:

Est lucos Silari circum, ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen Asilo
Romanum est, œstrum Graij vertêre vocantes:
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita sylvis
Diffugiunt armenta ——.

Libentissimè quoque ac peringenuè Salustius verba, figurasque numeros item à Poëtis mutuatus est, ab illis præsertim, qui Annales scripsêre: ut cùm ait: Signum tuba dat. Et, Ignoto atq; horribili sonitu repentè exciti. Et, Iamque dies consumptus erat. Item, Et sanè Marius illoque, alijsque temporibus. qui si diebus dixisset, senarium integrum heroum aptè, canoreque fudisset. Illa verò quantopere heroica: Spectaculum horribile in campis patentibus, sequi, fugere, occidi, capi, postremò omnia, quà visus erat, cõstrata telis, armis, cadaveribus, & ea inter, humus infecta sanguine. Nesciam tamen quonam modo minus hæc extant in Salustio, nec tam apparent atque exposita sunt, quàm in Livio, ut alter quodam modo præsefere velit artem, poëticæque imitationem: alter celare eam, ut tanquam in nubecula delitescat. Et verò Oratoria ipsa, quamvis sit à Poëtis numerositatem illam generosam, ac dignitatis plenam, ut à primis eloquentiæ cultoribus mutuata, antiquissimisq; dicendi magistris: cumprimis tamen rerum gestarum scriptores ea seque, resque suas fecêre magnificas, ut interdum generositas illa eorum sermonis videatur solis penè è numeris constare, in ijsque tantùm consistere, ut cùm ait Livius: Nam neque validiores opibus ullæ inter se civitates gentesque contulerunt arma, neque ijs ipsis tantùm unquam virium ac roboris fuit, & haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico conferebant bello. Quid his numeris plenius, dignius, addo & generosius? non minus tamen Latinè, & haud minore cum ornatu dicentur & copia, si quis dixerit; Nam neque validiores opibus ullę inter se civitates, gentesque arma contulerunt, neque in ijs ipsis tantùm unquam virium fuit ac roboris, neque ignotas belli artes inter se, sed expertas primo bello

Punico conferebant. Verùm subtractis ijs spondeis, & numeris commutatis, omnis illa generositas nescio quomodo interit, decidit orationis supercilium. Atque his quidem numeris excellit in historia Livius, & tanquam inter alios exultat. Ne te igitur animi dubium Cicero, ut minus tibi te in hoc constantem faciat, quòd poetas alia lingua usos dicat, scrupulũ excute omnem, atq; ex animo eijce, deque forensibus illum actionibus haud de historijs locutum tibi persuadeas velim. Nam & à Roscio illo motum gestumque discendum oratori ad imitandum in agendo, ubi causa exigat, non videatur esse Ciceroni alienum. nec inficiabimur tamen Græcos Poetas, Oratorijs à verbis ac dicendi figuris, quàm nostros multò abesse longius, viderique alia quasi quadam lingua locutos. PVD. Et perpurgatus est hic à te Altili locus, sentesque excisæ sunt omnes, & evagari iam tutò potes certis, minimeque labentibus vestigijs: neque verendæ offensiunculæ, cùm libera à scrupis ipsis sit via. COM. At ego passurus minimè sum Altili, evagari te ulterius exultareque extra præscriptos fines: cumque sis ipse Grammaticorum Grammaticissimus, tui te oblitum non perferam, dum quæ princeps est disciplinarum omnium, ut historiæ satis facias, è iure, autoritate, finibusque penè eijcis Grammaticam suis. Habenda est igitur & tibi & nobis omnibus, qui heic assumus, illius ratio, conservandusque ei debitus in disserendo locus Antoniana lege hoc ipsum sanciente. Etenim idem ipse Cicero Axillam ait factum esse Ahalam, fuga literæ vastioris. Quid (malum) si vastior X est litera, si elementum minimè simplex in multis, ea cur abutimur? Cur qui Græcè est ὀδυσσεὺς, fuitque apud priscos Latinos Vlysseus, duplicata S litera factus est nunc à quibusdam Vlyxes? Cur à sessu, hoc est sessione si fiat sexus, quòd sedendo, ut quidam volunt, occultatur pars ea corporis nostri, quæ est obscœnior, literas non retinuit suas? neque enim X refert S duplicatum, sed tum C S, tum etiam G S. Scimus omnes perantiquam fuisse dictionem pessum, à qua dicti

dicti pessuli, quasi pedessum à calcandis pedibus. unde pessundare, datumq; verbum ipsum opprobrio atque ignaviæ, deq; eo formatũ nomen Pessim⁹ qui sonum eius evastant X' litera accepta? A magno deduxere primi illi magnior, & magnissimus: quæ voces postea contractis dictionibus ac subductis literis fuêre maior & maximus. cur passæ sunt aures doctissimorũ hominum audire tandiu X' literæ vastitatem? nam si à massa deductum sit nomen maximus, idem erit abusus, cùm Massa dicta sit à magno, ea fuerit in initio Magnissa, vel Græco modo Maza. Cur Elixare? nam à liquo liquas principio fuit liquasso, ut à levo levas levasso, pòst subtractis literis Lisso & Elisso: cur inquam & in his vasta assumpta est atque asperius sonãs litera? Cur in his quoq; Palus, velũ, paulum, talus, mala, L'. mãsuetioris literæ loco, accepta vastiore, abusu ex illo Paxillum, Vexillũ, Pauxillum, Taxillũ ac Maxillam dicimus? Quando concentus ipsius suavitate capiantur aures, mulceaturq; audiendi sensus etiam concidendis quibusdam atq; decurtandis vocibus. Fuit primũ à sistendo sistlocus, pòst stloc⁹, factus est postremò Locus repudiato confragoso sonitu. Eadem deductione & via à sistendo sistilitis, quòd sistendũ esset in iudicio ad prætorem: inde fuit stlitis, pòst litis, ultimò Lis, per concinnè quidẽ & cõmodè. An non initiò humani oris pars inferior, quòd loquẽtibus atq; edentibus, aut etiã hiantibus nobis moveretur, dicta est movimentũ, quæ postmodum fuit Mentũ? Quid autem mirum in sono & literis factam esse ruinam? quando in significationibus quoq; ipsis haud secus contigerit, neq; recentioribus tantũ seculis, verumetiam & priscis. Etenim dictionibus his, amabilis, nabilis, flexibilis, vulnerabilis, reparabilis, revocabilis, aptitudo quasi quædam inest ad patiendum, vel innata potius vis quædam apud Latinos homines, non dubitavit tamen Virgilius, populo ut morẽ gereret etiã aberranti, dicere Penetrabile frigus, quòd vim habeat penetrandi. Non alij Poëtæ, Telũ exitiabile, quòd exitium afferat: non scriptores alij, quibus minus concessum est decedere è via.

Itaque passim audias, risibilem hominem; hinnibiles equos, sensibile animal, deflexa ad agendum à patiendo significantia, quamvis postremum hoc Lucretiana autoritate non careat. At contrà miramur in virgilio, Incantamenta, & Incurvum aratrum, quod in his, In, suam augeat significationem, ac si non & Cicero dixerit Infractum, ut qui vehementer esset fractus. quæ quidem vox, ut nomina omittam, compangendis atque ineundis verbis augere solet, non imminuere: affirmare, non inficiari. Idque licet videre enumeratis vocibus, quacunque à litera incipientibus, Inhabito, inambulo, imbibo, imbuo, incido, incutio, indo, induco, inhæreo, ineſt, influo, infero, ingero, ingluvies: est enim ingluvies à verbo inglubo: inhio, injicio, illido, illudo, immitto, immuto, innat°, innato, inolesco, inhorreo, impello, impingo, inquino, inquiro, irruo, irretio, instillo, instruo, intego, intorqueo, inuro, invenio, invado. Quid tu Summonti defesso mihi enumerandis his non affers suppetias? non & ipse grammaticæ locum tueris? SUM. Equidem ego illud ubique & sensi olim, & hodie quoque sentio, literatores nostros aberrasse non parum ab antiqua enunciatione & sermone, concedendum tamen in plurimis esse populo, usumque in multis sequendum potius, quàm rationem seu artem, quippe quæ nata sit ab observatione. Atq; de vasta ut litera dicam quod sentio, ea elementum minimè simplex est, verùm conglutinatio quædam, atque ad imminuendum in scribendo laborem inventa: nam initiò cùm fuisset in primo casu calcis, lancis, arcis, ut plebes, ut scrobes, ut trabes, quæ nunc sunt Plebs, Scrobs, Trabs, pòst substracta litera I mansère calcs, lancs, arcs: inde inventa nova est figura, quæ una duarum subiret & vicem literarum & locum, scribique cœptum, Calx, Lanx, Arx. Et quoniam in hunc sermoné incidimus, repetam hac in parte pauca quædam, etsi fortasse remotiora, neq; iniucunda tamen, neque aliena ab umbratili hac, æstivaque confessione nostra. Sermo cœpit primùm noster ab incultis & rusticanis, imò agrestibus ab hominibus: utque eorum

erant

erant res inopes, angustæ, egenæ, sic quoque sermo ipse inops, miniméque affluens, verborum que perpaucorum, ac sine ullo prorsus eorum excolendorum studio & cura. Crescentibus pòst artibus atque hominum rebus, actionibusq;, quæ quòd sermo esset ipse & componendus & maturandus, factæ sunt præcisiones tum syllabarum, tum literarum, non ab ipsis modò vocum principijs, verumetiam desinentibus à syllabis. Principiò enim constitutiones, formæque appellationum haudquaquam fuêre, quales nunc sunt, finalibus præsertim literis. Nam quæ sunt hodie, Fex, Grex, Dux, Rex, Emax, Vendax, Fallax, Minax, fuêre primis illis seculis in casu nominante fecis, gregis, ducis, regis, emacis, vendacis, fallacis, minacis: amputatis contractisque pòst literis, decurtatæ terminationes sunt: utar autem Ciceroniano verbo. Qua è re id etiam secutum, ut figura hæc, quod dixi, duplex quidem ea sit inventa minuendi laboris gratia, scriptumque fex, grex, dux, rex, emax, vendax, fallax, minax, quę voces prius habuerant cis aut gis. Excultioribus enim seculis contraxêre Adeps, quod nomen ante adipis fuerat: & Abs, cuius postea locum subijt Ab & Ex, cuius loco & vice E utimur: & Ast, pro quo quibusdam magis placuit At, quòd sonus ille esset vastior. Quid quòd Donicum fuit, nunc est Donec, Sedum quod est Sed, Sicce quod est Sic, Etiam pro quo, Et, Sat quoque quod fuerat Satis, Lac quod Lacte, Tribunal quod tribunale, Animal quod Animale, Sal quod Salis, Nil quod Nilum, Far quod Farre? Quid quod forsit pro forsitan? quo non Horatius modò popularibus in sermonibus, sed Propertius in amatorijs est usus, cùm dixit:

Iste quod est ego sæpe fui; sed forsit in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit

Nec verò primarum tantùm atque ultimarum sive literarum, sive syllabarum factæ sunt amputationes, dum aut brevitati consulitur aut suavitati, verùm à medijs quoque. Quid nam quæso nunc est Taberna nisi quòd olim tabulerna? facta literarum subductio-

ne, Quid Venter nisi vehenter? quòd se implēdo evehat, vel quòd vehat in cibum absumpta: unde ventrem exonerare dicuntur; qui excrementa eijciunt. Quid vultus, nisi voluntus? quòd animi voluntatem indicet. Quid lautus, nisi lavatus? à sorde scilicet liber atque extersus. Quid Coxæ nisi coissæ à coëundo, vel in ipsa libidine, vel quòd hinc illincque coëant ad obscœnas partes vehendo corpori? Iam verò Fortuna à ferendo dicta, & mutatis & subtractis literis, quasi ferentuna; Terra Pulla: quasi puluilla, id est, resolubilis & in pulverem versa, qualis est terra Campana, ut ait Columella, quæ nequaquam nigra est, ut quidam perperàm arbitrantur, sed resolubilis & putrida, quæque sæpius arata in pulverem abit. Est & Columna à Columine, quæ fuit columina: & quæ à pascendo Pabulum, quod fuit Pascibulum: & Panis pascinus, & Pasta panista, & Vinum à vito vitinum, & Vinea à vitinea, & ferendo Ferculum fericulum, quòd in pompis ferantur fercula. Poculum item potaculum. Flumen fluimen, Tegmen tegimen, Semen serimen, Discrimen discernimen: Nã prosa quid est aliud, quàm promissa oratio? An quæso Meditari est aliud, quàm in medio itinere aliquid itando, aut agere aut cogitare, quod est occupati animi, aliudque quàm iter agitantis? Quid est etiam aliud Fœnum, nisi fovenum, quo scilicet foveantur animalia hieme? quid Fœtus nisi fovetus, quòd à matribus foveantur? retinetque propterea œ: nam in primo verbo cùm insit litera O', subtracta V' litera, relinquitur œ'. An non Postes sunt à positu quasi posites? Ac testis, tecum sto aut pro te sisto? nam & testes sistebant olim apud prætorem. Tela nónne texula, ut tegula, ut regula? Cliens nónne coliens, quòd patronum utique coleret suum è Romuli constitutione? Castra, sunt qui putent à servanda castitate dicta, ambitiosè satè, quippe quæ sint à claudendo: claudebantur enim vallo & fossa. Sic & casteria locus in triremi: sic etiam vallis illa Caudina, quòd sit undique clausa montibus, hodieq; ex eo vocatur Caudium. Sic quoque & Castellum,
quòd

quòd fossa claudatur & muris. Erant etiam in aquarum ductibus Castella, quòd in ijs aquæ concluderentur: unde pòst largius effluerent. Atq; ut à dio Dies, sic à gladio gladies, pro qua est Clades: fuitq; stratages, pro qua est Strages & strataguIum, pro quo Stragulũ: & stratamen, pro quo Stramen: quinetiam sarricusũ, pro quo Sarculũ: & noviper, pro quo nuper. & sequeculum, pro quo Seculum, hoc est, annorum multorum series, ac sequela. Qua in voce, qui diphthongũ æ scribunt, malè omnino sentiunt: neque enim prima eius producitur, quòd diphthongũ habeat, sed quòd veteres Poetæ geminaverunt in ea voce literã C' quemadmodum in religione & reliquijs L'. & in propagine P', cùm harum producũt primas syllabas, utq; Lucretius refficit & redducit. An quia quod imminutũ fuit è literis, cùm seculum in initio fuerit, ut dixi, sequeculũ, adiectum sit postea tempori, hoc est, quantitati? quod in multis alijs est servatũ. Sed dies mihi deficiat ijs enumerandis. Sermonem autẽ quo utimur, ab agrestibus ac rudibus cœpisse hominibus, illud declarat potissimùm, quòd plerꝗq; è primis illis impositionibus sunt rusticis incomptisq; à rebus sumptæ. Iam primũ Palàm, Sæpe, E' vestigio, rusticorũ quidem sunt inventa hominum. Nam quòd sępes spissa esset & densa, dixerunt sępe pro frequenter, indeq; & sæpissus spissus. E' vestigio pro statim, quasi non minus citò quam è vestigio pes dimoveatur. Palàm apertè, quòd sit aperta quidem ac protenta pala, nihilq; cavum habeat, aut complicatũ, in quo latêre quid collocatũ possit. Nam penes, id est, in manu atq; in poteſtate, fuit olim, quod quidem ipse iuraverim, penest, accommodatum rudibus ab hominibus, ex asinorum & iumentorũ caudis, aut manu præhensis, unde fuit Manucapio, aut capistro colligatis invicem. Mos est enim alterum iumentum alterius caudæ illigare, ne digrediendi illis sit potestas. Pòst verò detracta litera T', mansit penes. Et cernere, unde Decernere & Certare, quæ senatoria sunt atque imperatoria verba, indeq; & Decerta & Certamina, manavit initiò à cernendis leguminibus.

Et serere & pangere ruris sunt, arborumque & seminum, è rure tamen in urbem, atque à rusticis ad urbanos venêre, & series rerum & Sermo & sermocinatio, & Dissero & Disertus, & Pangere versum, & Pagina; & pagella, quinetiam literarum Exaratio. Quod q; pastores cogerent pecudes gregatim compascere, non sparsim, inde Compescere est continere. Quódque vehendis ex agro in oppida & vicos rebus instanter darent operam, factum est vehestigo, quod erat tunc eandem viam insistere, eaque sæpius itare. Nam & via initiò fuit veha. Factum item est vehestigium, quę nunc ademptis syllabis sunt Vestigo & Vestigium, eaque ab iumentis atque à curribus in scholas profecta à Philosophis etiam recepta sunt. Atque illis quidem seculis satis habebatur, quali res cunq; appellatione notare, nulla cùm esset quantitatis ac temporum aut suavitatis cura formandis vocabulis. Quam pòst & curam & cogitationem primi Poëtæ suscepêre, dum urbanitatis suscipiunt patrocinium, donec Senatus ac fori maiores agitationes atq; actiones peperêre eam, quæ pòst dicta est eloquentia. Qua quidem in explicatione, etsi latissimus mihi sese offert campus, tamen quòd & petenti subsidium, Compatri videri potest satis pro virili factum esse, cùm etiam brevis hæc refrigeratio fuerit Altilio nostro non ingrata, & quòd Puderici supercilium non est contemnendum, quem video Grammaticis non satis æquum loquendi possessionem, tuumque ad continuandum de historia locum Altili, & volens & libens tibi restituo. ALT. Et refrigeratio ipsa fuit mihi pergrata, & te interim vetustissimos repetentem iucundissimè audivi. Nam & ex ijs, quæ explicasti principijs nata est historia, quæ rudis in initio ipsa fuit sine cultu, sine copia, nulla adhibita artis industria, perexiguæ etiam naturæ. Quippe cùm ea cura pontificibus tantùm esset demandata, ijque annis singulis quæ gesta essent, notabant, populoque exponebant cognoscenda. Cui pòst & Piso & Fabius & Cato non ita multum addidêre ornamenti, ut generis describendi eorum magna fuerit à posterio-

rioribus ratio habita. Ne multò quidem, quàm horum maior habetur à Cicerone Cælij, nec Sisenna eius implet curas, quanquam vocaliorem in historia fecit, cui ut Ciceroni ipsi videtur, maiorem quendam Cælius sonum vocis addidisset. Ad hæc Sisenna parum libero ore locutus Sallustio videtur, cùm sit historiæ è Ciceronis sententia prima illa lex, nequid falsi dicere audeat: deinde nequid veri non audeat, ne qua suspitio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultas. Atque hi quidem progressus Romanæ fuêre historiæ ad Ciceronis usque tempora. Nam de Græca illi viderint qui Græcè præcipiunt. De qua tamen & Cicero ea attigit, quæ satis esse Latinis nobis videri possint. Itaque his sic dictis me vobis reddo sive admonens, sive innuens, pauca quædam, uti dixi, utque sum pollicitus, potius quàm ut qui videri velim præcepta tradidisse.

Principiò, ut natura ipsa rerum generationi consulens, suo quodque in genere perficere ac consummare nititur: in alijs tamen aliud eius atque aliud est propositum; sic dictio omnis & scriptio eò spectat, ut bene consummatéque & dicatur & scribatur: alibi tamen, hoc est, forensibus in causis, ut consummatè dicatur etiam ad persuasionem: alibi ad laudationem, approbationemque, ut in eo genere, quod demonstratiuum dicitur, atque in historia, cuius prima cùm sit lex, neq; in gratiam loqui, neq; obricere odio vera, aut ea dissimulare: efficitur, ut laudentur quæ sint commendatione digna, suo quidem & loco & tempore, utq; improbetur turpiter, atq; imprudenter facta, alterum sine spe, sine pretio, alterum sine simultate & metu. Ita uti & tuæ pariter & illius, de quo suscepta est laudatio, famæ honoriq; prudenter ac modestè consulas. Nam qui pretio servit ac malevolentiæ, veritati quonam pacto studet? Ac mihi quidem in laudando aut improbando videtur rerum gestarum scriptor iudicis quasi cuiusdam personã debere inducere, ne ab æquo & iusto ille recedat, quod est inter præmium ac pœnam medium. Et quoniam res ab aliquo gestas histo-

ricus sibi scribendas suscipit, primùm videre illud debet, quod dicendi genus sequi debeat. quod tale mihi quidem assumendum videtur, quale est genus fusum, lene, æquabiliter incedês, neq; ita compressum, ut inops videatur & languens, neq; adeò amplum, ut intumescat oratio, & verba ipsa quodã modo exiliant, utq; incedat oratio, non saliat, aut titubet, sitque incessus ipse non muliebris ac petulans, sed virilis & gravis.

Omnium autem iudicio laudatur potissimum in historia brevitas, cùm ea sit maximè idonea ad docendum, ad delectandum, ad movendum. Nam nec docere bene potest, qui loquaciter atq; ambitiosè explicat: parit enim loquacitas ac diffluentia ipsa tum contemptum, tum etiam satietatem, quæ docilitati adversantur ac delectationi. Nam quis omnino doceri velit molestia tædioque affectus? nec moveri & agi quò volumus animus eius potest, malè qui libenter aut audit & legit. Ad hæc nimius verborum tractus effusiorque oratio, memoriæ quàm officiat, omnes videtis. De quo natum est Horatianum illud:

Quicquid præcipies, esto brevis.——

Quo hæc igitur, aliaq; vitêtur in scribendo incommoda & vitia, danda erit opera, ut brevitas ipsa sit aperta & clara, quæq; aptè colligat non concisè: lucidè, non obscurè. Nam & Cicero in Thucydide ac Phylisto, qui illum imitatus est, non probat eorum quasdã sententias, ut concisas, ut non satis lucidas, quæq; cõtractione sua officiant, nimioque acumine. Equidem hac in parte pudore capior quodam: dicam tamen quod sentio ingenuè, inter vos præsertim disertiores, illustres illas quidem & puras & appositas, easdem etiam graveis & subtileis: ita tamen nimio acumine ne officiant, non breves vocandas, sed accommodatas potius, sed æquabiles & temperatas. Arbitrorque nomen hoc brevitatis inde venisse in usum, vel potius in honorem, quòd diffluentia illa & superfluens collectio, rerumque aggestio ac verborum tantopere improbaretur, ut eius contraria brevitas favorem eo maiorem invenerit. Sed non sit nobis de verbo ullo

con-

contentio, quòd in Ciceronis sonet ore dum brevitas intelligatur esse apposita ipsa quidem & verbis ac sententijs accommodatis, collectione ipsa nec arcta, nec pervagata, in qua perinde ut in agro bene culto, nullæ insint sentes: quin eniteant in ea ipsa omnia, & virescant suo tempore, suo etiam & florescant, & maturescant. Hoc itaque sive breve & appositum, sive æquabile atque accommodatum dicendi genus, amplectendum est historico. Constetque appellatam brevitatem, non quia concisa & manca, verùm quòd multa complectatur verbis non ita multis, quæq; pro rerum ac sententiarum complexu appareant etiam pauca. Hoc est igitur illud genus quod paulò antè diximus assumendum, fusum, lene, æquabiliter defluens, neque ieiunum, neque intumescens atque corruptum. Etenim fusa oratio concisionem longius à se repellit, obscuritatis sociam, sibiq; adversantem atque contrariam. Lenis atque æquabilis aspernatur, reijcitque ab sese contortos illos, ambitusq; nimios, ineptasque atque asperas verborum collocationes, strepitusque tum vocum ac syllabarum, tum interruptos hiatus, ut quemadmodũ sedatus amnis feratur cursu tranquillo, nullis contortus gurgitibus, aut spumantibus obiectu saxorum aquis. Ieiuna verò atque inops illa, quasi glareosus ager, quem afferre fructum potest? quando quod laudandum suscepit, reddit cõtemptibile illud ac ridiculum. In brevi autem hoc, & apposito dicendi genere in repetendis antiquitatibus, in revocandis memorijs, in describendis locis, in referẽdis consilijs, in enarrandis casibus, in prælijs, victorijs, cladibus memorandis, extollendis preclaris facinoribus, accusandis ac deprimendis ignavis & perditis, iudicio vetustatis magnus & clarus existit Salustius: nam celeritate facilè est princeps. In cõcionibus verò habendisque orationibus non idem video esse omnium iudicium quasi parum habita ratione personarum, hoc est militum, populi, Senatus, ad quos orationes ipsæ habentur. ad hæc & scabrosior in illis iudicatur, & concisior in sententijs, & contractus, ac nimium acutus

apud quos minimè deceat. Quibus autem (quod de eloquente ait Cicero, quòd mirabilius & magnificentius quàm disertius, augebit atq; ornabit quę volet) quibus, inquam, admirabilior ac magnificentior magis placet oratio, ijs vitandum est dicendi genus insolens, affectatū, tumidum, quibus scatet vitijs Marcellinus, quo in genere scribendi Livius profectò regnat. Quia verò exempla comparationesq́ue declarant maximè virtutes ac dicendi figuras, afferam è Salustio, quos memoria teneo locos quosdam, tametsi quidquid dicit simplex est, & unum duntaxat, ut Horatianis utar verbis. Loci erant de ingenio Iugurthæ & moribus. Qui ubi primùm adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multò maximè ingenio valido, non se luxui neq; inertiæ corrumpendum dedit, sed (uti mos gentis illius est) equitare, iaculari, cursu cum æqualibus certare, & cùm omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus esse. Ad hæc pleraque tempora venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire, plurimum facere, & minimum ipse de se loqui. Et alibi: Nam Iugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam Publij Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, & morem hostium cognovit, multo labore, multaq; cura, præterea modestissimè parendo, & sæpe obviam eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervenerat, uti nostris vehementer carus, Numantinis maximo terrori esset: ac sanè. quod difficilimū in primis est, & prælio strenuus erat, & bonus consilio: quorum alterum ex providentia timorem: alterū ex audacia temeritatē afferre plerunq; solet. Igitur imperator omneis ferè res asperas per Iugurtā agere, & in amicis habere, magis magisq́; eum indies amplecti, quippe cuius neq; consilium, neq; incœptū ullum frustrà erat. Huc accedebat munificentia animi & ingenij solertia. Singula verba res penè complectuntur singulas, ipsa quidē ita propria ut nullo appareant modo conquisita, structura illaborata, cursus fluens ac sedatus, sonus lenis auribus maximè gratus, nihil deniq; quod artem prę seferat, cùm tamen

tamen omnia ſint ex arte, quodq; de Amphionis cithara, murisq; Thebanis in fabulis dicitur, & verba & res ſponte ſua ac natura duce in unum confluunt. Referam & Livianũ de Annibale locum. Nunquam ingenium idem ad res diverſiſſimas parendum atq; imperandum habilius fuit. Itaq; haud facilè diſcerneres, utrum imperatori aut exercitui carior eſſet, neq; Aſdrubal alium quenquam præficere mallet, ubi quid fortiter ac ſtrenuè gerendum eſſet, neque milites alio duce plus confidere aut audere. plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda, plurimum conſilij inter ipſa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat, caloris ac frigoris patientia par, cibi potionisque deſiderio naturali non voluptate modus finitus, vigiliarumque ſomniq; nec die nec nocte diſcriminata tempora. Id quod gerendis rebus ſupereſſet, quieti datum, ea neque molli ſtrato, neque ſilentio arceſſita. multi ſæpe militari ſagulo opertum, humi iacentem intra cuſtodias ſtationesq; militum conſpexerunt. Veſtitus nihil intra æquales excellens, arma atque equi conſpiciebantur. Equitum peditumq; idē longè primus erat, princeps in prælium ibat, ultimus confecto prælio excedebat. Has tantas virtutes ingentia vitia æquabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullus deûm metus, nullum iuſiurandum, nulla religio. Iudicari his præſertim è locis planè poteſtis, in Saluſtio maius eſſe brevitatis eius, de qua loquimur ſtudium, in hoc altero rerum adiectis verbis augendarum. Illi curæ eſt propriè ſimpliciterque expreſſa res, huic arceſſitum, atque extrinſecùs allatum aliquid tanquam excolendæ formæ. Et lenis, & fluxu tantùm ſuo incitatus placet Saluſtio decurſus: at Livio altior paulò, nec tam aliquando ſedatus, quàm plenus ac perſonans. Ille in id intendit, ut natura videatur duce loqui, hic ut naturę bonis attuliſſe ex arte induſtriaque videri velit adminiculum. Vtque alter ille virili & Senatorio inceſſu graditur, ac pro loco & ſiſtit interdum gradum, & tanquam proſpectat longius, metiturque

loco singula: sic alter hic & gestit quandoque, & viribus suis lætus exultat, præfertque robur & artis & ingenij. Declarat hoc manifestius Lucij Catilinæ de virtutibus & vitijs descriptio. Locus autem ille Liviano huic haudquaquam satis similis. Verùm de ijs sit suum cuique iudicium.

Quoniam igitur, ut Cicero maximus dicendi autor sentit, pura & illustris esse debet brevitas, atque, ut nos dicimus, aperta & clara: puritasque ipsa & claritas versentur tum in sentẽtijs, tum in verbis, è quibus constat orationis contextio: nimirum omni studio fugienda est obscuritas, loquendique perplexio ac dubietas. Evitabuntur autem vitia hæc, si verba ipsa bene fuerint collocata, eaque non rancida, non obsoleta, non putida, minimeque ancipitia, cursus non contortus, non verticosus, nõ lubricus: non concisa, aut quasi in volvolum complicata, ut rustici loquuntur, textura: non spinosa sensa, verùm series ipsa fusa & tracta. Quarum ubi rerum diligens habebitur cura, quasi fugatis nubibus, aperta apparebit ac serena brevitatis species.

Est brevitati coniuncta, vel potius cognata Celeritas, adeò in historia laudata, eaque existere absque brevitate omnino nequit. De qua innuendum est aliquid ne partem hanc ut egrè feratis à me preteritam, aut parum omnino animadversam existimetis. Audite quæso, studiosissimi viri, quæ à me dicentur, nequaquam tamen ut qui novi hausturi aliquid meo de fonte sitis, sed ut ab eo, qui ea potius sit vobis in memoriam revocaturus, de quibus sepius eodem hoc in consessu non minus copiosè, quàm diligenter est disputatum. Differt itaq; à brevitate celeritas, quòd brevitas quocunq; inesse in sermone & oratione potest, celeritas nec ubiq; nec semper potest. Etenim brevis est oratio hæc: Vbi quemq; periculum cœperat, ibi stare. At si cõiungas statim: Arma, tela, viri, equi, hostes atq; cives permisti, nihil consilio, neq; imperio agere, fors omnia regere: erit utique celeritas. Cuius etiam persimilis est illa: Deinde ipse pro re ac loco sicuti è monte de-

descenderat paulatim procedere, Marium post principia habere, ipse cum sinistræ alæ equitibus esse. Est igitur celeritas brevis & accurata sive complexio, sive collectio, cõglutinatioque complurium simul rerum ac verborum, & quasi partiũ, quarum unaquęque per se prolata sensum perficit, sive ea conglutinatio sit inconiũcta, & absque copulatione aliqua, ut quas suprà posui: sive copulatione constet, ut hæc: Eodem tempore imperator & aciem instruere, & hosti obviam ire, & milites cohortari, & quid facere quemque vellet imperare, neq; voce neq; manu usquam deesse. Huius autem ipsius complexionis partes ac membra interdum singulis è verbis constant, ut: Arma, tela, viri, equi, hostes atq; cives permisti, interdum è pluribus, qualis ea: Nam uti planities erat inter sinistros montes & inter dexteram rupem octo cohortes in fronte constituit, reliquarum signa in subsidijs collocat. Ex his Centuriones omnes electos & evocatos, præterea ex gregarijs militibus optimum quemque armatum in primam aciem subducit, C. Manlium in dextra, Fesulanum quendam in sinistra parte curare iubet, ipse cum liberis & colonis propter Aquilam assistit. Atque hæc quidem ipsa celeritatis species minus apparet, nec tam allicit lectorem, nihilominus varietas est, quæ eam condiat. Contrà mirificè trahit ad se legentem, ubi partes ipsę mistim constituentur, & è singulis & è pluribus verbis: ut, Quibus rebus permota civitas, atq; immutata facies urbis erat ex summa lætitia, atq; lascivia, quæ diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia invasit. festinare, trepidare, neq; loco, neque homini cuiquam satis fidere. neq; bellũ gerere, neq; pacem habere, suo quisq; metu pericula metiri. Accedat & altera compago: Ad hæc mulieres, quibus Reipub. magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad cœlum tendere, miserari parvos liberos, rogitare deos, omnia pavere, superbia atq; delicijs omissis sibiq; patriæque diffidere. Vt autem natura propria ac peculiaris est varietas; sic ea ipsa præcipuè multum confert ad decorã-

dam, magnificandamque celeritatem. Quocirca videndum erit, ne idem ubiq; sit eius tractus, sed mistus & varius, filumq; orationis nō unum, verùm aliæ atque aliæ partium texturæ: qualis Sallustianus ille locus: Postquam eò ventum est, unde à ferentarijs prælium committi posset, maximo clamore cum infestis signis concurritur, tela omittuntur, gladijs res geritur. Veterani pristinæ virtutis memores cominus acriter instare, illi haud timidè resistunt, maxima vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro saucijs arcessere, omnia providere, multum ipse pugnare, sæpe hostem ferire, strenui militis, & boni imperatoris officia simul exequebatur. Itaq; neq; omnia eodem, aut semper filo contexēda sunt, aut numerus variandus non est. Cuiq; etiam rei adhibendus est modus: cunctorū enim sensuum satietas mala, aurium verò multò molestissima. Fuit autem tantum virtutis huius in Sallustio studium, uti divinam illam appellare non dubitaverit Marcus Fabius: alijs tamen multis & magnis virtutibus Livium assecutū, scilicet quòd ad hanc ipsam aspirare minimè potuerit. Neq; tamen nos id aut sentimus, aut dicimus, quòd eam ipse Salustiano sequi more contenderit. Sunt enim & dicendi sua ferè cuiq; innata semina, sicuti & appetendi studiorumq; cæterorum. Est autem celeritas ipsa tum grandiū magnificatrix rerum, tum sublevatrix humilium, eadē effusa colligit, collecta nunc graviter, nunc venustè pro materia digerit: quæ multa sunt, cogit in pauca: quæ rursus pauca ornat, insignit, auget. Ac perinde ut manus ad agendum, pedes ad inambulandum, innitendumque multis pollent juncturis, sic & ipsa celeritas suis articulis indefessa, indefatigataque est. Atq; ut pedes etiam ipsi ad ducendas quandoque serviunt choreas, manusque ad decorandam formam, præter quàm quòd pedes nati sunt ipsi ad incessuum labores, atque ad inferendum onus corporis: manus verò ad robur, viresque exercendas: sic ipsa quoque adiuvat, confertque celeritas ad comptum, ad hilaritatem, ad

ad venustatem, ad varietatem denique comparandam: natura profectò ipsius narrantis appositissimum ministerium. Quæ Livius dum quærit, alia etiam via ingressus atq; profectus est. Cuius viri multæ profectò magnæq; virtutes extitere, tum exornandis, atque adaugendis rebus, tum etiam complectendis, ac variandis, ut nunquam illi aut res defuisse videantur, aut ipse rebus defuerit Denique ut nullus post Marcum Tullium extitit, qui aures impleverit audientiũ in foro, in Senatu, in populo, orator, actorque causarum: sic inventus necdum post Livium est ullus, ex ore cuius in reb⁹ bellicis terribiliorẽ dederit sonitum tuba: nec ut vaticinor, ex alicuius ore datura est post multa etiam secula. Qualis igitur & quæ celeritas sit, iudicari ex ijs quæ dicta sunt, potest, etsi multa quoque à me prætermissa sunt, quæ quamvis minutiora non exiguam tamen laudem afferunt scriptori. Comparatur autem, & constituitur ea tum verborum, tum rerum copia. Oportet enim peruberem esse eam, perque affluentem: cum necesse sit multa, diversa, varia hinc atque illinc apportata & disquisita colligat, collectaque quasi pleno è sinu effundat, ut quæ mirabiliter quoque inventa videantur, veluti cum Sallustius (ut paulo antè retulimus) dixisset, Omnia pavere, non antè subiunxit, Sibi, patriæque diffidere, quod abunde fuisset per se plenum: quàm iniecisset, superbia, ac delicijs omissis, quadam cum admiratione & audientium, & recitantium. Et Livius mira etiam celeritate usus cum esset, in virtutibus vitijsque Annibalis exponendis, cum dixisset, Inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil sancti, null⁹ deûm metus, nullũ iusiurandũ, quo maiora illa omnia faceret, tãdem imo quasi è pectore erutum effudit, Nulla religio. Etenim celeritas quasi plenus & profundus amnis multa vehit, & tanquam aquarum mole rotat, versatque. Vitanda tamen confusa & inordinata permistio, eaque evitabitur, si partes ipsæ, & quos dixi articuli, separatim ipsi suis quique illustrentur atque impleantur verbis, si verba aptè, & planè explicent res;

si loco & ordine subsequantur suo, si numerorum quoque recta habeatur ratio; si incessus ac cursus ipse minimè, ut dici solet, pedē offendat. Quid verò hac ipsa Sallustiana copiosius, planius, tractius aut deniq; numerosius? Ibi primùm insuevit exercitum populi Romani amare, potare: signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim & publicè rapere, delubra spoliare, sacra prafanaque omnia polluere. Igitur hi milites postquā victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundæ res sapientiū fatigant animos, nedum illi corruptis moribus victoriæ obtēperarent. Postquam divitiæ honori esse cœpere, & eas gloria, imperiū, potentia sequebatur, hebescere imperium, paupertas probro haberi, innocētia pro maleficentia duci cœpit. Igitur ex divitijs iuventutem ubi luxuria atque avaritia cum superbia invasere, rapere, consumere, sua parvipendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atq; humana promiscua, nihil pensi, nihil moderati habere, & quæ pòst sequuntur. Erit igitur celeritas ut minimè sordescens ac lutulenta, sicundique sibi constans, & cōformata, suoq́ue loco adhibita, integra partibus, iucunda numeris, cursu lenis, rotunda, constituta, magnifica, ac rerum plena, quemadmodū piscosus, multarumque ac liquidarum aquarum fluvius. Locus autem virtuti est huic maximè aptus, cum multa sese offerunt, quæ breviter sint pertractanda, aut cū prosequenda magnificè, augendaq́; oratione, aut ubi res per se ipsa videtur exilior. Estque & verbis tum honestāda atq; extollēda, tum rebus locupletanda atque sententijs ijsq; extrinsecus allatis. Diximus de Brevitate, deq́ue coniuncta ei Celeritate, de illo item dicendi genere, quod historiæ videatur accommodatū, etsi non exactè, plura fortasse quàm consiliū nostrum fuerat, aut quàm ab eo qui innuere atque adumbrare tantùm habeat promissum initio fuerit. Quocirca progrediamur ad reliqua.

Omnino historia, ut Cicero putat, ac natura ipsa docet, partibus constat è duabus; hoc est rebus & verbis. Rebus autem ipsis est ordo adiunctus: agendis enim

negocijs insunt, & quæ prius & quæ posterius sint administranda. Rerum enim ac naturæ ipsius ordine, ut quædam præcedunt, sic etiam sequuntur alia. Ac de rebus quidem ipsis existit enarratio. Verbis autem series earum contexitur, quemadmodum è lapidũ strue ædificiorum fabricatio. Ordo est, qui materiam omnẽ prudenter ac rectè differit, seriemque passim & universam informat, & singulas eius partes moderatur ac digerit. Oportet igitur explicationem quidem ipsam esse ordinatam, quo veritas minimè confusa, incertáve, aut indistincta appareat. Parit igitur ex sese rerum ordo eam quæ dispositio & totius, & partium dicitur: cuius ea laus est, ut eius opera & cura, tanquam uno in corpore, omnia suo loco, suis partibus aptè, propriè, decorè, prudenterque collocentur, terminataque suis finibus totum ipsum partesque ita simul vinciant inter se, atq; connectant, ut in unum coacta decenter consentiant, existatque universi species tum honesta & gravis, tum blanda & cum dignitate. Habebunt igitur ordo pariter ac dispositio rationem nõ rerum modò distribuendarum suis in locis, verùm suo quoque tẽpore, cuius spatio & ambitu cuncta cõprehenduntur, consistuntque quæ sunt universa. Et quoniam actio omnis geritur atque administratur quodcunque id aliquam ob causam susceptũ est (causę nanque ubi que antecedunt, rerumq; suscipiendarũ fines) oportet rerum scriptorẽ causarum ipsarum ac finium cum primis esse memorem, certumque earum, ac verum expositorem: quibus exponendis summum est ab eo adhibendũ studium, maximeq; diligens cura. Quodque causis ijs quæ propinquæ quidẽ sunt, aliquid tamen sese quandoq; ostendit antiquius, huius quoque tanquam principij, nobiliorisq; originis facienda est repetitio: antiquitasq; atque obliteratio ipsa in memoriam revocanda, & tanquã exponenda in lucẽ: ut cùm Salustius, quo Micipsæ regis consilia magis magisque in aperto poneret, Numãtino usq; à bello repetit, utq; ad Catilinę incepta progrederetur, suosq; per tramites, cœpit repetere ab urbe cõdita, & quib. primò arti-

bus civitas creverit, & quibus etiam moribus corrupta pòst iuventus fuerit, quę corruptio Catilinam ad ineundã coniurationẽ & traxit, & perpulit. Ipsis autẽ causis suscipiendi sive negotij, sive belli cõiuncta sunt consilia, & hominũ qui agendum quippiam decernũt, sententiæ ac voluntates: quæ quòd sæpenumero sunt diversæ, exponendæ eæ sunt à rerum scriptore in partem utramque: ut cùm Livius Hannonem alterius factionis principẽ, inducit impugnantẽ Carthaginensis Senatus sentẽtiam de bello inferendo Romanis, creandoq; duce. Quo fit, ut quandoq; utriusque partis, diversorumque consiliorum autores ac principes inducendi sint altercatim differentes in Senatu, quo sententiæ ipsæ clariores appareant, illustreturque magis magisque historia, & rectores ipsi apertius doceantur de altercationum causis, consiliorumque ac sententiarum diversitate: quod servavit Salustius, cùm & Cæsarem inducit & Catonem sentientes in Senatu contraria.

Suscepto autem negotio aut bello explicando (nam res gestæ plerumque sunt bellicę) duo statim coniuncta sunt, & penè dixerim agnata, descriptione sua digna, belli dux ipsius atque imperator, & vires atque opes reipublicę, si tum ea magistratibus regitur, aut regis ipsius, ubi sub unius moderatione urbs regnúmve temperatur. Itaq; ut Livius ingenium, institutionem moresque describit Annibalis, & Iugurthæ Salustius, ac Catilinæ: Principum quoque Senatus, & civitatis mores qui sunt, quæque instituta, aperienda fideliter, opes item, amicitiæ, societates. His accedit explicatio bellici apparatus tum terrestris, tum maritimi, quales & quantæ utriusque partis cõpiæ, armorum genera, equitum ac peditum numerus, quæq; alia his annexa sunt, atq; à scriptoribus minimè omittenda, ut præsagia, auguria, vaticinia, oracula, visiones, sacrificia, transfugia deniq; atq; explorationes, legationes item ac legatorum mandata, bellíq; ipsius indictio, atq; indicendi modus ac ratio. Non præterijt Annibalis insomniũ illud Livius, quo vastitatẽ Italiæ denunciatã significat

cat. Non Catilinæ epistolam Salustius, aut Scipionis ad Masinissam. Non uterq; aut Martij vatis prædictionem Cannensi de calamitate alter, alter de imperio Corneliorum familiæ delendo in urbe Roma.

Post verò susceptas expeditiones, an bellum iam indictum motumque quo aperta magis, magisq; sint, quæ narrantur omnia, describendæ sunt regiones, loca, situs, quâ ducendus exercitus, quâ castra metanda, quibus aut campis, aut collibus bellũ administretur. Ordo etiam ipse ductandi aperiendus, ut cùm legitur, triplici, aut quadrato agmine incedere exercitũ. Flumina quoq; & montes si qui sunt, & illorum natura, & si quid in his dignũ memoratu ac rarũ. Erat, inquit Salustius, in ea parte Numidiæ, quam Adherbal in divisione possederat flumẽ oriens à meridie, nomine Mutul: à quo aberat mons fermẽ millia passuum viginti, tractu pari, vastus ab natura & humano cultu: sed ex eo medio collis oriebatur in immensum pertingens, vestitus oleastro, & myrtetis, alijsq; generibus arborum quæ in humo arida, arenosaq; gignuntur: media autem planicies deserta, penuria aquæ præter flumini propinqua loca, ea cõsita arbustis, pecore atq; cultoribus frequentabantur. Quo igitur & lectorem doceret & delectaret, remq; ante oculos quasi videndã exponeret, & sitũ omnem exequitur, & qui situs esset ipsius habitus, & quæ soli natura. Et Livius: Tumulus erat, inquit, inter castra Minutij & Pœnorũ, qui eum occupasset, haud dubiè iniquiorẽ erat hosti locũ facturus. Eum nõ tam capere sine certamine volebat Annibal, quanquam id operæpretium erat, quàm causam certaminis cum Minutio quem semper occursurum ad obsistendum satis sciebat cõtrahere. Ager omnis medius erat prima specie inutilis insidiatori: quia non modò sylvestre quicquam, sed ne vepribus quidem vestitum habebat: re ipsa natus tegendis insidijs, eò magis quòd in nuda valle nulla talis fraus timeri poterat. Et erant in confractibus cavę rupes, ut quædã earum ducentos armatos possent capere. Horum uterq; loca describit insidiarum gratia, aperitque & locorum aptitu-

dinem, & ducum consilia; & quid uterque imperator designasset animo. Describit Africæ sitũ Crispus, quo scilicet & situs ipse notus esset, & qui amici, quíve inimici ex omni provincia. Cùm obsidionem etiam castelli descripturus esset, licet ignobilis, tamen natura permuniti sitũ antè eius exponit. Haud longè à flumine Mulucha quod Iugurthę Bocchiq; regnũ disiungebat, erat inter planitiẽ mons saxeus, mediocri castello, satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu relicto. nam per omnia natura velut operà atque cõsultò præceps erat: quẽ locum Marius, quòd ibi regis thesauri erant, summa vi capere intendit. Vrbium quoq; origines, gentiumq́; primordia procul repetita, quæ sint earum leges, qui mores studiaque, haud exiguam historiæ dignitatem afferunt, & propter varietatem ipsam, & quòd pervetusta atque à memoria nostra longius remota vehemẽter delectant: ut cum Salustius Maurorum gentis initia ad Medos refert, & Tacitus Iudęorũ nationis antiquitatẽ cõmemorat. Quibus referẽdis magna cura, nõ minore prudentia opus est, cũ eiusmodi pleraq; aut incerta sint, aut fabulosa.

Necubi verò plura, quàm bellicis in rebus accidunt improvisa, insperata, non antè cogitata, præter q́ue opinionem atque consilium, eaq́; ipsa plena nunc terroris, nunc spei, modò gaudij, modò tristitiæ. Itaq; casuum fortuitorumq́ue in his eventuum magna scriptori ratio habenda est. Tempestatum quoq;, famis, frigoris, ęstus, pestilẽtiæ, periculorum in faciendo itinere, in cõferendis manibus. Item audaciæ, metus, temeritatis, suspicionis, insidiarum, falsorũ rumorum, quæq́; alia inter gerendũ atq; administrandum bellum, sive consilio eveniunt hominũ, sive casu. Ex his enim perspicitur potissimùm, qualis fuerit scriptoris diligentia atq; perpensio. Attingenda etiam permulta, quæ nihil tamen susceptam ad historiam, verùm ut extrinsecùs allata novitate sua pariunt & admirationem, & voluptatem, suntq́; condimentum quasi quoddam, atque ut peregrina vehementer afficiunt. Vt cũ Salustius Iugurthino in bello, quod solum susceperat

scri-

scribendum, aliunde affert: Per idem tempus adversum Gallos ab ducibus nostris Q. Cepione, & Manlio male pugnatum, quo metu Italia omnis contremuit. Illique & inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuerunt, alia omnia virtuti suæ prona esse, cũ Gallis pro salute, non pro gloria certare. Et Livius, cum belli Achaici adversus Mesenen, particulam sibi referendam assumit. eius autem verba sunt hæc: Cuius belli causam, & originem si expromere velim, immemor sim propositi, quo statui nõ ultrà attingere externa, nisi qua Romanis cohærerent rebus. Eventus memorabilis est, quòd cũ bello superiores essent Achæi, Philopœmenes prætor eorum capitur, ad præoccupandam Coroneam, quã hostes petebant, in valle iniqua cũ equitibus paucis oppressus. Ipsum potuisse effugere Thracum Cretensium q; auxilio tradũt: sed pudor relinquendi equites nobilissimos gentis ab ipso nuper lectos, tenuit. Quibus dum locum ad evadendas angustias cogendo ipse agmen præbet, sustinens impetus hostium, prolapsus equo, & suo ipse casu & onere equi super eum ruentis, haud multum abfuit, quin exanimaretur, septuaginta annos iã natus: & diutino morbo, ex quo tum primùm reficiebatur, viribus admodũ attenuatus. Iacentem hostes superfusi oppresserunt: cognitum primùm verecũdia memoriaque meritorum haud secus quàm ducem suum attollunt, reficiuntque, & ex valle devia in vicum portant. Quem quidem locum ita executus est Livius, ut & funus referat, & honores penè divinos in eum collatos dicat, & annum eum celebrẽ morte trium clarissimorum ducum Annibalis, Philopœmenis, Scipionis.

Iam verò cum sit homini data à natura oratio, magna cum excellentia animalium cæterorum, ipsorumque hominum inter ipsos: sitque orationis propria vis movere animos, & quò velit flectere, nuncque pro re ac loco à metu trahat ad fiduciam, à dolore ad lætitiam, ab ocio ac mollitie ad laborem: eadémque fugientes retineat, irruentes impellat, dubitantes confirmet: huius esse memor re-

rum gestarum scriptor cum primis debet. Itaq; quoties res tulerit, imperatores ipsos inducet nunc confirmantes suos in periculis, nunc excitantes illos ad ea obeunda, aliàs exhortanteis, aliàs obiurganteis, & modò præmia proponenteis, modò admonenteis infamiæ, turpitudinis, servitutis, mortis. Videntur enim eiusmodi allocutiones, quæ nunc ad multos, nunc ad singulos habentur, decorare historiam, & quasi animare eam. In quibus quoties res ipsa tulerit, nervos orationis atque ingenij sui ostendet rerum scriptor. Nec solùm quæ dicta fuisse referuntur ab imperatoribus, verumetiam ea afferet, quæ verisimilia, quæque dicenda tempus, periculum, reique ipsius natura postulare videatur. Vteturque in increpando acrimonia, in excitando vehementia, in sedando lenitate, in impellendo contentione, in extollēdis rebus proprijs, adversarij deprimendis magnitudine ac linguæ suæ acie, rerum ipsarum qualitates, ac ducum maximè personas secutus. Magnificant autem historiam conciones potissimum rectæ illæ quidem, ubi imperatores ipsi & loqui, & agere introducuntur, ut quasi geri res videatur. Adhiberi tamen debent suo & loco & tempore, suumque ubiq; decorum retinendum. Illa verò trita sunt ante pugnam instruere aciem, indicare animorum habitum, nunc victoriæ, nunc cladis præsagium. Militum vel strenuè in acie, vel ignaviter facta referre: Ducum solertiam, adhortationes, consilia, & si quid strenuè manu ediderint memorare. Hic fortitudinis, prudentiæque, illic fortunæ casusque mentionem facere: à quo primum cornu aut fuga cæperit aut victoria, declarare. Post pugnam ac victoriam cædes, captivorum numerum, vexilla capta, prædam, spolia, direptiones recensere, præmia referre, commēdare fortitudinem, accusare ignaviam, miserari humanos casus, varietatem, ludumque fortunæ mirari, aut deorum vel iras, vel favorem: quæque alia vel eventus natura, vel ratio ipsa rerum laudanda aut vituperanda, iocundè, aut ægrè accipienda, miseranda, aut accusanda docuerit per ea evagari. Audite quæso

Sal-

Salustium post Catilinæ malè decertatam pugnam: Strenuissimus quisque aut occiderat in prælio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem qui è castris visendi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alij, pars hospitem atque cognatum reperiebant. fuêre item qui inimicos suos cognoscerent. Ita variè per omnē exercitum lętitia, mœror, luctus atque gaudia agitabantur. Et post Metelli prælium cum Iugurtha: Igitur pro metu repentè gaudium exortum. milites alius alium appellant; acta edocent atque audiunt, sua quisq; fortiter facta ad cœlum fert. Quippe res humanæ ita se habent, in victoria vel ignavis gloriari licet, adversæ res etiam detrectant. Metellus in ijsdem castris quatriduò moratus saucios cura reficit, meritos præmijs more militię donat, universos in concione laudat atque agit gratias, hortatur ad cætera quæ levia sunt, parem animum utī gerant, pro victoria satis pugnatum, reliquos labores fore prædæ. Nec pigeat referre quę à Livio dicuntur, post stragem ad Thrasimenum ab Annibale editam: Hæc est illa nobilis ad Thrasimenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. quindecim millia Romanorum in acie cæsa sunt: decem millia sparsa fuga per omnem Hetruriam, diversis itineribus urbem petiêre. mille quingenti hostium in acie, multi postea utrinque ex vulneribus periêre. Et post pugnam ad Trebiam factam, primò quid Annibal fecerit, refert. Finis insequendi hostis. Pœnis flumen Trebia fuit, ita torpentes gelu in castra rediêre, ut vix lætitiam victoriæ senserint. Deinde transit ad ea quæ Romæ agitabantur post cladis nuncium. Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, ut iam ad urbem crederet infestis signis hostem venturum: nec quicquam spei aut auxilij esse, qua portis mœnibusque vim arcerent, uno Consule ad Ticinum victo, altero è Sicilia revocato, duobus Cōsulibus, duobus Consularibus exercitibus victis, quos alios duces, quas alias legiones esse, quę arcesserentur. Quanta verò hac in parte scriptores varietate sint usi, magis ut appareat

subdam tertium quoque è Livio locum: Post superatum enim Beneventanorum in campis à Sempronio Gracco Hannonem Pœnum, postq; donatos libertate Volones, donisq; militaribus veteranos, atq; ignominiæ nota, quos par erat, affectos, signũ deinde Graccus colligendi vasa dedit. Milites prædam portantes, agentesque per lasciviam ac iocum, ita ludibundi Beneventum rediêre, ut ab epulis celebrem festumque diem actis, non ex acie reverti viderentur. Beneventani omnes turba effusa, cùm obviam ad portas exisset, conspectis militibus gratulari, vocare in hospitium, apparata convivia omnibus in propatulo ædium fuerant, ad ea invitabant, Graccum orabant, epulari permitteret militibus: & Graccus ita permisit, in publico epularentur omnes, ante suas cuiusque fores prolata omnia. Pileatis aut lana alba velatis capitibus Volones epulati sunt, alij accubantes, alij stantes, qui simul ministrabant, vescebantur. Placuit locos hos duorum ex eloquentissimorum scriptorum historijs referre, ut intelligeretis, qua varietate sint usi rerum explicatores; post eiusmodi strages enarratas, quæ varietas perlectis etiã prælijs alijs longè maior apparebit. Eadem habenda est ratio in obsidionibus expugnationibusque. Oportet enim aperire prius naturam, & loci, & civium, genus obsidionis & machinarum: quid intra urbẽ paretur, quid geratur in castris edocere, dolos, artes, insidias, diurnos, nocturnosque labores, ruinas, instaurationes referre, quęq; permulta. & obsidentibus & obsessis aut virtus contulit, aut fortuna ipsa, diligentiáve, aut negligentia partis alterius repentè obtulit, obiecitque vel abstulit, eripuitque consulto. Livius cum Thaumatorum situm describeret, quam urbẽ Philippus obsidebat rex, dum nomen ipsum interpretari vult, locum illum historię mirificè illustravit, inquiens: Vbi ventum ad hanc urbem est, repentè velut maris vasti, sic immensa panditur planicies, ut subiectos campos terminare oculis haud facilè queas: ab eo miraculo Thaumati appellati, nec altitudine solùm tuta urbs, sed quòd saxo undiq; abscisso rupibus

imposita est. Audiamus quæso & Sallustium fortuitam rem quāta cum dignitate sit executus. At Marius multis diebus & laboribus consumptis, anxius trahere animo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua sæpe prospera usus fuerat. Quæ cum multos dies noctesque æstuans agitaret, fortè quidam Ligus è cohortibus auxiliarijs miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod aversum prælantibus erat, animadvertit inter saxa reptanteis cochleas: quarum cum unam atque alteram, dein plures peteret, studio legendi paulatim propè ad summum montis egressus est. Vbi postquam solitudinem intellexit, more ingenij humani cupido ad difficilia faciendi animū vertit, ut fortè eo in loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paulum modò prona, deinde flexa atque aucta in altitudinem, quò cuncta gignentium natura fert: cuius ramis modò, modò eminentibus saxis nixus Ligur, castelli planitiem describit, quòd cuncti Numidæ intētī prælantibus aderant. Exploratis omnibus, quæ mox usui fore ducebat, eâdem regreditur, non temerè uti ascenderat, sed tentans omnia & circumspiciens. Itaq; Marium properè adit, acta edocet, hortatur. Et quæ sequūtur. Videtis quæ sit loci huius explicatio, quantaque cum tenuitate ac verborum gratia. Non exornavit modò orationē, verumetiam magnificavit res ipsas Livius, cum quasi repente oblatam causam, ab ipso libri illius initio exorsus est, his quidem verbis, atque his etiam verborum numeris. Inter bellorum magnorum, aut vix dum finitorum aut imminentium curas intercessit res parva dictu, sed quæ studijs in magnum certamen excesserit. M. Fundanius, & L. Valerius, Trib. pl. ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda. Tulerant eam M. Oppius, & T. Romulius, Trib. pl. Q. Fabio, T. Sempronio coss. in medio ardore Punici belli, Ne qua mulier plus semunciam auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur, neu iuncto vehiculo in urbe oppidóve, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causâ veheretur. M.

& T. Iunius, Tr. Pl. legem Oppiam tuebantur, nec eã se abrogari passuros aiebant: ad suadēdum, dissuadendumque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum faventium, adversantiumque legi complebatur. Matronæ nulla nec autoritate, nec verecundia, nec imperio virorum contineri limine poterant. Omneis vias urbis aditusque in forum obsidebant. Viros descendenteis ad forum orantes, ut florente republica, crescente in dies privata omniũ fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. Augebatur hæc frequentia mulierum in dies, nam etiam ex oppidis, conciliabulisque convenerant. Iam & consules, prætoresque & alios magistratus adire & rogare audebant. Tam multa autem animadvertenda sunt ab historicis, ut non reliquerit inexpressum Livi9 inenarratumque Numidarum equitum, equorúmque habitum, ac fœdam speciem At Numidæ equos conscendunt, & obequitare stationibus, neminem lacessentes cœperunt: Nihil primo aspectu contemptius, equi, homines que pauluii & graciles, discinctus & inermis eques, præterquàm quòd iacula secum portat: equi sine frenis deformes, ipse cursus rigida cervice, & extento capite currentium: hunc contemptum de industria augentes, labi ex equis, ac per ludibrium spectaculo esse. Nec Sallustius non & ipse faciem quoque ac nidorem Tulliani carceris explicuit? Circiter quatuordecim pedes humi depressus: eum muniunt undique parietes, atq; insuper camera lapideis fornicib. vincta, sed inculta tenebris, fœda odore, atq; terribilis facies eius. Hos locos ab eminentissimis viris sumptos afferre placuit, ut nō autoritatē ab ijs dictis cōparemus nostris, verũ ut præceptorũ locũ apud vos, quiq; hæc è vobis audierint obtineant, utq; diligẽtiores etiã multo quàm estis efficiamini explorãdis locis alijs, ijsq; considerandis, quibus tum Livius, Sallustiúsq; præcipue ttum alij rerum scriptores historias suas & locupletarũt abũde, & insigniter etiã decorarũt. Iam verò post expugnationes direptio & cædes ipsa campũ præbet quam latissimum edisserendi, quæ libido, ira, superbia, crudelitas,

litas,dolor,avaritia suadet victoribus,quæq; perpetiẽda victis atque expugnatis. Quæ quidem ipsa clariora sunt,quàm ut exemplis sint illustranda Hi tamen loci præcipuè,&scriptoris ingenium,quantum valeat ad movendos indicant animos,& quæ sit in eo augendi, atque magnificandi virtus,ac dicendi copia.

Illud verò rerum scriptori servandum maximè,atq; in tota rerũ serie,ut pro locis,rebus,occasionibus,iudicis ipse personam induat,ut laudet,condemnet,admiretur,deprimat,misereatur:nunc rideat humanos casus,nunc deploret: demũ meminerit demonstrativo in dicẽdi genere se versari,ac tum laudandi,tum vituperandi onus à se esse susceptũ. Sallustius in explicandis Catilinæ perversis consilijs,atq; coniurationis apparatibus,quasi dolore victus prorupit in hæc verba: Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maximè miserabile visum est:cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parẽrẽt,domi otiũ,atq; divitiæ quæ prima mortales putant, affluerent,fuere tamẽ cives,qui seq; & rẽpublicã obstinatis animis perditum irent. Nanq; duobus Senatus decretis ex tanta multitudine,neque præmio inductus cõiurationem patefecerat,neq; ex castris Catilinæ quisquam omniũ discesserat:tanta vis morbi,ubi tabes plerosq; civiũ animos invaserat. Et post captum à Mario oppidum, de quo paulo est antè sermo habitus, sententiã quasi iudicialem protulit. Sic fortè correcta Marij temeritas gloriam ex virtute invenit. Et Livius in explicãdo ad Capuam militũ Annibalis languore ac desidia, Maius inquit,id peccatum ducis apud peritos artium militarium habetur, quàm quòd non ex Cãnensi acie protinus ad urbem Romam duxisset exercitum. Illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit,hic error vires ademisse ad viñcendũ. Item post eruptionem ad Nolam à Marcello factam: Ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit. Non vinci enim ab Annibale difficilius fuit,quàm postea vincere. Et alibi:Eludant nunc antiqua mirantes. Non equidem,si qua sit sapientium civitas, quam docti fingũt

magis quàm norunt, graviorem temperatiorémque à cupidine imperijs aut multitudine melius moratam censeam fieri posse. Eiusmodi autem exempla affatim multa extant, quę sequenda sunt rerum gestarum scriptori sua cum maxima laude & historiæ dignitate. His itaque servandis non laudatoré modò se nobiliũ nunc facinorum, præclarissimarumque actionũ, nunc reprehensorem turpium abiectorumq; ostẽdet egregius rerum gestarum expositor, verum etiam virtutis ipsius patronũ, admonitorémq; sapientiæ præ se feret & quasi magistrum: quando historia ipsa vitæ est hominum ac rerum humanarum magistra. Idem Livius de Annibale Italia excedente sic loquitur: Raró quenquam hominem, patriam exilij causa relinquentem, tam mœstum abijsse ferunt, quàm Annibalem hostium terra excedentem: Respexisse sæpe Italiæ litora, & deos hominesque accusantem, se quoque ac suum ipsius caput execratum, quòd non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset, Scipionem ire Carthaginem ausum, qui Consul hostem Pœnũ in Italia non vidisset, se centũ millib. armatorũ ad Thrasimenum aut Cannas cæsis circa Casilinũ, Cumásq;, & Nolam cõsenuisse. Hæc accusãns querẽsq; ex diutina possessione Italiæ est detractus. Hic igitur præcipuè locus admonere rerum scriptores potest, qua animi pensione uti debeãt, quodque adhibere iudicium ac curam, non in enarrandis modò rebus ipsis quæ gestæ sint, sed illis etiam innueudis effingendisque, quæ concipi cogitatione, & colligi coniectura possunt, pro rebus, negotijs, temporib. personis. Quæ singula velle complecti, nec consessus est huius, & videtur esse satis admonuisse: cum præsertim sit ostensum, Historiã Poëticæ maximè esse similem, ipsa uerò Poëtica naturam potissimùm imitetur.

Diximus hactenus de rebus, quibus differendis fuimus fortasse longiores, reliquum est de verbis ut dicamus, cum ijs è dubbus Historia, ut dictum est, constet. Illud igitur videndum est primùm, ut ea sint propria, accommodata, delecta, usitata bonis ab autoribus, pro

loco ac re sumpta: quanquam interdum pro rei magnitudine, à Poetis quoq; mutuanda sunt, quod frequentissimè omniũ servavit Livius. & Cicero ait, Poetam Oratori esse finitimũ. Deinde ut ea bene sint opportuneq; collocata, ipsaq; ut collocatio sit artificiosa, varia, multiplex, numerosa, habeatq; rationem non æquabilis solum, sibique consentientis texturæ, verùm etiam decursus ac soni. Qua quidem de re aures sunt potissimùm consulendæ. Adhæc summa ea cura expolienda, exornãdaq;, ut nec forma ornatu careat extrinseco, nec ornatus appareat, aut negligenter adhibitus, aut alienus à forma, retineatq; tum venustatem pro re ac loco, tum etiam gravitatem ac supercilium. Quarum rerum omnium Cicero optimum se nobis magistrum exhibebit. Usu venit autem in componenda historia, quòd in ædificandis tum domibus, tum navibus, multas subinde fieri rerum commissuras, & quasi membrorum inter se coniunctiones, quas prudẽtia, ordinisque solers ac circumspecta ratio moderetur, oportet, quæque & ipsa locorum quoque ac temporum rationem habeat, ut post narratas explicatè diligenterque res alias, transgrediatur ad alias. Indeque postquam parti huic satis fecerit, ad continuandã regrediatur priorẽ materiam. rursus ea, quantum satis erit, explanata, reditum ad alteram illam faciat; aut si rei ratio tulerit, ad aliam, moxq; ad aliam: ut cùm Livius post descensum ex alpibus Annibalis, postq; prælium cum Scipione factum, proditumq; Clastidium, subiungit rem navalem, inquiens: Interim circa Siciliam, insulasq; Italiæ imminentes vigintiquinq; remes cũ mille armatis ad depopulandã oram Italiæ à Carthaginensibus missæ, novem Liparas, octo insulam Vulcani tenuerunt, tres in fretũ avertit æstus maris. Deinde revertitur ad res ab Annibale gestas, post que Placentinã pugnam transit in Hispaniã: Dum hæc in Italia geruntur, Cn. Scipio in Hispaniam cum classe missus. Hæ igitur sive commissuræ, sive diversarum in historia rerum inter se connexiones, eiusmodi esse debẽt, ut partes quæ hinc atq; illinc explicãdæ subiungũ

tur, sint per se integræ, claræ, minimè perplexæ atque ab ipso quamprimum initio appareant esse aliç, quod præstabunt verba primo loco, & ipsis quasi in foribus posita, qualia sunt, Interim: & Dum hæc geruntur: & Per id tempus: quæq; & Salustius & Livius, & cæteri omnes usurpant. Itaque committendis, atq; subnectendis his primùm omnium id videndum, uti diversitas materiæ confestim elucescat, intelligaturq; quasi membrum quoddã corporis ab alio membro diversum: ac nihilominus ut mẽbra nostri corporis nervis cõplicantur, sic partes hæ verbis quammaximè aptis, nervorumq; præstantibus officium, aptè inter se prudenterque iungantur. Quocirca ad ingenium, atque à natura tributa dicendi dona, adiungenda est lectio optimi cuiusque ex Græcorum & Latinorum autoribus, quæque in illis cernuntur, apparentque eminentissima, ad ea tanquam ad metam dirigenda est omnis scriptorum opera & cura, ut similes, ut pares, si superare illos minus valuerint, aut imitatores saltem boni ut evadant, laudemque si non primi aut secundi loci, aliquam quoque & ipsi certam propriamque ac studijs suis dignam consequantur.

Ac mihi quidem res gestas memoriç qui mandant, officioq; funguntur tradendi ad posteros res præteritas, non minore fortasse laude digni videantur, quàm qui leges tradidêre vivendi. Illi enim precepta, exempla hi nobis tradidêre: quippe cùm proprium eorum officium ac munus sit, sustentare ingenio suo vitæ nostræ imbecillitatem, atque mortalitati ire obviam, ne quantum in ipsis est, dicta factaq; memoratu digna, resque præclarè atque excellenter gestas tempus obscuret, néve eæ omnino è memoria excidant, quæque imitatione atq; cognitione digna sunt, ævo ea ne intercidant, quib. mortale genus ad virtutẽ excitetur & gloriam: ut qui legunt qui de ijs loquuntur, intelligant omnes quo ore, quoq; animo laudẽtur honesta, vituperentur turpia & improba: ut fortunã, ut varietatem, inconstantiamq; rerũ humanarum animadvertentes, discant in adversis esse patientes ac firmi; in

pro-

prosperis continentes & lenes: in deiectionibus ac ruinis fortes robustiq;, ac spiranti fortuna mansueti, faciles, placidi: in opulentia liberales ac benefici: in inopia sorte sua si non contenti, saltem non abiecti, non squalidi: ut nihil quod accidat homini novum existiment, nihil repentinum mirentur, nihil aliquando reantur aut posse accidere, aut putent non quandoque etiam accidisse. Macti igitur diuturnitate estote ac laude rerum scriptores, quorum opera & studio effectum est, ut sciamus, qui primi deum cognoverint, intelligamusque quibus eum sacrificijs, votis supplicijsque veneremur, colamus, placemus: quorum item beneficium ac munus fuit, ut cognosceremus, qui leges tulerint, naturæ secreta aperuerint, artes invenerint, vivendi præcepta tradiderint. Quæ dum sequitur genus hominum è sylvis atque à fero victu, cultuque liberum, in urbes se contulit atq; in libertatem, In quibus pietatem, fidem, æquitatem, amicitiam, humanitatem, iusticiam, urbanitatem denique omnem exerceat, seque homo ipse dijs non modò gratum ipsis, verumetiam persimilem, invicem gratuitoque benefaciendo reddat.

Constat igitur historia & rebus & verbis, verùm esse debet, ut ultimo dictum est loco, elegantia & propria, & bene decenterque collocata & sparsa. Res ipsæ constant ordine, dispositione, quibus coniunctæ sunt descriptiones causarum, temporum, rerum præteritarum, antecessionumque, ingenij, morumque eorum, qui bellum administrant, virium, societatum, apparatuum. Item descriptiones regionum, locorum, urbium, fluminum, montium, & si qua in illis memoratu digna. Itinerum quoque, casuum, eventuum, pugnarum, quæque pugnam sequuntur. Ad hæc, obsidionum, oppugnationum, expugnationumq;, quæque expugnationem comitari consueverunt. Accedunt his personæ, laudantis scilicet aut improbantis pro re ac tempore, lectio item atque imitatio. De genere autem ipso dicendi, quale scilicet cōveniat historiæ, dictum est. De Brevitate similiter ac Celeritate:

quarum altera est historiæ commendatrix, altera locupletat eam atque magnificat. Itaque plura de hac re loqui, præcipientis est velle personam assumere. Quocirca ne mihi sit cum Grammaticæ patrocinatoribus contentio posthac ulla, finem dicendi facio, meque à promisso absolvo, quãdo factum est à me, ut arbitror, satis promisso, & fortasse amplius, quàm iudicari posſit eſſe promiſſum. PVD. Et promiſſis à te satisfactum Altili confitemur omnes, & differendis ijs incredibili voluptate nos affecisti, dum rem sparsam, ac passim iactatam colligis, collectamque ordine, suaque regula ac lege sic componis, ut si qui posthac redacturi ea sint in præcepta, facilè quidem præstaturi id videantur. Nec his contentus laudes quoque historiæ addidisti, & quàm ea sit utilis mortalium generi, multa cum gravitate docuisti & copia. Cæterùm nescio voléns ne, an negligens prætereris ea, quę ad scribendas magnorum virorum vitas spectant. quo in genere historię Græcè Latineque versati sunt permulti. AL. Atqui Puderice de toto & integro nos historiæ corpore locuti non de parte sumus, quæ & ipsa ad totius imaginem componi pro natura sua potest. Itaque ut pauca quædam in hoc quoque genere scribendi tradamus, quod ipsum Demonstrativum est genus (nam qui vitam alicuius scribit, in locos nunc laudis, nunc vituperationis incidit, cuius rei monitum fecisse eum satis est) tria cum primis servanda censemus, ut scriptio ipsa sit brevis, sit diligens, atque ut etiam gravis; adde, si placet & quartum, ut sit ea quammaximè quoq; elegans. Brevitas autem erit talis, ut rerum summas paucis complectatur. Diligentia tanta, ut nihil omittat, quòd iudicetur memoratu dignum. Gravitas item ea, quæ addat explicationi ac dictis pondus, quæque & authorem rerum & scriptorem commendet. Nam præter veritatem nihil potest esse commendabile. Quid obsecro tam est adversum, quàm vanitas historiæ, quæ vitæ magistra esse dicitur? Elegantiam idcirco dicendi maximam hac præsertim in parte exigimus, quòd hec

ipsa

ipsa scribendi pars permultis sit alijs laudibus ac virtutibus caritura. Itaque compensetur utique elegantia, quod deerit de cultu, ceteroque splendore. Cuius rei Cæsar gravissimus esse potest & testis, & monitor: de cuius Commentarijs etsi multa in exemplũ adduci à nobis poterant, tamen scribendi genus historicum ex omni parte minimè complexus est Cæsar: quippe qui materiam & præbere & relinquere maluerit alijs de se scribendi. Et qui pictor, aut statuarius imaginem facturus est, quæ totius referat corporis pulchritudinem, nimirum pulcherrimi cuiusque viri speciem sibi in exemplũ assumit: non eius qui parte tantùm præcellat aliqua, sed qui omnibus. Nam quanquam & Tacitus & Curtius abundè sunt laudibus ac virtutibus ornati suis, laus tamen omnis Latinæ historiæ penes duos putatur existere, diversoque in dicendi genere, Livium ac Sallustium. Adhæc iniquitas temporum Trogum nobis omnino abstulit, & Curtium ac Tacitum quasi mutilatas videmus statuas: licetque suspicari potius ac conijcere, quàm omnino de ijs iudicium aliquod absolutum ac certum tradere. Quid quòd noster paulò antè Actius uno fuit ubique ferè contentus Virgilio? videlicet quòd ab optimo quoque suo in genere quærenda est semper authoritas. Quod autem (sicuti ex oculis ac vultu conijcio) Prassicius hic noster dicere paratus est aliquid, officiumque absolutum est meum, dicat pro arbitrio vir & in Poëtica, & in Oratoria maximè exercitatus, depromatque de pectore apprimè fœcundo dignum aliquid, seque & hoc ipso consessu, ut munus & ipse quoque suum adimpleat.

PVD. Atqui ut ordo léxque ipsa sessionis huius idipsum exigit, & nos omnes non istud ipsum modò petimus, verumetiam rogamus, atque exposcimus. PRASS. Equidem ex ijs, quæ acutè, graviter, eruditéque ab Altilio sunt de lege historiæ dicta, quæque antè Syncerus Poëticis de numeris: ipse verò Altilius de verbis nuper atque ornamentis disseruit, magis magisq; incendor ad pervestigandũ Poë-

ticæ finem, quem ex ore senis nostri esse Syncerus initiò retulit, bene atque appositè dicere ad admirationem comparandam. Convertor autem ad te Parde potissimum, quem dicendi labor non adeò ut hos ipsos delassavit audientiam primò abs te exposcens: deinde sententiam in his quoque requirens tuam.

PAR. Et audientem me pérque intentum in dicendo habebis, & paratum etiam respondere ad ea, quæ ex me intelligere ipse voles, aut quid ipse sentiam aperire, si opinionem fortasse meam tentando sciscitaberis.

PRASS. Principiò quòd Cicero ait, finitimum esse Oratori poëtam, duo, ut mihi videtur, cur in eam sententiam venerit, omnino illum movêre, & quòd uterque versatur in dicendo, & quòd utriusque communes sunt laudationes, quod demonstrativum genus dicitur, tametsi & deliberationes quoque: apud Poëtas enim tot deorum concilia, consultationésque, nónne hoc nobis palàm faciunt? Habent igitur tum laudationes tum deliberationes inter se communes: bene item & consummatè dicere suo uterque in genere dicendi, cùm alter solutus incedat atque promissus, alter astrictus numeris, ac pedibus certa lege coërcitis. Quin verba quoque & ipsa sunt inter eos communia. Verùm alterius digna foro ac Senatu, quæque gravitatem satis est uti sequantur, retineantque dignitatem: alterius, quæ magnificentiam, altitudinem excellentiamque quasi quandam ostentent. Neque enim gravitas comparandæ admirationi sátis est sola, ni magnificentia accesserit excellentiaque & verborum & rerum: utque ego arbitror, hoc illud est, quod ait Horatius:

—Mediocribus esse Poetis,
Non homines, non dij, non concessere columnæ.

Cùm oporteat eos suo in genere excellere, neque aliter digni eo nomine videantur. Hoc etiam est & illud, quod à Cicerone dicitur, singulis vix seculis bonum Poëtam inventum. Perrara namque omnis est excellentia, quodque Oratori satis est benedicere, atque appositè, id oportet in Poëta sit ut excellenter. Ac

tametsi

tametsi Oratoris quoque aliquando & magnificè & excellenter, tamen id non ubique, neque semper: cùm Poëtæ hoc ipsum ubique suum sit ac peculiare, etiam cùm in minutissimis atque humilibus versatur rebus. Siquidem necesse est & minutissimis & humilibus describendis rebus appareat etiam eius excellentia. Nam & quæ fuit naturæ excellentia creando in homine, eadem nec minor pro specie illarum ac forma in apibus atque formicis fuit. Vtriusque etiam Oratoris ac Poëtæ officium est, movere & flectere auditorem. Verùm quónam, quò, inquam, hæc & commotio & flexio, & maximum utriusque in hoc ipso studium? Oratoris scilicet, ut persuadeat iudici: Poëtæ ut admirationem sibi ex audiente ac legente comparet: cùm ille pro victoria nitatur, hic pro fama & gloria, quæ videtur sola ac maximè ab hoc scriptorum genere quæri. Et orator quidem ubi minimè persuaserit, potest sine contentus esse, quòd benè, quòd appositè, quòd consummatè dixerit in causa. At poëta fine omnino defraudabitur suo, nisi in audientis ac legentis animo pepercerit, infixeritque admirationem, per quam sit famam, venerationemque assecuturus. Nec verò audientem aut legentem eum nos intelligi volumus, cui sit admirationi Bavius aut Maximianus, sed cui magnam quoque mentem Delius inspiraverit vates: vix enim de bono poëta, nisi & ipse auditor bonus Poëta iudicare rectè potest. Tametsi nescio quomodo à natura ipsa instituti nonnulli, alij in Musicis, alij in Pictura, in Poëticis alij: neque Poëtæ tamen ipsi, neque pictores, aut Musicam professi, bonum quid in ea sit arte sentiunt: optimum verò sentire haud poterit, nisi quem ars quoque cum natura ipsa ingeniosum pariter atque solertem fecerint. Quocirca mediocritas illa, quæ in rebus plerisque omnibus conceditur, Poëtæ omnino adversatur, eique minimè est concessa: nisi fortè dicendi excellentia & magnificentia illa sit vocanda mediocritas in genere dicendi poëtico, quando excellentia dicendi in Poëta ut vacua esse debet inflatione, atque intumescentia, sic nullo debet

modò de gradu suo deijci, Quid quòd oratorē multitudinis præsertim impleturū aures aut unius iudicis, aut paucorum admodum; multæ illum adiuvare res possunt? At Poëta solis excellentibus, ingenioq; excellenti præditis, sola & una cum excellentia potest satis facere. Quocirca coniunctus & ipse ratione hac historico est, quòd lectoribus, ijsque literatissimis viris, non iudici scribit aut multitudini. His itaque permotus senis nostri sententiæ accedo, Poëtæ sive finem, sive officium esse, bene atque excellenter loqui ad admirationem. Quòd si Parde probaveris (nam Syncerum id probaturum testificari ea possunt, quæ in initio dissertionis suæ attigit) Altilium sat scio, qua est observantia in senem & cultu minimè dissensurum.
PAR. Visus es mihi Prassici probandis Poëticis his non minus quàm ex Aristotelica disciplina, ex ipsa etiam rei natura esse locutus, & quòd multa sunt Oratori & Poëtæ communia, & quòd in non paucis etiam differant inter se. De fine verò, officioque Poëtæ si quis aliter sentiat, meo iudicio in vidè magis quā verè sentire videbitur, dū quòd Poëtæ ipsi gloriātur se tantùm quærere, nomen scilicet ac famam, invidere illis & pretium & laborum tantorum summam volunt. Et quod in Oratore exigitur benè & consummatè, id in Poëta esse debere excellenter, id profectò mihi & verissimè & appositissimè à te dictum videtur. Nam te obsecro per Musas ipsas, perq; tantopere à nostro cultam sene Vraniam, quid nisi admiratio, quid, inquam, nisi una & sola admiratio quæritur ex magnificis illis & maximè numerosis verbis dictisque.

——Dicam horrida bella,
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamq; sub arma coactam
Hesperiam: maior rerum mihi nascitur ordo,
Maius opus moveo,—— Quid? cum
——Stabuli de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem, qua protinus omne

Con-

Contremuit nemus, & sylvæ intonuère profundæ.
Audijt & Triviæ longè lacus, audijt amnis
Sulphurea Nar albus aqua, fontesque Velini.
Quid amplius?
Et trepidæ matres preßère ad pectora natos.

Quò quęso & res & verba tanta cum industria & arte inventa & posita, nisi ad movendam spectant admirationem? Quò, inquam, & illa?

—— Aßum dirarum à sede sororum.
Bella manu, letumque gero.—— Et:
Olli somnum ingens rupit pavor.——

Itaque non verbis modò magnificis, sed rebus quoque & inventis excellenter & expressis, admiratio à Poëtis quæritur: ut cùm Poëtica sicut historia constet rebus ac verbis, his utrisque Poëta ad admirationem conciliandam non utatur modò, verumetiam innitatur. Quamobrem quòd veritas præstare hoc sola minus posset, veritatem nunc inumbrant fictis fabulosisque commentis, nunc ea comminiscuntur, quæ omnino abhorreant à vero, atque à rerum natura, ut cùm:

——Fit tortile collo
Aurum ingens coluber.—— Et:
Virginei volucrum vultus.—— Et:
Tertia sed postquam maiore hastilia nisu
Aggredior.——

Itaque quæ à te Prassici in tota hac quæstione dicta & disputata sunt, omni ex parte à me, ac summopere etiam probantur: & cũ de admiratione loquamur, ne discedamus à cognatis verbis, mirificè etiam probantur. Quocirca ad reliqua PAVL. Quæri autem ab illis admirationem, hoc est, approbationem & plausum quasi quendam eorum quæ dicantur, cum animorum admiratione illorum, qui audiunt, & qui legunt, quæ à te delibata sunt, Parde, duo illa potissimùm docent & res & verba. Siquidem neque res ipsæ, quales gestę sunt, perinde atq; ab historicis narrantur: neque Poëtæ ipsi verbis semper agunt usitatis ac simplicibus: nam & rebus gestis ornatum aliunde,

& magnitudinem & decorem, ubique ferè arcessunt à figmentis videlicet, ut cùm scripturus esset Virgilius navium Aeneæ concremationem, finxit ea quæ leguntur de Cybele, de Iove, de navium conversione in nymphas:

—Cùm virgineæ, mirabile monstrum,
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.

Quo enim maiora atque admirabiliora, quæ ab ipsis dicuntur, appareant, humana ad deos transferũt, fingunt monstra, mittunt insomnia, deos denique in homines vertunt. Comparationes quoq; quibus frequentissimè utuntur, non magis ad docendum atque illustrandum pertinent, quàm ad movendam admirationem. Quid obsecro sibi vult aliud Cupido in Ascanium? quid Mercurius toties è cœlo in terras missus? nisi ut qui legunt, admiratione impleantur? Parum profectò parum erat utiq; Maroni tempestatem describere, quæ per se ipsa magna quidem erat atque horribilis, sed Iunonis ad Aeolum, sed Aeoli ad Iunonem allocutiones admirabilem multò maximè eam faciunt, ventorum ipsorum deo illam exciente. Itaq; intonantur magis quàm dicuntur illa:

—Cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus, ac venti velut agmine facto
Quà data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Quid excogitatius ad conciliandam admirationem? Re autem vera Aeneas à Lacinio Calabriæ promontorio, sacris Iunoni ritè prius persolutis solvens, quò præterita Sicilia ad oras Latinorum classem appelleret, fuit à tempestatibus Drepanum perlatus. Videte obsecro, quibus veritatem commentis concinnaverit, quo admirabiliora cuncta redderet. Verba autem ipsa Poetæ, quique verè dicuntur Poetæ, non solùm simul compangunt, aut ea novant, ut mare velivolum, ut sylvas comantes, horum ipsorum quę nunc à me dicuntur gratia, verùm ea transferunt, neq; verba tantùm, sed orationem persæpe omnem. Quinetiam & excessum, & superstitionem ijs persæpe adijciunt à natura penitùs recedentes. ut, &c.

FINIS.

DE INSTITVTIONE HISTORIÆ VNIVERSÆ ET EIVS CVM IVRISPRVDENTIA Coniunctione.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ LIBRI II.

AD OPTIMVM PRINCIPEM ANTONIVM BORBONIVM REGEM NAvarræ, ducem Vindocinensem, &c.

FRANC. BALDVINVS.




EGES, sine aliquo munere non esse salutãdos, vetus lex Persica monebat, Rex optime. Ego, quia cùm hucvenirẽ, etsi maiestati tuæ fausta omnia precarer, tamẽ de ea propiùs salutanda non cogitabam (non enim tantum audaciæ vel natura, vel consuetudo, vel conditio mea mihi dat) nihil mecũ attuli, quod tibi offerre cogitarem. Sed cùm incredibilis tua humanitas atque comitas (comitas ista tua Regia amplitudine digna) occurrerit, & præter expectationem meam me appellans voluerit, te ut sæpius salutarem, statim qualescunque meis fortè sarcinulis schedas includerẽ, excußi, si quod ex ÿs for-

te in hoc aulico procinctu concinnare possem munusculum, non iam dico literatum, at literarium saltem (non enim aliæ facultates nostræ sunt) quod neque ingratum tibi esset, neque esset alienum abs studio antiquitatis, ex qua re petendum esse, quod nũc tanta contentione in Rep. quæritur, respondisse me fateor. Ergo quem unum habui libellum, profectionis forte meæ comitem, in quo parvum operis cuiusdam magni principium inclusi: quandam dico meam de institutione historiæ universæ inchoatam commentationem, tibi Rex offero. qualemcunque nunc possum meæ erga te observantiæ testificationem: testem etiam eius instituti, quod in hisce studijs persequi non recusem, &, si tu iusseris, persequar. Vale, Parisijs Idibus Iulijs.

MICHA-

MICHAELI HOSPITALIO GALLIÆ CANCELLARIO, FR. BALDVINUS S. D.



TSI persæpe tua mihi perspecta benevolentia atque comitas sit, cùm de studijs Iuris Civilis, quod in tuæ Iurisdictionis Academia docebã, te consulerem, amplißime Domine: tamen ego nunc te appellare nunquã ausus fuissem, nisi si caussam, quam ad te refero, tua cognitione non indignam esse putassem: et magnam rem agi, magnoq́ in ea opus esse iudice, in quo summa caußæ intelligentia, auctoritasq́ summa inesset, existimassem. Iuris Civilis ordinariam in scholis interpretationem fateor rem talem tantamq́ esse, ut qui ei satisfecerit, præclarũ quippiam perfecisse videatur: neq multi, qui id præstare planè poßint, doctores esse dicantur. Sed nescio qui factum ut Iurisprudentiæ amore atque admiratione incitatus, semper optaverim altiùs eam attolli: neq vulgari & trita, quæ humilis atq exilis esset, tractatione contentus eßem: interdumq́ etiam in hisce studijs sentirem, quod ille apud Poetam audax adolescens ait:

—Aliquid iamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.

Ergo me continere nõ potui, quin ubi scholam, in qua mei Iuris eram, nactus eßem (etsi cõparatũ ad rem tã magnã fortaße auditoriũ non esset) aggressus sim ad eã Iurisprudentiæ atq historiæ coniunctionẽ, quã necessariam esse duco ad civiliũ studiorum & dignitatẽ

tuendam, & explicandam utilitatem. Atque ut Aristotelis, cùm ἀκροαματικὰ καὶ ἐξωτερικὰ doceret, audieram olim duplicem fuisse περίπατον, ἑωθινὸν καὶ δειλινόν: ut Veteres loquebantur: sic cùm manè in auditorio Ius Civile docuissem, pomeridianam quandam historiæ universæ prælectionem institui. Sic enim convertendum esse putavi vetus illud:

His manè Edictum, post prandia Callirhoen do.

Nam etsi neque rei magnitudinem, neq; conditionis meæ mediocritatem ignorarem, tamen voluntatem meam inflammavit rei præclaræ admiratio: neq; hanc alacritatem, quam alebat eius lectionis sive voluptas sive utilitas, aut ullus labor fatigare, aut quorundam iniqua ingrataq; iudicia infringere potuerunt. Quam alij Callirhoen pomeridianam dent suis auditoribus, ipsi viderint: ego quã meis dare volui, eam mirabiles amores excitare sui, cumq; ea ipsum Edictum matutinum multò amabilius esse sensi: tantoq; propterea magis, quã horum studiorum coniunctionem instituerã. etsi multæ me difficultates distraherent, ut persequerer, animum obfirmaui. Nam & ex ea novos veluti spiritus ipsa mihi Iurisprudẽtia cõcipere visa est. Neq; verò, quod semel in hoc genere tentavi, tam malè successit, quin ad id eadem rursus via aggredi, etiamnum cupiam: neq; desperẽ absolvi nõ longo tempore posse talem prælectionẽ. Quid multis? Quid Reipublicæ causa in hisce studijs velim, vides: quæq; sit huius nostri instituti ratio tota, ex hisce prooemijs, quæ ad te mitto (etsi humiliora hæc quidem sint, quàm ut ad ea cognoscenda amplitudini tuæ descendendum sit) æstimare poteris. Sed si quod optamus, abs Iurisprudẽtiæ dignitate non esse alienũ statueris, ego te appellabo (quem

enim, cùm hanc causam ago, potius appellarē?) ut, licet facere non possim, quod fieri debere dico, tamen ab alijs, qui possunt, ut id fiat, imperare velis, præsertim cū iam eò togatæ Galliæ studia præclara ultrò propendeāt: in cuius demū veluti theatro cum aliquo splendore explicari res ea possit. Tua modò auctoritas necessaria est: quā minimè defuturam esse cōfido, ut quā olim Athenis scholā instituerat Mnesiphilus Themistoclis præceptor, qui et in ea successorē habuit Solonē, aliquādo Gallia instauret: quæq; disciplina multū tibi debet, plurimū etiam debeat: et quæ per te salva est, sit etiā ornata: illa (inquā) civilis disciplina, et tuis erga se, et suis erga te meritis atq; beneficijs devinctissima: quæ nunc suū in te summū decus tā illustri et excelso positū in loco etiā admiratur: nihilq; iā propterea, quod humile sit, spirat. Scis nō esse satis, quòd eā abs barbarie liberaveris (etsi maximū hoc quidē beneficiū sit.) Altiùs attollendā eius magnitudinem: cumulandam etiam et exaggerandā eius gloriam esse vides. Deniq; vides, quid illa postulet, ut ex eius schola deinceps nō prodeant oratores novi, stulti, adolescētuli, qui Rempubl. citò perdant, ut est in veteri carmine. Imò verò ut illa det Senatores, quales nūc Reipublicæ status, et deliberationum, consiliorum, iudiciorumq; difficilis hoc tempore conditio requirit: quales (inquam) multos hisce diebus in amplissimo & nobilissimo Senatu, cui præeras, cùm de re omnium rerū maxima quærere tur, sententiā abs te rogatos sapientissimè ex antiqui tatis memoria dixisse accepimus: cùm quidē etiam ijs præiret pietas et sapientia tua, quæ in hac rerū tempo rūq; perturbatione, quid facto sit opus, exēplo inde repe tito rectè monet, & veluti ad clavū sedens in hac tāta

tẽpestate, tale Veterũ consiliũ advocat, cùm operã dat, ne quid Respub. detrimenti capiat. Itaq; et quã tu hac ratione inijsti viã moderationis, omnes sapientes, qui tuis vestigijs lubẽter insistunt, ingredientur, ut pedib. in tuã eant sententiã: in qua Iurisprudẽtiæ nõ iam di cã salutare sydus, sed divinũ quoddã numen agnoscũt & admirantur: neq; bonos unquã pœnitebit (fremat licet quorundã intemperies) eodẽ exẽplo recta dedisse cõsilia pacis et cõsensionis, repetijsse et proposuisse Constantini in Niceno et Theodosij in Cõstantinopolitano cõcilio æquissimã conditionẽ: et vel in unius Theodosij ætate atq; imperio ostẽdisse, quod nostri temporis causa cautũ et comparatum esse videatur. Deniq; laudasse bonæ Antiquitatis memoriã, & respõdisse, ex ea esse repetendã quæstionem, quæ orbẽ nostrũ concutit, bene temperatã definitionẽ, errorumq; grassantiũ iustã, & abs sævitia tamen vel sanguine alienã coercitionẽ. Scio nunquã maiori de re in hoc maximo Regno institutã esse deliberationẽ. Sed tantò magis gaudeo, nunc oblatã esse occasionem explicandæ utilitatis earum literarũ, quarũ studia commendo. Scio etiã (quod quidẽ sæpe alias, sed hoc tẽpore maximè expertus sum) fieri vix posse, quin qui abs factionib. partiũ alienus, ex cõsilio Antiquitatis temperanter sentiat & loquatur ea de re, de qua nunc quæritur, sentiet in tuenda recta sentẽtia plurimũ esse negocij, & multis utrinq; calũnijs (quãdo enim his obnoxij nõ fuerunt rectè sentientes?) variè vexetur. Sed ea demũ vera virtus est, quã vel ingratorũ hominũ malitia infringere, vel perfidiosorũ fraus atq; iniuria debilitare nõ potest. Certè viri boni et sapientis animũ et cõscientiã bonã, multis cõstantiæ exẽplis historia obfirmabit. Paris. Idib. Iul.

DE

DE INSTITVTIONE HISTORIÆ VNIVERSÆ,

& eius cum Iurisprudentia Coniunctione,

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ LIBER I.

FR. Balduini I. C.



CONDITI à Deo sumus & collocati in hoc mundo, tanquam in amplissimo quodã amphitheatro, primùm ut spectatores, deinde ut actores, atque etiam ut iudices quodammodò simus. Spectatores dico, non earum modò rerum, quæ in oculos nostros incurrunt: sed & earum, quas memoria nostra comprehendit, & iam olim præteritas nobis tanquã præsentes sistit. Non possumus, si oculos habemus, non spectare res naturales: quas & orbium cælestium assidua conversio, & hic telluris globus immobilis quotidie spectandas, contuendasq; nobis vel invitis offert, admirabili quidem varietate differentes, sed constanti tamen & perpetua vicissitudine recurrentes: quarum quidem certè considerandarum causa natos etiam homines esse magni olim Philosophi dixerunt. Sed hæc (ut vocatur) θεωρία, quæ & historia naturalis appellatur (ut rerũ physicarum scientiam Plato vocat historiã) eius, de quo nũc loquor, amphitheatri admirabilẽ modò structurã, amplitudinẽ, ornatũ, & (ut uno verbo dicã) mũdũ sive κόσμον ostẽdit. Res verò, quarũ causa illud conditũ est, & quę in eo, atq; in hac vita inter homines aguntur, geruntur, fiunt: res dico humanas, & coniunctas cum humanis divinas, quæ sunt veluti actiones, in illa scæna iam inde ab orbe condito inchoatæ, & ad ætatem usque nostram perductæ, illa demum, de qua loqui instituo, historia

intelligentiæ,memoriæ,animisq; nostris contemplandas,tanquam in tabula pictas,proponit:quo magis(utar enim Ciceronis in Bruto verbis) explicatis ordinibus temporum , uno in conspectu omnia videamus. Duo itaque genera rerum cùm sint, naturalium,quæ semel conditæ sunt,& humanarum,quæ quot vel diebus vel annis sunt actæ: de his potiùs, quàm de illis, nunc quærimus. Naturalem(ut vocant) historiam fateor dignissimam esse,cui operam demus,ut cæli(si ita loqui licet)œconomiam: Solis,Lunę,stellarum,planetarumque motus, & naturam, & eorum, quæ sub Luna in aëre fiunt, conditionem: animalium deinde, quadrupedum, avium, piscium, stirpium, metallorum, & aliarum rerum, quas vel terra vel aqua gignit alitúe, vim consideremus: postremò quod de animo corporéque hominis cognoscendum est, non ignoremus. Magna fateor & admirabilia esse illa. Non enim Hortensium audio, qui aliquando apud Ciceronem cum historiam laudare vellet, philosophiam naturalem vituperavit. Sed ut hanc laudandam esse dico, sic ad illam potius nunc me & aggredi profiteor, & magis incitari maiorique admiratione impelli sentio. Nam & quantum homo excellit quicquid in hoc orbe conditum est:tantò sunt res humanæ cum suis consilijs,iudicijs,eventibus excellentiores:quantumque ratio & intelligentia res aut brutas aut inanimes superat:tantò sunt humanę supra naturales. Audio equidem,ecquò Africanus suum Scipionem in illo sapientissimo somnio revocet: Sentio quanta res sit, contueri maxima illa templa, tot orbibus, globisque connexa, quorum (ut ille ait) cælestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, celeritate incredibili voluitur, secumque rapit & rotat alios sibi subiectos. Magna (iterum dico) res est, cum intelligentia spectare vim & cursum Solis,qui versatur retrò contrario motu, atque cælum. Terra,cuius magnitudo,si cum maioribus illis orbibus comparetur,nulla esse dicitur, nullam fortasse talem,si nuda spectetur,admirationē ciet. Sed res,quas in

in ea Deus, qui supra omnes cœlos est, tot iam seculis agit, nónne multò maiorem cõmovere debent? Quæ supra Lunam toto cœlo spectamus, pura omnino & serena & nunquam turbata, statas certásque vices, & admirabilem cum earum conversionem, tum conversionis ordinem, atque adeò perpetuam quandam habent suam harmoniam, inanimata licet omnia alioqui sint. Quę infra Lunam in aëre sunt aut fiunt, miscent ventos, nubes, imbres, fulmina, tonitrua, cometas, deinde avium & volucrum veluti motoriam habent fabulam. Tertia & infima universi pars est hic globus terræ. Sed si, licet immobilis, tamen earum, quas dixi in ea geri moverique, rerum, quàm est admirabilis (ut Polybij verbo utar) ἀνακύκλωσις? Certè vetus est, quod dixit olim, scripsitque Cornelius Tacitus, rebus coniunctis inesse videri quẽdam veluti orbem: & quemadmodum temporum vices, ita & morum verti. Ac inepti quidem nimiùm illi fuerunt, qui cœlum stare, terram volvi finxerunt. Sed ut ridiculum hoc somnium est, sic cùm historiam volvimus, non minus terræ varium & volubilem motum, quàm cæli stabilem ac constantem (ut ita dicam) statum agnoscere cogimur: verumque esse experimur, quod Plato & Aristoteles dixerunt, naturales quoque esse rerumpublicarum conversiones. Admirabile itaque (ut dixi iam sæpe) etsi mutum atque vacuum foret, est hoc mundi amphitheatrum, in quo talis tantusque veluti circus est. Sed multò magis illi, qui in eo aspectantur (si ita loqui fas est) ludi me rapiunt & permouent.

Fœlices animæ (inquit vetus poëta) *quibus hæc cognoscere primùm.*

Inq; domos superas scandere, cura fuit.

Sed sunt & illi terque quaterque beati, qui descendũt in hanc (ut ita loquar) arenam inferiorem, ut cognoscant quæ hîc gesta sunt vel geruntur ab hominibus, quorum etiam causa superiora illa condita sunt. Magnæ profectò & præclaræ sunt hæ duæ veluti academiæ. Ac quidem cùm illa nos superiorum rerum theoria tenet abs hominum colluvione avocatos, atque

secretos, magis nobis versari videmur in vestibulo sempiterni cœlestisque illius domicilij, in quo Dei consuetudine propius aliquando fruemur: vultque Deus in eo tanquam limine nos maiori quadam expectatione suspensos, interea dum hanc uitam vivimus, hærere, ut olim populum suum in atrio ante fores templi consistere voluit. Sed quæ aguntur in huius, in quo vivimus, atrij infima cauea, magis atque magis contuenda sunt. Nam & hic non minus, quàm illic, rerum diuinarum sensu atque admiratione, si cæci stupidique non sumus, perfundemur. Imò verò Deus hic interest & agit multò magis. Si animalium, avium, quadrupedum, piscium naturam atque historiam consideremus, magna (fateor) miracula nobis occurrunt. Sed nobiliorum animalium, hoc est, hominum longè alia, admirabiliorque historia est. Habent & illa bruta suas veluti Respublicas, suos mores, suum ordinem, suam denique œcononiam. Sed inepti essemus, & illorũ propè similes, si ijs potius, quàm hominibus cognoscendis affixi simus. Quidam fortasse humanarum confusionũ ac fraudum odio mallent ea, quæ in rerum natura minus corrupta videntur, suaviter contueri in aliquo tranquillo secessu: & propterea desertam solitudinem prætulerint ciuitatum societati. Ego verò etsi lubenter quoque fugero turbulentos hominum cœtus, tamen homine indignam esse existimo rerum humanarum ignorationem. Et verò historia in reducto etiam secessu nobis earum cognitionem & memoriam placidè sistit. Sunt certè in hominum, vt aliorum animalium genere tetra veluti monstra, & multi eorum vasti confusique cœtus occurrent, non iam dico simiarum, sed ferarum agminibus & immanium belluarum gregibus persimiles, qui & maiorem olim orbis partem occuparunt, & adhuc possident. Sed sunt etiam, fueruntque semper vel regna & Respublicæ, vel familiæ, in quibus aliquod literarum, humanitatis, iuris & ordinis semper fuit domicilium: neque non omnibus seculis habuit Deus in hoc globo telluris aliquam regni quoque

que sui sedem, & suæ cum hominibus consuetudinis testificationem.

Plato aliquando scripsit, quod & poëta Claudianus elaboratis versibus eleganter expressit, ordine quidem motuum cœlestium cõvinci animos, ut sentiant Deum esse huius Mundi gubernatorem: sed hunc sensum tanquam procellis obrui, cùm rerum humanarum confusionem intuemur. Sic cùm cœlum aspicimus, agnoscere nos facilè divinam providẽtiam: Sed cùm ad terram oculos reflectimus: cæco & fortuito casu omnia ferri volviq; videri. Non recitabo Claudiani versus, qui sunt magis intemperantes. Sed profectò non minus obstupuit desipuitque alter philosophus, qui ea quidem, quæ supra Lunam sunt, certo Dei consilio regi: quæ verò infrà, temerè raptari & fortunæ ludibrio relicta esse dixit. Verùm bene habet: Nos, ut in media etiam rerum humanarum perturbatione agnoscamus Dei omnia certa ratione regentis admirabilem providentiam, literis sacris satis præmoniti sumus, Estque hoc summum ad historiam rectè considerandum lumen. verùm cùm id olim alij scriptores non viderent, non potuerunt non sæpe caligare atque obstupescere: & in tenebras quasdam Epicuræas tandem ruere, planeque amittere, quod & in historia imprimis observare, & ex ea percipere debebant. Fateor nonnullos in sua ignoratione magis esse religiosos: & quod alij fortunæ adscribunt, Deo eiusque providentiæ ascribere. quod Diodorum Siculum persæpe facere animadverti. Sed cæca est ea, quæ abs religionis veræ scientia est aliena demonstratio. Atque hìc quidem, ut poëtam poëtæ obijciam, Virgilij versus recitarẽ, quibus Dea nescio quæ, suum Aenëam in excidio Troiano frementem, iubet acutius ἱστορεῖν:

Aspice (namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam)
Hic, ubi disiectas moles, avulsaque saxis
Saxa videt, mistoque undantem pulvere fumum,

Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque à sedibus urbem
Eruit, &c. Sed iniustè facit, quòd Paridis atque Helenæ adulterium non esse culpandum propterea præfatur: & accusat inclementiam Divûm, ubi agnoscere debuit iustam Dei providentiam. Interea miror profanum poëtam utcunque videre, nostros oculos altius attollendos esse, & aliquod eos lumen divinum requirere debere, uti, ubi etiam cœlum terræ misceri videbitur, cæcam & confusam non esse vim fortunæ, vel, ut Iurisconsulti vocant, θεοῦ βίαν meminerimus. Nam & cùm nubes videmus, & tonitrua audimus, tamen cœlo superiori suam nihilominus constare serenitatem scimus. Et verò nunquam ea erit, esse quæ debet, maiestas historiæ, neque tam valde nos, quàm debet, afficiet, nisi si in hoc theatro ad summũ illum supremumque veluti choragum respiciamus. Equidem soleo dicere, Deum primis seculis in unius sui populi Iudaici gubernatione familiarem & expressam, & propè aspectabilem edidisse effigiem præsentis suæ atque assiduæ moderationis. Licet autem ille interea hærere in una Republica neque præterea aut curare aut respicere reliquum genus humanum fortè videatur: tamen quod in una parte cernimus, illud etiam superesse in toto atque in universo, cogitare debemus. Non enim ille Deus est aliquod Homericum numen. Saltem quod dico, utcumque agnoscemus, si universitatis historiam rectè & sapienter perlustraverimus, in eaq; etiam, ut debemus, perpetuam ecclesiæ atque religionis conditionem eiusque statum observaverimus. Non enim præterire debemus, quam in primis observare oportet illam præcipuam ut humanæ societatis, sic & historici corporis partem: ne non caput modò, sed & cor & animam negligere videamur. Ergo cùm de historia loquor, de integra & perfecta loquor: in qua dico divinæ providentiæ rationem habendam esse, ut rectè spectemus res in orbe terrarum maximas, & quidem divinas cum humanis admirabili ordine atque ratione commixtas. Quod ut

ut faciamus, danda opera est, ut quàm valde olim Christiani theatro circoque Romano sibi interdictum esse sentiebant, tam ad illa, de quibus nunc ago, historica spectacula contendendum nobis esse meminerimus, ut etiam, si fieri possit, in quatuordecim ordinibus primis (ut ita dicam) sedeamus. non enim ulla lex Roscia quenquam submovet: ac ne obstat quidem, quo minus ex ipsa, si libet, cavea spectemus. Neque verò hìc mihi aliquis vel somniet vel obijciat furiosum aliquem Horatianum, qui sibi videatur vacuo in theatro miros audire tragœdos. nam spectacula, de quibus loquor, minimè sunt ægri somnia. Oculis quidem ea non cernimus: at certè cernimus animo & memoria: & ita cernimus, ut tam insanum esse aliquem vix putem, qui ijs ullius theatri ludum ullum anteponat. Admirabilis fuisse dicitur ædilitas Lucullorum fratrum, Lucij & Marci, qui scænam, quam Claudius Pulcher varietate colorum adumbraverat, argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Catulus, versatilem fecerunt, ut ait Valerius. Neque dubito quin & admirabiles in ea ludos ediderint. Sed sapientes, huius L. Luculli bibliothecam & historias lubentius versabant. Certè, ut plusquam furiosus fuisset, qui talem scænam magis esset admiratus, quàm sphęras cœlestes tellurísve globum: sic fuisset amentissimus, qui quod in illa scæna ludendo agebatur, pluris æstimasset, quàm quod in orbe Romano gestum seriò esset atque gerebatur. Audio quod Plinius commemorat, abs C. Curione aliquando extructũ fuisse versatile mobileque amphitheatrum, admirabilis cuiusdam insaniæ specimen magnum. Audioq; eum propterea veluti attonitum exclamare, Super omnia populi furor, sedere ausi tam infida, instabiliq; sede. En hic est ille terrarum victor & totius domitor orbis, in machina pendens, & ad periculum suum plaudens. Ecce populus Romanus universus, veluti duobus navigijs impositus, binis cardinibus sustinetur, periturus momento aliquo luxatis machinis, &c. Equidem & ipse cogor admirari eius machinæ, tanquam

Lib. 36. c. 15.

artificiosi orbis cuiusdam, molem versatilem. Sed quid ad illum orbem, in quo historia volvitur? Populi verò stuporem multò magis mirabimur, si quàm esset inane spectaculum, quod tanto & labore & periculo redimebat, meminerimus: Fuerint sanè multa paria gladiatorum, multæ feræ Africanæ, multi cum ijs depugnantes venatores: histriones præterea, & ludiones scænici: adde, si vis, currus, quadrigas, aurigarum factiones: quid tamen ea tota erat fabula? Quid tota pompa Circensis? Nam etsi in eam quoque arenam descenderint, ipso populo spectante, etiam stultiores Imperatores maximi, & currus in Circo agitaverint, & quicquid humana luxuria profusè fingere potuit, ediderint: tamen an fuit aliquid cum historiæ pompa comparandum? Fateor non temerè olim urbem Romam dictam esse Ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης: quòd in ea summatim concludi diceretur quicquid in orbe terrarum erat magnum & excellens. Sed longè aliam profectò οἰκουμενικὴν epitomen historia includit atque patefecit. Ergo & ludis commissis sapientes Senatores olim urbe relicta rus recedebant, & eo ipso tempore, quo Curio Romæ volvebat illos suos (ut verbo Victruvij utar) cardinales scapos, Cicero, Cato & similes excurrebant in suas villas, ut longè alijs spectaculis utiliter sese oblectarent, hoc est, toti essent in legendis historijs, quarum vel libros circumferebant, vel instructum fundum ruri habebant. neq; unquam minus aut solos aut ociosos se esse dicebant, quàm cùm ita & soli & ociosi essent, & in suis bibliothecis, quas quidem omnibus Theatris longè anteponebant, sese incluserant atque abdiderant. Cato quidem certè aliquando Theatrum Romanum est ingressus: sed egressus tam & citò & lubenter est, ut etiam diceretur, venisse ut exiret. Cæterùm Cicero narrat sese eum, ludis commissis, invenisse in agro, in bibliotheca Luculli multis libris circumfusum, quorum tam insatiabilis helluo & esse dicebatur & erat, uti ab ijs vix aliquando abduci posset. Et quis etiamnum amphitheatro Titi non prætulerit Plinianos historiæ

Venisse ut exiret.

Bibliotheca Luculli.

ſtoriæ naturalis libros Tito inſcriptos? Ipſe verò Plinius ijs alios ſuos hiſtoriarum ſui temporis libros, etiam antetuliſſe videtur. Quid moror? Iuriſconſulti aiunt eum edicto Prætoris de ſeruo corrupto teneri, qui ſeruo perſuaſerit, vt in ſpectaculis nimius ſit. Ego verò ſi minus perſuadere poſſum omnibus, ſaltem ſtudioſis meis æqualibus auctor ero, vt ſi bene & liberaliter inſtitui velint, in hiſtoriæ ludo ſint φιλοθεωροὶ, in eoq́ue propterea diu immorentur: neque nimium eſſe putent, quod numquam eſt ſatis. Fieri quidem certè non poteſt, quin & in hoc hiſtorico (ſic enim ſæpius loqui cogor) Circo, quidam & impudici & gladiatorij ludi occurrant, & tragica eius generis dramata noſtris ſiue oculis ſiue animis obijciant multa perſæpe etiam horrenda. Nam & omnibus ſeculis hominum monſtra & portenta multa fuerunt, quorum ſcelera Deus conſpici voluit. Sed ut olim Lacedęmonij (utitur enim & hac ſimilitudine, cùm idē quod volo, dicere vult Plutarchus in Demet.) ſuis etiam pueris ſpectandos proponebant ebrios helotas, quò magis ingenui animi abhorrerent atque deterrerentur à temulentia, cuius turpitudinem conſpexiſſent: ſic & nos hiſtorijs aliquando uti oportet, ut etſi caſtos oculos à ſceleris ſpectaculo ſtatim avertamus, tamen animos ad cogitationes in eius deteſtatione bonas atque honeſtas convertamus: ut & olim ille Nigrinus ſapiēs philoſophus apud Lucianum dixit, propterea ſe Romæ vivere, & in ea urbe tãquam in theatro μυριανδρῶ ſedere.

Erit tamen hiſtoria tam pudens & ſobria, ſi rectè tractetur, ut ſit etiam caſta: neque aut oculos pudicos aut aures offendet. Imitabitur enim ſcænam potius Maſſilienſem, quàm Romanam. Sed neque temerè in Suetonio reprehenſa eſt nimia illa in principum flagitijs exponendis mora: quia quæ vitia tam diligenter narrat: etiam docere videatur. Neque verò diſſimulo, in hominum actionibus, rebusq́ue geſtis, quas exhibet hiſtoria: multa ſemper eſſe tam miſera & ridicula, ut ſi in hoc orbe ſpectator ſederet ali-

Suetoni⁹ vitia Cæſ. narrãdo docere videtur.

quis hinc Democritus, illinc Heraclitus, nũquam vel illi quod rideret, vel huic quòd defleret, defuturũ sit. Sed sit licet risu lachrymisq; digna hominum vanitas, & in hac sæpe arena degeneres histriones non solùm tristes ludos, sed & magnas dent turbas: tamen elucet in ea rerum caligine admirabilis Dei gubernatio, qui & per homines aliud agentes, agit aliquid, quod admirari & suspicere & propè adorare debeamus. Vndique enim in hoc mundo, atque in ijs, quæ in eo fiũt, explicat multiplicem suam sapientiam, bonitatem, potentiam: suam (inquam) illam infinitam divinitatem in reb[9] humanis exerit. Hic ego me vocari sentio ad historiam laudandam. Sed neque id facere possum, quantũ vellem & debeo, neque tamen planè possum negligere. Scio & memini maximos quosque & nobilissimos historicos primas suorum commentariorum paginas in historiæ laude & commendatione consumere: sed dicant illi licet, quod in ea maximum & utilissimum esse putant, & lectorẽ sapienter præmoneant, an quod est summum ac præcipuum prædicẽt satis? Si quis est qui cordatus inter eos & sine inani iactatione magn[9] fuit, fuit Livius, soletq; is esse nostris propter res Romanas & linguam Latinam magis familiaris. Qualè verò est eius procœmiũ? Qualis præmonitio? Ad illa (inquit) mihi pro se quisque acriter intendat animũ quæ vita, qui mores fuerint; per quos viros, quibusq; artibus, domi, militiæque & partum & auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplina, velut dissidentes, primò mores sequatur animo: deinde, ut magis magisque lapsi sint, tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est præcipuè in cognitione rerũ salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumẽto intueri: inde tibi, tuæque reipublicę, quod imitere, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Gravis profectò est & Romano scriptore digna hæc præfatio: & historiam Romanam lecturo utilis atque necessaria cautio est. Sed quàm tenuis tamen est hæc

Livius.

historiæ

historiæ commendatio. si quid preterea illius amplitudo & dignitas mereatur, consideremus. Quid igitur? Feret æquo animo Livius, si dicam Polybium, quem sequi & imitari solet, magis hoc indicasse silendo. Ait, eam omnium historicorum præfationem atque adeò conclusionem esse solere, ut historiæ laudes decantent. Sed quò magis hoc alij fecerunt, tantò minus sibi necesse videri, ut idem faciat: proptereaque se laudibus illis, quæ satis pervulgatę sunt, præteritis, in rem potius præsentem venire statim velle. Neque dissimilis est Salustij, qui alter velut Polybius est, oratio. Cùm enim dixisset ex ijs negocijs, quę ingenio exercentur, in primis magno usui esse memoriam rerum gestarum: Eius (inquit) de virtute quia multi dixêre, prætereundum puto. Equidem etsi laudandæ historiæ causas & plures & maiores & meliores fortasse habeam, quàm illi habuerint, tamen non invitus nunc eadem uterer excusatione. Sed si paucis verbis quod dici de ea maximè potest & vulgò dici solet, nunc dicendum esset, dicerem quod Cicero gravissimè atque verissimè pronunciat. Historia (inquit) testis temporum, lux veritatis, vita memorię, magistra vitæ, nuncia vetustatis. Nihil dici maius, nihil elegantius, nihil verius potest. Vnum tantùm verbum adijciam, sed quo verbo multa complectar: dico hanc unam demum esse viam & rationem, qua evadere possimus ad illam rerum divinarum, humanarumque cognitionem, quæ nostros animos altè sublatos in excelsa quadam veluti specula collocare possit, ex qua circumspiciamus, quicquid in orbe terrarum iam inde, ex quo ille est conditus, gestum est, quod quidem sit dignum animadversione, memoriaque nostra. Tales enim Episcopos historia efficit: ut Lucianus scitè describit suos (ut vocat) ἐπισκοποῦντας, fingẽs Mercurium Charonti ex altissimo quodam monte universam rerum humanarum scenam & fabulam ostentare: ut iam mihi in mentem veniat, quod noster Hieronymus ad Heliodorum deplorans sui temporis tragicam faciem: O si possemus (inquit) in talem

Polybius.

Salustius.

Li.2. de Ora.

ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus. Iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa, alios torqueri, alios cæcari, alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi: hìc nuptias, ibi planctũ: illos nasci, istos mori: alios affluere delitijs, alios mendicare, &c. Atqui historia non solùm non altius tollit, sed & nobis multò plura maioraque ostendit, ut non modò, quod ille audit videtque apud Ciceronem in suo Somnio Scipio in lacteum circulum sublatus, & terram infra se positam despiciens, vigilantes audiamus: verùm etiam singula longius liquidiusq; prospiciamus: neque solùm præsentia, sed & præterita, atque adeò quædam futura, quantumvis dissita longissimè sint, teneamus. Et qualem tandem putaremus illum hominem esse, si quem Deus ab orbe condito vivere ad hunc usque diem voluisset, eumq; in eo lovo statuisset, ex quo universitatem huius mundi contemplatus esset, eique cum visu vim iudicij & memoriam tot tantarumque rerum capacem dedisset, nónne hominem talem Deum aliquem propè esse putaremus? Quàm beatum Regem esse illum diceremus, qui omnibus illis seculis imperasset ita, ut ad eum in solio suo sedentem, quot diebus undique nuncij cõfluerent, & de omnibus maximis rebus, quę diversis in locis gererentur, bona fide referrent? Atqui posset historia utrumq;, quod dixi, præstare, & nos ea ratione multò beatiores efficere, si ea sit, esse quæ debet: Vt iam tantò magis illius, non dico, ut multi, lumen, sed sicuti Plinius ait, numen colere debeamus. Quid? Solem, qui ab orbe condito orbem terrarum ambiendo luce perfundit, ἱστορεῖν quidam olim dixerunt. Quid si iam dicerem, historiam collocare homines veluti in globo Solis? Non vereor, ne superstitio me transversum agat. Dicam itaque, divam (liceat nunc ita loqui) historiam templo etiam quodam esse dignam, & vera rerum sive scriptura sive sculptura esse quoq; colendam: quemadmodum & primùm inventæ sunt hæ artes, ut illi subservirent. Memini, Plinium

Li. 35. cap. 4.

ninm narrare, M. Valerium Maximum Messalam tabulam picturæ prælij, quo Carthaginenses & Hieronem in Sicilia vicerat, proposuisse in latere Curiæ Hostiliæ: L. Scipionem tabulam victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio posuisse: L. Hostilium Mancinum, qui primus Carthaginem irruperat, situm eius, expugnationésque depictas proposuisse in foro, & ipsum assistentem populo spectanti singula enarrasse. Sed & Imperatorem Septimium Severum de Parthica sua victoria, non solùm literas ad S. P. Q. R. sed & depictas in tabulis suas pugnas atque triumphos expressos misisse testis est Herodianus. Quid dicam, ipsam picturã, quò magis in historia quoque civili populum retineret, olim etiam occupasse porticus templorum? Certè licet Plinius affirmet, nullam adhuc Iliacis temporib⁹ fuisse picturam, tamen sapientissimus poëta primum illud templum Carthaginense, quod Dido extruebat, fingit & proponit ita fuisse depictum, ut in eo Aeneas videat Iliacas ex ordine pugnas:

Bellaque iam fama totum vulgata per orbem,

Neque tamen, ut ille.

Animum pictura pascit inani,
Multa gemens.——

nos ex historia vanam aliquam tantùm oblectationem captamus: neque eam admiramur, ut pueri Iunonis avem: Verùm hanc, ut alius quidam vir magnus olim dixit, Magistram vitæ, non aures modò nostras circumsonantem, sed etiam in oculos incurrentem: profitemur esse vitam atque lucem animorum nostrorum: & ad eos magis atque magis permovendos expressa cum literis lineamenta rerum maximarum lubenter viderim, si modò fabula, quæ ab historia imprimis abesse debet, absit à pictura: neq; pro imaginibus aut iconibus spectra aut idola obijciat. Tãtò autem magis tale subsidium desiderarem, quòd nõ modò, ut alter poëta dixit:

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus:

sed etiam quia sæpe varia & multiplex & diversa sit e-

iusdem temporis historia, quæ simul tota exponi deberet, oratione tamen una simul non possit exprimi atque explicari, & quædam, quæ dici vix possunt, pingi facilè possint: ut & alia dici possunt, quæ non possunt pingi. Itaque & veteres coniunxerunt utrumque, cùm & picturam, si sola sit, mutā esse sentirent, proptereáque obscuram & cæcam esse scirent: & orationem solam, non satis præstare, quod desideratur, vererentur. Saltem audio tres olim fuisse Fabios scriptores historicos qui Pictores appellabantur. Optarem quidem etiam, ut historiæ non modò recitatio, sed & actio, qualis in scæna esse posset, esset. Nam & talis actio, qualis in theatro spectaretur, viva esset loquaxque pictura, & nos magis alliceret, quàm ullius Apellis tabula. Sed nunc inania atque ociosa vota facessant: & quod possumus, hoc & velimus & agamus. Nam neque historiam abijcimus, licet ipsas, de quibus illa agit, regiones obire, & in ijs locis pedem vestigiumq; ponere non possimus, in quibus factum esse aliquid narramus. Fuerit hoc Imp. Adriano proprium, ut perlustraret omnes provincias & civitates, de quibus aliquid legerat. Nobis ne sit necesse, quod non licet, ita peregrinari, historia efficiet, & sine ullo periculo vel molestia nobis domi sedentibus, plus quàm ulla peregrinatio fortasse posset, præstabit. Fateor beatos esse, quibus commodè licet, quod licuit Adriano: neque nescio quid sit duobus illis modis ἱστορεῖν: neque quantum conferat alterum alteri & ad intelligentiam, & ad iudicium, & ad memoriam, & ad oblectationem, ignoro. Sed alterum quod maius est, & multò est tamen minus vel difficile, vel periculosum, commendo. Certè ut Cosmographia in exigua sphæra orbes cœlestes nobis indicat, & brevibus tabellis globum terræ regionumque situm, effigiem faciemque spectandam exhibet, eamque veluti superficiem totam talis pictura facit aspectabilem: sic & historia rerum in ea superficie gestarum expressam quandam imaginem nobis offert, eamque comitatur quædam sive ὑποτύπωσις sive προσωποποιία, quæ ani-

Adr. quæ legerat, videre voluit.

animos tam valde nostros afficiat, ut nobis etiam persuadeamus, quod fingere solemus, ubi in scæna agi aliquam fabulam videmus, hoc est, ut fingamus ijs etiam nos & temporibus esse, & locis versari, de quibus aliquid narratur: & rebus ipsis interesse, easque videre præsentes, quas recitari audimus. Nam & hoc animo legendæ atque audiendæ historiæ sunt, quæ nos attollere, circumagere, afficere ita debent & possunt, ut modò hac, modò illa ætate vivere nos, & modò hic, illic modò, agere nobis planè videamur: neque modò res spectare tanquam præsentes, sed & in ijs partes veluti nostras agere. Nam & antiquæ leges Panegyricæ iubebant eos qui in stadio spectandorum athletarum causa considebant, nudo & aperto esse capite, quasi & in certamine ipsi versarentur, quemadmodum narrat noster Basilius, & exemplo admonet nos, cùm res magnas narrari audimus, & eas propterea veluti spectamus, tam valde affici & commoveri debere, quàm si nostra res ageretur. Certè Plutarchus scribit, sese cùm vitas illustrium virorum describit, sibi videri cum ijs familiariter vivere & versari, domique suæ tales hospites audire: Tum verò exclamat, ô Deus, an ulla vel est vel esse potest voluptas aut delectatio maior? Sed quantò nos magis, sæpiusque in hanc exclamationem erumpere cogemur, cùm in illa, de qua loquor, historiæ universitate versabimur? Vereor, ne multis molesta hæc mea mora sit, rogantibus, ecquæ tandem sit illa, de qua loquor, & quã tantoperè prædico, historia. Exponam itaque fusius quod & laudo, & præstare si possem vellem. Ac uno quidem verbo dicere possem, me agere de historia integra. Sed quàm latè pateat hæc integritas si tam brevis sim, vix intelligeretur. Possem adijcere, esse historiam universam & temporum & regionum & rerum ratione. Sed nihil egero, si tam concisè id perstringam. Agam itaque planius, & magnis utar auctoribus. Polybius, quem iterum honoris causa nomino, & excellentem historiæ scriptorem fuisse profiteor; duobus locis, historiam τὴν καθόλου contexi

Homil. 6. in Hexami

In Paulo Aemilio.

Polyb.

vult, & universæ historiæ unum esse agnoscit veluti corpus: cuius si lacera tantùm membra, & (ut ille vocat) διερριμμένα τὰ μέρη sparsim intueamur, minimè quid aut quale illud corpus sit, intelligere possimus. Habent quidem etiam singulæ partes suum usum atque fructum: Sed separatæ minimè præstant, quod præstarent coniunctæ. Itaque hic soleo Pomponij nostri verbis abuti, ut dicam esse corpus ex pluribus inter se cohærentibus partibus constans, quod ζυνημένον propriè dicitur, quodq; propterea individuum ut est, dici etiam possit. Atqui Polybius non nisi unius ante suam ætatem seculi complexus historiam est, neque altius eam est exorsus, quàm ab Olympiade centesima vigesimanona, tantùm abest, ut omnium seculorum integram, & ut vocat, catholicam, qualem esse debere statuit, sit persecutus. Equidem non dubito quin optarit, quod præstare non potuit. Sed cùm principiũ ipsum non tenebat, tum verò iudicabat ante reipublicæ Romanæ amplitudinem, quæ totũ propè orbem est complexa, res humanas tam fuisse & divulsas & dissolutas & disiectas, ut earum historia in unũ corpus coalescere non posset. Diodorus Siculus, quẽ cum Polybio lubenter laudo, historiam abs rerum humanarum principio repetendam quoque esse profitetur, etsi ingenuè interea confiteatur illud sibi principium minimè liquere: accusatque veteres historicos, qui non nisi unius aut gentis, aut civitatis historiam scripserunt, cùm ea non tam historia, quàm abruptæ historiæ pars quædam sit. Equidem tanti scriptoris non solùm iudicio, sed etiam ingenua confessione delector: qui quid requirendum sit, etsi id præstare non possit, astutè non dissimulat. Certè quærendo maluit, ut in tenebris sit, huc & illuc temerè iactari per varias obscuræ antiquitatis fabulas, quàm ad universæ historiæ principium non aspirasse videri, quæ universum deinde orbem pervagaretur. Nam & eam οἰκουμενικὴν, ut Polybius καθολικὴν, esse debere & sensit & scripsit. Et verò Eusebius ait, eum excussisse omnes historicas bibliothecas. Quod verò Græcè

Didor. Sic.

age-

agebat, id eodem tempore Latinè tentabat alter magni quoque nominis ſcriptor Trogus Pompeius: quem Iuſtinus ait aggreſſum videri Herculea audacia orbem terrarum, ut omnium ſeculorum hiſtoriam complecteretur, quam alij diſcerpere & diviſam concidere videbantur. Verùm & is procul à principio, quod nuſquam videbat, ſubſiſtit: quanquã exemplo Diodori conatus ſit alios in rerum origine prima repetenda ſuperare. Alij nonniſi abs temporibus Troianis ordiuntur, perinde atque ſi tunc primùm aut orbis conditus ſit, aut homines extiterint, aut aliqua rerum humanarum memoria eſſe cœperit, & quidem eam cùm ab Homero repetunt, extremam antiquitatem attingere ſe putant. Itaque & ipſe Lucretius, homo alioqui Epicuræus, propterea coactus etiam invitus eſt, agnoſcere mundum non eſſe vel æternum vel ingenitum, quòd antiquiora Troianis aut Thebanis temporibus monumenta nulla occurrerent: Trog. Pomp.

Præterea (inquit) *ſi nulla fuit genitalis origo*
Terrarum & cœli ſemperque æterna fuêre:
Cur ſupra bellum Thebanum & funera Troiæ
Non alias alij quoque res cecinêre poetæ?

Sanè Plutarchus ipſe ad ſua παράλληλα, hoc eſt, ad Græcam & Romanam, propè univerſam, quam colligere potuit, hiſtoriã aggreſſus, ſtatim conqueritur, ſeſe id cogi facere, quòd in ſuis tabulis faciunt Coſmographi, qui cùm ignorant, quinam ſint fines orbis terrarum, quídve in ijs ſit, extremas illas oras veluti refugiunt, & confuse notant in ijs eſſe aut vaſtas ſolitudines, aut immenſa maria. Sed neq; diſſimulat ſeſe ad Theſei tempora, à quibus ſuam hiſtoriam orditur, aſſurgere non poſſe, quin iam multis ignotæ & obſcuræ antiquitatis fabulis, tanquam cœcis nubibus circumfuſis, involvatur. Verùm bene habet, ut illę terrarum partes extremæ, quæ olim latuerunt, nunc patefactæ ſunt: ſic etiam certis, atque adeò ſacris literis perſpicuè conſignatũ habemus illud rerum humanarum principium, quod hiſtoriæ initium iuſtum ſit, ut non quidem bellum Troianum, ſed humani generis

historiam, rectè gemino (quod aiunt) ordiamur ab ovo. Illa apud poëtam nobilem nobilis mulier, cùm audivisset quippiam de illo bello, instat, & exclamans:

Imo age, & à prima die hospes origine nobis,
Insidias (inquit) *Danaum, casusque tuorum,*
Erroresque tuos.——

Et nos, cùm de rerum humanarum historia quærimus, non optabimus, eam à prima nobis origine exponi? Quid pluribus verbis urgeam, quod naturalis ordo & ipsa rerum series non solùm postulat, sed etiam flagitat? Cùm olim ageretur de conscribenda abs M. Cicerone historia Romana, quædam dissensio fuit inter Cicerones, Marcũ & Quintum fratres, à quibus potissimùm temporibus scribendi caperetur exordiũ. Quintus ab ultimis censebat; quoniam illa sic scripta essent, ut ne legerentur quidem. Marcus æqualẽ suæ ætatis historiam potius deposcebat, ut ea complecteretur, quibus ipse interfuit. Atticus Marco assentiebatur, quia maximę res essent in ea memoria atque ætate, & Pompeij laudes illustraret, & incurreret in illum Ciceronis memorabilem annum, quem ab eo malebat prædicari, quàm (ut aiunt) de Remo & Romulo: quẽadmodum refert ipse Cicero. Atqui & eius temporis historia contexi poterat, etsi abs Remo & Romulo inchoata fuisset. Imò verò commodè contexi atque explicari vix potest, nisi si ab eo principio repetatur. Saltem insolens & ineptum est, quod Calenus apud Dionem significat, Ciceronem historiam Romanã abs consulatu suo inchoatam, ordine inverso ad ætatem Romuli perducere voluisse, & (ut ait) ἀνάπαλιν προχωρόντα, novo quodam scribendi exemplo, principium, ubi desinere debebat, finemq; , ubi debebat ordiri, collocasse. Non existimo Ciceronem hoc fecisse, quod & absurdum & pręposterum est, & fieri vix potest. Sed quia de suo Consulatu scripserat interea dum deliberabat de totius Romanæ historiæ descriptione: credo adversarium & calumniatorem Calenum odiosè finxisse, quod exprobraret. Poëtę (fateor) quibus propositũ est, lectorem auditorémve delectare, principio solent

Lib. 1. de leg.

lent eum veluti in fine collocare: quia vident priora magis esse horrida, & vereantur, ne si auditorem statim fatigent, ante finem recitationis amittant. Cæterùm, ubi iam aliqua voluptate delinitum ac veluti irretitū tenent, summittunt & subornant aliquam personam, quę captata occasione narret illa priora, & veluti aliud agendo, auditorem à postremis ad priora non munitum revocet. Sed liceat hoc poëtis: Historicis ita ludere profectò non licet: neque dignus, cui serviant, auditor est, qui id postulat: neq; ut ineptas eius delicias alamus, rerum temporumq; ordinē invertere oportet. Neq; probabile est, Ciceronem voluisse ex historia Romana δραματικόν aliquod poëma effingere. Quid Atticus? nonne cùm eam cōscriberet, inde, unde ordiri debuit, orsus est? Certè Cicero ait eum conservatis, notatisq; temporibus, cùm nihil illustre prętermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligasse. Septingentos annos cùm dicit, ab urbis cōditæ primis extremísve temporibus eum scribendi cepisse exordium, significat. Neq; dubito, quin Luceius ille, quem Cicero tantopere laudat, ac continentibus scriptis perpetuam rerum gestarum historiam complexum esse ait, inde quoq; sit exorsus. Ego verò, ut existimem ab orbe cōdito exordium historiæ fieri debere, multò maioribus & gravioribus causis adducor. Longior essem, si eas nunc omnes commemorare velim. Sed profectò, qui intelligunt, quęnam sit rerum humanarum successio & veluti concatenata consecutio: næ illi naturalem quandā (ut Iurisconsultorum verbo utar) individuitatem perpetuæ historiæ esse sentiunt. Itaque & quod abs vero principio erit inchoatum, non est, antequam ad finē perductum sit, dimittendum. Plinius in quadam ad Imperatorem Titum epistola miratur, Titum Livium in historiarū suarum quodam volumine sic exorsum esse: Potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere. Ait maius meritū esse, operis amore, nō animi causa, perseverasse. Sed ille ardor & perseveratio inquieti animi, qui desinere ante finem non poterat, quid aliud fuit.

quàm naturalis amor operis individui? Non est necesse, ut pluribus verbis commendem hæc duo veluti extrema historiæ universæ. Sed addo, universitatem integram nõ esse, nisi si historia interea & omnes obeat regiones, in quibus est aliquid, cur hæreat & ubi consistat, ac quid ibi domi forisque agatur, notet, cumque suis semper circumstantijs describat. Veteres appellarunt historiam πραγματικὴν, quæ quod narrat, diligenter exponit, & sapienter utiliterque demonstrat, ut non solùm eventa, sed & caußas eorum, & cum consilijs facta describat. Talem ergo πραγματείαν, esse eius universitatis, de qua loquor, partem præcipuam profiteor. Cùm autem non modò res humanas, sed & divinas historia persequatur, magis atque magis appa ret esse individuã. Nam & Ecclesiasticæ magis quàm civilis historiæ ea est conditio, ut pro parte non possit rectè intelligi. Adeò continuum quoddam eius veluti filum est, quod non abrumpitur. Quid illud sit, fortasse non vident homines profani: sed imprimis tamen cerni & considerari debet, si seriò agimus, neq; historias, ut fabulas Aesopicas, ludendo legimus. Et verò nihil agimus, nisi si persequamur historiam sacrã, ut civilem, non confusè quidem, sed coniunctim tamen. Sacram appello, quæ eo nomine digna sit: quam quia planè ignorarunt veteres Græci & Latini, minimè potuerunt, quam prædicabant, integram historiam ędere. De suis quidem sacris narrant illi multa. Sed quod in orbe terrarum verè fuit sacrosanctum, aut non viderunt, aut maliciosè contempserunt atq; etiam suppresserunt. At nescio quomodo acciderit, ut quemadmodum, qui civilem historiam susceperunt, neglexerunt Ecclesiasticam: sic qui huic se dediderunt, illã præterierunt, cùm hæc tamen divisio utramque propè corrumpat. Non exaggerabo, quantum alteri officiat alterius inscitia: neque scriptores, qui opus individuum indignè dissecuerunt, nunc notabo, neq; aut eorum in utroque historiæ genere peccata exagitabo, aut in ijs me iactabo: Sed liceat modò, quod in re pręsenti magis ostendam, verecundè profiteri, nihil in historia

ſtoria actum eſſe videri, niſi ſi totum illud,quod dico, præſtetur.Dixit olim Optatus Afer,& ſcitè,ſi rectè intelligatur, dixit,Eccleſiā eſſe in Republica, aut potiùs Rempublicam in Eccleſia. Sed an Eccleſiæ conditionem ſatis exponit,qui Rempublicam, in cuius veluti ſinu illa coaleſcit, non deſcribit?Et rurſus, an Reipublicæ corpus ſatis deſcribit,qui eius veluti animam, & in eo incluſam,quam dixi,Eccleſiam non novit? Cæterùm ut utriuſque & florentis gloriam, & compoſitæ ſtatum,ſic & inclinationem perculſæ,& iacentis deformitatem conſiderare neceſſe eſt. Quinimo Eccleſię Chriſtianæ conditio ea tandem fuit,ut univerſæ Reipub.rationes ſuis rationibus immixtas & circumplicatas complecteretur: & quæ Eccleſiaſtica eſſet hiſtoria,eadem & civilis eſſet.De Patriarchis & Imperatoribus Conſtantinopolitanis quid dicam? Saltem Pontificum Roman. & Regum Imperatorumque noſtrorum hiſtoria, tam coniuncta eſt,ut propè una ſit. Non dicam omnia, quæ mihi nunc occurrunt cogitanti quam hiſtoriæ univerſitatem requiram, & cur eam requiram. Sed illud dicam: ſi ea unquam colligenda fuit, nunc potiſſimum colligi & poſſe & debere, nunc, inquam, cum eò res, de quibus quærimus, perductæ eſſe videantur, ut ad extremum veluti actum fabulæ ventum eſſe videri poſſit. Veteres non niſi quandam veluti protaſin aut epitaſin ſpectare narraréve potuerunt: Nos etiam cataſtrophem propè cernimus: ut & cum principio, ipſum quodammodo finem hiſtoriæ coniungere poſſimus. Quid dicam, noſtro demum ſeculo patefactum patuiſſe univerſum terrarum orbem, magna ex parte veteribus incognitum, ſive Orientem, ſive Occidentem, ſive Septentrionem, ſive Meridiem ſpectemus? Scio quod Ariſtoteles ait, eam hiſtoriam maximè placere, quæ non nimis aut antiqua aut nova eſt: quòd illa videatur fabuloſa, hæc etiam vulgò protrita ſit. Sed quid aut ineptis, aut faſtidioſis, aut nimium delicatis hominibus placeat, nunc non quæritur. Quæritur, quid ſapientibus & ſanis placeat, placereq; omnibus debeat. Itaque & il-

lud vehementer repudio, quod abs Dionyſio Halicarnaſſæo in quadam ad Pompeiũ epiſtola, ubi de ſtylo Platonis agitur, ſcriptum eſſe non ſolum memini, ſed etiam miror, id imprimis in hiſtoria ſcribenda curandum eſſe, ut iucundum lectoribus argumentum quęratur. Imò verò, quod & verum & utile eſt, quærere potius debemus. Idem Dionyſius alio loco monet, hiſtoricum ſcriptorem deligere ſibi debere argumentum aliquod nobile & illuſtre. Sed nunc de tali delectu unius alicuius partis non agimus: Agimus de re tota, quæ ſe dividi vix patitur: & quam, ſicuti ille olim Iuriſconſultus de navi reſpondit, ſi diuidas, perdes. Scio, quid Dionyſius ſibi propoſuerit, cùm ἀρχαιολογίας Ῥωμαϊκῆς commentarios inſtitueret. Sed aliorum alia fuit ratio, qui magis hoc egerunt, ut undecũque ſuas tãdem hiſtorias ordirẽtur, ad ſuam eas ætatem, ſi poſſent, perducerent: eoque etiam properarent: neq; aut aliam ſui laboris metam ſibi proponerent, aut priuſquam eam curſu contigiſſent, quieſcerent: ac niſi ſi eò pervenirent, nihil propè actum eſſe putarent. Deniq; video multos maluiſſe ex abrupto inchoare, quàm ante hunc finem deſinere. Ergo qui ijs in ſcribendo ſcopus propoſitus fuit, idem nobis, & multò quidem magis, eſſe debet in legendo atque audiendo. Et verò qui degeneres non ſunt, retinentur quodam naturali deſiderio, ut ante finem non diſcedant, non modò, ſi hiſtoria narrari, ſed & ſi fabula recitari cœperit. Teſtem bonum laudabo Ciceronem, qui agens de ſcientiæ cupiditate naturali, quæ hominum animis ineſt, Ipſi (inquit) quæram à nobis, quid hiſtoria delectet, quã ſolemus perſequi uſque ad extremum: prætermiſſa repetimus, inchoata perſequimur. Nec verò ſum inſcius eſſe utilitatem in hiſtoria, nõ modò voluptatẽ. Quid, cùm fictas fabulas, è quibus utilitas nulla duci poteſt, cum voluptate legimus? Non diſſimilis eſt ratio Plutarchi, qui nos etiam ait, quaſi phanis aut theatris clauſis, magnopere deſiderare poſtremum actum οἷον (inquit) ἱερῶν κλειομένων ἢ θεάτρων ἐπιποθοῦντες τοῦ μύθου τὸν λειπόμενον. Scio multos eſſe ignavos auditores, qui

ut

ut pueri, missam faciāt concionem, priusquam aut dimitttuār, aut audierint illud vel oratoris, DIXI, vel preconis, ILICET. Scio multos esse inconstantes & leves spectatores, qui statim defessi, suum in scena locum deserunt, priusquam aut ad extremum, qui tamen optimus esse solet, actum fabula venerit, aut epilogus iusserit eos valere & plaudere. Sed valeant sanè. Scio etiā plerosq;, qui literati videri volūt, eruditis quidem veterum historijs lubenter operam dare, sed fastidiosè abhorrere abs posteriorum temporum, quæ barbara atque horrida esse iudicant, cognitione. Verùm velim eos meminisse, historias non esse verborū, sed rerum, neq; uni⁹ alicuius linguæ expoliendæ tantùm causa comparari, sed mētis erudiendæ: Deniq; ferēdas non esse ineptias quorundam Grammaticulorum, qui ad Gothos usque memoriam nostram produci nolunt, quique suæ stultitiæ finibus orbem terrarum metiuntur, cum suæ elegantiæ flosculis res divinas humanasq; æstimant: quiq; aures obstruunt, oculos occludunt, fugiunt ex theatro, quasi cælum ruat, vel Gorgone visa, cùm ad linguæ Latinæ vel Vrbis inclinationē narratio descendit. Sic historiam pro sua libidine finiunt & circumscribunt. Sed habeāt sanē circumcisam atque circumtonsam, qui integram respuunt: habeant ἀκέφαλον & μείουρον, qui totum corpus repudiant: nec nisi eius osculum summis labris suaviter delibent tam molles & tenelli amatores. Dicerem eos sapere, qui difficillimam & asperrimam, & multis tenebris implicatam historiarum partem refugiunt, in qua sudandum esset. Verùm turpis est hæc ignavia. Saltem nimium putidæ sunt eorum deliciæ, nimiumq; ipsi degeneres sunt, quos tam suæ quoque gentis aut patriæ pudet, tędét ve, ut & abs maiorum suorum monumentis abhorreant: & veterum peregrinarumq; rerum admiratione capti, nullam earum, quæ successerunt, nullā recentiorum, nullam domesticarum recordationem admittant. Laudo equidē literatæ antiquitatis, quantumvis peregrinæ, cognitionem, familiaremque cum ea veluti consuetudinem. Sed laudare non possum il-

lam ξενομανίαν, quæ tanquam aliqua Circe socios Vlyssis, studiosos dementat, ne unquam domum redire velint. Certè cæca & propè amēs est illa eruditio, quæ res propinquiores, & quæ (ut ille ait) sunt ante pedes etsi sint magis necessariæ, tam neq; videt, neq; videre vult, quàm remotas otiosè pervestigat. Quid prætereà dicam, ut refellam hanc stulticiam? Nihil egero, nisi si eos, qui, quia literis exemplisq; Rom. addictos se esse gloriantur, in ijs subsistunt, ijs abuti dixero, cum à quibus incitari debebant ut progrederentur, ab ijs tanquā tricis implicatos se retardari aiūt. Turpe est (inquit noster Mucius) Ius ignorare, in quo versamur. Sed multò turpius est, nos & in patria & domi peregrinos videri. Saltē Cicero, etsi videatur excusare in alijs quibusdam rebus quandam (ut vocat) ἀνιστορησίαν, tamē cùm de quodam Metello agit, nescire (inquit) proavum suum Censorem fuisse, turpe est. Et exclamat, ὢ ἀνιστορησίαν turpem. Quid? ne id accidere posset, quàm solicita fuit veterum Romanorum cautio & cura? Plinius (nam eius verbis quàm meis uti malo) loquēs de Maiorum imaginib⁹, quæ in atrijs erāt, Expressi (inquit) cera vultus, singulis disponebantur armarijs, ut essent imagines, quæ comitarentur Gentilicia funera. Stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus replebantur, & monumētis rerum in magistratu gestarum. Aliæ foris & circa limina animorum ingentiū imagines erant, affixis hostium spolijs, quæ nec emptori refringere liceret. Hæc ille. Si privatæ quoque familiæ, & quæque gentes domesticam suam historiam conservabant tam diligenter: quātò nos magis publicam patriæ & principum, quibus cum nobis res est, memoriam tenere atq; tueri debemus? Et verò etiamnū in principum nostrorū bono more hoc positum est, ut diligentissimè suæ gentis atq; familiæ stemmata & imagines describant, atque conservent: neque quem in Rep. cum dignitate nunc tenere locū possit, video, certè rebus in ea gerēdis ineptus erit, qui talium (ut loquimur) genealogiarum memoriam nō tenet. Fuisse autem & olim Romæ nobilium familiarum

rum cognitionum, tanquam liberalis doctrinæ partem egregiam, à doctis hominibus excultã, vel ex eo intelligi potest, quòd eam Cicero in sui Attici studijs laudat. Sed & pro Murena ait, nobilitatem Servij Sulpitij, quæ populo erat obscurior, literatis hominibus & historicis fuisse notam, cùm eius memoria non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate esset eruenda. Si quis alterum petat veterum exemplum, quod huius loci sit, dicam. Valerius Maximus de antiquis Romanorum institutis loquens: Maiores natu (inquit) in convivijs ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quò ad ea imitanda iuventutem alacriorem redderent. Deinde exclamat: Quas Athenas? Quam scholam? Quę alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? Non dissimilem fuisse veterum Germanorum morem, testis est Tacitus. Sed multò magis fuisse veterum Gallorum, Amm. Marcellinus significat, cùm ait, eorum Bardos fortia virorum fortium facta, heroicis composita versibus, cũ dulcibus lyræ modulis cantitasse. Deniq; fuisse hanc ingenuorum adolescentum primam institutionem, optimus quoq; poëta Virgilius indicat, qui canens Genethliacon Salonini, ait:

At simul Heroum laudes & facta parentum
Iam legere, & quæ sit, poteris cognoscere, virtus, &c.

Et nos erimus tam degeneres, ut ne audire quidẽ velimus patriæ historię carmẽ? Cæterùm id intelligere non possumus, nisi si & eorum, qui Barbari dicuntur, memoriam teneamus. Si Galli, vel Britanni, vel Germani, vel Hispani, vel Itali sumus: ut de nostris loqui possimus, necesse est nos Francorum, Anglorũ, Saxonum, Gothorum, Longobardorum historiam non ignorare: eumq̃ue nostri cum Saracenis & Turcis sępe congressi sint, ne nescire quidem licet Saracenicam & Turcicam. Neque verò quæcunque res à nostra consuetudine, vel Romanorum Græcorumq̃ue facundia abhorrent, eas propterea res aut barbaras statim iudicare, aut ignotas damnare debemus. Cic. lib. 5. de Fin. loquens de philosophia, quæ etiam ad rerump. guber-

nationem refertur, Omnium (inquit) ferè civitatum non Græciæ solùm, sed etiam barbariæ, ab Aristotele, mores, instituta, disciplinas: à Theophrasto, leges etiã cognovimus. Ergo & cum illa, quam non negligi opto, posterior pars historiarum ab hominibus literatis ornatè conscribi atq; perpoliri iam cœperit: & ab annis quingentis ea laudam gesta maiorum, quorum etiamnum vel liberi regnãt, vel posteritas regit nostras Respublicas, rectè possint, quæ ad Romanorũ & Græcorum antiquam gloriam, quàm ad barbarorum populorũ ignobilem memoriam, propiùs accedãt: planè spero fore, ut qui liberaliter instituuntur, huic quoq; studio dent operam: Scio multos esse φιλοπάτριδας, qui suæ quidem patriæ suorumq; Regum vel Principum historias ab annis ducẽtis, vel trecentis repetitas tanquam digitos suos tenẽt. Sed preterea nihil. Nam quasi anteà mundus cõditus non fuerit, & in orbe terrarum nulla gens fuerit, præterquam in istorum patria: ità illi domi hærent, & aliam, quàm domesticam, esse nullam historiam putant. Verùm indoctorum atque illiteratorum, quorum humiles & angusti animi sunt, ea propè puerilis stultitia est, miseraque inscitia: quę tamen (credo) si erudiatur atque impellatur, ex ignorantiæ suæ carceribus exire, longiusque progredi non recusabit: neque tam fortasse fastidit memoriam antiquitatis, quàm quia literas non didicit, illius monumenta evolvere non potest: cumq; illi facultatem potius quàm voluntatem deesse putem: ope & consilio, quàm reprehensione digniorem esse existimo. Literatos, hoc est, Latinis Græcisq; literis addictos iterum compellarem, atque etiam rogarem, ut non modò posteriorum barborumque temporum historiam non contemnant, sed & illam antiquam, quę abs Romanorum Græcorumque consuetudine fortasse abhorret, tam barbaram esse nõ putent, ut sua iudicẽt indignam esse cognitione: dico Iudaicam, in qua profectò plus, quàm in Romana, est admirabilium observationum. Sed quia Christianos nunc compello, non existimo pluribus eos verbis eo nomine rogãdos esse.

Ve-

Velim quidem certè aliquando meminerint, quàm eius ignorantia ridiculos reddiderit multos historicos qui tanta alioqui literarum gloria floruerunt, Græcos atque Romanos: eosque eò magis reprehendi sciant, quòd in suo alioqui ordine haberent, à quibus, quod in hoc genere ignorabant, discere, si saltem eos legissent, poterant, ut ostendit Iosephus contra Apionem. Quid dicã de Diodoro, de Strabone, de Trogo, vel Iustino, clarissimis historicis? Quid ille de Mose, deque Iudæis? Quàm ineptè, quàm falsò, quàm impudenter? Imò verò (ut tres eiusdem ætatis posteriores quidem, sed non minus nobiles scriptores notem) qualis ubi tractanda est Iudaica historia, nugator est, vel Cornelius Tacitus in suis Annalibus, vel Plutarchus in Symposiacis, vel Appianus in Syriacis? Quid dicam Senatum populumq; Rom. omnibus Gentibus in triumpho suam in hoc genere vanitatem turpemq; ἀπειροκαλίαν ostentasse, cùm in eo arcu, quem Tito de Iudæis triumphanti extruxit, non solùm inscripsit, sed etiam insculpsit, Titum delevisse urbem Hierosolymam, omnibus ante se ducibus & regibus aut frustra petitam, aut omnino intentatam. Itane verò tam citò sui quoque Pompeij, quem & Cicero Hierosolymarium vocat, obliti erant? Risit, credo, Iosephus, cùm tam ridiculam, quæ etiamnum extat, legit inscriptionem. Risit & ipse Titus, quem Iosephus docuerat historiam Hierosolymitanam, in qua urbem illam sæpe olim tentatã, victam, expugnatam abs multis regibus, ducibusque ostenderat. Quod quidem nunc obiter dico, quia scio multos esse, qui non solùm tam fatuas inscriptiones adorant, sed & gloriosæ suæ eruditionis magnam partem esse putant, rerum Iudaicarum superbam ignorãtiam: cui tamen facilè ignoscerem, si posteriorum têporum esset. Nam fateor post urbem illam à Romanis eversam, eiusque Rempublicam deletam, in ea gente, quæ dispersa, & incertis errans sedibus miseram servitutem servit, vix esse quicquam reliquum, in quo historia hæreat. Cæterùm urbs illa, quę veluti prima & princeps omnium magnarum urbium, anteà

R

multoq; ante Romam, historiam occupat, rursus nos ad se postea revocabit, cùm nostrorum Principum novos in ea triumphos, duce Gothefrido, & veluti Europam sævius ad Barbaros depellendos mare illud mediterraneum traijcientem, spectabimus. Mirabilis profectò est ille, quem in historia intuebimur, Euripus rerum humanarum: mirabiles vices sunt, incursiones, emigrationesque gentium & populorum, reciprocis (ut ita dicam) motibus alternantium. Sed quid tandem in ijs vident, qui totum non vident? Credo equidem multos spectare libentius Romam de alijs gentibus triumphãtem, quàm barbaros vicissim illi insultantes, & dira ultione Italiam pervastantes: imò verò Septentrionem & Austrum ad Orientis atque Occidentis Imperium evertendum concurrentes. Sed ex illa vastitate, talibusque ruinis condita sunt regna, quæ nunc admiramur, & in quibus vivimus: neque eorum conditionem, à cuius cognitione non possumus esse alieni, satis intelligere alioqui possemus.

Dixi historiæ universæ dandam esse operam, & quidem vniversam dici ratione temporum, regionum, rerum: rerum (inquam) triplicium, ut statum religionis & Reip. domi & foris, hoc est, historiam sacram, civilẽ, ut & militarem requiramus. Nũc proximum est ut dicam, non minus esse curandum, multoq; etiam magis cavendum, ea semper ut sit vera. Nam neq; historia esset alioqui, sed fabula, qua quidem certè nihil est magis alienum ab historia, nihil licet magis affine videatur. Non utar in re non dubia probationibus non necessarijs. Sed eleganter & verè Polybius (cuius nunc testimonio lubenter utor) mihi dixisse videtur, veritatem si quis ex historia tollat, pulcherrimi eum corporis oculos effodere atq; eruere, nervos succidere, ossa confringere: addo, ipsam quoq; animam eripere videri, atq; adeo (quod dicitur) Solem tollere de mundo. Neq; tamen non sentio sic interdum ἀρχαιολογίας & μυθολογίας esse coniunctas, ut difficilimum sit verum abs falso discernere. Sed in rebus dubijs possumus fidem nostrã non astringere. Dionysi⁹ lib. 1. ait, Ea, quæ de

de Hercule narrantur, partim fabulā, partim historiam esse: De bello Troiano idem dixero. Atq; hic equidem video poëtas mirificè lusisse, ut ille Sinon apud poëtā, falsum vero immiscet. Sed opera danda est, ne facilè nobis illudat talis commixtio. Plato libro secundo de Republica, cùm de Poëtis ex ea eijciendis ageretur, dixit, Orationem aut veram aut falsam esse: illam autē esse historiam, hanc vero esse poësin sive fabulā. Quintilianus verò diligentius discernit, narrationē esse triplicem: primam esse falsam, quæ fabula sit & dicatur: qualis est in eo poëmate, quod non modò à veritate, sed etiam à veritatis forma remotum sit. Secundam esse verisimilem, quæ tamen sit ficta, vocaturq; argumentum: qualis in Comœdijs esse solet. Tertiam esse veram, quæ historia sit appellanda. Si igitur aut falsa, aut ficta hæc sit, iam & esse & dici desinet historia. Polybius etiam severior est: Historiæ (ut vocat) πραγματικῇ non patitur inseri aliquid δραματικόν: graviterq; reprehendit historicos, qui narrant Hannibali Alpes transituro, perculso atque attonito apparuisse quendā Heroa: ut in Tragœdijs sępe occurrit θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Certè Latini scriptores magis quàm Græci, prodigia narrant: & ijs aliquando nimium indulgent. Sed miracula (ut appellantur) si verè inciderint, minimè sunt supprimenda: qualia sæpe occurrunt in historia sacra, quæ in humana ratione non hæret, neq; ex ea solùm æstimat rerum eventa: sed Deum ijs seriò admiscet. Cæterùm planè ridiculi sunt historici, qui non dico miracula aut prodigia fingunt: sed interdū, quod nullam veri speciem habet, plusquam poëticè narrant. Apud Homerum Græci vincunt Troianos præsente Achille, quo absente vincuntur. nam in magno duce multum momenti est positū. Sed an propterea Procopius fingere debet unū aliquem Isaurū, vel Thracem sua sagitta fugasse universum Gothorum exercitum? Scilicet talia Lucianus ascripsisset veris suis narrationibus, quę monstra non admittit historię fides. Atqui audio vix ullam historiam esse, cui non aliqua fabula, tanquā labes aspersa sit. Ita est fortasse. Sed aliud est,

Vna sagitta exercitus fugat.

fabulam studiosè fingere: aliud historiæ per imprudentiam aliquid interdũ affingere. Plutarchus in Pericle scribit, difficilis investigationis esse historiam veram, quòd & posterioribus scriptoribus, temporis antiquitas præteritarum rerum cognitionem sæpe eripiat: & ij, qui æquales sunt eius, cuius aut vitã aut acta describunt, vel invidia & odio, vel amore assentationeque distrahantur à veri studio. Sed an propterea studium historiæ Plutarchus abiecit? Non erubuit olim Flavius Vopiscus, cùm historiam alioqui scribere institueret, confiteri, nullum historiæ scriptorem esse, qui nõ sit aliquid mentitus. Sed minimè nos abduci propterea ab omnium scriptis debere iudicavit: neque omnes historias Iulij Capitolini verbo pronunciavit esse mythistorias. Fieri profectò vix potest, quin aliquid falsi aliquando in earum monumenta irrepat. Sed nimis illi, non iam dico morosi, sed importuni & intemperantes Censores sunt, qui statim atq; quippiã eius generis in aliquo scriptore notare possunt, totum scriptorem superbè ac fastidiosè abijciunt, vel contumeliosè lacerant, non secus atq; qui cùm aliquem in pulchro alioqui corpore nævum deprehenderunt, totum illud corpus tanquam deforme & fœdum cadaver conspuunt, sepeliendumque & obruendum esse impudenter clamitant. Atqui si agere ita velimus, ecquam tandem historiam habebimus reliquam? Scio & profiteor, nos, quantum fieri potest, curare debere, ut fabulas, quæ historiam plerunq; obsident, eamque clàm pervaserunt depellamus. Sed rursus cavere oportet, ne sic omnia ad vivum resecemus, ut etiam verum cum falso temerè abijciamus. Multa quidem, quæ suspectę fidei sunt, non invitus circumciderem. Nam & quod reliquum erit, satis erit magnũ: & pauciora quæ casta & vera sint, mallem, quàm multa, quę sint dubia, incerta, inquinata. Sed non minus est periculi in vero repudiando, quàm in falso complectendo. Cogor autem nunc tantò magis dicere quod dico, quia audio nuper hominem alioqui eruditum publicè scripsisse, Iosephum esse referendum inter scriptores deliros & fa-

Qui non aliquid sit mentitus.

Iosephus & Niceph.

fabulosos: Nicephoriq; historiam Ecclesiasticam nihil aliud quàm plaustra ineptiarum & blasphemarum. Non dicam mirari me id ab eo dici, qui & ijs auctoribus sępissimè utitur, & eorum testimonia in rebus gravissimis aliàs laudat. Sed dicam, si tales scriptores planè conculcandi sunt, penitusque iugulandi, & eodem exemplo reliqui eiusdem generis, actum esse de historia. Et quid tandem reprehendere in Nicephoro possunt, quod non possint in ipso Eusebio? Si hunc, notato licet errore, nihilominus laudant: cur illum, in quo laudari plura possunt, non ferunt eadem conditione? Iosepho cur infesti quoq; sint, magis etiam miror, Iudæo certè scriptori, sed tam alioqui fideli in suo genere, ut etiam Hieronymus, Censor minimè obtusus, eũ retulerit inter scriptores Ecclesiasticos, & alibi appellet Græcũ Livium. Sunt quædam in eo peccata: Quis negat? Sed quàm multa sunt recta, pręclara, necessaria ad ipsam quoque sacram historiam illustrandam? ut nimium ingrati futuri simus, si etiam irascamur Vespasiano & Tito, qui illum tanti fecerunt. Sanè Tertullianus, gravis & severus scriptor dixit aliquãdo, Tacitum esse mendaciorum loquacissimum. Sed hoc tantùm dixit, cùm de historia Iudaica ageretur, in qua & nos profitemur, Tacitum nugari. Verùm quid hoc ad Romanam? Vt brevè faciam: sapienter profectò & graviter Cicero monet, nòn statim propter aliquod vitiũ abijciendos esse historicos. Quis (inquit) nõ dixit, Eupolin ab Alcibiade navigante in Siciliam, deiectũ esse in mare? Redarguit Eratosthenes. Adfert enim, quas ille post id tempus fabulas docuerit. Num idcirco Duris Samius, homo in historia diligens, quòd cum multis erravit, irridetur? Quis Zaleucum Locris leges scripsisse non dixit? Num igitur iacet Theophrastus, si id à Timæo tuo familiari reprehensum est? Timęum historicum negasse ullum umquam fuisse Zaleucũ: sed Theophrastum, auctorem meliorẽ contrà affirmare, ait libro secundo de Legibus. Non rectè ergo Theophrastus à Timæo reprehensus erat. Sed fingamus eum & meritò aliqua in re esse reprehẽsum, & aliquan

Iosephũ Gręcum Livium nominavit Hier.

do falsum esse atque fefellisse: tamen negat Cicero propterea abijciendum planè esse. Cur enim reliqua, quæ bona sunt, amitteremus? Idem Cicero eodem libro 1. de Legibus, Herodotum vocat patrem historiarum. Atq; lib. 2. de Oratore, non negare videtur, multas apud eum esse fabulas. Sed nimis profectò intemperanter sæviunt, qui illius libros & Musas, eo nomine supprimere vellent. Nam quales tenebras, hoc lumine extincto, antiquissimis historijs offunderent? Imò verò quàm atrocem iniuriam facerent historiæ Propheticæ, cum qua Herodotus habet cõmunia plura, quàm ullus scriptor Ethnicus? Iosephus lib. contra Apionem, ait, in Commentarijs Manethonis Aegyptij reprehendi Herodotum, quòd imperitè scripserit quædam de rebus Aegyptijs. Sed totum Herodotum propterea non iugulat. Scio quàm illi infestus fuerit Plutarchus, cuius extat acerbus & propè famosus libellus περὶ τῆς κακοηθείας τοῦ Ἡροδότου. Sed viderit, ne suo ibi cum odio indulgẽs, sibi ipsi alicuius κακοηθείας notã inurat. Saltem meminisset, quod Herodotus ipse non uno loco protestatur, sese quædã recitare, ut ab alijs accepit, licet fidẽ illis suam non astringat. Sese enim quædam non posse non referre, quæ tamen vera esse, credere nõ teneatur. Quid dicã, Plutarchũ ipsum in suis vitis, Herodotum testem quin quies citare, nec nisi semel reprehendere? Ctesiæ quoq; ascribit οὐ μυθώδεις. Sed nihilominus sæpe utitur eis testimonio. Ergo & Xenophon bis laudat huius Ctesię historiam. Laudat & Pausanias in Bœoticis: & deniq; noster Tertullianus in Apolog. Itaq; ne eius quidem ἐκλογὰς de rebus Persicis, quæ nuper editæ sunt planè cõtemnere ausim. Sed quę superioribus annis, Annius quidam monachus protulit fragmenta Beroso inscripta, miror tam facilè multis etiam doctis imponere potuisse. Berosum Chaldæum, qui fuit sacerdos Beli (ut ait Tatianus) tempore Alexandri, sæpe meritoq; laudari à veteribus scio: quem quidem Iosephus lib. 1. contra Apionem, narrat descripsisse res Babylonicas abs Diluvio usque ad Iudæorum in Babyloniam abductorum capti-

Plutarchus cõtra Herodotũ, sed tamen eũ citat

Beroso liber ascriptus.

captivitatem: asseritque eius non esse fabulosam histo riam, quæ & cum Iudaica historia habeat multa communia, & cum antiquissimis Phœnicum Archvis consentiat, & quam comprobari ait Tatianus ex Iubæ Regis historia de Assyrijs. Sed tantò magis doleo, cùm illius commentarios intercidisse, tam verò eorum loco adulterinas quasdam rapsodias suppositas esse. Nam etsi in ijs agnoscam nonnulla, quæ notha non esse ex Iosepho intelligo: tamen plura sunt supposititia, quæ alioqui abs Iosepho non fuissent prætermissa: quædam etiam in illa farragine video esse prætermissa, quæ Iosephus ex Beroso recitat. Itaque in lectione adhibere oportet iudicium & delectum: ut neque confusè (quod quidam faciunt) vera cum falsis repudiemus: neque rursus temerè (quod hac ætate plures illius Berosi lectores fecerunt) falsa cum veris complectamur. Meruit Berosus statuam Athenis in gymnasio, lingua inaurata, ut Plinius ait. Meruit & Iosephus Romæ. Sed neque eorum idola adoremus, neque temerè omnibus, quæ scripsisse dicuntur, fidem habeamus. Age verò nihil nobis sit antiquius, quàm ut in historia fabulas, tã quam scopulos fugiamus. Sed quænam cautio erit, ut ab ijs nobis caveamus? præsertim in hac extrema mũdi ætate, cùm multarum rerum ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura: cùm tanta sit oblivio antiquitatis, tam obscuri eius recessus, tam profundæ tenebræ, & intereà tam tectæ sint insidiæ fabularum, & impostura tam astuta, cùm quidem falsum sit & esse dicatur non tam immutatio, quam imitatio veri. Equidem agnosco in historia esse obscuram quæstionẽ facti, non solũ alieni, sed & abs nostra memoria (ut ait Cicero) remoti, & propterea prudentissimum quenque in eo genere (ut Iuriscõsulti aiunt) falli posse. Scio eam ab alieni testimonij fide pendere, & rem propterea esse valde lubricam. Sed si cautiones tamen adhibebimus quas & debemus & possumus: neque temerè fallemur, neque in iustam reprehensionem nostra persuasio incurret: aut si interdum fortè errabim⁹, ita cũ multis bonis & sapientibus errabimus, ut neq; turpis er-

tor sit, si quis sit, neque possit facilè convinci. Vetus & prima sapientiæ lex esse dicitur, non temere credere.] Ergo facessat fatua temerariaque credulitas. Nam & eam culpa non carere, Iurisconsulti rectè pronunciãt: & toties non solùm falluntur qui scribũt, sed & ijs affingitur, quod nunquam scripserunt, ut cauta inquisitio valde sit necessaria. Cæterùm est etiam quædam nimium morosa, nimiumque diffidens ἀπιστία. Quæ quidem nisi simul facessat, nullum ulli historiæ locũ relinquet: & verò non ingenui, sed impudentis atque præfracti hominis est, etsi quid probabiliter dicatur, quod & gravem auctorem, testemque habeat: tamen id contumaciter tanquam falsum repudiare, cùm quidem neque quod affirmatur, refellere, neque cur illud repudiet, causam dicere possit. Equidem quoties bonos & graves historicos lego, statim cogito vetus illud: Aut hoc testium satis est, aut nescio quid sit satis. Sed est alicuius artis atque iudicij discernere, cui potissimum fides habenda sit, præsertim si, ut in historicis scriptoribus sæpè accidit, dissentire videantur. Leges & Iurisconsulti negant se commodè posse ea de re statuere, sapientis verò iudicis esse aiunt, in re præsenti cavere, ac quidem etiam eum expendere debere testimonium quod integræ frontis homo dixerit. Non est meum de scriptoribus pronunciare, neque tam odiosam censuram suscipere vellem. Sed profectò sæpè conqueri cogor, quod Thucydides conqueritur, multos (ut ille ait) ἀταλαιπώρους fuisse in veritate pervestiganda. Memini Polybium scripsisse: Maximam & difficillimam partem historici operis esse, rectè & sapiẽter iudicare de scriptorib. historicis. De eorum oratione non loquitur, sed de testimonio, & ea, qua digni sunt, fide. Quid nos? verecundè quidẽ (nam antiquitati quædam reverentia debetur) sed ingenuè tamen & liberè (veritatis enim maior semper cura esse debet) quod libri nobis narrant, excutiamus. Livius aliquando in hoc genere dixit, malle se scriptoris sive librarij mendum, quàm auctoris mendacium accusare. Equidem mendis refertos esse libros scio, neque in ijs delen-

dis

dis postremus nunc labor est doctissimorum hominum. Verùm & mendacij arguendi multiplex est ratio: neque id nos semper fallet atque fugiet, si cautè agamus. Denique diligenter cavendum esse sentio, abs libris supposititijs atque adulterinis, qui speciosum magni alicuius auctoris nomen falsa inscriptione mentiuntur. Tales enim multi circumferuntur: quorum nunc catalogum contexerem, nisi si hac ætate nothos illos satis esse notatos atque abdicatos abiectosque putarem. Quid pluribus opus est? Illud semper teneamus & perpetuò meminerimus, nos in lectione historiarum esse debere, quales ab Aristotele esse dicuntur, qui neque pueri, neque senes sunt, qui (inquam) ad credendum neque nimium faciles, neque nimium difficiles sũt. οὔτε (inquit) πᾶσι πιστεύοντες, οὔτε πᾶσιν ἀπιστοῦντες. Scitum profectò est & illud Hesiodi. πίστις καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας. Verùm rectè quoque aliquis vicissim dixerit, modò πίστεις modò ἀπιστίας esse utiles atque salutares. Non colligo hæc dicteria, talesque sententias, sicuti pueri apophthegmatibus tanquam emblematibus suas in schola declamationes ludendo pingunt, quorum paulò pòst cum inani sonitu memoria fugiat: Sed quod seriò dico, tenebo atque urgebo, & in re præsenti postea ostendam, non fuisse ociosam aut ludicram præmonitionem. Interea & illud nunc mihi in mentem venit, quod Augustinus scripsit de utilitate credendi. Quia verò liber extat, & legi ab omnibus facilè potest, & eum totum legi velim, nunc ex eo illud tantùm repetam, quod ait, Intelligere, semper sine vitio esse: credere, aliquando cum vitio: opinari nunquam sine vitio. Credere tunc esse culpandum, quum vel de deo indignum aliquid creditur, vel de homine facilè creditur. In cæteris rebus, si quis quid credit, quod se nescire intelligat, nullam esse culpam. Credo enim (inquit) sceleratissimos coniuratos virtute Ciceronis quondam esse interfectos. Atqui id non solum nescio, sed etiam nullo pacto me scire posse, certò scio. Hîc Augustinus scire dicit, quod ita intelligimus, ut

certa mentis ratione teneamus: ut ſcire rationi, ſicuti credere auctoritati tribuatur. Ideoque omnem intelligentem etiam credere dicit, ſed non omnem, qui credit, intelligere. Verùm ſubtiles illas diſtinctiones nūc omitto. Adijciā verò quod in epiſtola centeſima trigeſimaprima, cùm alias liberales diſciplinas acerbè notaret, hiſtoriam aūt magis laudaret, cùm ſive bona ſive mala hominum, tamen vera, narrantur: adiecit, Quamvis in eis cognoſcendis ſcriptores, qui Spiritu ſancto non adiuti ſunt, rumoresque colligere ipſa humanæ infirmitatis conditione compulſi ſunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis, omnino non video. Eſt tamen in ijs aliqua propinquitas libertatis, ſi voluntatem mentiendi non habent, nec homines fallunt, niſi cùm ab hominibus, humana infirmitate falluntur. Sed Auguſtinum nunc miſſum faciam, & alios noſtri ordinis potius conſulam, qui de eo, de quo quæritur, aptius reſpondent. Iuriſconſulti & leges civiles aiunt, aliam eſſe teſtium, qui rogati audiuntur: aliam teſtimoniorum, quæ leguntur aut recitantur, auctoritatem: & teſtibus potius quàm teſtimonijs eſſe credendum admonent. Quid nos in hiſtoriæ cauſa? Certè in ea, præſertim quæ noſtræ ætatis non eſt, teſtimonia legere poſſumus, teſtes præſentes audire non poſſumus. Sed ut olim Senatus cenſuit monumenta publica etiam potiora teſtibus eſſe, quemadmodum noſter Marcellus ait: ſic & publicis actis non minus quàm actoribus fidem adhibendam eſſe putamus, ſi eorum nullus error arguatur. Certè quod Vlpianus noſter dixit, veritatem rerum, erroribus geſtorum non vitiari, imprimis tenendum eſt. Sed ubi falſa illa eſſe non probantur, cur vera eſſe negabimus? Equidem optarem, ut ſcriptores ea demum narrarent, quæ viderunt, quibusque interfuerunt. quod & Polybius profitetur ſeſe in hiſtoria imprimis deſiderare. & veteres planè poſtularunt, qui earum propriè rerum hiſtoriam eſſe dixerunt, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui eas narrat, quòd hiſtoria Græcè ſignificet rerum cognitionem præſentium, ut ex Verrio

rio Flacco refert Aulus Gellius. Verùm si ij auctores non occurrant, qui testes oculati sint, & possint dici αὐτόπται: proximum est, ut eos, qui quod ab alijs acceperunt, bona fide narrant, audiamus; præsertim si & ijs ætas ipsa & antiquitas & virtus fidem atque auctoritatem conciliet. Seneca hos, qui se non vidisse fatentur, sed ab alijs audijsse affirmant, secundæ notæ testes esse ait. Sed neque ij semper abs Iurisconsultis reijciuntur. Nam & cùm quæreretur, an operis facti memoria extaret, olim responderunt, ἐν πλάτει hoc quærendum esse, num quis vel viderit vel audierit opus fieri, vel ab ijs acceperit, qui vidissent aut audijssent. Cæterùm illud saltem curandum est; ut & optimum, qui haberi poterit, & gravissimum, qui rogatus occurret, semper testem audiamus, eiusque ipsius verba imprimis recitemus. Nam & in ijs nos velim esse religiosos. Equidem scio veteres quoque scriptores historiarum tam superstitiosos non fuisse, quin auderent alijs atque alijs verbis rem eandem efferre, illustrare, amplificare. Neque nos tam in aliorum verba iuravimus, quin, salva modò & integra rerum veritate, audeamus idem factum non ijsdem omnino verbis aliquando recitare: tametsi non temerè olim laudatos esse sciam illos Rom. Legatos missos Tarentum, quòd legationem, quibus acceperant verbis, peregerint: sed ut in recitatione tamen alieni testimonij esse debemus bonæ fidei: sic testimonia quæ sinceriora sunt, imprimis sunt proponenda. Certè Iurisconsulti cùm de probationibus & fide instrumentorum agunt, non hærent in ijs, quæ exempla vocantur: sed avthentica & veluti archetypa requirunt. An nos in antiquæ alicuius historiæ quæstione: antiquissimos illos atq; (ut ita dicã) classicos testes postponemus recentioribus? An secundæ atque interpolatæ narrationis maior erit fides, quàm primæ & integræ? Mitto illud, quod Aristoteles libro 1. Rhetor. loquens de testibus, πιστότατοι (inquit) οἱ παλαιοὶ ἀδιάφθοροι γάρ. Sed iterũ dico, quò posterior & magis nova est rei antiquæ narratio, tantò mendosiorẽ eam esse solere. Nã

& ut vinum quò magis transfunditur, evanescit magis, tandemque fit vappa: utque fama ipsa, quò longius progreditur, longius recedit à vero, plusque colligit vanitatis; sic & persæpe historia, quæ à pluribus repetita variè iactatur, & alijs atque alijs verbis recitata spargitur, tandem cõtaminatur & in fabulam degenerat. Neque verò non fero plures esse unius alicuius rei scriptores: quinimò quamplurimos, quos conferre possim, esse opto. Quàm enim utilis hæc collatio sit, scio. Sed tales esse velim, quorum iusta & gravis sit auctoritas. Primoque loco primos quosque, quos secuti posteriores sunt, legendos esse censeo: & quid ijs alij deinde assuerunt, discernendum esse statuo. Sic (inquam) imprimis antiquissimos: pòst verò, ut quisque illis proximus ætate est, suo quenque loco & ordine, si hoc auditorio non sit indignus audiri, & quid priori posterior addiderit, observari cupio. Historiæ enim plerunque ea est conditio, quæ famæ: nam &

—— *vires acquirit eundo* (ut ait Poëta)
Parva metu primùm. ——

Sed facilius cautio est, si ad primos auctores recurramus: neque rivulos nuper deductos pro ipsis fontibus nobis obijci patiamur. Atqui si ita, ut dixi, agimus, non poterit una aliqua historiæ universæ perpetua oratio eleganter & æquabiliter contexi atq; perpoliri. Fateor. Sed historiam veram, non Rhetoricam fabulam, aut scholasticam declamationem expeto. Quam alij verborum continuam concinnitatem ac semper similem perpetuæ politæq; dictionis æquabilitatem hìc requirant, ipsi viderint. Ego rerum & constantem, & sinceram, & simplicem, & castam veritatem in historia imprimis requiro, & ubi erudita fuerunt tempora, eruditè abs veteribus descriptam esse agnosco. Neque non me movet, quod Valerius Max. exclamat: Quis compos mentis, domesticæ peregrinæque historiæ seriem, fœlici superiorum stylo conditam, vel attentiore cura, vel præstantiore facundia, traditurum se speraverit? Denique existimo rectè

abs

abs Plutarcho in Nicia reprehensum atque irrisum esse Timæum historicum, qui stulta quadam ambitione voluit, quod abs Thucydide scriptum erat, alijs verbis efferre: quasi Thucydidem, quē ne longo quidem intervallo sequi vel imitari poterat, superare posset. Ergo Plutarchus graviter iudicat, ambitiosam eius contentionem, fuisse hominis vani, eamque similem esse vanitati puerorum in scholis declamantium. Quid dicam, eos, qui historias olim rectè scriptas interpolant, nō modò ut sua furta tegant, rerum fidem & veritatem corrumpere, sed & verborum ornamenta sæpe abijcere? Non utar exemplis novis. Eusebius libro χ. περὶ παρασκ. ex Porphyrij quodam de furtis veterum scriptorum libro, notat Theopompum: qui quæ abs Xenophonte descripta erant bene & eleganter, non modò sibi adscripserit, sed & immutando corruperit. Atqui si hæc unquam interpolatio vitiosa est, est imprimis in historia. Itaque etsi olim quippiam scriptum esset fideliter magis quàm politè: tamen nō est temerè nova oratio subornanda: saltem quæ veterum in formulis religio fuit, ea nunc esse debet in historijs. Non reprehendo Livium, qui quæ Græcè scripserat Polybius, Latinè scribit: suum licet librum xxi. ex illius libro tertio propè ad verbum descripserit, & transferendo veluti κατὰ πόδας sit interpretatus. Laudo potius quòd eadem dicat de ijsdem: etsi miror eum tunc non laudare suum auctorem. Nihil iam dicam de aliquot Plutarchi in Crasso paginis de bello Parthico, quæ in libris quoque Appiani repetitæ leguntur. Factum id esse suspicor, non ab ipso Appiano, qui Plutarcho fuit æqualis: sed à librarijs, ut supplerent aliquam in Appiani commentarijs lacunam. Verùm etsi Appianus id fecisset, factum quidem aliquid haberet impudentiæ plagiariæ, & Plutarcho aliquam faceret iniuriam, historiæ verò nullam. Vt breve faciam: dico nos iam recitatores potius esse debere, quàm novos auctores. Quæ autem fuerit antiqua lex mosque vetus recitationis, notum est. Disputent alij de elocutionis coloribus: ego nunc veritatis cau-

Livius librū 21. ex Polyb. descripsit.

ſam ago. Et cùm de facto ac iure, maximiſque de rebus in ea quæritur: ineptum eſſe puto de ſola verborum elegantia quærere. Et cuius tandem erit aut fidei aut iuris aut iudicij, res verbis potius quàm verba rebus ſubijcere? Saltem fas non eſſe puto, bonorum teſtium verbis anteponere noſtra. Non vitupero quod M. Antonius Sabellicus avorũ noſtrorum memoria ſedulò tentavit, perfecitque. Improbus eſſem & ingratus, ſi doctiſſimi hominis maximos in univerſa hiſtoria contexenda labores non laudarem: ſed tale exemplum nunc imitari non inſtitui. Nam & incorrupta veterum teſtimonia ſine ulla interpolatione potius legi debere exiſtimo: neque novam iis orationem affingere, & tanquam alienam veſtem aſſuere velim: neque pro eorum verbis mea ſupponere auderem, ne & pro melioribus deteriora ſubijciam, & hiſtoriam non tam ornare videar, quàm mendoſam mendacemque efficiam. neque ſanè teſti, cuius narrantis ab ore (ut ille ait) pendere debeo, dictare atque præſcribere poſſum, quid & quomodo dicat: & res ipſa loquitur, ecquid accidat, cùm rerum olim geſtarum narratio, nunc pro cuiuſque affectu vel fingitur vel interpolatur vel componitur. Redeo ad veritatis in hiſtoria obſervationem. Atq; ut anteà dixi in hiſtoriæ univerſitate imprimis obſervandã eſſe hiſtoriam Eccleſiaſticam: ſic iam iterum & ſingulariter præmoneo à fabulis in ea imprimis cavendum eſſe. Nam & in ea demum fabulæ multæ & mirabiliter tectæ occurrunt: & multò hìc periculoſior, quàm in rebus civilibus error eſt. Obſecro, quid ad corrumpendam, contaminandam, multisq; modis defœdandam atq; inquinandam veteris Eccleſiæ memoriam, quid (inquam) dolo malo non fecerunt Ethnici, Iudæi, hæretici? Quid fatua, credulaque ſuperſtitio imprudens affinxit? Et ſi tantùm loquerer de Apoſtolorum temporibus: quanta fuit, ubi minimè licebat, fraus impoſtorum? Vetus eſt, nec mea, ſed Arnobij hæc querela: Multa quæ de Chriſto & Apoſtolis ſcripta erant, aut malevolentia Dæmonum, quorum cura & ſtudium

eſt

est intercidere veritatem, aut similium his hominum interpolata sunt: quædam addita, quædam detracta, verbis, syllabis, literis, ut & prudentium tardarent fidem, & gestorum corrumperent auctoritatem. Hæc Arnobius. Factum est singulari dei beneficio, ut illorum nebulonum insidiæ & fraudes detectæ sint: utinam fuissent omnium, qui eos secuti sunt. Certè nimium impudentes fuerunt olim Manichæi, qui Lucæ Apostolicam historiam, cui fidem habere nolebant, mentiebantur esse ab alijs corruptam, & incertis fabulis contaminatam. Sed cùm eos id facere voluisse scio, tum verò anteà multos falsarios impostores tale quippiam conatos esse fateor. Quid? scripserat Clemens Romanus Petri Apostoli περιόδους. Ijs libris statim manum inicijt Ebion, & clàm multas putidas fabulas aspergit atque assuit, ipso adhuc Clemente vivo. Id clemens cùm intellexisset, singulas mox Ecclesias percurrit, monens, ut sibi caveant, & quas præsens convenire non potuit, commonefecit per Epistolas: quæ Epistolæ, quia huc & illuc missæ discurrebãt, appellatæ sunt Encyclicæ. Testisque est Ephiphanius suo adhuc tempore publicè in Ecclesijs prælectas fuisse. Vtinam tales semper cautiones occurrissent eius generis fraudibus. Ne multis morer: video rem eò redijsse ut in hac parte operam dare debeamus, non modò ne falsum pro verò temerè accipiamus, sed etiam ne verum pro falso facilè reijciamus. Fateor, ubi tot insidiæ sunt, & est tantum periculi, laudandam esse timidam eorum εὐλάβειαν, qui meminerunt, non temerè esse credendum. Sed quorundam rursus nimia est ἀπιστία, qui nihil credunt, quàm quod ab uno aliquo scriptum erit. ut de Apostolorũ temporibus nihil dici volunt, quod ab ipso Luca non sit expressũ. Atqui Lucas Pauli potissimum historiam contexere voluit. Et rursus in ea quædam prætermisisse indicat ipsius Pauli ad Galatas epistola. De Simone Mago loquens, simpliciter narrat, eum in sua Samaria commotũ increpatione Petri agnovisse suũ peccatum. Sed an propterea clamitabimus esse falsũ, quicquid præterea de eo

narrant vetustissimi & gravissimi auctores Iustinus, Tertullianus, Arnobius, Eusebius, Epiphanius, Augustinus? Longiorem hic locus orationem postularet: sed in re præsenti commodius talia excutientur. Nunc tantùm simplici quadam & generali præmonitione breviter utor.

Quod dixi universæ & veræ historiæ operam dare nos debere, ut de nostro, qui auditores aut lectores sumus, sic & de scriptorum historicorum officio loquitur. Ac plura quidem de legibus & ratione historiæ scribendæ dici posse scio. Sed quorsum ea ociosè nunc repeterem, quæ ipsi satis superque dixerunt, qui olim historiam scribere instituebant? Suum enim officium satis intelligebant. Neque illa dixerunt modò sed & cumulatè, quod debebant, pleriq; præstiterunt. Eius generis sunt hæc præcepta, ut habeatur delectus rerum narrandarum: ut narrentur res magnæ atque utiles: ut temporum & locorum notatione illustrentur: ut orationis luce commendentur: ut causæ, consilia, eventus explicentur. Quæ quidem omnia non modò alijs, sed sibiipsis magis præscripserunt, quę observarent. Testem ex multis unum cito Polybium. Neque si hoc illi non fecissent, aliundè potiùs quàm ab Cicerone tales leges repetendas esse putarem: qui quod de officio historicorum dici posset, optimè & brevissimè exposuit libro 1 1. de Oratore. Nam posteaquam gravissimè iudicavit de historicis Græcis & Latinis, Videtisne (inquit) quantum munus sit Oratoris historia? Haud scio, an flumine orationis & varietate maximum. Neque eam reperio usquam separatim instructam Rhetorum præceptis. Sita enim sunt ante oculos. Nam quis nescit primam esse historiæ legē, ne quid falsi dicere audeat: deinde, ne qđ veri non audeat: ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis? Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem ædificatio posita est in rebus & verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem. Vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis, consilia primùm

mùm, deinde acta, posteà eventus expectantur, & de consiliis significari quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari, non solùm quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo: & cùm de eventu dicatur, ut caussæ explicentur omnes, vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis: hominumque ipsorum non solùm res gestæ, sed etiam qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita atque natura. Verborum autem ratio & genus orationis fusum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens sine hac iudiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. Hæc ille. Quæ quidem, quia non modò eorum, qui scribunt, sed etiam aliorum, qui legunt ab aliis scriptas historias, officium exponunt, lubenter recitavi. Nam & nos admonent, si quid eorum non fecerint scriptores, quos legimus, quid facere nos oporteat, tametsi nobis rerum magis, quàm verborum studium curæ esse debere, dictum anteà sit. Neque verò dubito, quin Cicero (liceat nunc mihi de historicis cogitanti in huius recordatione acquiescere) si historiam, quam meditabatur, contexuisset, fœlicissimè illa, quæ præscribit, omnia observasset atque præstitisset. Non enim audio Plutarchum, qui fingit & fabulatur, eum cogitasse Græcorum fabulas & orationes in historiam transferre: Qui Ciceronis ingenium satis novit: quàm omnia facturus esset & rectè, & sapienter, & politè, minimè dubitabit. Scripserat adolescens Marium, hoc est, rerum abs Mario gestarum historiam eleganti poemate, quo tempore iuris dicendi caussa ad Mutium Scævolam ventitabat. Scævola miratus adolescentis ingenium de libro illo vaticinatus est: Canescet seculis innumerabilibus. Nam & sapientissimus Iurisconsultus tam gaudebat eum cũ Iuris Civilis studio coniungere studium historiæ: quàm hanc coniunctionẽ studiorum requiro. Si tam adolescens Cicero tam citò admirabilis tali tantoque viro esse visus est in historia: qualem quantumque putamus, cùm vir aut senex esset, historicum esse potuisse? Sed illud nunc dico:

Eum, ne illos quidem, qui minus in historia alioqui præstiterunt, quod debebant, contempsisse. Certè libro primo de Legibus Venonium historicum refert inter eos, qui exiliter atque adeò negligenter scripserunt. Atqui ne eo quidem carere se posse, alibi significat. Nam libro duodecimo ad Atticum: Molestè (inquit) fero me Venonij historiam non habere. Sed & Libonis annali utitur. Nempe homo sapientissimus sentiebat, quantumvis alioqui exile aliquid sit, tamen esse magnum, quod ad historiam pertineat: hocque studio tam erat incensus, ut nihil quicquam negligeret. Ergo cùm satiari non posset, simulque prospiceret quanta res ageretur, & se & alios incitavit. Mitto quàm valde urgeat illum Lucceium, quem tam præclarum & excellentem historiæ Romanæ scriptorem fuisse significat. Alios prætereà certatim impellebat: videturque inter eum & Q. Fratrem & Pomponium Atticum coijsse quoddam huius studij collegium. Libro secundo ad Q. Fratrem: Quod (inquit) ascribis aggrediarísne ad historiam? Me auctore potes. Sed & cùm libros de Oratore ad eum misisset, & in ijs libris illud de historia scripsisset, quod paulò antè dixi: satis profectò eum monuerat. Quid Atticus? Hic ad Marcum uno volumine totã antiquitatem (ut ait Cornelius Nepos) ita exposuit, ut nullam nõ legem, pacem, bellum, rem illustrem populi Romani suo tempore notaverit. Quem librum cùm Cicero (cui erat inscriptus) legisset, quo tempore Rempublicam perditam lugens mœrebat, exclamavit, eo libro non sibi delectationem modò, sed & salutem allatam esse, sicuti narrat in Bruto. Interea verò quasi nondũ quicquid actum esset, & Q. Frater & Atticus ipsum Ciceronem urgent, ut historiam scribat: quam aiunt iamdiu ab eo non solùm postulari, sed etiam expectari: quasi hæc adhuc abs literis Romanis absit, & eam ille non modò possit, sed & debeat præstare, & quidem Reipublicæ debeat. Ipse etsi occupationes excuset, & ocium liberum ad eam rem desiderare se significet, tamen non dissimulat, nihil sibi esse antiquius, quàm se illi stu-

dio

dio totum tradere. Nam & libro decimosexto ad Atticum: Historiæ (inquit) studio ardeo. Incredibiliter enim me commovet cohortatio tua. Neque tamen non lubenter ipsum Atticum in historia suum veluti magistrum agnovit. Quàm enim eum & sæpè & lubenter consulit de temporibus Magistratibusque Romanorum? Quàm suos ab eo libros castigari non iam dico patitur, sed petit & cupit? Quàm diligenter etiam disputat, & curiosè singula scrutatur? Vt cùm de Fannio, de Tuditano, de Carneade, & ea legatione Atheniensium, quæ Romam venit Oropi causa, quærit. Denique ubi Attici talibus quæstionibus respondentis iudicium audijsset, exclamat: Habeo à te munus elaboratum. Simul autem & hunc suum fratrem Quintus simili ratione consulebat, atque appellabat. Quintus Frater (inquit Marcus ad Atticum) me rogat, ut Annales suos emendem & edam. Sed & huic collegio adiungebatur Aemylius Probus, qui vitas excellentium Græciæ Principum & Ducum Latinè scripsit ad T. Pomponium Atticum, ne non integra esset historia, quam illi tunc versabant. Imò verò & ipse Brutus accessit, cuius Epitomas historicas sæpe laudat Cicero ad Attic. Ecquid, cùm tales in hisce studijs duces habeamus, commovemur? Cicero pro Archia: Plena est (inquit) exemplorum vetustas, quæ iacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quàm multas nobis imagines, non solùm ad intuendum, verùm etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas, scriptores & Græci & Latini reliquerunt? Quas ego mihi semper in administranda Republ proponens, animum & mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam. Hæc ille de se: sed non solus. Equidem sentio me iudicanda horum virorum recordatione longius fortasse abduci à proposito. Verùm ab eo non sunt aliena quæ ad huiusce studij contentionem commendandam pertinent: & si fortè meis in hoc genere affectibus indulgens, non solū recreor Ciceronis & amicorum eius, virorum clarissimorum nobili exemplo:

ſed,& quod eius memoria ſuggerit, lubenter repeto: credo non iniuſtam videri poſſe cauſam miſcendæ & propè perturbandæ noſtræ orationis. Ergo & alterum in eadem urbe & Republ. hominum ampliſſimorum, eiuſdem ætatis atque etiam dignitatis, veluti collegium ad hiſtoriam excolendam coniuratum, quod nunc occurrit laudabo. Dico ſocietatem Siſennæ, Hortenſij & Luculli, quæ & Ciceronem excitaſſe atque inflammaſſe videtur ad honeſtiſſimam ſive imitationem ſive æmulationem. Valeant III. viri R. P. C. illos III. viros hiſtoriæ conſtituendæ, tam Reipubl. profuiſſe ſentio, quàm alij obfuerunt. Siſennam hiſtoricum quanti fecerit Cicero notum eſt. Siſennæ familiaris erat Hortenſius, ille (inquam) Hortenſius, cuius eloquentiam cùm ſæpè aliàs Cicero prædicavit, tum verò in ſuo de Philoſophia Dialogo, hiſtoriæ ſtudium incredibile fuiſſe ſignificavit: ut mirari non debeamus, ſi & eum hiſtoriæ auctorem bonum, aliquando laudet ad Atticum, & illius Annales prædicet Velleius Paterculus libro ſecundo ſuarum hiſtoriarum. Quid de Lucullo dicam, qui etiamnum adoleſcens, neque Siſennæ, neque Hortenſio in hoc ſtudio cedere ſe gloriatus eſt: & utrunque tanquam ſponſione & ſacramento provocare auſus eſt? Sed de eo poſtea fortaſſe viderimus. Nunc ut ad Ciceronem, & ad id, unde ſum digreſſus, revertar, & quod inſtat, perſequar: fateor tam propè paucos ſupereſſe ſcriptores, qui Ciceronis ſecuti ſint præcepta de ratione hiſtoriæ ſcribendæ, quàm Oratores pauci fuerunt, qui ad perfectũ eius Oratorem proximè acceſſerint. Sed qualeſcunque ſint, qui ſuperſunt: eos tamen ſi ſtudiosè legamus, dabunt quam quærimus ſaltem materiam & informationem hiſtoriæ. Nam & quid aliud agere videntur, hoc facient, ſi ijs rectè utamur. Neque poſtrema lectionis noſtræ cura hæc eſſe debet. Non ſcripſit Cicero, quam inſtituerat & meditabatur hiſtoriam Romanam: ſed ex reliquis eius libris tantum & lucis & ornamenti repeti atque referri ad illam poteſt, quantum ex alio quoquam hiſtorico ſcriptore. In quadam

ad Lentulum epiſtola ait,ſeſe verſibus tres libros ſcripſiſſe de ſuis temporibus. Iuvat, quinam ij fuerint, aut quando ſint ſcripti,ſcire. Itaque liceat nunc mihi hanc inquiſitionem interponere. Audio quibuſdam videri eos eſſe libros, quos alibi ait ſe ſcripſiſſe de ſuo Conſulatu. Sed eos,de quibus quærimus, potius crediderim ſcriptos poſt diſceſſum Lentuli Proconſ. in provinciam, hoc eſt, aliquot annis poſteaquam de ſuo Conſulatu ſcripſerat Cicero, de quo ſcripſiſſe videtur L. Afranio & Q. Metello Coſs. Ac quidem cùm de eo ſuum carmen paſſim decantari vellet,illos de ſuis temporibus verſus, etſi ad Lentulum mittere nō recuſaret,vix tamen alioqui edendos eſſe putabat. Coniecerit fortaſſe aliquis fuiſſe ἀνεκδότους:quales ſeſe pangere Theopompino genere, aut etiam aſperiore,fatetur lib.II. ad Attic. ut intelligamus fuiſſe propè Satyricos. Sic enim & Theopompus in ſuis hiſtorijs multos aſperè atque acerbè notaverat. Sed & lib. XIIII. ad Attic. ſignificat Cicero, ſeſe librum quendam ἀνέκδοτον perpolire,quem poſt mortem Cæſaris ſcripſerat. Et Dio ei aſcribit quoddam βιβλίον ἀπόῤῥητον. Vtinam verò quæcunque vir ille de ſuis temporibus,quibus mirifica fuerunt in Repub. myſteria conſiliorum,liberè ſcripſit,nunc evulgari poſſent. Nunc enim ſine eius fraude ſcire poſſemus,quod valde noſtra intereſſet non ignorare. Aſconius præterea teſtatur, eum ſcripſiſſe quendam librum quem vocaverit Expoſitionem ſuorum conſiliorum. An quicquam eſt,quod magis deſideret expoſitio Hiſtoriæ Rom.? Magnum ergo in eius amiſſione damnum eſt. Sed nónne ex alijs eius ſcriptis quæ ſuperſunt, repeti illa expoſitio utcunque poterit? Dixit olim Cornelius Nepos, eum,qui legit Ciceronis Epiſtolas ad Atticum, non multum deſiderare hiſtoriam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de ſtudis principum,vitijs ducum,æmulationibus Reipub.perſcripta eſſe,ut nihil in ijs non appareat. Quid ſi accedant aliæ ad alios eiuſdem epiſtolæ? Scio multas intercidiſſe. Nam cùm audiam eum ſcripſiſſe Epiſtolarum

libros propè LXXX. ne dimidiam quidem partem superesse video. Sed quantulumcunque tamen est, quod est reliquum, si diligenter relegatur, quantum conferet? Et quàm esset sine eo subsidio non solùm ieiuna, sed & arida (ne quid dicam gravius) historia Rom.? Quamque illo iudicio freti multa in Plutarcho, Appione, Dione, diligentissimis alioqui scriptoribus, notare vitia possumus? Quàm multa, quæ illi temerè prætererierunt, observare? Itaque nuper mirificè sum recreatus, cùm audirem doctissimum epistolarum ad Atticum interpretem, & nobis & Reip. proptereà pollicitum esse libros de mendosa historia: neque est quicquam quod ab eo magis elicere velim: ac, si ex sponsu vel pacto nudo & pollicitatione agere liceret, strictissimo iudicio vel præscriptis verbis agere hoc imprimis nomine instituerem. Neque verò ex epistolis modò, sed & ex Orationibus, & ex alijs Tullij commentarijs præclaram historiæ Rom. emendationem repeti posse sentio. quanquam sit aliqua cautio adhibenda, ne protinus rem æstimemus ex ijs, quæ fortè oratoriè dixerit, ut foro & causæ serviret: vel studio partium magis quàm sedato iudicio impulsus: vel etiam ex alieno stomacho potiùs quàm ex suo sensu. Nam & ipse pro Cluentio: Errat (inquit) vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in iudicijs habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Sanè Plutarchus in suis vitis historiæ auctorem sæpè & lubenter laudat Ciceronem. Eum tamen mentitum esse in Philippicis, notat in Antonio, sicuti & Antonium ipsum in refutatione Philippicarum, de Cicerone dixisse, quòd planè falsum sit, indicat. Vt autem ex Ciceronis libris dico amplissimam & uberrimam historiæ materiam repeti posse: sic etiã ex aliorum scriptorum, etsi historicos se esse non profiteantur, commentarijs excerpi multarum maximarum rerum testimonia possunt, quæ alioqui nos fugiunt. Itaque non possum non eorum reprehendere negligentiam, qui cùm historias requirunt, eò non respiciunt. Quid de libris aut chartis loquor? Non-

ne

ne & veteres ſtatuæ ac picturæ, & lapidibus aut nummis inſculptæ inſcriptiones, & denique quæ aulæis vel periſtromatibus intexta ſunt, hiſtoriæ argumentum undique nobis ſuppeditant? Ergo, ut anteà dixi, hiſtoriam & univerſam & veram debere nos quærere: ſic iam dico, conſequi poſſe. Et verò ni ita eſſet, non modò inanis, ſed & inſana eſſet cohortatio noſtra. Sed quia vereor, quibuſdam ad deſperationem propenſis id perſuaderi vix ſtatim poſſe: eos rogabo & obteſtabor, ne deſinant bene ſperare, priuſquam in re præſenti ſenſerint nihil eſſe ſpei. Equidem etſi ingenio meo nihil tribuam: neque ſit fortaſſe quiſquam, qui mihi, quàm ego, tribuat minus: & deeſſe meo ſtudio propè omnia ad tantum opus neceſſaria exiſtimem: tamen nulla me difficultas, quin ad id aggrediar, deterrebat. Nam etſi maxima facta ſit bonorum librorum veterumque monumentorum iactura, tamen eæ tanquam ex naufragio ſuperſtites tabulæ ſunt, quibus ſi innitamur, in tam vaſto Oceano navigationem conficere, atque etiam ad portum appellere poterimus: colligamus modò omnia, & cogamus ſtudioſè, quæ ſinguli ſcriptores ſparſim tradunt. Scio duces aliquando defuturos in obſcuris & confragoſis veluti ſcopulis: & eos qui præeunt, ſæpe properando præterire multa, in quibus conſiſtendum eſt: multa etiam confusè miſcere, in quibus evolvendis ſudabimus. Sed non profiteor ſine magno labore confici poſſe quod inſtituimus. Neq; non memini, Plutarchum in Demoſthene prudenter monuiſſe, eum qui hiſtoriam magnam conſcribere vult, habitare debere in maxima civitate, multis doctiſque viris & libris referta, ut quoties hærebit, habeat & quos conſulat auctores, & quos rogare teſtes poſſit. Verùm etſi multis, quæ deſiderarem, præſidijs deſtituar, tamen adſunt nonnulla, quæ me conſolantur: quodque Dionyſius Romæ ſe feciſſe narrat, & alij olim eodem exemplo fecêre diligentiſſimi ſcriptores, totum iam illud nobis partum paratumque eſt, cùm eorum commentarijs utimur. Neſcio, debeám ne heic lugere

monumenta, quæ interciderunt, an ea potius prædicare, quæ superſunt. Sed iuvat admirari ſingularem Dei providentiam, qua factũ eſt, ut & olim multis modis rerum præteritarũ memoria cõſervata ſit, & teſtes acceſſerint, qui eam conſignarent, & eorum conſignata teſtimonia, ſaltem aliqua, quæ omnium ætatum hiſtoriam conſervarent, non perierint. Primis quidem aliquot ſeculis & literæ & ſcriptores defuiſſe videntur. Verùm & ſine literis conſervata eſt eorum memoria, atque etiam, quia per manus tradebatur, propagata. Quid dicam, multos populos ſcribi noluiſſe multa, quæ fideli memoriæ cuiuſque mandare & veluti imprimere volebant? Quid dicam, carminibus tantùm, quæ ediſcerentur, & cantionibus quę iactarentur, vulgata diu fuiſſe, quæ poſtea tandem literis conſecrata ſunt? Fateor tamen multa eſſe amiſſa. Cicero in Bruto: Vtinam (inquit) extarent illa carmina, quæ multis ſeculis ante ſuam ætatem in epulis eſſe cantitata à ſingulis convivijs de clarorum virorum laudibus, in Originibus ſcriptum reliquit Cato: quia talibus delicijs veteres ſua convivia condirent. hiſtorias quoque olim vocatas eſſe Bellaria ſcribit Plutarchus. Verùm etſi obliviosæ & mutæ poſteritatis ſilentio ſepulta multa perierint, tamen non dubito pleraque in literas eſſe relata: & quod Germanis (ut de alijs nunc non loquar) olim accidit, multis populis accidiſſe. Corn. Tacitus ait: veteres Germanos ignoraſſe quidem ſecreta literarum: ſed antiquis carminibus uſos eſſe, fuiſſeque hoc unum apud eos memorię & Annalium genus. Vnde & lib. 11. loquens de Arminio: Canitur (inquit) adhuc barbaras apud gentes, Græcorum Annalibus ignotus. Quid igitur tandem? Eginhardus, bonus profectò eius rei, quam dicere nunc volo, teſtis, de ſuo Carolo Magno: Barbara (inquit) & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus & bellica canebantur, ſcripſit memoriæq; mandavit. Recitabo alterum non minus nobile exemplum. In novis, hoc eſt, nuper repertis Indiæ Occidentalis inſulis, tam dicuntur eſſe homines illiterati, &

lite-

literarum tamen, tanquam Deorum cultores: ut cùm audirent nostros ibi Christianos alioqui absentes, sic inter sese per epistolas colloqui, ut alter alterum intelligat, epistolas illas clausas adorarint, in quibus dicebant inclusum esse aliquem divinum internuncium Genium. Illi (inquam) tam illiterati homines multorum seculorum historiam suæ gentis memoriamque conservarunt, partim quibusdam temere effictis symbolis, ut Aegyptij notis Hieroglyphicis: partim suis cantionibus, quas alij alios docent, & in suis Choræis cantillant: quales Choros vocant Areytos. Nunc etiam audio nostros, qui illic habitant, in literas referre talem & ex talibus carminibus repetitam historiam. Non dignarer illorum barbarorum meminisse: nisi si nostram nobis barbariem exprobrare maiorem illi possent, si simus αὐτοσχέδιοι: & nos ab ijs discere possemus atque deberemus diligentiam conservandæ publicæ memoriæ. Nam & fas est ab hoste doceri, ut vetus poëta dixit. Hìc si quis me roget de primis historiarum auctoribus: dicam, nostrum Mosen primũ omnium & antiquissimum esse scriptorem. Nimis enim putidum est & ridiculum, quod Plinius nescio quem Pherecidem historiæ inventorem primum fuisse fabulatur. Quid verò Moses, quem divinitùs excitatum fuisse non dubitamus? Is ab orbe condito usque ad sua tempora historiam annorũ propè bis mille & quingentorum, ut res erant in ea gente Iudaica notæ & pervulgatę, & perpetua veluti successione abs parentibus acceptæ, literis primus consignavit ad sempiternam posteritatis memoriam. Citat ipse quidem aliquem librũ Bellorum Domini, sed Hebræi interpretes annotant id dici de libro, qui nondum scriptus erat, sed erat scribendus, & in quem referretur illorum bellorum historia. Iam si quis mirabitur tot seculis orbem terrarum caruisse scriptore historico: tantò magis admiretur divinum Mosis beneficiũ. Quid? Quingenti propè anni effluxerant ab urbe cõdita priusquam seriò & diligenter conscribi atq; contexi cœperit historia Romana. Nam Q. Fabium Pictorem, &

Moses hist. primus.

2500.

Bellorum historia scribenda.

L.Cincium Senatorem,qui primo bello Punico vivę bant,primos eius auctores laudat Dionysius. Ait quidem & ipsum Romulum descripsisse res ab se gestas. Sed quales ij essent alioqui commentarij vel annales, nescio. Primam tamen illam historiam Rom. extare valde optarem, in qua primę antiquitatis simplicitas rudis appareret. De suo Pontificio iure Numa plures libros scripsit: verùm in suo eos sepulchro defodit:& multis pòst seculis effossos Romani concremârunt.

Lib.2. Quid de reliquis illius urbis monumentis dicam? Livius ait,usq; ad urbem à Gallis captã raras fuisse literas:unamq; fidelis memoriæ fuisse custodiam rerũ ge

Lib.6. starum : ac si quid in commentarijs Pontificum esset, id incensa urbe perijsse. Sed ut propterea extincta nõ est illarum memoria:utq; posteaquam scribi diligentius fusiusq; cœpere res Romanæ, mirabiliter aucta atq; exculta earũ historia est:sic & anteà exemplo Mosis sacram & divinã summo studio persecuti sunt summi Prophetæ. Neq; modò apud Iudęos: sed & apud Aegyptios,Chaldæos,Persas,Romanos,historiæ,tanquam rei sacrosanctę,cura summis sacerdotibus mandata est: ipsiq; etiã Reges & Principes maximi,& doctissimi ac nobilissimi quiq; viri, hanc deinde suscepe runt. Nam neq; alijs temerè tantùm permittebatur. Neq; sanè cuivis licere hoc debet. Primus apud Romanos homo libertinæ cõditionis,L.Octacilius Pompeij Magni præceptor, historiã scribere ausus est,quæ non nisi ab honestissimo quoq; inter ingenuos scribi solebat,ut Cornelius Nepos ait: Quid dicã,quod Plinius lib.xxxv narrat,perpetuo interdicto cautũ fuisse, ne servi docerẽtur pingere,cũ soli ingenui & honestiores hanc artẽ exercerẽt? Quantò magis historię scriptione servis aut vilissimis hominibus interdicendũ erat? Vtinam itaq; edicto aliquo perpetuo homines inepti,futiles,vani,atque etiam intestabiles,& quibus nulla alioqui testimonij dictio est,repressi fuissent, tantũ sibi ne arrogarent,ut rei & maximę & nobilissimæ & sanctissimæ manus illotas impurasq; inijcere auderent. Antiquitatis nunc memoria melior,castior, ca-

castigatior esset. Conquererer, monachos postremis temporibus tantùm sibi sumpsisse: sed ut impudenter & stultè conficta & ineptè scripta ab ijs multa esse fateor: sic non nihil nos ijs deberi agnosco, per quos factũ est, ut eorũ temporum aliqua, potiùs quàm nulla, extaret historia: quiq; quo tempore illius curam alij abiecerant, eam & susceperunt derelictam, & quoad potuerunt, susceptam sustinere conati sunt. ac fortasse res erant, quæ melioribus magisq; politis scriptoribus dignæ non erant: ne non similes haberẽt labra lactucas. quanquam non fuerint omnes vel fatui vel rerum imperiti monachi, qui huic rei operam dederunt. Imò verò pleriq; maximis anteà muneribus in Rep. perfuncti, in illam solitudinem secedebant, ut liberiori in ocio, sine quo historia scribi vix ac ne vix quidẽ potest, literis mandarent, quod in maximis negocijs occupati, de Rep. didicerant. Fortasse rerum Ecclesiasticarum tales aliquis testes magis audiendos esse putaret. Ego verò in earum rerum historia conservanda magis doleo veterem Christianorum morem non esse observatum. Habuit enim vetus Ecclesia delectos suos (ut Iuris verbo utar) actuarios, qui & diligenter & bona fide colligerent, publicaq; auctoritate consignarent illarũ rerum memoriam: & in suis Archivis talia incorruptæ fidei monumenta, quæ tamen omnibus paterent, adservavit. Hieronymus contra Lucif. recitãs historiam concilij Ariminensis, de quo multi multa fingebant, Si quis (inquit) à nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur. Plenæ sunt Ecclesiarum arcæ, &c. Quid ipsi veteres Romani? Dio narrat, olim ad Senatum Ro. relata fuisse, quæcunque in orbe Ro. passim gererentur memoria digna: eaque illius auctoritate & mandato, publicis tabulis diligẽter & bona fide inscripta fuisse. Cæsarum verò temporibus hũc relationis atque annotationis morem desijsse: multaque fuisse suppressa & propterea servientis illius Reipub. historiam obscuram esse: liberæ autem liquidam & integram. Cæterum Cor. Tacitus fatetur res quoque ipsas, quæ tunc gerebantur, fuisse obscuriores atque humiliores: mi-

nus que propterea dignas maiori luce. Ac quidem li. XVII. admonet, post pugnam Actiacam, atque omnem potestatem ad unum collatam, magna ingenia cessisse & historiæ veritatem pluribus modis esse infractam, primùm inscitia Reip. ut alienæ, mox libidine assentandi, aut rursus odio adversus dominantes. Intereà tamen libro XIII. significat, scripta quædam tum quoque fuisse diurna acta urbis (sic enim vocat) sed ijs res viliores, sicuti Annalib⁹ illustres, mandari ait: quã quam & illam (ut iterum apellat) diurnam Actorum scripturam in suis Annalibus citet. In Dialogo de Oratore laudat Muciani undecim libros Actorum: sed acta eo loco intelligit causas in iure & foro actas, præsertim publicas. Vt ut autem Dio sese excuset, quod temporibus Cæsarum mos ille antiquus conservandæ memoriẹ publicẹ neglectus sit: tamen non omnino statim derelicta est hæc cura & custodia. Quid? Tertullianus, vererum Ecclesiæ scriptorum doctissim⁹, & omnium antiquitatum, historiarumque cognitione clarissimus, sæpe laudat recondita quædam Romanorum ἀρχεῖα, & in ijs latuisse significat multa ad Ecclesiæ quoque Christianæ historiam valde necessaria. Sic in Apolog. ad Romanos, Consulite (inquit) commentarios vestros: illic reperietis primùm Neronẽ in hanc sectã gladio ferocijsse. Et rursus loquens de Ecclipsi, quæ visa est, cùm est Christus cruci affixus, Eum (inquit) mũdi casum in Archivis vestris habetis. Sed & libro quarto contra Marcionem ait, Romana Archiva custodire censum Augusti fidelissimum testem Dominicæ nativitatis. Denique adversus Gnost. allegat instrumenta Imperij, ubi de Petri & Pauli cæde agit. Si hẹc tã diligenter inscripta Romanis Archivis erant, quæ ne à nostris quidem Euangelij interpretibus satis explicari hodie possunt, quamtumvis alioqui multa de sacra historia illa tota cõmentantibus: quàm fuisse putamus diligentes & copiosos tales Actorum cõmentarios? Et si autem invidiosè suppressi, & tãquam Sibyllini libri in occulto habiti sint, tamen Tertulliano ad eos excutiendos & pervolutandos aliquis adi-

tus patefactus fuisse videtur. Nunc cum ij planè interciderint, nulla esse potest tam curiosa nostra diligentia, quę quicquam elicere ex ijs possit. Sed non omnia omnium vel Rerumpublicarum vel civitatum sive Archiva sive polyptycha (sic enim in Iure quoque nostro appellantur) perierunt: quæ quidem si pateant historicis, uberem profectò materiam historiæ suppeditabunt. Ac lubenter quidem fatemur, atque etiam prædicamus, nobilissima & amplissima ei⁹ generis superesse κειμήλια & instruméta Regni Francici, & Curiæ Senatusque Parisiensis: ut & antiquitatum rerumque Ecclesiasticarum scrinia magna Romæ in Vaticano adservari audio. Rogamus verò eos, quibus hęc patent, ut cum alijs communicét, quæ omnium interest non ignorare, & historiam tali tantaque accessione ornent: & ut Plutarchus Delphicos & Laconicos commentarios in suis vitis atque historijs sæpè citat, liceat nobis nostrarum civitatum uti monumentis. Vt uno verbo dicam: Magnæ & uberes sunt reliquiæ veteris memoriæ, si ijs ipsi non defuerimus. Non sum oblitus, quod paulò antè dixi. Fateor iterum, quod sine magno dolore facere non possum, magnam veterum & monumentorum & annalium & historiarum partem intercidisse. Nam etsi tantùm numerarem eos historiarum scriptores, quorum vel Plutarchus vel Athenæus passim meminit, sentio factam esse incredibilem iacturam. Cæterùm hoc quoque accidisse video, ut pleraque tum demum interciderint monumenta, cùm ab alijs, qui nunc extant scriptoribus, eadem essent repetita, eædemque iam res ex aliorum libris in alios libros translatæ, magisque etiam expositæ in posterioribus essent. Plutarchus in minoribus suis Parallelis recitans antiquissimas Rom. historias, testes tantùm citat rerum Italicarum libros Græcè scriptos ab Aristide Milesio, Alexarcho, Agesilao, Aristobulo, Alexandro Polyhistore, Aristocle, Theothino, Theophilo, Dorotheo, Dositheo, Dercyllo, Clytonymo, Crysippo. Hi nunc omnes auctores interierũt. Sed an ex ijs Plutarchus quicquã recitat, quod nos ex alijs, qui extant,

copiosiùs repetere non possumus? Idem Plutarchum in alijs suis Parallelis, hoc est, illustrium virorum vitis quæ Græcam, Latinamq; historiam describunt, auctores plus quàm ducentos, ex quibus illam collegerit, laudat. Si dixero, ne decimam quidem eorum partem nunc extare, non mentiar. Sed ipse Plutarchus, quod alioqui ab ijs iam frustra requirimus, suppeditat. Ne illos quidem Plutarchi libros integros superesse scio. Sed alij, qui supersunt, eos supplét. Mirabilis profectò est quædam in hoc genere pugna eorum, quæ oblivionem parere, & eorum, quæ memoriam rerum gestarum tueri conantur. Plinius ad Tacitum, Auguror (inquit) historias tuas fore immortales. Vtq; non esset vanum hoc augurium, Imp. Tacitus eas multis exemplaribus descriptas iusserat adservari in publicis bibliothecis. Ipse Dio narrat sese ad historiam scribendam divino quodam somnio confirmatum fuisse, cùm ex eo intellexisset, illam, quam scriberet, nullo unquam tempore esse perituram. Perierant tamen Taciti & Dionis commentarij, vixque tandem aliqua eorum pars revixit, & ex suo sepulchro eruta est. Sed quod planè perijt, nónne aliunde sarciri & aliorum libris compensari potest? Nihil attinet nunc ostentare superstites bibliothecas, quæ nos bene sperare iubent. Sed ut Plinius scripsit, se suorum temporum historiam orsum esse à fine Aufidij Bassi, sic dicere possum Herodotum à fine Prophetarum, Thucydidem à fine Herodoti, Xenophontem à fine Thucydidis. Historiæ Ro. primam partem Dionysius præcipuè susceperat, professus se eius historiæ scriptionem producere velle usque ad initiũ primi belli Punici. Secundam Polybius anteà susceperat. postea Livius tertiam potissimũm explicare voluit. Etsi autem maxima horum scriptorũ pars nunc interierit, tamẽ potest & hæc lacuna repleri, & hoc sarciri damnum. Tacitus nõ procul à fine Livij suos Annales orditur, Marcellinus à fine Taciti, hoc est, à principatu Nervæ, ut Herodianus ab exitu M. Antonini, in quo desierat Dio. Quid pluribus verbis talia successionis continuæ exempla in alijs scriptoribus commemorẽ?

In

In re præsenti multò id commodius diligentiusq; ostendero. Nunc dico, ne tempora quidē literis omnib. inimica potuisse nobis earū præsidia eripere, & historiam sic certasse cum barbarie, ut hæc illam opprimere non potuerit, ut huic illa minimè cesserit, deniq; ut hanc illa veluti in triumpho circūduxerit. Ne rursus lōgior sim, breviter delibabo tantùm posteriora. Qualescunque reliquiæ nobis relictæ sunt (hoc enim dicendum iterum est) historiam satis integram conflare utcunq; possunt, si abs singulis scriptoribus singula corrogādo, omnia pervestigemus, & quod singuli conferent, aptè colligamus atque coniungamus. Nam & diligentiam perquirendi, & artem quandam quæsitis rectè utendi, necessariam esse profiteor. Vtraque verò si adsit, tum certè magis atque magis admirabimur utrunq; illud, quod anteà dicebam, hoc est, & veterum omnibus seculis historicorum, qui in hoc genere scriptionis, tanquam in acie alij alijs successerūt, & quasi in decursu lampada acceperunt abs decedentibus, continuam atque conspirantem fuisse contentionem: & post tantam barbarorum temporum tempestatem, atque adeò literarum vastitatem, tantùm esse reliquum veterum monumentorum. Post mortem Constantini, Imperio partim diviso, partim aliò translato, & nescio quò abductis legionibus, inundare cœpit illa barbarorum colluvies. Nonne mirum est tunc nihilominus historiam diligenter esse conscriptam, sed & quæ tunc conscripta fuit, ad nos pervenisse? Quid? Valens Imperator in Oriente domi & foris cœlum terræ miscebat: & nihilominus alit historicos, qui etiam cùm Græci essent, Latinè nobis exponāt quod quærimus. Nullis liberalibus studijs eruditum fuisse fatetur Ammianus Marcellinus libro xxxj. Iubet tamen, ut Eutropius res Romanas ab urbe condita usq; ad suam ætatem colligat. Id non ineleganter præstat Eutropius: cuius etiamnū extat (ut appellatur) Breviarium. Cùm ad suæ ætatis historiam pervenit, ait sese eam maiore stylo dicendam reservare ad maiorem scribendi diligentiam. An id quoque præstiterit, ignoro. Sed

Amm. Mar. bene habet. Eodem tempore in eadem aula vixit Ammianus Marcellinus, qui cumulatè hoc præstitit, homo quidem militaris, sed tam literatus miles, tamque veterum literarum studiosus, ut nihil nō pervestiget. Nam & quod in Gallorum monumentis incisum fuerat de eorum antiquissima origine, legisse se ait libro xv. Deniq; (ut uno verbo dicam) diligentissimus scriptor est. Est quidem scabra eius, hominis nempe Constantinopolitani, oratio Latina: sed rebus est doctis referta, & variam, multiplicem, reconditamq; lectionem includit, & verò historiam, quam alius non exposuerit, copiosè explicat. Deniq; hunc Marcellinum cum Tacito, à cuius fine, ut dixi, orsus suam historiam est, comparare ausim: & cùm anteà Tacitum cum Livio tantum habere similitudinis dixi, quantum unius cū alterius habuit Resp. nunc multò magis dixero Marcellinum Tacito non esse dissimilem: esse tamen uberiorem. Iam verò si eius commentarios superstites de temporibus Constantij, Iuliani, Valentiniani, Valentisq; coniungamus, non modò cum ijs quæ ex legum libris repeti possunt, sed & cum Ecclesiasticis eorum temporum monumentis, quæ plurima etiam sunt: certè maxima illius historiæ materia memoriaq; nobis occurret.

Post mortem Theodosij barbaries magis atq; magis grassari cœpit, quæ urbe eversa, in Italia rerum potita est: & ecce ex Africa Augustinus magna nobis præsidia summittit. Incitavit enim suum Paulum Orosium, ut ab orbe condito ad sua usq; tempora perpetuę historiæ memoriam renovaret. Quid dicam, ipsam Theodosij II uxorem Eudociam, fœminam doctissimam, & Atheniensi philosopho patre dignam filiam, Imperatoris maximi coniugio dignissimam virginē, Heroicis versibus Persica mariti bella elegantissimè descripsisse? Si ad Iustiniani nostri tempora transeam, occurrēt Procopius & Agathias: & ijs proximus Evagrius, qui historiæ Ecclesiasticę παραλειπόμενα persecutus est abs Theodosio secundo, usque ad Mauricij Imperium: quibus profectò temporibus tristissima

Orosius.

Reip.

Reip. facies fuit. Sed fortasse in Oriente quidem adhuc aliquid literarum & lucis superfuit: in Occidente verò omnia erant densissimis tenebris sepulta. Equidem negare non possum obscurum esse chaos. Sed in ea quoq; caligine conati sunt quidam memoriam suorum temporum posteritati relinquere. Atq; hic quidem mihi in mentem venit ille Leo, magnus, ut videtur, vir in Aula Tholosana Regis Gothi. Is hortatus erat Sidonium Apollinarem, qui tunc in Gallia unus erat literis & eruditione præstantissimus, ut historiam eius temporis scriberet. Sidonius sapientissimè iudicans, quorum potissimùm sit hominum historiā scribere, respondet, ipsum Leonem id potius suscipere debere & præstare posse. Quotidie namque (inquit) per potentissimi consilia Regis, totius sollicitus orbis, pariter eius negocia, iura, fœdera, bella, loca, spacia, merita cognoscis. Vnde quis iustiùs sese ad ista succinxerit, quàm ille, quē constat gentium motus, legationum varietates, facta ducum, pacta regnantium, tota deniq; publicarum rerum secreta didicisse? quique præstanti positus in culmine, nec necesse habet rei supprimere verum, vel concinnare mendacium? Vtinam verò hic Leo hanc historiam nobis reliquisset. Nam cùm vir talis fuerit, dignissim⁹ erat, qui illi rei se dederet: & ea tunc erant in hoc Occidente tempora, quorū memoriam valde requirim⁹ propè alioqui amissam. Quàm multa, quæ ignoramus, cognoscere possemus de Regni Francici initijs, deque Gothici in Aquitania atq; Italia statu? Nam probabile est Leonem istum, cùm Alarici Tholosani Regis consilia regeret: & Theodorici, qui socer Alarici fuit, & Clodovei Franci, cuius filiam duxit Alarici filius, consilia cognovisse, & res maximas tunc ab illis tribus magnis Principibus gestas, quæ nunc obscura oblivione sepultæ sunt, illustrare potuisse. Neque tamen contemnendum est, quod ex Sidonij epistolis elici potest, quantulumcumque sit illud. Factum verò deinde est, ut cùm viri togati in reipublicæ gubernatione occupati hanc curam non susciperent, quæ tamen ad eos magis pertinebat, ipsi mona-

Monachi scriptores.

chi,ociosi homines,ultrò ad eam rem sunt aggressi. Ac Sidonius quidem verecundè responderat,eam abs suo ordine(erat autem Episcopus) valde abhorrere. Sed monachi cogitarunt satiꝰ esse aliquam, quàm nullam historiam contexi. Nihil nunc dicam de Cassiodoro, primùm Consule& Senatore,deinde monacho:quem omnes fatentur plurimum ad hanc rem cōtulisse.Sed habenda etiam gratia est ipsi Gregorio Turonensi Archiepiscopo,qui Francorum Regum ante Caroli magni tempora res gestas,ut potuit,descripsit. Habenda est gratia Annonio monacho, qui postea eandem historiam suscepit,& ad suam ætatem usque perduxit. Quid dicam de Beda,qui suorum Anglosaxonum Britannicam historiam collegit? Quid futurum erat,si temporibus illis nō affulsissent tales historici,qui nobis etiamnum de rebus illis multa quærentibus utcunque respondeant? Atque hoc quidem exemplo plures deinde eius ordinis scriptores excitati sunt,qui Carolo Magno,eiusque posteris adfuerunt: quorum monumentis tam nunc carere non possumus, quàm utimur perlubenter. Paulum Varnefridum Diaconū Aquilegiensem.Longobardum, Longobardicarum rerum scriptorem Carolus magnus everso Longobardorum regno,eorumque Rege Desiderio capto,aluit, propè ut olim Vespasianus Iosephum:eundemque nihilominus filia Desiderij impulit,ut ad Eutropium libros duos appenderet:& abs Iuliano historiam produceret ad nostrum usque Iustinianum,hoc est usque ad principium regni Longobardici. Quis non agnoscit, quantum &huic propè monacho debeat eorum temporum historia? Quid dicam de Eghinardo, qui sui Caroli magni,cuius Cancellarius fuisse dicitur,vitam descripsit?Contemnant,qui volent,talia auxilia,& (si etiam velint)fastidiosè respuant:ego in deserta solitudine duces,ne monachos quidem contemnam, quibus aliquam veluti facem præferentibus utcūque cōspicio,quod alioqui planè non viderem.Fateor tribus ante & post Carolum seculis historiam Francorum Regum valde obscuram videri, cùm barbaries in Gallia

lia veluti revocasset veterum Druidum morem, qui res suas literis non mandabant: sed tantò magis colligendum est, si quid sit scriptum. & spero fore, ut ex illius nobilissimi regni Archivis aliquando plura eruantur. Interea quosdam, qui se alioqui in solitudinẽ abdiderant, nobis occurrere indices & testes eorum temporum æquo animo patiamur. Et cur tandem nobis etiam non gratularemur, unum inter eos Abbatẽ Vrspergensem anno M.CC extitisse, qui fideliter collegerit illam barbarorum in Germania temporum, suorumque Imperatorum historiam, in qua alioqui caligaremus: alterumq; in Hispania Rodericũ antistitem Toletanum paulò pòst idem fecisse, saltem suæ gentis memoriam aliquam nobis reliquisse. Sint licet rudes tales commentarij, tamen quædam (ut ita dicam) fabulæ sunt, quæ efficiunt, ut in ea oblivionis profunda nocte, in qua cęci planè essemus, aliquid videamus. Gręci & politiores & fœliciores in hoc genere semper fuerunt. Ventum erat ad annũ M.LXX. cùm in Imperio Constantinopolitano ipse Patriarcha Ioannes Xiphilinus, Dionis Græcã rerum Rom. historiam nobilissimam, non modò in lucem revocavit, sed & eleganti epitome, ut memoria facilior esset, exornavit, cùm aliæ nationes vix ullam tenerent earum rerũ memoriam. Cumque ad suam usque ætatem historiam non perduxisset: ecce statim Zonaras, monachus ille quidem, sed doctus & literatus monachus, & maximis in Imperio Constantinopol. muneribus anteà perfunctus, persequitur quod Xiphilinus dereliquerat: & universæ historiæ ab orbe condito nõ inelegantes epitomas cócinnat. Desijt in suo Imp. Alexio Comneno: nec satis diligenter exposuisse visus est illã sui temporis historiam: quo tamen tempore Occidens cum Oriente congressus, & uterque veluti orbis concurrens, magnã & illustrem historiæ novæ materiam suppeditabat. Sed Anna Alexij illius filia, fœmina eruditissima, tanti dux fœmina facti, libris xx. suę Alexiados, paternam historiam ita describit atque illustrat, ut eius ætatis & Imperij, & Orientis statum liquidò etiamnum cõspi-

Zonaras monach.

ciamus: & alteram in Anna Eudociam, vel potius maiorem gloriam maiusque decus admirari cogamur. Eant nunc, qui suæ ignaviæ barbarorum temporum tenebras obtendunt. Vix me continere possum, quin exclamem:

Vos etenim iuvenes animos geritis muliebres,
Illaque virgo viri.——

Certè ut Romanis olim Imperatoribus & Persicis Regibus turpe & pudendum fuit aliquando vinci ab una muliere Zenobia, barbaris illis temporibus, quib. Valerianus & Gallianus, serviebant dicam, an imperabãt? Sic pudorem ignaviæ ijs incutere eadem debuit, quę etiam Romanos historicas literas Romę docebat. Certè Trebellius Pollio scribit, tam peritam Alexandrinæ atq; Orientalis historiæ fuisse, ut & eius epitomas conscriberet. Neque dubito, quin eo studio animum illum suum plusquam virilem, & admirabilem prudentiam in rebus gerendis, atq; in adversis, ipsaq; adeò captivitate invictam constantiam confirmarit. Sed cùm legimus Annæ Alexiadé, an non multò magis nos nostræ ignaviæ puderet? Intereà bene habet: obscurissimorum temporum lucem inde, unde minimè sperassemus, nobis affulgere. Vt autem Anna Zonaram veluti excepit, sic Zonaram consecutus est Nicetas, Nicetam Calchondylas: ut iam de alijs eorũ temporum scriptoribus Græcis, qui nondum prodierunt, non loquar. Sed ne illis quidem nostri Occidentales, qui tunc Asiam & Syriam victores pervagabantur, in hoc genere cessere. Post Gotifredum & Balduinos duos, primum & secundũ, Reges Hierosolymitanos, maximis rebus gestis nobilissimos, nónne etiam laudantur Balduinus tertius, & huius frater Almaricus, & Almarici filius Balduinus quartus, quòd Iuris & historiarũ essent studiosissimi? Nónne liberaliter aluerunt Gulielmum illum nostratem, qui posteà Archiepiscopus Tyrius fuit, & quem Balduinus quartus pręceptorem, deinde Cancellarium habuit? Nónne historicũ lumen Orientis esse iusserunt? Nónne Amalricus ille Balduinorum filius, frater, pater, factus quoque Rex Hie-

Hierosolymitanus, curavit ab illo conscribi ignotam alioqui nostris, Orientalium Principũ integram historiam annorum DLXXVII. eiq; ad tantum opus Arabicos etiam libros maximis sumptibus cõparatos suppeditavit? Nónne & ille Tyrius suorũ Principum admirabilẽ, quæ etiamnum publicè extat, historiam abs Gotifredo per annos LXXX. fidelissimè contexuit? Factum id est, cùm ad annum Christi millesimum ducentesimum historia paulatim accederet: & ecce centũ pòst annis casu mirabili ex media Armenia in Galliam atque adeò in monasterium pertrahitur Haytonus; qui magis atque magis sui Orientis statum, si nõ facundè, at certè fideliter (quod qui supersunt eius cõmentarij testantur) nostris exponeret: ac ubi minimè nostri putabant, ibi literas tunc lucere, narraret, in illo nempe extremę Indię admirabili Regno Cathayo: cuius iam ea erat gloria, ut Cathayni possent & auderẽt iactare, se duobus oculis, Latinos non nisi uno prędiitos esse: reliquas verò gentes esse cæcas. Certè vetus erat hoc Grecorum proverbium, homines demum literatos διπλοῖς ὄμμασιν ὁρᾶν: quod quidem de historicis magis etiam dici potest. Nónne Europæi nostri cũ illud audirent, ad honestissimam contentionem excitari debuerunt? Quid? Cùm eodem tempore Paulus Venetus (cuius libri non ignobiles extant) totã illam Indiam & Tartarorum Imperium novum & admirabile, quod perlustraverat, domum reversus describeret: cùm illius & historiam, quã in re præsenti cognoverat, recitaret, & civitates amplissimas literis & legibus excultas, & ipsam Regiam aulam picturis historicis insignitam esse narraret: deniq; cùm illius Cublaij magni Chami ad Pontificem Romanum epistolam adferret: credo, nostrorum studia inflammavit. Cùm olim non dissimili exemplo accidisset, ut Taprobanæ insulę Rex Legatos Romam misisset ad Imperatorem Claudium, Romani magna cum admiratione audiverunt tales novi veluti orbis testes atq; nuncios: neque non Plinius quod illi Legati retulerunt, in suæ historiæ cõmentarios postea retulit. Maius autẽ quippiam

P. Venetus.

fuit, quod de Paulo Veneto nunc recitavi: neq; profectò minus admirabile est, nostra ætate, nō solùm ab Abyssino Rege Aethiopiæ, sed & ex Themistitana civitate novæ Indiæ Occidentalis, tanquã ex altera Cantâ Legatos Romam appulisse cum suæ Reipublicæ literis atq; commentarijs. Vbi tales stimuli nostros urgebant, certè nullus desidiæ locus relictus fuit. Quid ergo interea nostra Europa? Non est iam necesse pluribus verbis dicere, quantũ infelix elaborarit, ut cùm magna literarum, doctorumque hominum penuria laboraret, tamen res suas ab oblivione vindicaret. Nō est necesse omnes commemorare, qui proximorum sãltem annorum CCC. memoriam, historiamque nostrorum Regum & Principum diligentissimè & simplicissimè exposuerunt, homines fortasse impoliti, sed quò minus simulationis aliquo artificio eruditi, tantò magis ad veritatis testimonium idonei. Neq; tamẽ defuerunt doctissimi atque literati homines, qui tandem perpolirent, quòd illi priores informarant. Certè etsi tantùm cōsideremus, ecquid una nobis Italia suppeditet: neque Blondi Flavij subsidia, qui historiarum ab inclinatione Romani Imperij libros xxxj. edidit ante annos centũ: neq; qui illum consecutus est, Antonij Sabellici Enneadas & Decadas: neq; huius veluti successores duos, Petrum Bembum & Paulum Iovium: neq; illius, qui Britanniæ datus est, Polydori Anglicam historiam: neq; Pauli Aemylij commentarios de rebus gestis Francorum, quisquam literatus contempserit. Sed clarissimorum virorum labores in re præsenti laudabimus. Illud modò quod, ut video, longius me abduxit, dicere volui: non deesse scriptores, non monumenta, non memoriam, non lumen, vel in tenebricosis temporibus, ut quod suscipimus, bona cum spe persequi possimus. Vbi factum aliquod historia verè & fideliter narravit, protinus (ut in testimoniis fit) quæri solet ac debet de tempore & loco. Nam neq; alioqui integra narratio esset. Ac temporis quidem magnam rationem imprimis habent, qui scribũt Annales aut Diaria. Sed historia sæpe non requirit

Guicciardinus nondũ publicatus fuerat cùm Bald. scripsit hæc.

tam minutam & scrupulosam Chronologiam: neque tam exiliter aliquādo dividi se patitur: neque semper diem & Consulem habet. Verùm confusè omnia miscere nunquam licet: & quantum potest, fugere historicus debet ἰστορολογίαν. Est quidem pluſculum difficultatis in comparatione τῶν ζυγχρονῶν. Sed fuit olim multò plus fortasse, quàm sit hodie. Sanè Plutarchus, ut in Lycurgo valde laborat, sese ut evoluere possit: sic in Solone ingenuè fatetur, rem esse tam variè iactatā, ut diu multi in ea componenda atq; conciliāda frustra sudarint. Verùm tantò magis ætati nostræ gratulari debemus, & doctissimis hominibus gratias agere, qui talia fœliciter explicarunt. Atheneus ipsum Platonem, atque etiam Xenophontem graviter accusat, quòd quorundam tempora sæpè notaverint falsò & imperitè: ut & Thucidides Hellanicum, & Dionysius Fabium Pictorē, & alij alios. Sed & Cicero scriptores quosdam meritò reprehendit, qui Numam Pythagoræ discipulum fuisse aiebant, cùm Pythagoras aliquot post Numam seculis primùm natus sit: ut tātò magis mirer, Ovidium in eodem errore tanquam in luto hæsisse. Sunt ij quidem certè ridiculi & fœdi errores: sed cùm magnos alioqui & doctos viros ijs subinde implicari videmus, intelligimus nos cavere nobis debere. Hic mihi venit in mentem, quod idem Cicero in quadam oratione pro Gallio lepidè narrat. Non extat illa oratio: sed Hieronymus ad Nepot. loquens de imperitis concionatoribus, ex illa recitat, quod iam recitabo. Quidam (inquit Cicero) poëta nominatus, homo perliteratus, cùm facit Euripidem & Menandrum inter sese, & alio loco Socratem & Epicurum differentes, quorum ætates non annis, sed seculis scimus esse disiunctas, quātos is plausus & clamores movet? Multos enim condiscipulos habet in Theatro, qui simul literas non didicerunt. Scitè profectò & salsè Cicero. Sed quantos cachinnos, & quales sannas in consessu doctorum hominum excitaret tam ridicula ἀνιστορησία? Atqui non modò indocti illi cōcionatores, de quibus agit Hieronymus, sed & doctissimi in Ecclesia

doctores miserè se & alios nimium credulos in hoc genere aliquando fefellerunt: ut Epiphanius, cùm de Iustini Martyris ætate agit: & Socrates ille Ecclesiasticæ historiæ nō ignobilis auctor, cùm de Polycarpo. Quid dicam de ipso Augustino, qui disputans de historię utilitate, ait, Ambrosium contra Platonicos, qui nostros à Platone omnia didicisse fingebāt, dixisse, Platonem temporibus Hieremiæ profectum esse in Aegyptum? Ac quidē alibi agnoscit se memoria lapsum esse, cùm illud Ambrosio tribuit. Sed an alioqui tandem vidit satis, quàm fuerit Plato posterior Hieremia? Vidit. Nā scribit Platonem natum esse post Esrę tempora. Et verò Pagani nostros talibus de suorum auctorum antiquitate disputationibus tam valde exagitarūt, ut Christiani tandem coacti sint τῶν χρονικῶν studio magnam operam dare. Quod & Clemens Alexandrinus, & postea Eusebius sedulò fecerūt: & qui eos cōsecuti sunt, tam id diligenter sunt persecuti, ut iam minimè requiram illius Castoris Rhodij veteres commentarios, qui dicitur scripsisse τὰ χρονικὰ ἀγνοήματα. Sed quia multos video nihilominus inscitia quadam præcipites sæpè in hoc genere labi, cogor meos, ut sibi caveant, monere. Pudet profectò me, cùm Bartolū & Paulum Castrensem, nobilissimos iuris interpretes lego, de Papiniani & Diocletiani ætate, ad quarundam legum conciliationem ineptissimè atque adeò stolidissimè non tam loqui, quàm nugari. Verùm bene habet: vix ullus hodie in schola tam puer est, quem ferulæ metus non docuerit meliora chronica.

Lib. 2. de do. Christ.

Lib. 2. Retract.

Lib. 18. de civitate Dei.

Sed neq; iam in Cosmographia, Geographia, Chorographia, magis quàm in Chronologia, facilè aliquis vel peccaverit vel aberraverit. Adeò tabellis omnia sūt ad vivum expressa. Lepidum est, quod nasutus ille Lucianus ait, sese delira stulticia fatui cuiusdam Historiographi, ex Græco factum esse Babylonium; patriamque suam ab Hellesponto avulsam, cùm ipsis mœnibus & turribus & universo populo translatam esse in Mesopotamiam. Si quis tam absurdè peregrinetur, taliaque monstra non tam somniet, quàm affir-

affirmet, illud attonitus exclamabo:

Et Ararim Parthus bibit, & Germania Tigrim.

Dicerem iterum vix quenquam iam posse in tales errores incidere. Sed cùm superioribus annis legerem hominis doctissimi & acutissimi, & hac ætate cautissimi commentarios quosdam, in quibus ille, quod Eusebius scripsit de Pella ad Iordanem, docendo transfert ad Pellam Macedonicam: sensi nostros iterũ monendos esse, videant, ne tam inscitè orbem terrarum revolvendo invertant.

Cicero ad Attic. narrat sese instituisse scribere de Geographia magnum opus, cùm in Aegyptum proficisci cogitaret. Sed ut hæc eius peregrinatio impedita fuit, sic & scriptio illa Geographica fuit abrupta. Cæterùm non multò pòst Roma Strabonem aluit, qui cùm magnam orbis partem pervagatus, multorum mores vidisset & urbes, Geographiam cum historia coniunxit, & scitissimè expressit. De alijs, qui secuti eum sunt, & eidem studio magnam operam dederunt nunc non loquar. Facere tamen vix possum, quin Pausaniæ mentionem faciam, qui Imp. Adriani temporibus Græciam curiosè perlustravit, & paulò antè quàm ea tota concideret, studiosè quicquid in ea erat memorabile, notavit atq; collegit. Neque verò quam aliquo Strabonis vel Pausaniæ exemplo, rationem & viam historiæ pertractandæ secutus est superioribus annis Raphaël Volaterranus, nunc eam imitari vellem. Non enim historiam, ut regiones & provincias dividere possum: & illa modò huc, modò illuc nos cogit discurrere, neque uni loco affixa, neque in una regione semper est inclusa. Certè aliud longè est, Geographiæ aliquam historiarum memoriam aspergere: aliud historiæ subijcere.

Pausanias.

Posteaquam historia factũ aliquod descripsit cum suis circumstantijs, etsi eam liberali custodia septam, vellem cingeret omnium literarum eruditus quidam chorus: tamen Rhetores novos ad id, quod recitatum erit, exaggerandum non invitabo. Nam amplificationes atque excursiones ociosorum hominum, qui, ut

poëtæ & pictores, quidlibet audendi atque fingendi potestatem sibi arrogant, non minus quàm ineptas allegorias ineptorum concionatorum, prædicẽdas esse sentio. Vtantur ijs vel in scena ludiones, vel in concione declamatores: ego historiam castiorem & verecundiorem esse opto. Ac si, quod Cicero in Bruto scripsit, concessum est Rhetoribus, vel in historijs mentiri: vellem talem planè Rhetoricam hinc facessere. Nam & memini, quod idem Cicero ad Attic. seriò scripsit, alia esse scripta ἐγκωμιαστικὰ, alia ἱστορικὰ: quodque non modò Cicero, sed & Livius graviter conquestus est, funebres veterum orationes reddidisse historiam mendosam. Deniq; non rarò mihi in mentem venit, quod idem Cicero alibi verè scripsit, alias in historia leges observandas esse, alias in poemate: cùm in illa ad veritatem quæque referantur, in hoc ad delectationem pleraque. Neque tamen non agnosco olim quoq; fuisse quosdam poëtas historicos: neque Lucanum, cùm bellum civile, aut Silium Italicum, cùm bella Punica narrat, repudiavero: ac ne historiam quidem aliquando in tragœdiam transformari, & in scena agi recusavero. Deniq; & Panegyricis Veterum utar nonnunquam. ut cùm de Diocletiano, Constantino, Theodosio narrant, quod alijs monumentis proditum nõ est. Sed ut est aliquis in hoc genere modus, sic & cautio, quæ necessaria est, adhiberi debet. Potiùs verò quàm indulgeamus ludicris & ociosis alicuius facti amplificationibus, aliæ sunt, quæ nos aliò vocant, seriæ quæstiones.

FRANC.

FR. BALDVINI DE INSTITVTIONE VNIVERSAE HISTORIAE, ET *eius cum Iurisprudentia coniunctione,*

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ LIBER II.



SAEpe mirari soleo, multos, qui historias legunt, has veluti ludendo, ita percurrere, ut neque quem ex ijs fructum legere possint, sciant: neq; quid ad talem lectionem ipsi adferre debeant, unquam cogitent. Credo, eos ad illas non accedere, nisi inanis alicuius oblectationis causa, qua se & suũ tempus fallãt. Sed hoc, quid aliud, quàm nugari est? Quid nos? Cùm profiteor agere me velle de institutione Historiæ universæ, deque huius, cum Iurisprudentia coniunctione: sentio hanc Iurisprudentiam, illius quoque universitatis partem esse. Videndum verò est, cur hanc societatem requiram.

Vbi factum aliquod historia recitavit, excutiendum nobis illud iterum est: & de Iure ac usu est quærendũ. De facti Iure dico: hoc est, an quod factum esse dicitur, iustum, bonum, rectum sit, & ad exemplum propterea trahi possit: an verò sit iniustum, & propterea damnandum atq; fugiendum. Sic enim vocari in iudicium debet. Audio, quod multi dicere solent, moralem philosophiam cum historia esse coniungendam, ut quod illa præceptis agit, hæc agat exemplis, præsertim cùm ubi de officijs agitur, præcepta quoq; inania sint, si exemplis non confirmentur, animoque nostro non infigantur. Laudo equidem hanc, quam vocant, ethicæ doctrinæ & historiæ societatem. Sed longius progredior, & Iurisprudentiam advoco, quanquam & hæc quædam esse dicatur pars philosophiæ moralis.

Sed quia Cicero non temerè admonet, aliter philosophos, aliter leges iudicare de iure & officijs: non temerè est, quòd iurisprudentiam quoque hîc audiendam esse dico. Certè si in legum lectione & interpretatione dicere solemus, artem æqui & boni esse necessariam, ut & iure scripto rectè utamur: multò magis, quod ex historia profertur exemplum, ex lege æstimandum atque iudicandum est. Nam & videndum est, ne nobis imponat, quæ multis sæpe imposuit, κακοζηλία: néve aut privilegium pro lege, aut factum pro iure temerè accipiamus: aut deniq; cum facto ius confusè misceamus. Hîc ergo quæstiones iuris abs quæstionibus facti discernendas esse dico. Sed rursus ea in re, cùm historias legimus, magnam cautionem adhibendam esse sentio. Interdum enim tale factum est, & eius est auctoritatis, ut nihil prætereà quærendum sit: quia pro iure & lege illud omnino sit habendum. Interdum rursus legis nomen occurrit, ubi tamen non iam ius, sed factum agnoscere debemus. Rectè sanè noster Proculus admonet, spectandum esse non solùm quid Romę factum sit, sed etiam quid fieri debeat. Quod autem de ijs, quæ in Vrbe publicè fiunt, ait: de ijs, quæ fiunt in orbe, multò magis dicendum est. Sed sapienter, religiosè & temperanter iudicandum est de more Maiorum. Vetus etiam illud est de legibus, non exemplis iudicandum esse. Verùm & exempla quædam legum vim habent. Sunt denique, nonnulla, quæ (ut Veteres loquebantur) non more fiunt. Vt igitur hæc & eius generis reliqua, quibus referti sunt libri historici, rectè dijudicentur: ad certum ius recurrendum est, & cum historia coniungenda est Iurisprudentia: illam dico Iurisprudentiam, quæ est, esseque debet, qualis esse dicitur, rerum divinarum atque humanarum notitia, iusti atque iniusti scientia. Quò verò magis inquiremus, cur hæc coniunctio requiratur, magis sentimus tam eam esse necessariam, quàm unius corporis indivisæ partes aut membra divelli neque possunt neque debent. Ego quidem nondum satis statuere potui, plús

plúsne lucis historia ex Iurisprudentiæ libris, an Iurisprudentia ex historicis monumentis accipiat. Sed liquidò affirmare possum, sic utramque esse comparatam, ut (quod ille ait) altera alterius poscat opem, & coniuret amicè. Olim Pomponius Atticus dicebat, sese Ciceronis de Republica libris, impulsum atque incensum fuisse, ad veterum annalium memoriam comprehendendam. Ego dicere soleo, me & legum libris ad historiæ memoriam consectandam, & historiæ monumentis ad legum volumina evolvenda excitatum fuisse. Quantulumcumque sit illud, quod sum in utroque genere consecutus (si quid est modò, quod quidem certè perexiguum esse sentio) tamen studiosis auctor esse non dubitabo, illius, de qua loquor, sive coniunctionis persequendæ & astringendæ, sive affinitatis contrahendæ. Vtque olim Lælius ille sapiens, generos sibi ascivit, alterum Q. Mutium Scævolam, Augurem & Iurisconsultum clarissimum: alterum Fannium historicum nobilem: sic & nos hæc studia tanquam maxima affinia copulemus. Imò verò, ut P. Mutius Scævola, magnus ille Iurisconsultorum princeps in Consulatu collegam habuit L. Calphurnium Pisoné, Annalium scriptorem præstantissimum: sic, quod sæpe aliàs optavi, optare etiamnum me non dissimulabo, tale aliquando Iurisprudentiæ & historiæ collegium institui, quale esse debet. Sed cùm alteram altera quodammodo contineat, & suis libris tanquam finibus includat (quanquam utri potius hæc comprehensio tribuenda sit, nesciam: & utrique tribui rectè posse videatur) iterum propiusque videamus, qualis quantaque sit hæc affinitas. Non enim temerè est, quòd eam urgeo tantopere: utque studiorum, sic & consilij mei rationem intelligi imprimis velim: & veniam (credo) mihi facilè dabunt æqui iudices, si paululum indulgeam iustissimo amori, & ijs, quibus bonam vitæ partem consumpsi, literis plurimùm tribuam. Sive Iurisprudentiam coniungam, loquor & ago de utriusque iuris cognitione divini & humani: iusque universum com-

plector, quod certè varium & multiplex est, ut quidem nunc utimur Iuris verbo. Ius divinum imprimis (ut debeo) appello, quod est de religione vera. Estq; rursus hoc duplex: Est enim quoddam perpetuum & immutabile, quod ad ipsius religionis (ut ita dicam) substantiam pertinet: aliud verò magis est, si ita loqui licet, politicum, quod ad ritus & ceremonias & externā Ecclesiæ gubernationem refertur. Vtrunque autem contineri iisdem libris, quibus & historia sacra continetur, neque aut illud sine hac, aut hanc sine illo planè legi posse, manifestum est. Augustinus in libris de doctrina Christiana, cùm docet historiam, etiamsi (ut loquitur) præter Ecclesiam puerili eruditione discatur, plurimùm conducere ad sacros libros intelligendos: nimis id agere videtur tenuiter & propè pueriliter, atque adeò exiliter. in libris de Civitate Dei diligentius id facit. Sed maius aliquid est, quod nunc urgeo. Dico ius sacrum cum historia sacra, & hanc cum illo mirificè esse coniunctam. Vt itaque Theologiam quam vocant, Deus in historiæ schola veluti inclusisse dicitur, quia literę sacræ sint etiam historicæ: sic & huiusce divinæ Iurisprudentiæ atque historiæ individuam esse coniunctionem, iure aliquis dixerit. Sed in utriusq; lectione video necessariam esse magnam rursus cautionem, seriamq; scientiam totius religionis. Libri imprimis sacri occurrunt, & quidem utriusq; (ut loquimur) fœderis divini, veteris & novi. Nisi si utriusq; conditionem rectè consideramus, nihil agimus. Iosephus veteris (ut vocatur) Testamenti & illius Mosaicæ atq; Propheticæ historiæ libros, ex Hebræa lingua in Græcam convertere, ipsosq; LXX interpretes in hoc genere superare voluisse videtur: putatque se, qui sacerdos erat Hierosolymitanus, probè rem totam intelligere. Sed nonne illius historiæ cadaver magis quàm animum, & umbram potiùs quàm corpus exponit? Cur ita? Quia quid agatur, parum intelligat, homo nihil aliud, quàm Iudęus. Certè cùm Paulus Apostolus ex ea historia quippiā delibat, interpres est valde dissimilis Iosepho vel Philoni. Sed & in ipsa Chrono-

nolo-

nologia quantum aliquando sit mysterij, quod Iosephus non videt, peritè notat Apostolus, cùm quadringentis post fœdus, quod cũ Abrahamo pepigit Deus, annis, legem primùm à Mose latam esse: neq; id temerè hoc ordine esse factum, religiosè monet. Deniq; & cùm de legib. Mosis agitur, quænam distinctio adhibenda sit, & quid in ijs sit perpetuũ, hoc est, quid omniũ & gentiũ atq; temporũ sit: quid non omnium sit gentium: quid non omnium temporum, deniq; qua illæ fine & conditione latæ sint: cautè observandũ est. Illius legis alter veluti auctor (ut auctorem legis vocabant Romani) fuit David, & interpretes deinde fuerũt Prophetę: neq; horum historia sine hac parte rectè exponi posset. Iudaicæ atque Propheticæ historiæ succedit Christiana, Apostolica, Ecclesiastica. Atque in ea quidem imprimis etiam disputatur de legibus Mosaicis, præsertim quod ad ceremonias attinet. Cumque non modò cum Iudæis, sed & cum Hæreticis, & Paganis (ut vocãtur) perpetuam illa contineat contentionem de religione: quis non videt eam satis perlegi nõ posse sine huiusce Iuris cognitione? Cum Paganis sive ethnicis disputatur ex historia. Nam hæc ad eos refellendos sola satis erat: & de antiquitate tunc præcipua erat quęstio. Cum Iudęis subtilior est disputatio, sed est una. Cum Hęreticis, qui varij & multiplices fuerunt, multiplex & longa est. Sed saltem genus universum includit historia Ecclesiastica. Quàm igitur hæc cæca erit, si talium controversiarum Ius ignoretur? Non minor eius historiæ pars est posita in quæstionibus inter ipsos Christianos agitatis de ceremonijs, disciplina, ordine, formaque gubernationis Ecclesiasticæ. Huius ergo etiam iuris cognitio necessaria est: & acta conciliorum atque Canones, & Principũ Christianorum leges Canonicas evolvere oportet, simulque in dijudicatione propter rerum & temporum varietatem, singularis cautio adhibenda est: neq; non semper est coniungenda Reipublicę notio, & civilis status cõsideratio. Adeò perpetua est illa individuitas, de qua loquor. Memini, cùm superioribus annis viri Magdebur

burgenses historiæ Ecclesiasticæ descriptionem suscepissent, meumq; consilium expetijssent, longiori me ad eos epistola, quid ea tota de re sentirem, exposuisse. Sed dicere quid facto sit opus, multò quàm id facere est facilius. Affirmare verò, quod nuper Principibus respondi, rursus non dubitabo, si quis in illa memoria, ut oportet, versetur, optimam ex ea repeti posse definitionem earum de religione controversiarum quæ orbem nostrum concutiunt: tãtoque propterea magis doleo tales quæstiones, quæ tantũ nunc dant turbarum, ad illud placidum antiquitatis tribunal non revocari, sed ab imperitis tanquam pueris confusè misceri. Ridiculum profectò fuit, quod in concilio Ferrariensi Ioannes ille Palæologus Imperator Constantinopolitanus, nominis iam propè sui oblitus, cùm allegari audiret Ecclesiasticã historiam Hermæi Sozomeni, attonitus exclamavit, quidnam hoc tandem monstri esset? Saltem cogitasset atavum suum Andronicum non modò aluisse, sed etiam coluisse Nicephorum, qui Sozomeni imitator erat. Scilicet παλαιολόγος erat novus hic arbiter, qui tam rerum erat imperitus, tamque νεωτεριστής, ut antiquitatis & historiæ Ecclesiasticæ ne mentionem quidem fieri in concilio pateretur. An ubi tales sedent iudices, cæcum & præceps non erit tribunal?

Cæterùm, ut antea dixi in historijs Ecclesiasticis magnam cautionem adhibendam esse, ne errore facti fallamur, & quod factum olim non fuit, factum esse temerè credamus falsis testibus: sic iam dico cavendũ rursus hîc esse, ne errore iuris decipiamur, & quod improbè factum est, rectè factum existimemus. Vt enim temerè contemnenda non sunt, sic non sunt statim adoranda omnia facta Maiorum. Nam & hi falli potuerunt, & cùm rerum temporumque, tum verò Maiorum nostrorum veterumque iudiciorum non eandem semper fuisse conditionem, ipsæ quoque historiæ monent, quæ magnarum, ut contentionum, sic & mutationum, præsertim in re Ecclesiastica, testes esse possunt. In ijs itaque rectam regulam iuris, adhibeamus

beamus necesse est. Neque recuso ius hoc dici Canonicum, modò meminerimus quàm falsò & impudenter Epicuræi iactabant sui magistri κανόνα διοπετῆ: tam verè nos imprimis prædicare Domini Deique & præceptoris nostri normam cœlestem. Denique quam regulam Tertullianus in suis Præscriptionibus edidit acerrimus antiquitatis Ecclesiasticæ vindex; eam cupio ut retineamus. Sed quomodo ea utendum sit in re præsenti, videndum erit. Nunc institutum nostrum persequamur, ut magis atque magis intelligatur, cur Iurisprudentiam cum historia sapienter coniungi velim.

In historia Romana Pontificium quoq; ius Quiritum, quale Numa Pompilius Mucijque Scævolæ condiderunt, includi, & hoc, ut cum iure Civili olim coniunctum erat, sic ab illo repetendum esse, neminem, qui dubitet, hominem esse existimo. Hoc autem ius cùm iam nobis non tam iuris quàm facti loco sit esseque debeat (non enim eo sacra nostra regi ferendum est, quod abs vera pietate est alienum) quid aliud quàm historicum planè esse dicam? Legimus itaque quales in Romanorum sacris ritus fuerint, & quales earum ceremoniarum leges. Sed quod tunc factum ab ijs est, nobis ius non dicet.

De multis antiqui iuris publici, quo non utimur, partibus, idem & sentiemus & dicemus. Equidem (cur enim dissimulem?) nuper legebam perlubenter novos de antiquo iure civium Rom. & Italiæ commentarios doctissimi hominis Caroli Sigonij, qui de historia Rom. præclarè meritus est. Illam autem antiquitatis renovatam memoriam magna cum voluptate legens dolebam, multos, qui iuris civilis interpretes & doctores se esse gloriantur, securè contemnere totum illud literarum genus. Rursus autem dolebam, alios, qui in earum studio sunt toti, nō metuere crimen ignaviæ atque inscitiæ, si alteram Iuris Romani partem non evolvant, quę in legū libris exponitur. Deniq; sic mecum cogitabam: illa liberæ Reip. historia & antiquitas tantum includit Iurisprudētię:

Quid si evolvamus ea tempora, quæ pòst consecuta sunt? Ea dico, quæ Cæsarum esse dicuntur.

Non est (dicam iterum) iuris civilis Romanorum ea conditio, quæ fortasse est aliarum gentium. Cùm Diodorus Aegyptiorum historiam exponit, facilè & commodè inserit Aegyptias leges. Cùm Plutarchus vel Lycurgi vel Solonis vitam describit, eorum κύρβεις ἐ ἄξονας in eadem narratione breviter includere potest. Sed longè alia est & amplitudo & copia & varietas, & propterea difficultas, ut Reipub. sic & legum Romanarum. Facilè etiam Plutarchus, cùm Romuli aut Numæ vitam narrat, eorum leges complectitur: quod & Dionysius facit. Sed tam angustis finibus Iurisprudentia, de qua nunc loquor, nō circumscribitur. Imò verò sese non minus quàm historia ipsa Romana latè diffundit: & historicos propterea scriptores, præsertim eos, qui in illius foro educati non erant, quodammodo deterret: ut sibi ab ea tanquam à scopulo caventes, contrahant vela: & de legibus vix quicquam delibent, nisi ut canis è Nilo bibit & fugit. Cùm Plutarchus Syllæ aut Cæsaris vitam narrat, an Cornelias vel Iulias leges exponit? Ergo factum est, ut hæc Iurisprudentia ab historia: & hæc historia abs Iurisprudentia quodammodo seiungi cœperit, sensimque altera alteri veluti nunciare visa est vetus illud: RES TVAS TIBI HABETO. Verùm tantò magis occurrendū esse huic (ut ita dicam) divortio, existimo. Si nō potuit utraque iisdem tabulis commodè includi: at longius certè alteram ab altera discedere minimè ferendum est. Est (fateor) Romanarum rerum historia & diligenter & copiosè descripta abs scriptoribus gravissimis atque doctissimis. sed iterum profiteor, Romanarum legum memoriæ minus eos satisfacere videri. Credo equidem, quia eæ non unius vel ætatis vel hominis essent: quia essent multæ, variæ, subtiles, acutæ: illos quadam difficultatis opinione deterritos fecisse perlubenter, ut earum expositionem alijs relinquerent: multoque maluisse, ne non belli scriptores viderentur, vel instructam aliquam aciem singu-

lasque eius partes, & castrorum formam, & prælij genus, & numerum cæsorum, & id genus reliqua fusè & suaviter commemorare, quàm legem reconditam expromere, & in obscuram iuris civilis disceptationem, quæ tunc habita sit, descendere. Quid; Dicterium aliquod vel apophthegma historicus recitabit: & nobilem legem, aut singularem de iure sententiam & quæstionis multum diuque vexatæ, publiceque etiam agitatæ solennem definitionem præteribit? Imò verò hanc negligentiæ labem, quam quorundam inscitia historiæ aspersit, detergat, & quod deest suppleat Iurisprudentia. Dionysius & Livius Decemvirorum, qui primi Romæ legum ferendarum causa creati sunt, historiam copiosè describunt, & leges xij. tabularum ab ijs propositas esse narrant. Sed quænam eæ essent leges, quidve ijs tabulis inscriptum esset, (quod certè negligendum minimè fuit) non exponunt. Vnam aut alteram legem fortasse recitant. Sed cur reliquas supprimunt? An igitur necessarium non erit Iurisprudentiæ subsidium, quæ quicquid potest, undique cogit & colligit, ut eam veluti lacunam repleat? Cùm Dionysium & Livium nominavi: nominavi duos historiæ Romanæ doctissimos, gravissimos, diligentissimos scriptores, illum Græcum, hunc Latinum. Licet autem Dionysij, quod attinet ad res & tempora, quæ describit, diligentiam prætulero: tamen à Livio verba potius repetiero. Neque profectò minima historiæ atque Iurisprudentiæ Romanæ sita vis parsque est in ipsis formulis, quas Livius religiosè recitat, Græci sua lingua exprimere, ne si vellent quidem, possent. Itaque miror tam multos olim etiam Romanos, suam historiam Græcè quàm Latinè scribere maluisse. Scio eos hoc egisse, ut à pluribus legeretur. Cicero pro Archia: Græca (inquit) leguntur in omnibus ferè gentibus: Latina suis finibus, exiguis sanè, continentur. Quare si res hæ, quas gessimus, orbis terræ regionibus definiuntur, cupere debemus, quò minus manuum nostrarum tela pervenerint, eodē gloriā famamq; penetra-

re. Sed videndum etiam fuit, quàm non omnino Romana sit illa, quæ Græcè scribitur historia, præsertim cùm, ubi de iure aut legibus agitur, tam sit inops & propè dixerim inepta ac barbara lingua Græca, quàm Latina tunc est facunda & diserta. Certè Catoni non placuit Albinus, qui historiam Romanam Græcè scribebat. Credo magis placuisset Asinius ille Pollioqui græcam Latinè scripsit, ut Suidas auctor est. Sed illud nunc dico, in historicis rerum Romanarum scriptoribus diligentiorem legum latarum desiderari descriptionem; vixque ab ijs, qui Græcè scribunt, eam præstari posse, cùm maxima iuris Romani pars vix ac ne vix quidem Græcè possit exponi. Quæ ratio facit, ut Livium, Salustium, Cæsarem, Tacitum aliquando legam lubentius, quàm Polybium, Dionysium, Diodorum, Plutarchum, Appianum, Dionem. Interea tamen iterum confiteri cogor, ne Latinos quidem historiæ Romanæ scriptores, mihi satisfacere in legibus recitandis. Si Livij & Taciti monumenta integra extarent, multum in hoc genere subsidij haberemus: omnibusque alijs ea præferrem, si togatam, civilem, urbanam, historiam Roman. aliquis desideret: & tales historicos propè retulero in ordinem & collegium Iurisconsultorum. Potuit adolescens Tacitus & vidisse & audijsse senem Livium: ut & vidisse se ait in Britannia quendam senem, qui Iulium Cæsarem in ea viderat. Certè Tacitus Livium laudat & fidei atque eloquentiæ nomine præclarum fuisse ait libro quarto. Neque adeò multi anni numerantur inter finem historiæ Livianæ & principium annalium Taciti: nempe quot inter mortem Drusi & Augusti interfuêre. Saltem agnosco in dissimilis Reipubicæ historia contexenda quandam esse similitudinem inter hosce duos clarissimos scriptores. neque puto alios tam propè accedere ad Iurisprudentiam Rom. tantóque propterea magis mihi acerbam esse fateor iacturam, quæ multos eorum libros intercepit: & superstites reliquias iuris studiosis lubenter commendo: neque temerè factum esse profiteor, quòd duo ætatis

tis nostræ nobilissimi interpretes iuris, And. Alciatus & Aemilius Ferrettus, in emendandis atque explicandis Taciti annalibus multum operæ posuerint. Sed fateri tamen cogor, aliud esse accersendam esse longè aliam legum accessionem. Ita est sanè. Facere historici non possunt, quin multas rogationes, populíve scita (quæ etiam leges appellantur, quamvis dici potius debeant, ut sunt quædam privilegia) commemorent. Sunt enim tales leges omnino historicæ: neque alioqui in legum libros aut tabulas referuntur: miniméque pertinent ad iuris perpetui causam. Sed & iuris publici magis quàm privati meminisse se debere historici statuunt. Laudo. Verùm ea interdum iuris alioqui privati etiam lex est, quæ si ignoretur, ne ipsa quidem historia, hoc est, neque Reipublicæ eius temporis conditio, neque vitæ iudiciorúmque forma atque consuetudo cognosci potest. Denique cùm omnes fateantur historiam καθολικὴν, debere esse πραγματικὴν, ut antea dixi: & πραγματείαν illam hoc postulare sciant, ut rerum gestarum circunstantiæ, quæ abs Græcis περιστάσεις appellantur, simul exponantur: ego non verebor iuris statum inter præcipuas illas circunstantias referre. Atque ut Cicero ad Atticum li. XIIII. Tu (inquit) si quid pragmaticum habes, scribito: pragmaticum vocans, quod fiebat in foro vel in Senatu: sic & quæ sunt eius generis, ad historiæ scriptionem omnino pertinere puto: ut & quæ in libris legum appellantur pragmaticæ cōstitutiones vel sanctiones in eam referantur, quò magis sit, esse quæ debet, historia πραγματικὴ. Quid olim præstiterit in hoc genere Atticus, nescio, quia eius commentarij interierant. Sed Cornelius Nepos ait, nullam fuisse legem, neque pacem, neque bellum, neq; rem illustrem populi Romani, quæ nō in eo volumine, quo Atticus omnem antiquitatem exposuit, suo tempore notata sit. Suspicor verò eum ius privatum & civile, vel eius generis leges, quarum cognitio magis esse dicitur iurisconsultorum, non exposuisse. Neque tamen non plerique historiæ Romanæ scriptores, qui civilium &

domesticarum rerum descriptioni magis dediti fuerunt, non noluisse videntur præstare, quod requirimus. Sed hic rursus intelligo, quàm sit necessaria Iurisprudentiæ, bene (ut ille olim dixit) fundatæ societas. Facient illi suo fortasse tempore & loco aliquam mentionem legis Voconiæ, Falcidiæ, Papiæ, Poppææ, sed (quod sine eorum ignominia dictum velim) an in hoc genere præstant, quod & debent & suscipiunt? An earum legum vel sententiam integram rectè exponunt, vel verba sine mendo recitant? Hìc ergo veluti deficienti historico succenturietur Iurisperitus necesse est. Cùm Plinius audiret Tacitum historias scribere, statim ad eum scripsit de quadã causa, quam egerat in Senatu. Non erat res valde magna: annalibus tamen eam inserendam esse putat: neque dubitare se ait de Taciti diligentia in actis publicis: quem & nos prædicamus in hoc genere diligentissimum fuisse. Sed quàm multa negligit tamen? Neque verò postulo, neque si postularem, ferendus sim, ut historia colligat & complectatur de iure publico & privato, multa vel privata, vel exilia, vel ignobilia, vel etiam inania. Ne Iurisconsultorum quidem commentarij talia converterent. Neque non sapienter profectò Ammianus Marcellinus admonet, historiam non indagare humilium minutias causarum. Quid igitur dicimus? Cùm Cicero pro C. Cornelio, Cottam de suis legibus abrogandis ad Senatum retulisse dixisset: Asconius annotavit, videri in rebus parvis eas fuisse: quia neque apud Sallustium, neq; apud Livium, neque apud Fenestellam fiat eorum mentio. Fieri verò illius tantùm legis mentionem, quam tulit, ut ijs, qui Tribuni pl. fuissent, alios magistratus capere liceret, quod lex Syllæ prohibebat. Equidem facilè patior Aurelias illas de re parva leges à Livio, Sallustio, Fenestella in descriptione Romanæ historiæ esse præteritas: Sed nobiles & de re magnas latas leges cum suo auctore, ætate, conditione, formula, si historia civilis non annotat, an non maximam officij sui partem negligit? Suetonius, Lampridius, Spartianus, Capitolinus,

nus, & similes olim scriptores historici, Cæsarū vitas, sententias, dicta, acta, facta sic descripsêre, ut & eorū de iure iudicia, & cōstitutiones imprimis recitare voluisse videantur. Sed quàm est ea tamen, non iam dico confusa, sed ieiuna & mutila recitatio, si observemus & quid in hoc genere non recitaverint, quod recitare omnino debuerāt: & illud ipsum quod recitāt, quàm non sit integrum, quamque sit mendosum, utpote ab hominibus sæpe eam rem parum intelligentibus, imperitè & inconditè relatum. Ne hæc ergo semper manca historia sit, sarciatur quod hac parte illi deest. Sarciri verò non potest, nisi id repetatur ex iuris & legum libris. Septimij Severi, Imperatoris profectò maximi historiam annorum xviij. describunt, quàm diligentissimè possunt, Herodianus, Spartianus, Dio. Sed quanta lux, quantumque decus accedet, si & illius & Papiniani, qui eius Prætorio Præfectus fuit, iudicia ex Pandectis repetita interdum accedant: & rescripta, quæ cum suo die & Consule extant in Codice Iustiniani, atq; ad historiam pertinere videtur, opportunè observentur? De Diocletiani memoria, quæ est alioqui obscurior, idem dixero: sed multò magis de Constantini: cuius est alioqui magis varia & multiplex historia propter novam Reipublicæ atque Imperij faciem. Legimus quidem de eo scripta esse plurima, præsertim ab Ecclesiasticis scriptoribus. Sed quàm confusa sunt omnia? & rerum civilium quàm est perturbata memoria, nisi si Codices Constitutionum indicio novo nobis quendam ordinem præmonstrent? Valentiniani Valentisque Imperium, quia Ammianum Marcellinum in eo ducem habemus, evolvi facilius potest. Sed quæ præsidia ex Codice Theodosiano præterea repeti possunt, quàm utiliter cum Marcellini monumentis coniungentur? Certè quò magis hi Principes de iure publico & rebus ad civitatum atque etiam Ecclesiarum gubernationem pertinentibus leges ferre cœperunt, tantò magis horum institutiones historicæ sunt. In Theodosij Imperio annorum xvj. quia ducem aliquem

Marcelli nũ non habemus, non minus quàm in Constantini Imperio laboramus. Nam & utrunq; fuit rerum maximarum & admirabilium eventorum gloria nobilissimum. Sed si cum alijs memoriæ illius præsidijs, colligamus qualiacunque supersunt indicia Constitutionum, easque sequamur, eluctari poterimus. Leges illæ Consulem, annum, mensem, diem, locum, quo sunt editæ, sua subscriptione significant. Quàm ergo præclaros in hoc genere fastos suppeditant? Feci equidem perlubenter, ut harum constitutionum quandam Chronologiam aliquando conficerem: & cùm id ago, magis atque magis sensi tam esse necessariam illam, quam tantopere urgeo, Iurisprudentiæ atque historiæ coniunctionem; ut eorum temporum atque principum, neque leges, quæ sunt plurimæ, neque acta, quæ maxima sunt, rectè sine tali auxilio intelligi posse, iterum profiteri ausim. Atque hìc obiter iuvat indicare, quod hisce diebus cùm Gratiani Theodosijque de religione constitutiones, ex utroque Codice repetitas extra ordinem in schola interpretarer, auditoribus meis exposui. Est enim id maximi momenti & ponderis: & hactenus ab nostris animadversum non esse miror. Cùm ad Codicem Iustiniani aggressus essem, conferebam primùm, qui eiusdem generis est, titulum postremi libri Codicis Theodosiani. In eius postremo capite legebam Valentiniani II. & Theodosij constitutionem, quæ dat potestatem conveniendi, & (ut loquitur) colligendi, ijs qui secundum ea sentiunt, quæ temporibus Costantini, convocatis sacerdotibus ex omni orbe Rom. Ariminensi concilio decreta sunt, & Constantinopolitano confirmata, &c. Id cùm legerem, statim ut attonitus obstupescerem historia fecit. Memineram enim quale fuisset illud Ariminense concilium, & quàm ab eius decreto captioso abhorreret religio Theodosij, atque adeò Ecclesia Catholica & orthodoxa: & quò illius historiam & acta mecum magis reputabam, tantò magis suspicabar, illam constitutionem non esse Theodosij. Imò verò impiam

esse,

esse, minimeque in libros legum referendam sentiebam. Cùm hærerem, & cui acceptam ferre illam deberem, anxiè quærerem: atq; ex subscriptione intelligerem, Mediolani latam esse, statim mihi historia suggessit, quod me magna molestia liberavit. Venit enim in mentem, quod illa narrat de Iustina, quæ in gratiã suorum Arianorum, abutens filij sui Valentiniani nomine, talem legem ferre voluit & tulit, tectam Ariminensis cõcilij cothurno. Spero fore, ut cùm ad rem ventum erit, suo tempore & loco probabo, legem esse Arianam, & esse expungendam, quæ mala fide Theodosio est inscripta, & in Theodosianum Codicem insidiosè irrepsit. Cumque multas mendorum maculas ex Legum libris rectè sublatas esse abs doctissimis hac ætate hominibus lubenter agnoscam, etiam hanc multò tetriorem labem me delevisse mihi gratulabor. Sed neque minoris beneficij & momenti animadversio est, quòd cùm adversus sanguinarias & sævas animadversiones exponerem leges & iudicia veterum Christianorum de coërcendis hæreticis: partim ex historia, partim ex Th. Codice: ostendi in Cod. Iustin. quandã de Manichæis legem Theodosij, iniecta ultimi supplicij falsa clausula, mendosè factam esse capitalem, cum multorum fraude capitali: neque dissimile mendum irrepsisse in quandam Martiani Imp. constitutionem eiusdem generis. Quæ magis necessaria esse posset emendatio? Sed hoc quidem est historiæ beneficium erga iurisprudentiam. Iam verò vicissim quæritur de Iurisprudentiæ meritis atque beneficijs erga historiam: quæ & magna & multa esse dico. Equidem cùm nuper Valentiniani senioris historiam revolverem, quæ quia in ijs potissimûm regionibus, in quibus & educati sumus & vivimus, versatur, & Belgicam pervagatur, nos magis afficit, magna cum voluptate observabam, quas ex Codice Theodosiano intelligebam leges ab eo latas esse Parisijs, Remis, Ambianis, Noviodunı, Treveris, Vangionibus, Moguntiaci, Coloniæ Agrippinæ: & cùm eas ad Ammianum Marcellinum, qui historiam Valentiniani copiosè describit, adiun-

gebam, incredibilem lucem accedere sensi. Sed & cùm post Theodosium obscuriora tempora evolvenda erunt, quantum est in libris Iuris auxilij? Quid, cùm tandem ventum erit ad Imperium nostri Iustiniani? Bellicæ quidem res à Procopio & Agathia: Ecclesiasticæ ab Evagrio & Nicephoro diligẽter descriptæ sunt. Sed an eius Reipublicæ Imperijque historiam satis exponere poterit, qui Iustiniani constitutiones aptè non adiunget? Quid si ad Imperium Leonis illius, qui Philosophus dictus est, descẽdamus? Magnę tenebræ. Sed eius Νεαραὶ, quę libris Iuris nunc accesserũt, aliquam facem præferent. Si deinde, quis fuerit non solùm Asiæ, sed & Africæ status, quæritur, nihil quàm vastitas & vis occurret: in qua confusione fateor frustrà de iure aut legibus civilibus disputari, ac ne disputari quidem. Sed de religione saltem quæstiones magnæ occurrẽt. Si oculos reflectamus in Europam nostram, citiùs etiam barbariem in eam invasisse, & feras gentes suis sedibus emotas, Romanum Imperium evertisse, atque ius omne & fas veluti miscuisse, audiemus. Sed sunt facilius tamen revocatæ ad aliquam humanitatem atq; moderationem. & licet nova regna vi cõdiderint, tamen ut religionis, sic & iuris aliqua temperatione se regi tandem passæ sunt. Quid dicam de Gothis, quorum multę leges minimè barbaræ laudari possunt? Quid de Longobardis, quorum moribus cùm quæritur de Iure Feudorũ, ut appellãtur, etiamnum utimur? Quid de Carolo Magno, qui in magna temporum intemperie res perturbatas in integrũ restituit? Quis esset status, indicant eius leges, quas quidem etiam nostris legum libris nonnulli nunc appendere solent. Ego ut Eghinardo illius Cancellario gratiam habeo, qui tam excellentis principis vitã descripsit: sic & Ansegiso, qui eiusdẽ leges collegit. Vtinam verò Carolus, ut historiæ universæ studiosus fuit, & ipsa veterum Germanorũ carmina, quæ populari cantu iactabantur, sed scripta nondum erant, describi iussit: sic & nobilissimas leges Salicas, moribus Francorũ ante sua tempora receptas, iterum edidisset. Maiorem

hæ

hæ lucem rursus inferrent nostris annalibus. Paulò post Carolum aut eius saltem filium Ludovicum, magna iterum dissipatio fuisse videtur, Iusq; datum sceleri: Sed tandem regna & principatus ita constituuntur, ut eorum, qui ijs constituendis præfuerunt, posteritas etiamnum possessionem retineat. An non & illorum temporum historiam illustrabit Iurisprudentia? Nam etsi raræ sint eorum leges, aliquæ tamen sunt, ex quibus æstimanda est talium regnorum facies & conditio. Deinde quò sunt eæ rariores, tătò magis Romanæ advocantur: & ex iure civili ius illis dicendum est. Neque non de Principum successione in illa historia occurrent maximæ & nobilissimæ & subtilissimæ iuris controversi quæstiones: quæ etsi armis sæpius deciderentur: tamen togatam disputationem atq; forẽsem disceptationem admittebant. Eas verò non explicabit homo iuris imperitus: talémq; propterea historiă exponere totam vix poterit. Nõ discedam longiùs ad exempla: neq; tamen delibabo quod nõdum lubet. Sed cùm recitanda erit historia, & illius, quæ ante annos centum & quinquaginta fuit, elegantissimæ controversiæ de regno Tarraconensi & Siculo, sive de hæreditate Martini Regis: & nobilissimi compromissi atque arbitrij, quo ea religiosè est definita: an hęc res tota explicari potest, nisi si exponatur subtile ius successionis civilis magis quàm naturalis? Quid, cum eodem seculo dicendum erit de altera, neq; dissimili, neque minus nobili subtilique, sed armis magis vexata quæstione, quæ inter duas cognatas familias diversicoloribus rosis, ut olim pannis factiones Aurigantium insignitas, agitata fuit de Angliæ regno? Funestissimæ sunt bellorum plusquam civiliũ in ea lite turbæ: sed inclusam premũt bellissimã iuris civilis de legitimis hæredib. disceptationem, quæ prius est evolvenda. Verùm hoc ꝓpè perpetuũ in historijs est. Hæ enim bella propè perpetua recitant. Bella verò inter Principes esse solent, quod sunt inter privatos in foro lites & actiones: neq; non aliquis esse solet status causæ, in quo de iure quæratur, & quidẽ de iure civili sæpiùs quàm Feciali.

Neque armati barbari semper dixerunt, Ius suum esse in armis. Neque etiam semper silent inter arma leges. Itaque & ad illorum historiam, memoriam harum accedere debere dico. Quantum autem lucis ex legum libris ad historiæ monumenta redundare dixi, tantundem & historiæ memoriam, Iurisprudentiæ Romanæ vicissim conferre ac veluti reddere iterũ dicam. Et quid tandem aliud sunt nostri Iuris libri, quàm quædã historiæ Romanæ ἀποσπασματία? quæ si suo corpori reddãtur, & unde sunt decerpta, iterum veluti inserantur, quis non rectè factum dicet? Quis suo quæque loco non abrupta, non mutila, non contaminata legere non mallet? Quis negaverit ea ex sua origine, & eius circumstantijs primùm æstimanda esse: eorumque intelligentiam primam inde pendere? Corpus illud Iuris (ut appellatur) quod Iustinianus nobis reliquit, conflatum est ex ea legum Romanarum varietate, quæ annis mille & trecentis iactata est abs Romulo usque ad Iustinianum. Neque modò alia esse dicitur Iurisprudentia vetus, alia nova, alia media: sed & quotannis propè est mutata. harumque legum ea est conditio, ut etiam lex sit, posterioré derogare priori. Quid igitur fieret, nisi si ex historia temporum ordinem observemus, & aliquam veluti Chronologiam legum teneamus? Quid multa? Cùm multis iam annis revolvam illam eorum, quos Iustin. nobis reliquit, librorum (ut vocare soleo) συναγωγήν, magis atque magis sentio, quandam illius (ut appellatur) corporis legitimi ἀνάλυσιν historicam in primis utilem fore: & cùm multi multa disputent de ratione docendi discendique Iuris, nihil tamen agi video nisi si fiat, quod opto. Equidem non nescio Ius illud, quod iam annis propè viginti docui, tractari atque explicari multis modis posse. Sed eam tandem, de qua loquor, rationem viámque interpretationis & suavissimam, & utilissimam, & commodissimam esse expertus sum: neque aliam esse didici. quę ad dignitatem huius disciplinæ propius accedat. Fateor multas esse de multis Iurisprivati partibus

&

& mysterijs subtilissimas Iurisconsultorum disputationes, tanquam appendices legum, quæ vix quicquã habeant cum historia commune: proptereáque eas separatim (quod facere soleo) evolvẽdas esse fateor. Sed reliquas tantò magis partes, quæ (ut ita dicã) principales sunt, coniunctim cum historia, ex qua veluti dependent, tractare velim. Atque utinam liceat aliquando mihi seriò tentare, quod desidero. Non est vulgare quod opto. Opto historiam universam, sacram & ciuilem, veterem & novam, nostram & peregrinam colligi: & simul Iurisprudentiam priorem & posteriorem, divinam & humanam coalescere. Denique ex duobus istis veluti corporibus historiæ & Iurisprudentiæ unũ conflari velim: & alijs, si persuaserim, ut idem velint, multum me effecisse puto. Quid? in Iustiniani libris multa prætermissa sunt, quæ tamen ad Iurisprudentiã planè pertinent. Talia verò nobis historiæ universitas suppeditabit: ut ex hac alterum veluti corpus Iuris Romani, alterumque Codicem legum malè derelictarũ colligi, repetique posse propè dixerim. Saltem de more Maiorum, & eorum non solùm legibus, sed & institutis, quæ ex historijs repetuntur, quæstio esse sæpè solet, cùm de iure civili quæritur. Sed & ubi præiudicia, quæ in iudicando sequamur, non occurrunt: persæpe tamen aliquod exemplum dabitur, quod nobis quid de iure respondendum sit, tacitè veluti præmonstret. Sic historiam Romanam diligenter & utiliter legerũt veteres Iurisconsulti: & ex facto aliquo, tanquam ex bono fertilique fundo, sæpe regulam Iuris elicuerũt, atque etiam ex eo, in quo alius ne vestigium quidem Iuris notasset. Nam arte, ut dixi, quadam & cautione est opus. Non multos (fateor) in Pãdectas retulit Tribonianus eius generis locos: sed aliquos tamẽ descripsit. Legerat Papinianus, Ciceronẽ Consulẽ in quæstione coniurationis Catilinariæ non reiecisse indicium Fulviæ meretriculæ. Quid inde? Inde respondet atque probat in crimine maiestatis audiri mulieres, quibus alioqui accusationis potestate interdictum est. Legerat Triphonius in oratione Ciceronis pro Cluẽ-

tio,

tio, mulierem quandam Milesiam in Asia damnatam esse rei capitalis, quòd ab hæredibus secundis accepta pecunia partum sibi medicamentis ipsa abegisset. Hoc exemplum pro lege ille laudat. lxxxix. De pœnis. Legerat Pomponius, Attilium Regulum olim visum nõ esse postliminio reversum, quia iuraverat se Carthaginem reversurum esse. Quid tum? Hinc colligit, aliquem captivum ita demum postliminio reversum intelligi, si in civitate remanere & velit & Iure possit. l. v. de capt. & postlim. revers. Si historiam Romanam cum tali observatione legamus, ut & debemus, quis non dixerit incredibilem in ea thesaurum Iuris civilis reconditum esse? Ergo iterum iterumque prædico, eam me historiam laudare, in qua sit etiam inclusa Iurisprudentia: atque ut hæc supplet, quod illi alioqui deest, sic etiam ex illa hanc eliciendam rursus esse. Atque utinam (cur enim votum meum non ingeminarem?) interea saltẽ dum id aliquis præstabit: ut olim & Pontifices Max. suorum Annalium, & Prætores Edictorum suorum Album palàm proponebant, sic & studiosi omnes qui Reipublicæ iuvandæ nomen dederunt, aliquãdo sentiant, Albũ utrunque esse coniungẽdum. Cicero libro secundo de Orarore loquẽs de Annalibus maximis, Pontifex Max. (inquit) res omnes mandabat literis, efferebatque in Album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscẽdi. Vt autem tunc populus talem historiarum tabulam spectabat, sic in Tabulis xii. quæ pro rostris erant defixæ, Ius civile legebat. Cumque una tabula Fastorum, qui dies erant agendi, aliquandiu à Põtificibus occultata fuisset, tandem Cn. Flavius Fastos quoque illos protulit, & in Albo circa forum publicè proposuit, vt idem Cicero scribit. Quod ad Prætores attinet: cõstat, eos non modò viva voce, cùm Magistratum inirent, in concione populi edixisse, quæ essent observaturi in iure dicundo: sed & hæc sua edicta in Albo proposuisse omnibus legenda. Vt autem cum duodecim Tabulis hæ Tabulæ Prætoriæ, sic cum Albo Annaliũ Max. aliæ Tabulæ aliorum Fastorum, qui nõ, ut illi priores singu-

ſingulorum dierũ conditionem, ſed annorum ſingulorum Magiſtratus notabant, tandem coniunctæ fuerunt. quales eę fuerunt, quarum nuper fragmẽta Romę reperta, & ruinis Capitolij rurſus affixa ſunt, hiſtoriæq; Romanæ lucem maximam intulerunt: illas dico quas Verrius Flaccus (ſic enim doctiſſimi homines coniiciunt) temporibus Auguſti vel Tiberij, in foro publicavit, marmoreo parieti inciſis in hemicyclo, quemadmodum is ſcribit, qui vitas illuſtrium Grammaticorum olim ſcripſit, ſive Plinius, ſive Suetonius, ſive eius ætatis alius fuerit. Erant eæ quatuor Tabulæ magnæ, quę ab urbe condita uſq; ad Auguſti obitum, quinam ſingulis annis Conſules, Dictatores, Cenſores, Pontifices, quæ bella, qui triumphi fuiſſent, breviter indicabant, & ad Hemicyli formam erectæ atque compoſitæ proſtabant. Erat profectò res præclara, vel in domo pontificum legere tabulam Annalium, vel in aliquo atrio, in quo & Maiorũ imagines (ut Plinius ait) cum Tablinis hiſtoricis aſtabant, audire Iuriſconſultum, qui in ſuo ſive Solio ſive Hemicyclo ſedens & conſulentibus de Iure reſpondens, manè tanquam ex tripode fundebat oracula. Sed cùm deinde ventum in forum erat, & pro roſtris leges XII. Tabularum Prætoriſq; Album, & in Verriano Hemicyclo illi ſive Annales ſive Faſti Conſulares occurrerent, & hiſce mutis veluti magiſtris aſſiderent docti & diſerti tanquam interpretes, aut tranſverſo (ſicuti ait Cicero) foro ambularẽt: nonne excellens erat hæc Academia & ſchola civilis, Iuriſprudentiæ & hiſtoriæ? Certè forum Romanum non modò ſtatuis refertum, ſed & inſcriptionibus & literis & tabulis, quæ Iuris & antiquitatis indices eſſent, conſperſum atque ornatum erat. Quorſum? ut iiſdem oculis cives Romani & Iuriſprudentię & hiſtoriæ ſuæ ſumma ſaltem capita aſſiduè haurirent, unoque in conſpectu, vel aliud agendo, ea legerent. Adeò & civium & Reipublicæ intereſſe ſapientes Romani iudicabant popularem hanc & omnibus familiarem atq; communem utriuſq; tanquã carminis neceſſarij memoriã eſſe. Et mirabitur aliquis, quod

optamus, vehementer optare nos, ut saltem in scholis civilibus rursus coniungantur hæ tabulæ utriusq; generis? & earum interpretationem atq; expositionem sibi mandatam esse tam Iurisprudentes meminerint, quam & meminisse debent, quibus olim viris Romæ cura Iuris mandata est, ijs viris & historię scriptionem & memoriæ publicæ consignationem fuisse commissam? Nam non solùm Pontificum Maximorum, qui utriusque Iuris custodes & dicebantur & erãt, fuit hęc potestas Annalium conscribendorum: sed & cùm temporibus nostri P. Mutij Scævolæ, id illi facere desijssent, non modò eius in Consulatu collega L. Calpurnius Piso, quem & multarũ legum auctorem aut dissuasorem fuisse ait Cicero in Bruto, suscepit hanc curam, sed & Iurisconsulti in Mutiano auditorio educati hanc ab illis traditam, veluti in decursu lampada acceperunt: ut Rutilius Rufus P. Mutij auditor atque familiaris, & Cælius Antipater. Rutilius qualis quantusque Iurisconsultus fuerit, notum est. Vt autem in Panætij auditorio cum Fannio educatus, excellens fuit Philosophus Stoicus, sic & historicus fuit nõ minor. Testes boni sunt Velleius & Athenæus, qui narrant, eum scripsisse historiam rerum Romanarum. Et Plutarchus in Mario Rutilium historicum laudat ut bonũ & veracem, quamvis Mario inimicum. Scripsit & de vita sua libros historicos, sicuti eodem tempore Scaurus vir clarissimus, cuius tres ad L. Fufidium de vita ipsius acta, libros utiles Cicero in Bruto laudat, & cum Cyri vita atq; disciplina comparat. Fufidium autem in Pandectis inter Iuriscõsultos laudari etiam memini. Quod ad Antipatrum attinet, noster Pomponius ait, eum historias scripsisse, magisq; eloquentiæ quàm scientiæ Iuris operam dedisse. Scriptore tamen ait Cicero fuisse non modò luculentum, sed & iuris valde peritum, & quidem multorum magistrum, ut L. Crassi. quem quidem L. Licinium Crassum, summũ illum Oratorem, nostri Q. Mutij in Consulatu collegam fuisse existimo; & tam ab suo non solùm Iuris, sed & historiarum doctore bene & liberaliter institu-

tum

tum in alterũ illum Crassum divitem, quẽ Plutarchus laudat tanquam ἱστορικώτατον, superaret, lubẽter audio. Denique Antipatrum nostrum, ipsi Fannio (quem etiam historicum laudat Plutarchus in Tib. Graccho) ætate æqualẽ, præferre, & reliquis superioribus historicis scriptorem magis accuratum fuisse Cicero significare videtur libro primo de Legibus. Quinimo Adrianus Imperator eum Salustio præferebat: sed nimia fortasse quadam antiquitatis admiratione. Quid dicam de Q. Aelio Tuberone, quem eadem illa ætas tulit, quemque noster Pomponius, vt excellentem philosophum Stoicum, sic & Iurisconsultum Mucianum hoc est, præstantissimum, fuisse significat. Fuisse autẽ & summum historicum accepimus. Nam & Dionysius, & Livius, & Gellius eum hoc nomine laudant: & quidem Livius libro quarto, Tuberonis diligentiam & iudicium commendat, cùm eum in quadam Veterum dissensione professum quidem esse libros linteos auctores, sed propter aliorum antiquorum scriptorum aliam traditionem hæsisse, tãquam incertum veri, narrat. Huius Tuberonis filium fuisse intelligo illũ L. Aelium, quem Cicero ait, antiquitatis Romanæ, & in inventis rebus, & in actis scriptorumq; veterum literatè peritum fuisse. Quã scientiam Varro acceptam ab illo, pluribus & illustrioribus literis explicaverit. Hunc tamen Aelium magis Stoicum philosophum, quàm aut Iurisconsultum aut Oratorem fuisse narrat Cicero. Sed pronepotem reliquit Tuberonem, cuius in Pandectis sæpè laudatur Iurisprudentia. Ergo & in hac familia est conservata illa, quam nunc alijs commendo, coniunctio studiorum. Age verò: dicat Cicero, maximè esse Oratorium opus, historiam scribere: An iure dicere non potero, non minus hoc esse Iurisconsultorum? Ac illis quidem, quos iam laudavi, Romanis Iurisconsultis historicis nunc lubenter adiungam eum, qui paulo antiquior superiorib. de quibus dixi, fuit, Servium Fabiũ pictorem: quem quidem Cicero in Bruto ait, bene peritũ fuisse, & iuris & literarum & antiquitatis, cuiusq; libri rerum gestarum & iu

ri; Pontificij à Macrobio & Nonio laudantur. Sed Sisennam illis posteriorem hic laudavero, quem ut Cicero lib. 1. de Legib. ait, facilè superiores historiæ Rom. latinos scriptores superasse: sic & Prætorem, eumque Vrbanum, hoc est, Iuris civilis custodem, Romæ fuisse accepi. Nam & in fragmentis orationis Ciceronis pro C. Cornelio, animadverti fieri mentionem edicti de bonorum possessionibus, quod hic Sisenna proposuerat. Prætereo Scipionem illum Africani filium adoptivum, patrem alterius Africani, à quo historiam quãdam Græcam scriptam esse dulcissimè, ait Cicero. Sed imprudens ferè præterieram, quem in hoc ordine primum numerare atque laudare debui, Catonem, qui & prudentum princeps fuit, & quantus fuerit historicus iam ante tempora P. Mucij, testes fuerũt eius libri Originum. An nos non excitabunt talium Iurisconsultorum exempla? Sanè & ipsius P. Mucij ætate Polybius, cùm illis Annalibus, qui licet breves & angusti essent, tamen Maximi appellabantur, quia conficerentur à Pontificibus Max. minimè satis explicari posse res gestas, intelligeret; ille (inquam) Polybius, homo quidem Græcus, sed Romanorum, etiã Imperatorum dux & præceptor, cœpit fusius atq; dilìgẽtius exponere universam historiam. Fuit hoc (credo) pergratum nostro P. Mucio, & cùm ipse in reipublicæ administratione tam esset totus, ut (quod tamen eius & Pontificatus Max. & Iurisprudentiæ principatus postulare videbatur) Annalibus consignãdis operam dare vix posset, non molestè tulit, ab homine quoq; Græco, qui rerum bene peritus erat & doctrina sapientiaque præstabat, hanc curã suscipi. Quid igitur? An disiungi voluit, quæ hactenus fuerant coniuncta? Imò verò Polybius cùm fieret historicus, factus etiam Iurisconsultus est, & quidem talis tantusque, ut & Achæorum vehementer hoc ambientium, omniumque civitatum, quæ sese Achæis coniunxerunt, hoc est, sapientissimarum civitatum, legum lator fuerit, & reipublicæ rectè constituendæ atq; gubernandæ Princeps, quemadmodum scribit Pausanias. Sic enim, qui histo-

riarum bene peritus erat, imprimis idoneus esse visus est, non modò ad res gerendas, hoc est, ad bella administranda, sed & ad Ius dicendũ, & ad civitatem regendam: & verò propterea Scipionis Africani summi Imperatoris pręceptor comesque fuit. Descripsit Romanam historiam eorum temporum, quibus Romani bellis gerendis, potius quàm legibus ferẽdis occupati fuerunt: sed quibus tamen temporibus optima, sapientissima, præstantissima fuit eorum Respublica. Itaq; & ille de rebus civilibus in historia tam prudenter differit, ut (quæ iurisprudentiæ prima summaque pars est) artem (ut Aristotelis verbo utar) κυβερνητικὴν etiam docuisse videatur: sitq; propterea dignus, cuius memorię consecrarentur illa, quę olim apud Athenienses fuisse Plutarchus in Theseo narrat, festa κυβερνήσια. Vt autem hanc prudentiam colligeret, pervagatus erat & maria & terras: sicuti honoris causa inscriptum eius statuæ fuisse ait Pausanias: atque ut alter Vlysses, multorum mores spectavit & urbes: qualem sive ἱστορίαν sive πολυπραγμοσύνην Aristoteles in legum latore requirit. Sed quem ille rerum usum tot & laboribus & periculis quæsitum, cum doctrina liberali coniunxit, suis monumentis nunc fruendum nobis etiam in umbra sedentibus offert, an eo nõ uteremur? Ipse M. Brutus (at qualis, quantusq; vir) medio in ardore & strepitu belli, in ipsis Pompeij castris, & propè in procinctu atq; acie, paulò antequam commissa est pugna Pharsalica, contrahebat conficiebatq; Epitomen historiæ Polybianæ, quam legendo propè triverat. Neq; verò hìc mihi aliquis rideat historicum, & propè togatum militem, quẽ vix ipsa tuba potest abs libris abstrahere. Non enim temerè tunc in ijs hęrebat Brutus: neque tanquã securus aliquis Archimedes erudito pulvere implicatus obsurduerat ad hostium fremitum: sed libros audiebat rem militarem melius docentes, quàm ulla fecisset in ipsa acie concio ullius Imperatoris. Quidni enim & hãc ego disciplinã historię acceptam feram? Certè qualiscunq; tandẽ sit ars militaris: eam ex stratagematũ historia collectã esse constat. Sed

ne ineptus videar, vererer, & Hannibalis de Phormione iudicium vetus reformidarē, si pluribus eam rem verbis persequar. Illud modò dicam: non temerè Bruto placuisse exemplum illius Luculli: quem quidem scribit Cicero, cùm ad Mithridaticum bellum missus esset à Senatu, sic iter & navigationem confecisse, partim in percunctando à peritis, partim in rebus gestis legēdis, ut in Asiam venerit factus Imperator, qui Roma profectus erat rei militaris rudis: tantusq; Imperator in omni belli genere fuerit, ut Mithridates ille Rex post Alexandrum maximus, hunc à se maiorem ducem cognitum, quàm quenquam eorum, quos legisset, fateretur: in eodemq; tanta fuerit prudentia in constituendis temperandisq; civitatibus, tantaque æquitas, ut hodie (inquit idem Cicero) stet Asia Luculli institutis servandis, & quasi vestigijs persequendis. Ergo & hunc iuvat admirari nobilem historiæ alumnum, qui ex ea tantam rei civilis miltarisq; peritiam hausit, quantam percipi posse dico. Neque verò ingratus fuit, qui cùm historias legisset diligenter, & quantū Reip. prodesse possent, expertus esset, sedulò ad eas scribendas se contulit, & ut alijs quoq; populis hunc thesaurum communicaret, Græcè scripsit, atque ita scripsit, ut nō viderentur ab homine Romano scriptę. Sed & in eo etiamnum adolescente tantùm in hoc genere studiorum fuit fiduciæ, ut ipsum Hortensium & Sisennam provocare ausus sit sponsione, Ni historiam belli Marsici, sive Græca, sive Latina, sive soluta, sive versibus astricta oratione, rectius conscriberet. Ergo & ipse Sulla talem iuvenem tanti fecit, ut rerum ab se gestarum commentarios abs se conscriptos ad illum tanquam iudicem, censorem, atque emendatorem miserit: & in Sullano comitatu hęrentē Cyrenenses, quorum erat perturbata Resp. mirabili animorum inductione appellaverint, talemque sibi dari legislatorem vehementissimè flagitarint. Neq; eos vel opinio vel spes & expectatio fefellit. Nam cumulatè ille præstitit, quod ne ipse quidem Plato, Cyrenensibus rogantibus, suscipere ausus fuerat. Et dubitamus adhuc,

quan

quanta earum, de quibus nunc loquor, literarũ vis & poteſtas ſit? Cicero pro Cor. Balbo narrat, Pompeio in Hiſpaniam ad grave periculoſúmq; bellũ proficiſcenti, lege lata datã eſſe poteſtatem, eos civitate donandi, qui ſe pro Reip. Ro. defenſione ſtrenuos præſtitiſſent. Quid tunc Pompeius? Idẽ Cicero pro Archia, Noſter (inquit) magnus, qui cum virtute fortunam adæquavit, nonne Theophanem Mitilenæum ſcriptorem rerum ſuarum in concione militum civitate donavit? Sed & divinos huic Theophani mortuo à Græcis honores habitos eſſe ſcribit Corn. Tacitus. Neque dubium eſt, tam hoc Pompeio gratũ fuiſſe, quàm Scipionis Africani manibus gratum fuit, Ennij ſui hiſtorici ſtatuam marmoream ſuo ſepulchro impoſitam eſſe: ut quem vivens chariſſimum habuerat, mortuus etiam ſocium & comitem haberet. Verùm hiſtoriæ magnum decus laudavero, ſi tres principes adiunxero, Sullam, Cæſarem, Auguſtum, quos illa tantopere celebravit, non eorum minus erga ſe, quàm ſuis erga illos beneficijs meritisq; devincta: illos dico tres maximos in maxima Rep. (ſi qui unquã magni fuerunt) viros, & admirabili rerum ſive gerendarum ſcientia, ſive geſtarum gloria nobiliſſimos: ac quidem in toga non minùs quàm in ſago: domi (inquam) & foris: quò magis in utroque genere magiſtram eorum agnoſcamus, quam & illi viciſſim exornarunt, cùm quidem præclarè & facerent ſcribenda, & ſcriberent facienda. Corn. Sullam commentarios rerum abs ſe geſtarum conſcripſiſſe libris xxij. & quidem duobus ante mortem diebus eos abſolviſſe, Plutarchus, qui eos legit, & ſæpe laudat, teſtis eſt. Itaque videri poſſet Sulla ultrò ſe abdicaſſe dictatura, ut in privato ocio illis dictandis atque componendis operam daret: ſicuti & cùm abdicaret, in foro palàm profeſſus eſt, ſeſe ſuorum actorũ rationem redditurum eſſe: cumque meminerimus, quo morbo laborarit & extinctus ſit hic ſexagenarius ſenex: cogitamus valde huic ſtudio deditũ fuiſſe, cui neque horribilis morbi vexatio, neque mortis inſtantis terror potuit opus inchoatum eripere. Adeò ille &

Imperio & vita historiam hanc habuit chariorem. Neque verò dubito, quin & in eam suas leges Cornelias imprimis retulerit: ut & in eorum librorum interitu magnam Iurisprudentiæ iacturam fuisse non nesciamus. Nihil iam de Crispo Salustio dicam (quanquam meritò dictus sit Crispus Romana primus in historia) qui gloriatur se cōposuisse res P. R. militiæ & domi gestas, M. Lepido, Q. Catulo Coss. & deinde; hoc est, à morte Sullæ. Sed non dubito excellentem & cū Sullana aptè coniunctam historiam fuisse: quam principes in Rep. viri sæpe legerent: ut Cato nescio quos commentarios actorum à temporibus Sullæ usq; ad suum magistratum, quinq; talentis emisse, & semper in manibus gestasse dicitur.

Venio ad Iulium Cæsarem, qui iocabatur, Sullam nesciisse literas. Extant eius cōmentarij, qui quantopere historiam eorum temporum ornent, non est obscurum: neminemque esse existimo, qui Ciceronis de ijs rectum iudicium, quàm Asinij Pollionis invidiosam animadversionem pluris non faciat. Credo equidem eius generis fuisse libellos illos, quos in Alexandrina seditione Cæsar præcipitatus in mare, & per ducentos passus nare coactus, ne madefierent, elata manu tenebat, ore trahens paludamentū. Adeò nihil habebat ijs monumentis antiquius. Nescio quæ barbara postea tempestas & iniuria temporis eos tanquam demersos & fluctibus novis obrutos nobis eripuerit. Sed vellem, tantùm illi adversaria factio concessisset vitæ & temporis: vel ille, exemplo Sullæ abdicasset: ut in ocio potuisset integram omnium suorum actorū historiam contexere. Quantum & illa lumen nobilissimarum legum rerumque civilium fuisset?

Tertius cuius tempora nō minus illustre argumentum historicis suppeditarunt, fuit Augustus. Is itaq; de vita sua libros multos scripsit, quos & Iurisc ōsulti nostri lubenter ac dilīgēter legerunt. Nam in Pandectis etiamnum extat Vlpiani locus, ubi tam laudatur decimus liber Augusti de sua vita, ut etiā legis loco sit quod in eo Augustus scripsit, se observasse, ut corpora eorū, qui

L. 1. De cad. pun.

qui

qui capite damnantur, cognatis ipsorum non negaret. Citat & cõmentarios Augusti Plutarchus in Bruto: & Appianus in Illyrico lubenter confitetur sese eos legisse, quibus ille res abs se gestas, gentésque devictas exposuerat. Denique & eius commentarios ad Agrippam & ad Mecœnatem laudat Plutarch⁹ ubi Ciceronem cum Demosthene cõparat. Cingebat Augustum doctissimorum hominum quidam veluti chorus, minimè aut mutus aut segnis. Erat & illi familiaris ipse Livius. Sed maximus Imperator, quid sui etiam muneris esset, sciebat: & quibus literis suam Reipublicæ regendæ facultatem acceptam ferebat, eas ipse literas suá quoq; manu privatoq; studio magis atque magis colere atq; propagare voluit: ijs q; non minoré, quàm armis aut legibus, operam propterea dedit, quò magis nos tali exemplo incitaret. Neq; modò suorum temporum, sed & superiorum historiam scripsit. Itaque & Plutarch⁹, ubi de Marcello & Annibale agit, laudat historias, non modò Livij, sed & Augusti: & ijs potiùs, quàm ipsi etiam Polybio, fidem habere se profitetur. Et quem tandem non variè afficiat illa historia civilis, quam admiror imprimis, & abs maximis viris auctoribusq; nobilissimis explicatam esse gaudeo, illam dico quæ à temporibus Sullæ usque ad Augustum versat Reipublicæ Romanæ orbem. Quàm enim varias rerum conversiones, subtiliumque consiliorum miras insidias, tanquam cuniculos, & ijs oppositas multiplices cautiones ostendit, ut concurrentibus ac veluti commissis ingenijs summis atque accerrimis domi forisque videamus congredi virtutem, prudentiam, doctrinam, eloquentiam, illustri & excelso positam in loco? Nominavi principes aliquot in ea maxima Rep. viros, qui & agendo & scribendo illustrarunt historiam atque Iurisprudentiam. Nescio, verecundior Augusto fuerit, an ambitiosior Adrianus, qui de sua vita libros abs se scriptos libertis literatis dedit, ut ipsi eos suis nominibus publicarent, quemadmodum scribit Spartianus. Sed hunc rursus maximum & præstantissimum Imperatorem tam de Iurisprudentia præclarè

meritum, gaudeo historicum etiam scriptorem fuisse, qui & sapiētissimus & literatissimus fuit. Neque verò nunc aliquis mihi obijciat Imp. Claudium, qui licet in legendis scribendisque historijs multū operæ temporisque posuerit, tamen vecors fuerit & propè fatuus. Neque enim naturam planè mutare potuit: neque erat eius ingenium, in quod tanta sapientia, quantam historiæ suppeditant, cadere posset. Verùm quantumvis tardus & hebes fuerit, sic earum tamen lectio, hominis stuporem castigasse videtur, ut & viderit multa, & sapienter multa dixerit. Cæterùm hic mihi in mentem venit, Iuba Rex qui & illi fuit familiaris, & ad eū scripsit quædam historica, ille (inquam) utriusq; Mauritaniæ Rex Iuba, sed studijs (ut ait Plinius) memorabilior quàm regno, nobilissimus (iterum dico) Rex ille, quem Plutarchus scribit fuisse omniū, qui unquam fuerunt Regij sanguinis, historicorum præstantissimum: quemque non modò de Africana, sed & Romana historia bene meritum esse tam agnovit ipse Claudius, ut Cæsaream, eius regiâm, in Tingitania, Coloniæ iure donâverit.

Plin. lib. 5. cap. 1.
Plutarch. in Sertorio:
Plin. lib. 5. cap. 2.

Brevius fecero, si dixero, me meliori iure affirmare posse de historia, quod aliquando dixit Cicero de Agricultura. Ait, nihil sibi regalius videri, quàm studiū agri colendi. Ego verò dixerim, studium historiarum multò esse regalius: neque Regibus modò, sed & omnibus, qui aliquam alicuius reip. partē gubernandam susceperunt, imprimis dignum esse. Fortasse diutius, quàm sit necesse, in hac commemoratione hæreo, vereorque ne historiam, quam nondum ingressus sum, intempestivè delibare videar: sed difficilè est, ab ea, si vel leviter attigeris, abstrahi. Intereà utcunque feci, quod volebam, ut indicarem, quos Ro. Resp. clarissimos gubernatores habuit, eos olim ex historiæ schola, tanquam ex equo Troiano prodijsse: & quos Iurisprudentia imprimis laudat auctores, eosdem laudari posse historiarum magistros. Neque tamen, quod fortasse magis facere debebam, adhuc nostros illos Iurisconsultos, ex quorum responsis Pandectæ congestæ

sunt

ſunt, in hoc genere laudavi. Sed quantum illi & debuerint & tribuerint huic ſtudio, quantumque ab eo ad ius dicendum regendamque Rempubl. retulerint, breviter dicere vix poſſem. Illud tamen ſaltem unum dicam: Optimum & ſapientiſſimum eorum Imperatorem Alexandrum Severum, qui Iuriſprudentiæ maieſtatem comiter conſervavit, quoties de Republ. deliberaret, ſive res eſſet militaris, ſive civilis, nullos magis quàm literatos, hoc eſt, veterum literarum conſultos advocaſſe, conſuluiſſe, audiſſe. Ac Lampridius quidem ait, hunc ſi de re militari ageretur, maximè eos, qui hiſtoriam norant, adhibuiſſe. Sed quis dubitat, quin multò id magis faceret, cùm de re civili quæreretur? Cumque dicatur, nullam legem tuliſſe ſine xx. Iuriſperitis, & alijs xxx. viris doctiſſimis atque diſertiſſimis: quis non dixerit, in eodem ordine primos fuiſſe hiſtoriarum peritos? Neque tamen diſſimulo, quoſdam, qui illi aderant, Iuriſconſultos, aliquando earum non peritiſſimos fuiſſe videri. Saltem illa Pomponiana hiſtoriæ Romanæ epitome, quæ Pandectis præfixa eſt, niſi ſi Triboniani aut librariorum culpa ſit, aliquid ἀνιστορησίας, ſi ingenuè cõfiteri, quod res eſt, licet. Atque hîc quidem mihi in mentem venit Dio: illum dico Dionem, qui eo tempore cùm ſediſſet inter noſtros Iuriſconſultos, neque ijs in Reipublicæ adminiſtratione ceſſiſſet, tandem ſeceſſit, ut hiſtoriam Romanam ab urbe condita uſque ad ſuam ætatem, quæ annorum propè noningentorum hiſtoria nobiliſſima eſt, diligentius conſcriberet. Quod quidem diligentiſſimè eum perfeciſſe non invitus confiteor, tametſi eum videam noſtris Iuriſconſultis malignè invidiſſe. Sed quos in iure civili conſequi non poterat: in hiſtoria ſuperare conatus eſt: credoque Iuriſconſultos tam fuiſſe ingenuos, ut hanc ei laudem lubenter tribuerint. Sanè Capito Iuriſconſultus hortatus aliquando eſt Plinium, ut hiſtoriam ſcriberet. Sed ipſe dignus erat, cui Plinius reſponderet, quod Tacito tale quippiam poſtulanti reſponderat. Nam neque eam minus præclarè, quàm

Tacitus, noster Capito fortasse scribere potuisset, quē quidem totius antiquitatis peritissimum fuisse Plinius, alijs alioqui Iurisconsultis aliquando iniquus etiam fatetur. Suspicor, quæ occupationes Capitonē tali scriptioni operam dare passæ non sunt, ijsdem occupationibus alios eiusdem ordinis Iurisprudentes fuisse ab ea distractos. Sed si iam ad nostra tempora, quæ maximis & doctissimis hominibus, hoc est, Iurisconsultis ἱστορικωτάτοις, & historicis Iurisconsultissimis abundant, descendere vellem, facilè equidem cum multorum laude perficerem, ut auditores nostri magnis eorum exemplis excitati, maiori studio maximaque contentione animorum persequerentur illam necessariam studiorum coniunctionem, quam tantopere commendo. Cæterùm in eam commemorationem nostrorum veluti ducum & magistrorum nunc ingredi non ausim, ne, si de singulis dixero, infinita sit oratio: si non de omnibus, ingrata. Si avorum nostrorum ætatem & superiorum aliquot seculorum memoriam replicemus, fateor non occurrere tam in hoc genere præclara nostri ordinis lumina. Sed ne illa quidem ætas planè sibi defuit. Nam & quo tempore equites Galli & Belgæ habuerunt suum Philippum Cominæum, quem iactabant & gloriabantur cum veteribus historicis esse comparandum: Iurisconsulti & in Hispania habuerunt quendam Aelium Antonium maximi sui Regis Ferdinandi historicum scriptorem literatum, & in Italia (ut de Donato Bossio Mediolanensi nunc non loquar) suum Pandulfum Collenutium, quem & Germania Latinè orantem admirata est legatū ducis Ferrariensis ad Imperatorem Maximilianum, & ipse Politianus tanti fecit, ut supra modum laudaret. Alius fortasse & Aelij illius Antonij de rebus Hispanicis Latinè scriptas, & Collenutij Italicas regni Neapolitani historias non cedere Francicis Cominæi monumentis contenderet. Ego sinceræ bonæque fidei laude Cominæum alios literarum gloria excelluisse agnosco. Vtinam verò maiorem in ijs Iurisprudentiam laudare etiam possem

ſem. Cùm Collenucius deſcribit deliberationem de Corradini ſupplicio, aſpergit quippiam ex libris legum. Sed res merebatur dijudicationem illuſtriorẽ: ſicuti & illa, quam delibat, quæſtio de iure Alphonſi in regno Siculo vel Neapolitano. Verùm hi nõ erant fortaſſe tam Iuriſperiti hiſtorici, quàm dicebantur. Noſtra ętas meritò admirata eſt, & hiſtorię cauſa, Paulum Iovium, & Iuriſprudentiæ, Andream Alciatum: & tam arctam eorum amicitiam atque coniunctionem, ut illius pagina prima huius nomen præ ſe ferat, lubenter vidit: hocque exemplo ſtudium utrunque magis atque magis coaleſcere in uno poſſe putat. Sed maiora decora ſunt, quæ nunc prædicare vellem. Cicero libro III. de Legibus ſcribit, poſt Phaleræum illum Demetrium, qui mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum ocioque, non modò in faciem atque in pulverem, ſed in ipſum diſcrimen aciemque produxit, vix quenquam (tametſi ſe verecundè excipiat) deinde inveniri potuiſſe, qui utraque re excelleret, ut & doctrinæ ſtudijs & regenda civitate princeps eſſet. Verùm ne noſtra quidem ætas tam effœta eſt, quin plures etiam Demetrios proferre nunc poſſit, ſi & ad res gerendas producãtur, & ſuas ipſi literas proferant, qui in utroq; genere excellere poſſunt. Quales fuerint Demetrij actiones, hiſtoria exponet. Quales eiuſdẽ ſcriptiones in hiſtoria fuerint ex reliquijs, quas alij ſcriptores citant, & ipſe Plutarchus in ſuis Vitis laudat, æſtimare utcunque poſſumus. Sed quis de multis, qui hoc ſeculo florent, viris magnis, maiora non ſperet? Vt verò talium virorum ſemen non intereat, vellem, & valde profectò vellem, talem aliquando aperiri ludum civilium ſtudiorum, ex quo Prudentes eruditi non ad privatam modò iuriſdictionem, ſed & ad maiorem tuendæ Reipubl. facultatem & Imperiorum rectionem prodeant. Quandiu quidem certè in ſcholis noſtris tantùm texentur & retexentur ſubtiles quędam & exiles, & propè inanes theoriæ, tanquam tenues telæ cuiuſdam ocioſi iuris in ſuis apicibus & umbra pendentis: nihil agimus. Equidem multos iam annos conſumpſi in iure docen-

do, neque eius adhuc me laboris pœnitet: & lubenter prædico aliorum in eo genere bene positos labores: sed maius quippiam desidero: & ubi consistendum non est, multos qui altius ire possent, ibi hærere implicatos tanquam in luto vehementer doleo. Saltem nunquam putabo temerè factum esse ab Aristotele, quòd reprehenderit eos iuris doctores, qui ius privatum περὶ τῶν συναλλαγμάτων tantùm docent: publicum, de bello, de pace, de fœderibus, de vectigalibus non attingunt. Id verò si exponendum etiam est, ut est omnino: nónne in primis accersenda est historia? Non est satis posse nos λεπτολογεῖν vel de pactis nudis, vel de iure sui, vel de talibus mysterijs, quorũ vix ullus nunc usus est. Longè sunt aliæ in Republica nostræ quæstiones, de quibus dicenda est sententia: neque dici rectè potest, præterquam ex formula antiquitatis. Atque hìc mihi de studiorum civilium conditione cogitanti, quippiam historia ipsa suggerit, quod non dissimulabo. Plutarchus in Agesil. narrat, Xenophontem ab Agesilao accersitum esse, ut pueros Spartanos doceret artem parendi atque imperandi, qua nulla sit præstantior. Equidem eius artis idoneum doctorem fuisse Xenophontem existimo, non modò quòd philosophus, sed multò magis quòd historicus esset. Si dicam tales nunc doctores scholis civilibus præficiendos esse, qui ex historia & Iurisprudentia repetant & doceant talem artem: credo, statim veniet in mentem vetus illud:

Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem.

Idem Plutarchus in Themist. narrat Solonem illum & doctissimum & sapientissimum legislatorem, fuisse cuiusdam civilis sapientiæ professorem, quæ auditoribus ingeneraret iudicium, ad Reipublicæ gubernationem, non minus quàm si longus rerum usus accessisset, bene comparatum: eiusque scientiæ, cuius schola diu conservata fuerit Athenis, primum doctorem fuisse quendam Mnesiphilum Phrearium Themistoclis præceptorem, virum in ea doctrina præstantem,

tem, licet neque oratoriæ eloquentiæ, neque Philosophiæ naturalis studio deditus esset. Sed alios, qui successerunt, corrupisse hanc disciplinam, & nescio quam artem litigandi illius loco docuisse: proptereaque discipulos pro sophis factos esse sophistas. Non lubet nunc eodem exemplo queri de corruptione nostrarum civilium scholarum. Sed quis non videt primam mali labem? Et quis non desideret eas scholas non modò ad acutam aliquam elegantiam erudiri, sed multò magis ad maiorem sapientiæ rectique iudicij gloriam attolli? Equidem si quid possem vel dicendo persuadere, vel rogando impetrare, peterem, postularem, flagitarem, ut ij, quibus mandatũ est, videant, ne quid Respublica detrimentu capiat, aliquando tandem iuventutem ex spinetis inutilium disputationum, ex eoque umbratili & ocioso ingeniorum ludo, vel potius dira carnificina, ereptam traducerent ad studia meliora. Satis iam superque illæ cruces exercuerunt vexaruntque ingenia præclara. Satis & temporis & operæ positum & propè perditum est in contortis (ne quid acerbius dicam) ænigmatibus evolvendis. Cur his, propè dixi nugis, etiam postponimus seria, quæ laudo, studia & literas optimas, maximas? Tacitus eodem, quo Plutarchus, tempore, loquens de corrupta togatæ iuventutis institutione, conqueritur, nec in auctoribus (ut ait) cognoscendis, nec in evolvenda Antiquitate, nec in notitia vel rerum, vel hominum, vel temporũ satis operæ insumi: sed expectari nescio quos Rhetores, &c. Conqueritur etiam, eloquentiam circumcisam sine apparatu, sine honore, & propè sine ingenuitate, quasi unam ex sordidissimis artificijs addisci, cùm & diserti eorum temporum ignorent leges, non teneant senatusconsulta, ius civitatis ultrò derideant, sapientię studium & pręcepta Prudentum penitùs reformident. Equidem conqueri multò magis possem de ineptis & inanibus studijs iuris circumcisi, quod sordidè docetur. Sed nunc non iuvat indulgere querelis. Cæterùm cùm cogito, quæ nam illa fuerit Mnesiphilina disciplina,

quam ab Plutarcho laudatam esse dixi, aliam cogitare non possum, quàm historicam: neque illius restituendæ aliam possum inire rationem, quam historiæ & iurisprudentiæ coniunctionem. Viderint Academici, quo iure sese olim appellarint philosophos politicos: viderint Peripatetici, qui suam disciplinam referri ad Rerumpublicarum rectionem gloriabantur. Ego hanc demum laudem tribuero illis literis, quas commendo: sicuti & historicos libros rectè appellari libros Principum, lubenter agnosco, & quod principibus præscribitur, omnibus Rerumpublicarum gubernatoribus præscribi sentio. Scribant alij quòd volent, de Principum educatione, institutione, & (ut verbo Ciceronis utar) cathechesi. Teneo illud Opt. Max. Imp. Theodosij ad Honorium suum filium, quod Claudianus eleganter expressit, præceptum:

Interea Musis, animus dum mollior, instes,
Et quæ mox imitere legas, nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve Duces, &c.

Si huic mandato patris paruisset Honorius, tam & se & paternum suumque servasset imperium, quàm, quia illius immemor fuit, utrunque miserè perdidit. Sed quàm magno suo malo oblitus paterni præcepti est, tam illius admonitionis sapientes deinde & boni quidam principes usum explicarũt magna cum sua laude & Reip. salute. Ac ne longius abs Theodosij patria familiaque recedam, liceat hìc mihi duos ex Hispania Alphonsos repetere, quos etiam cum Traiano & Theodosio comparare liceat. Liceat nunc meo animo paululùm indulgere, & præteritis alijs, quos literæ Græcę Latinęque prædicant satis illorum memoriam colere, quibus cur assentari velim, nulla suspicio est; & quibus tamen tantùm debent literæ, quas illi propè sepultas, ut potuerunt, excitarunt, ut si in eorum laudibus nunc mutæ sint, nimium futurę sint ingratæ: denique qui quo tempore de literis & disciplinis actum esse videbatur, triumphantem barbariem

riem perculerunt, & signo altè sublato illas bene sperare iusserunt: ut etiam ad id, quod nunc agimus, exemplum nobilius proferri vix possit, quod nostri imitari debeant.

An non est admirabilis prior ille Alphonsus, qui ante annos trecentos, leges suæ Hispaniæ dedit, historiam collegit, mathemata illustravit? Divinum profectò fit eius beneficiũ, cùm in media illorum temporum caligine, tot & sumptibus & laboribus tabulas astronomicas confecit, & motuum cœlestium canones restituit. Sed an minori laude digna fuit eius voluntas, cùm prætera iussit historiam conscribi, quam etiamnum vocant Generalem? Audiebat patrem suum Ferdinandum mandasse Roderico Antistiti Toletano, ut rerum in Hispania gestarum, quarum memoriam non tam Gothica, quàm Arabica vastatio deleverat, historiam ad sua usque tempora colligeret. Sed patrem in hoc genere superare filius generosus (quod in ea non modò tempestate, sed & gente mirari satis non possum) conatus est. Audio eum quadringenta aureorum millia impendisse ad mathematum restitutionem & remunerandos Mauros atque Saracenos, quos ex Corduba & Africa eo nomine evocaverat, cùm iam soli superessent, qui tales docere, & in integrum restituere disciplinas possent. Sic enim & ipsum Alexandrum superare voluit, qui Aristoteli historiam animalium describenti tam liberaliter sumptus suppeditavit. Sed maioris etiam, credo, redemisset, si nancisci quam & qualem optabat, generalem historiam potuisset: neque dubito, si Livius in Italia tũc superstes fuisset, ut ad eũ audiendum olim ab extremis Gadibus quidam accurrisse dicuntur, protinus in Italiam advolasset Alphonsus, ut quovis precio talem historici operis architectum, & redemptorem conduceret. Sin in hoc genere non præstitit, quod nunc aliquis desideraret: per illum certè non stetit. Interea ut magis atque magis profiteretur sese historiarum legumque literis acceptam ferre suam bene regnandi facultatem, librum suis insignibus

Regijs,ſuoque ſceptro & Labaro iuſſit appingi. Neque tam aut ingrata aut ſtupida, quæ tamen parum literata tunc erat, Europa fuit,quin attonita eruperit in illam veluti exclamationem,quam olim S. P. Q. R. extulit cùm de Imp.Tacito agebatur, QVIS MELIVS QVAM LITERATVS IMPERAT? Hic Imper.,Tacitus ut & litteratam artem bene imperandi, ex hiſtorijs repetendam eſſe profiteretur, eamque conſervaret, edixerat, ſui Cornelij Taciti Annales quotannis decies publicè exſcribi debere, & in omnibus Bibliothecis adſervari atque adeò in Civicis archijs, ut ait Flavius Vopiſcus. An minorem ſuorum huius generis ſtudiorum ſignificationem dabat Alphonſus? Ergo & Germania ad Imperium,R.P.C.cauſa,illum ultrò accerſivit. Sed Alphonſus Imperio tali propter literas dignus, ut erat,videri maluit, quàm illo gerendo tuendoque occupatus diſtrahi abs literarum,quarum iam curam ſuſceperat,procuratione. Cæterùm ducentis poſt annis,alter, qui ſeptimo inter eius nepotes gradu numeratur, Alphóſus, Italiæ imperare non recuſavit: atque ita imperavit, ut & literas ſe ſcire oſtenderet,& Italia dictatorem alium nollet. Non diſputo de adoptionis iure vel iniuria, cuius nomine conſecutus ſit regnum Neapolitanum poſt longam & difficilem contentionem: ſed ut eius pater,Iuſti,ſic ipſe Docti Regis cognomen meruit, & quibus literis armatus patrimonium auxit, iiſdem literis gratiam liberaliter retulit.Nam & audiebat(ne antiquiora revolvamus) Carolum V.Franciæ Regem meruiſſe cognomen Sapientis, &, licet ab hoſtibus undique peteretur,benè & beatè regnaſſe togatum ſemper,armatum nunquam ;libriſque bonorum conſiliorum auctoribus magis quàm militibus circumfuſum. Imò verò audiebat ipſum, cui centum poſt annos velùti ſuccedebat,Robertum Regem Neapolitanum, belli paciſque artibus multiſque virtutibus, non minus quàm Francica vel Andegavenſi familia nobilem,nihil habuiſſe antiquius ſtudijs literarum; tantique ea feciſſe, ut literas, quarum præſidio facultatem bene

regnandi acceptam ferebat, regni possessione cariores sibi esse prædicaret, & propterea Franciscum Petrarcham arctissimè complecteretur. Ergo cùm avitæ virtutis gloriam beneque regnandi artem literatam etiam amplificasset Alphonsus, suis rursus clypeis atque signis librum appinxit: ut & gloriari solebat nullos se habere meliores, quàm mortuos, consiliarios, (quo verbo libros significabat) & ex hostium, quos vinceret, vel civitatum, quas expugnaret (fuit enim nobilissimis victorijs clarissimus) spolijs nullam prædam tanti fecit, quanti antiquum aliquod fortè in ijs inventum volumen. Hæc enim illa erant spolia. Neque verò talibus armis inter arma unquam caruit. Narrat Plutarchus, Alexandrum, cùm in Asiam tam longè progressus esset, ut iam libros invenire nullos posset, mandasse Harpalo, sibi ex Græcia aliquos mitti. Missas autem fuisse inprimis historias Philisti, illius (credo) quem Cicero tantopere laudat. Hunc ergo habuit Alexander suarum expeditionum comitem, non contentus Homeri Iliade, quam alioqui cum suo pugione coniunctam ne dormiens quidem dimittebat. Non dissimili exemplo Alphonsus historiam Livianam semper habebat comitem: cuius quidem tanti fecit auctorem, ut cùm audiret Patavij inventam esse urnam cinerum atque ossium Livianorum, statim legatos eò miserit, qui vel prece, vel precio tales reliquias redimerent. Cùm Patavini exuvias optimi sui civis abalienare nollent, saltem impetravit unum aliquod os brachij, quod magni muneris loco illi donarunt tanquam studiorum fautori, ut lapidea tabula etiamnum testatur. Quid non ille fecisset, ut integrum corpus Livianæ historiæ redimeret? Laurentium Vallam, qui apud talem Regem vivere & exulare, quàm Romæ in patria esse maluit, mirificè est complexus: cumque eum non modò Aragonicæ historiæ memoriam illustrare suis monumentis intelligeret, sed de Persarum & Græcorum historia differentem quotidie audiret, nô quievit, donec ad eum converteretur in linguam Latinam He-

rodotum etiam impelleret: cumque in eo labore immortuus doctissimus senex opus minimè perpolitũ reliquisset, tamen Alphonsus Italiam diutius hac memoria carere noluit, & qualiscunque ea esset, tam lubenter hanc legi publicè optavit, quàm ab ipso primùm Herodoto in frequentissimo Græciæ conventu Olympico, talem historiam cum omnium admiratione & applausu incredibili recitatam olim fuisse audiebat. Ergo & Thucydidem, quem puerum Herodoti recitatio mirificè commoverat, ab eodem Laurentio Latinum fieri curavit: & eam translationem, cùm melior non daretur, tanti fecit, ut in ea edenda non recusaret imitari Demosthenem, quem octies suis digitis scripsisse Thucydidis libros, accepimus. Denique cùm Aeneas Sylvius ex Germania misisset Arrianum de Alexandri rebus gestis, non tam Latinum factum, quàm ad Sigismundi Imper. captum vix Latinè balbutientem, Alphonsus ne eum quidem neglexit. Adeò nihil eorum prætermittebat, quibus hæc studia historiarum adiuvari eo seculo posse putaret. Denique cùm æger aliquando decumberet, & legendo Curtium, qui eam Latinè scripsit historiam, quam Græcè Arrianus, ita se oblectasset, ut animi & corporis languentis vires collapsas etiam recreasset, exclamavit, non esse in Hippocrate vel Galeno saniorem medicinam, suavioremque curationem. Pluribus fortasse verbis, quàm erat necesse, dixi de Alphonso. Sed cùm eius recordatio plusculum me delectavit, tum verò exemplum, quod occurrebat, dignissimum esse putavi, quod nostris hodie commendarem, Principemque illum, quem ante annos centum Italia colebat viventem, & doctorum hominum chorus Mecænatem unicum habebat, iudicavi satis laudari non posse, cùm quidem & historiam iacentem excitarit, & eum historia non modò morbo laborantem liberaverit, sed & mortuum immortali memoriæ consecraverit. Mirificè verò accidit, ut quo is tempore moriens literas veluti orbas relinqueret, Matthias Corvinus adolescẽs ex carcere ad Regnum

Pan-

Pannoniæ sic evocatus propter eam virtutis indolem propter quam Alphonsum Italia Regem dixerat: hicque Matthias, ut Alphonsi neptem uxorem duxerit, sic & librorum historiarumque curam tanquam hæres Alphonsi susceperit: qualemque ex ea fructũ perciperet, bene & sapienter imperando palàm ostenderit. denique ut non modò Italia, sed & altera illa pars orbis superstites ex Byzãtino excidio & veluti profugos tristique naufragio eiectos libros bonos exciperet atque adservaret, Budensem aperuit bibliothecã, in qua non minus, quàm in castris lubẽter versabatur: in eaque recondidit illos librorum thesauros, qui mox editi Europam recrearunt. Vix audeo recitare quàm superbum huius Regis sepulchro carmen mœsta attonitaque Italia inscripserit:

Corvini brevis hæc urna est: quem magna fatentur
Facta fuisse Deum: facta fuisse hominem.

Sed quantus quantus Rex fuerit: literarum historiarumque præsidio magnitudinem suam acceptam ferre solebat. Cuius quidem Principis laude eò delector magis, quòd legum civilium memoriam veram & castam cum historiarum studio coniungi etiam voluerit, evocatis propterea cum uxore, Alphonsi nepte, clarissimis, qui in Neapolitanó gymnasio essent, iuris interpretibus: & eo tamen iudicio præditus fuerit, ut cùm degenerem & adulterinam ab ijs allatam esse Iurisprudentiam intelligeret, hanc cum illis relegaverit atque exterminaverit. Et si in nostræ quoque ætatis Regibus & Principibus nonnullis non dissimilia exempla laudare possim: tamen quia non modò ab assentatione, sed & ab omni suspicione assentationis abhorreo: illa nunc non prædicabo: & abs principibus, quos tamen hisce studijs deditos imprimis esse velim, ad privatos me convertam, quos & historiæ, si ita loqui licet, divinitatem magis atq; magis agnoscere cupio. Neq; tamen cùm id ago ab exemplo, quod in hanc me commemorationem induxit, erit alienũ quod nunc dicã. Nam quod Alphonsus Rex æger & decumbens aliquando sensit,

me admonet, ut denique profiteatur eam in historiæ cognitione inesse vim consolationis, ut quisque sentire possit in gravissimis animi morbis præsentem esse medicinam: quò magis & si nobis vivendum sit privatis, & relictis civitatibus incolenda aliqua solitudo (quod fortasse in hac rerum temporumque perturbatione, & depravatissimis ingratorum hominum iudicijs, nunc optare magis debemus) talem semper habere velimus comitem. Et verò, aut nescio quænam, & ubi sit animi mærentis ingenua veraque oblectatio, recreatio, consolatio: aut hæc certè est: quæ & hoc efficit, ut nihil novum nobis, quod quidem nos valde tanquam attonitos percellat, nihilq; insolens occurrat: atque etiam præstet, ut sentiamus verum esse vetus illud:

Nil admirari propè res est una Beatum,
Quæ possit facere, &c.

Neque non multos, qui, quod dico, confirmabunt, & quod experti quoque sunt, adseverabunt, bonos testes ciere facilè possem, sic hic rursus commemorare velim, quod ipsa nobis Historia commemorat. Sed si hoc faciam, rursus video longiorem hanc orationem fore. Itaque unum ex multis Ciceronem accersam, quem in hisce commentarijs sæpius appellavi, & cui nemo non fidem lubenter habuerit. Is cum tristissimis temporibus lugeret casum & ruinam Reipu. gravique mœrore conficeretur, & Atticum atque Brutum ad se venientes consolationis causa, salutasset: Vos verò (inquit) Attice, & præsentem me cura levatis, & absenti magna solatia dedistis. Nam vestris primùm literis recreatus, me ad pristina studia revocavi, &c.

Posteaquam autem de literis Bruti dixit, & rogaret Brutus, ecquæ præterea essent Attici literæ, quæ eum delectaverint: Istę verò (inquit) Brute, non solũ delectationem mihi, sed etiam salutem, ut spero, attulerunt. Salutem? exclamavit Brutus, Quodnam tandem genus istud tam præclarum literarum fuit? Tum Cicero: An mihi potuit esse aut gratior ulla salutatio,

aut

aut ad hoc tempus aptior, quàm Attici liber, quo me affatus quasi iacentem excitavit? Hic Brutus: Nempe eum dicis, quo iste omnem rerum memoriam, breviter, & ut mihi quidem videtur, perdiligenter complexus est. Respondet Cicero: Istum ipsum, Brute, dico librum mihi saluti fuisse. Hic Atticus, Optatissimum (inquit) mihi quidem est, quod dicis. Sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum, aut tanto usui posset esse? Hic Marcus: Ille verò (inquit) & nova mihi quidem multa, & eam utilitatem, quam requirebam, ut explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem. quæ cùm studiosè tractare cœpissem, ipsa mihi tractatio literarum salutaris fuit, &c.

Hunc ego Ciceronis locum lubenter ascripsi, ex quo intelligamus quantum vir magnus & sapiens cōsolationis ex historiæ tractatione perceperit. Multū tamen abest, ut exponat, quicquid percipi præterea posset. Potuit ille fortasse, veterū, maiorum q; suorum recordatione tam valde affici, ut animum abduceret atque avocaret abs sensu præsentium malorum: aut acerbum eorum sensum utcunque leniret, & in omni varietate fortunæ sese aliorum exemplo sustentaret: cùm quidem meminisset, quæ semper fuerit conditio, bonorum virorum, quæ rerum humanarum, quæ Rerumpubl. Sed non vidit in historia quòd firmiorem consolationem attulisset: videri verò à profanis hominibus non potest. Agè verò, quia trium illorum doctissimorum sapientissimorumque virorum colloquium in hoc genere nos oblectavit, quartus non intempestivè accedat, eorum æqualis & (ut nobis gratior etiam sit) Iurisconsultus magnus. Is est Servius Sulpicius: qui cùm nihil non faceret, & ut Ciceronem qui filiæ deflebat mortem, & seipsum, qui interitum Reipub. lugebat, consolaretur, ita scripsit ad Ciceronem: Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cùm ab Aegina Megaram versus navigarem, cœpi regiones

circùm circà proſpicere. Poſt me erat Aegina, ante Megara, dextrà Piræus, ſiniſtrà Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos iacent. Cœpi egomet mecum ſic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur: ſi quis noſtrûm interijt aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cùm uno loco tot oppidûm cadavera proiecta iaceant? víſne tute Servi cohibere, & meminiſſe, hominem te eſſe natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter ſum confirmatus, &c.

Si una illa navigatio brevis oſtentans ruinas & parietinas aliquot oppidorum Græciæ, Servium noſtrum admonuit, quàm ſint caducæ & inſtabiles res humanæ: eique ſapientiſſimam obiecit cogitationem, qua ſuum & Reipublicæ caſum æquius ferat: quid univerſa hiſtoria, cùm nos vehet atque circumferet per totum terrarum orbem, nobisque ſpectandas dabit omnibus ſeculis perpetuas illius converſiones, tot tamque multiplices Rerumpublicarum everſiones, tot regnorum interitus, tot populorum ſtrages, tot urbium vaſtitatem: & in tanta tamen fortunæ varietate totque caſibus, quorundam virorum agitatam (magis quàm labefactatam conſtantiam: quid (inquam) illa quantumque conſolationis adferre nobis poteſt? Iã verò ſi (quod caput eſt) accedat religioſa conſideratio divinæ providentiæ, cuius memoria nunquam abeſſe ab hiſtoria debet: quæ tandem ærumnæ noſtræ tantæ eſſe poſſunt, quarum acerbum ſenſum illa non leniat, cùm earum cauſam atque finem oſtendet? Quid alij ſentiant, neſcio. Sed quod ſum expertus affirmare poſſum: cùm iam inde abs pueritia me multi acerbi caſus iactaverint atque vexaverint, unum inter tot fluctus portum, in quo acquieſcerem, fuiſſe hiſtoriam: mihique planè aliter quàm Plutarcho accidiſſe. Scribit Plutarchus ſeſe primùm ſuſcepiſſe ſcribẽdas illuſtrium virorum vitas, ut alijs prodeſſet: ſed ſe deinde in eo opere profuiſſe ſibiipſi, & ex eo fructum honeſtiſſimæ recreationis privatim

vatim percepisse. Ego verò profiteor me mea privatim causa primùm accessisse ad aliquam historiarum lectionem, sed in ea statim tantùm liberalis utilitatis agnovisse, ut alijs fieri communem valde optaverim. Sæpe iam sæpe in ista & ingratorum & perfidiosorum & improborum hominum colluvione, quæ latè grassatur, & Respublicas involvit, & omnes propè vias obsidet, & novam, ex qua quæstum faciunt, artem calumniandi, maledicendi, turbarumque ciendarum, religionis etiam nomine tegere audet, cùm nullum sanis consilijs relictum esse locum videmus, cogitamus in solas terras, ubi (quod ille olim dicebat) non audiamus facta Pelopidarum: vel aliquem desideramus secessum, in quo cùm liberos gemitus effundere, tum verò aliquid consolationis percipere, & horum malorum oblivisci possimus. Sed historia mihi visa est, quod quæritur, offerre. Cumque tali nuper comite uterer, ex Germania veniens in Galliam, toto illo itinere me multas regiones circumspicientem, multaque de rebus humanis cogitantem in ista nostri orbis confusione mirabiliter consolata est. Neque minus mihi adfuit, cùm deinde præter omnem expectationē fortè abhibitus essem ad quasdam de Republ. & religione gravissimas deliberationes. Sed ad has illam omnino pertinere omnes fatentur: & qui in ijs sæpius versantur, si modò adferunt ad eas quod debent, sæpius experiuntur, verissimum esse, quod Aristoteles scripsit: ἱστορίας χρησίμους εἶναι πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλάς. Lib. 1. Rhet. Verùm si quis est veteri memoria, qui reipsa ostenderit, non temerè dictum id esse ab Aristotele, is est Cicero. Dixit aliquando: Exempla ex vetere memoria & monumentis & literis, plena dignitatis, plena antiquitatis, plurimùm solent & auctoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum. Sed quàm aptè ijs ipse usus sit, sive de privata sive de publica re ageretur lubenter audio. Neq; suorum modò Romanorū Maiorúmve exemplis, tanquam præiudicijs passim uti solet, sed & aliorum populorū. Quid locos, qui innumerabiles sunt,

nunc Indicarem? Totus Cicero deſcribendus, & huic libro aſſuendus eſſet. Sed ut unum ex multis locum deliberem: iuvat illud exemplum notare, quo uſus eſt ſapientiſſimè in re magna & ſummo alioqui Reipublicæ periculo: & quod hac ætate tam nobis in mentem venire vellem, quàm veteribus ſæpe venit. Nam etſi hunc ſolùm hiſtoriæ fructum perciperemus, uberrimus tamen is eſſet. Biduo poſt occiſum Cæſarem, cùm percuſſores in Capitolio veluti incluſi eſſent, & ſumma eſſet rerum perturbatio, M. Antonius Conſul Senatum vocat in Telluris. Adeſt & Cicero, rogatuſque ut de Republica ſententiam dicat, vetus exemplum τῆς ἀμνηστίας ex hiſtoria Græcorum repetit, & conſulit ut fiat, quod ante annos pluſquàm trecentos & quinquaginta Athenis factum erat, cùm Thraſybulus xxx tyrannos expuliſſet: prædicatque hoc deinde ſuum rurſus conſilium in Senatu. In templo (inquit) Telluris, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Athenienſiumque renovavi vetus exemplum: Græcum etiam verbum uſurpavi, quo tum in ſedandis diſcordiis erat uſa civitas illa; atque omnem memoriam diſcordiarum, oblivione ſempiterna delendam cenſui, &c. Verbum illud, atque etiam vetus erat hæc coniuratio, μὴ μνησικακεῖν, qua ſæpius uſi ſunt Athenienſes Reipublicæ conſtituendæ & pacis componendæ cauſa. Sed quàm ſapienter Cicero Romanis ſuis tale conſilium dabat? Ipſum quoque Claudium Imperatorem occiſo C. Caligula, cùm primùm rerum potiretur, laudaſſe atq; imitatum eſſe tale Athenienſium exemplum teſtis eſt Dio: & ante Athenienſes, optimam eſſe hanc conciliationis conditionem, Albanus orator in graviſſima pacis ineundæ deliberatione coram Tullo Rege Rom. dixerat, ut Dionyſius libro iij. refert, qui & iſtud verbum μὴ μνησικακεῖν uſurpat. Quid dicam præterea de hiſtoriarum vel uſu, vel utilitate? Vix ulla deliberationis ullius tanta difficultas incidere poteſt, quin repentè ad eam expediendam optimum conſilium illæ ſuggerant.

Sed (nondum enim hac prædicatione ſatiari poſ-

ſum)

sum) non modò, quod Polybius desiderat, desidero historiam esse πραγματικὴν: sed ut nostri dicere solēt, Iurisprudētiam nō solùm θεωρητικὴν, sed etiam πρακτικὴν esse, esseque debere: sic ego historiam. Neq; non poterit talis esse, si bene perlegatur tota. Nam & ipsa sæpe indicat, quomodo quóve fine posteritas, ubi res postulabat, usa sit exemplis, memoria, auctoritate antiquitatis. Sicq; historię, quodammodo ut leges, legendæ sunt, hoc est, ut priores ad posteriores, & rursus posteriores ad priores apta quadam collatione trahãtur. Neque solùm ubi posterior priorem laudat, id in lectione quoque prioris observare debemus, sed & παράλληλα (ut Plutarchi verbo utar) conferenda sunt. Saltem quod superiori seculo quidam Florentinus in Livianæ historiæ parte utiliter facere in rem suam suorumque Italorum conatus est: multò id magis faciundum esset in historia universa, præsertim ubi & res digna est, & non inepta occurrit comparatio: deniq; ex hypothesi historia sæpe colligenda est politica veluti thesis. Vt iam de Cicerone & nostris Iurisconsultis nō loquar, qui id sapientissimè faciunt: Ipse Aristoteles in suis Politicis, quàm rectè id agit, etsi in Grecorū historia, quæ angusta est, hęreat? Vbi tales adsunt monitores, ibi demum agitur, quod debet. Vt autem prioris memoriam sæpe refricat historia posterior: sic & prior non rarò quibusdam tanquam vaticiniis adumbrat futuram consecutionem posterioris, & veluti prædicendo commovet expectationem. Ac in sacra quidem historia non solùm multæ tanquam fatales regulæ ex Decretis divinis repetitæ in universum traduntur de iis, quæ consecutura sunt: sed & certa, & aperta, & definita oracula interdum eduntur, quæ apertè præmonent, & tanquam digito pręmonstrant futuros eventus: & aliquando ipsis etiam annis prius numeratis articulum temporis indicant. Sic in Ieremiæ, Ezechielis, Danielis, & talium Prophetarum vaticiniis, audiemus liquidò multa prædici futura, quæ postea legemus eodem planè modo accidisse. Quid de Sibyllinis & aliis, quæ ipsi etiam Ethnici iactarunt, oraculis di-

Machiavelli discursus.

eam? Etiam ubi postea fictas esse prędictiones scimus, tamen earum nos lectio delectat: ut cũ apud Ciceronem, Somnium Scipionis, vel apud Virgilium, orationem Anchisæ legimus de futura Ro. Republica. Multò nos igitur magis movebunt prædictiones de conversione & periodo Imperiorum, & magnarum urbium excidio, cùm & eas ipso eventu cõfirmatas, & multò tamen antè editas esse legimus. Varro narrare solebat (ut Censorinus refert) se audivisse, Vectium quendam Augurem, prędicentem, quia imperium Romanum duraverat annis C X X. duraturum M. C C. annis. Quod se augurari dicebat ex xij. vulturibus Romuli: quasi illi significassent aut duodecies decem, aut duodecies centum. Sed & Zonaras recitat, Valentẽ quendam Astronomum tempore Cõstantini, post celebratum natalem urbis Constantinopolitanæ, prædixisse eam veluti victuram annis *696*. Historia certè, cùm Romæ & Constantinopoli, quasi in duabus suis præcipuis scænis versatur, non potest non mirari, cùm audit prædictum de ijs ita esse, quod ipsa postea factum narrat. Sed & ubi de ijs, quę nondum acciderunt, quęritur, neq; alioqui certi & ἀφοριστικοὶ indices pręlucẽt: tamen dico (qui hujus lectionis maximus ex prudentia fructus est) aliquam saltem obscurã providentiam quodammodo divinatricem ex historiarum observatione sumi: atque ex præteritarum rerum memoria, pręsentium q; statu quandam de futuris coniecturam colligi posse: sicuti & Polybius sapientissimus scriptor monet; ubi & illud quodammodo pręstat, quod Cicero indicat Theophrastum anteà fecisse, ut non solùm scriberet, qui esset optimus Reipublicæ status: sed & quæ essent in Republica inclinationes rerum, & momenta temporum, quibus esset moderandum, utcunque res postularet. Laudẽt alij suam astrologiam μαντικήν: ego ut illud vetus sæpe audio, Qui bene conijcit, bonus vates est: sic & istud verũ esse puto, Qui bonus historicus est, bene conijcit. Sed qualiacunq; de rebus humanis veluti προγνωστικὰ hinc colligi possint, ea ego τεκμήρια in Reipubl. gubernatione, non minoris

ris aliquãdo fecero, quàm medici sua κριτήρια in morborum curatione, vel in navigatione sapientes nautæ sua futurarum tempestatum signa & præsagia. Nihil dicitur esse incertius exitu bellorum. Aristoteles tamẽ libro 1. Rhetorico. monet, in deliberatione de bello in primis advocandam audiendamque esse historiam, ut ex ea intelligamus, quid in re simili anteà acciderit. Cur ita? ἀπὸ γὰρ (inquit) τῶν ὁμοίων τὰ ὅμοια γίγνεσθαι πέφυκεν. Ego & si totam divinationem fatear rem esse lubricam: tamen quod Cicero dixit inesse animis humanis non solùm memoriam rerum innumerabilium, sed & coniecturam consequentium nõn multum à divinatione differentem: id de ijs, qui perpetuæ historiæ observatione, tanquam longo rerum omnium usu vim sui iudicij habent exercitatam, dici multò magis posse videtur. Ac quidem cùm Themistoclem ea facultate præditum esse Thucydides scripsisset, Cicero locum diligenter notavit, & Thucydidis verba suis ad Atticum literis inclusit: τῶν μελλόντων ἐπιπλεῖστον ἐκ τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής. Non dissimile est, quod Plinius laudans Iunium Mauricum, ait virum esse, qui futura possit ex præteritis prævidere. Quid ipse Cicero? Sæpe suam in hoc genere providentiam hinc repetitam iactat. Certè fretus quodam augurio, non sui (ut ait) collegij, sed politico potiùs, & Platonico de Tyrannis præiudicio multis eventibus confirmato, audet omni adseveratione affirmare, regnum Cæsaris vix posse esse semestre: & licet de coniuratione nihil inaudijsset, tamen certò id se prædicere iactat. Nec nos (inquit) fallet, nec aliter accidet. Sed & exitũ belli civilis quàm procul prævidit? Præclara (inquit) cõscientia sustentor, ea ipsa tempestate eversam esse Rempublicam, quam ego XIIII. annis antè prospexeram. Et libro VIII. ad Atticum de eodem illo bello loquens, προθεσπίζω (inquit) noster Attice, non ariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens, *Iamque mari magno*. Non multò (inquã) secus possum vaticinari. Deniq; ad Cecinnam scribit, sese divinationem quandã, quæ minimè falleret, consecutum

esse cùm sapientissimorum virorum monumentis atque præceptis, plurimoque doctrinæ studio, tum magno etiam usu tractandæ Reipubl. magnaque suorum temporum varietate. Itaque se, etsi Augur publicus esset, tamen non ex alitis involatu, nec è cantu sinistro Oscinis, nec è tripundijs solistimis, aut somnijs augurare: sed se habere alia signa, quæ observet, quæque minus habent vel obscuritatis vel erroris: eaque maximè temporum civilium natura atque ratione. Itaque iam minus miror, quòd post Cæsaris mortem, nascente novo bello civili, Brutum cessantem monēs, quid statim facto esset opus, exclamat, Opprimemini, mihi crede, nisi provideritis. Hæc ex Oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta. Nihil potest esse veriꝰ. sed miror & doleo tam sapientem senem nō vidisse, quod de Octavio Brutus vicissim præmonebat. De Iulio Cesare ex historia Alexandri, quàm cautus erat Vates? Nam ad Atticum, Nónne (inquit) vides ipsum illum Aristotelis discipulum, summo ingenio, summa modestia, posteaquàm Rex appellatus sit, suberbum, crudelem, immoderatum fuisse? Sed cum Brutus de Octavio idem prædiceret, quodam, ut fit, Antonij odio Cicero caligabat. Cornelius Sulla præsagiēdo dicere solebat de adolescente C. Iulio Cæsare, Cavete à puero malè præcincto. In eo enim multi Marij latent. Cicero non inane fuisse præsagium vidit: & quàm sit insidiosa & fallax facies hominum, cùm ex philosophia, tum ex historia & experientia didicerat. Sed de Octavio sibi persuadere, quod nolebat, vix poterat. Neque tamen periculum, quod ab Antonio imminebat, multò antè non prospexit, sed ne propterea terreretur, exemplis ex historia repetitis animum suum obfirmabat. Itaque & Antonium ipsum alloquens, acerbissimum (inquit) avi tui diem supremum malim, quàm L. Cinnæ dominatum, à quo ille crudelissimè est interfectus.

Idem Cicero, cùm ferveret bellum civile inter Cæsarem & Pompeium, deliberans cum suo Attico, quid sibi facto esset opus, in utranque partem consilium ex

illa historia petit. Si restitero (inquit) idē fecero, quod in Cinnæ dominatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius, quoquo modo ea res huic quidem cecidit, qui tamen ita dicere solebat, se id fore videre, quod factum est: sed hoc malle, quàm armatum ad patriæ mœnia accedere. Aliter Thrasybulus, & fortasse melius. Sed est certa quædam illa Mucij ratio atque sententia, &c. Quid? tandem etiam dixit optare se aliquem exitum Mucianum: eumque sibi impendere prospexit: ut iā se Themistocli possit anteponere, quē ait multa non providētem incidisse in eos casus, quos vitasset, si nihil eum fefellisset. sicuti & suos propterea Romanos notat: Non fuisset (inquit) illa nox tā acerba Africano sapientissimo viro, nō tam dirus ille dies Sullanus, callidissimo viro C. Mario, si nihil utrunque eorum fefellisset, &c. Cur ergo Cicero, quem nihil fallebat, sibi non cavit magis? Exemplo Muciano confirmatus gloriosè cadere maluit, quàm malè cedere. Verùm etsi fieri non possit, quin prudentissimum quenque multa fallant, præsertim cùm de futuris agitur, tamen non est propterea nulla prudentia. Idem Cicero in libris Officiorum, Nū (inquit) propterea nulla est Reipublicę regendę ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium fefellerunt? Ergo etsi illa, quam ex historiarum & exemplorum similium memoria repeti posse dico, divinatio interdum fallax sit, tamen Cicero vir sapientissimus summam in ea prudentiam esse agnoscit. Mirifica verò est, quamcūq; ille se in partem det, ratio atque raciocinatio huius viri in aliqua deliberatione historiam versantis, & ex recordatione rerum præteritarum, varias futurarum cōiecturas ducentis. Sed iam sentio me ipsum cum eo variè iactari, & confusè veluti volutari, cùm ab eius viri, in quo potissimum eluxit prudentia, quanta colligi ex historijs & rerum usu potest, recordatione & conspectu abduci vix possum. Adderem illud optimi auctoris Rhetoricorum ad Herennium: Rerum (inquit) imperiti, qui uniuscuiusq; rei de rebus antè gestis exempla peterę non possunt, per imprudentiam facilè deducuntur in

fraudem. At ij, qui sciunt, quid alijs acciderit, facilè ex aliorum eventu suis rationibus possunt providere? Verùm id in re præsenti ipsa historia liquidiùs ostendet. Nunc illud dico: nullam historiæ maiorem laudem esse posse, quàm cum agnoscitur nobis multò antè id præstare, quod experientia, quæ stultorum magistra esse dicitur, pòst, sed serò, nos docet: cumque efficit, ut quicquid accidat, dicere sapientes homines possint, quod apud Poëtam ille Troianus Sibillæ respondet.

Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopináve surgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi.

De hac sive præsumptione sive preceptione, qua fit, ut quæ deinde acerba accident, sint leviora, copiosè disputat Cicero li. III. Tusculanarũ. sed aut ego vehemẽter fallor, aut nulla eã res magis suggeret, quàm illa sive præmonitio sive præmunitio, quæ ex historijs sumi potest, ne quid nos inopinantes atque supinos opprimat. Itaque huc referre nõ dubitabo ex eodẽ lib. illud Ciceronis: Hæc est illa præstans & divina sapiẽtia, perceptas penitùs & pertractatas humanas res habere: nihil admirari, cùm acciderit: nihil antequã evenerit, nõ evenire posse arbitrari.

O nunquam laudata satis, sed nondum fortasse satis omnibus cognita vis & potestas historiæ: quia & multò plus habeat in recessu quàm fronte promittat. Sed eius maiestatem indignè miseréque minuerunt, qui de ea nondum perspecta satis, temerè verba fecerunt: qui eam conciderunt atque discerpsẽrũt, qui fabulis aspersis contaminarunt: qui ex sola superficie, quam solam obiter delibarant, æstimari rem totam voluerunt: denique qui in ea legenda neque artem, neque intelligentiam, neque observationem necessariam adhibuerunt. Quid multis? Plinius in quadam ad suum Paternum epistola exclamat, sese frequẽter sensisse, quanta potestas, quanta dignitas, quanta maiestas, quantum denique numẽ sit historiæ. Sed quantumcúnque sit illud, quod sensit: procul abfuit, ut quic-

quid

quid est, sentiret. Liceat hoc mihi bona eius gratia dicere, in quo nullam alioqui illius culpam accuso. Vt verò, quod hac oratione in primis urgere institueram, concludam, iterum iterumque dico, consilij, prudentiæ, sapientiæ, iudicij recti institutoinẽ ex una velnti academia Historiæ repeti posse & debere. Dixi paulò antè, qualem olim instituerit Themistoclis preceptor. Dixi quid in Themistocle potissimùm admiratus sit Cicero. Nunc illud addo, non temerè eodem loco à Cicerone simul laudari, quod Thucydides simul de eodẽ viro scripsit: τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων· καὶ τό τε ἀμεῖνον ἢ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα. Hoc verò illud est, quod in magno Reipublicæ gubernatore imprimis est necessarium. Nunc si dicam hoc demum addisci in historiæ schola posse, num mentiar?

Sed iam vereor, ne quæ hactenus dixi, non tam harum literarum admirationem cieant, quæ desiderium nostrum inflammet, acuatq; industriam, quàm in ijciat materiam alicuius desperationis, quæ nostrorũ studiorum infringat alacritatem. Nam & si anteà conatus sim indicare, rem hanc quantacunq; sit, nõ esse infinitam: & licet difficilis atq; ardua sit, non esse ἀδύνατον: tamen iterumq; iterumq; id confirmandum est. Et quia imprimis nos deterrere potest, quod de universitate dictũ est: si quis iam me roget, ec quot tandẽ vel secula vel Iubileos, vel Olympiadas, vel Lustra, vel annos cõtineat ista historia, quæ ab orbe cõdito ad ætatẽ usq; nostrã perducenda est: possem duobus verbis dicere quinquaginta quinq; secula interesse. Verùm vt id diligẽtius exponamus, est operepretiũ. Principiò cõstat fatuã fuisse quorundã Philosophorum fabulã, qui, quoniã ignorarent, quando cõditus hic mundus fuerit, conditum nunquam fuisse, sed esse æternum, finxerunt. Constat deinde & eos audiendos non esse, qui fabulati sunt, quod fortè somniarant, innumerabiles esse mundos: & simul repudiandam esse ipsius quoq; Origenis ridiculam opinionem, existimantis alium, ante hunc, fuisse mundũ, & post hunc fore alte-

rum,& talem in infinitum successionem fingentis. Plinius cùm audiret quosdam tradere, innumerabiles esse mundos, & huius generis portenta comminisci, exclamat, Furor est, profectò furor. Sed nos in eandem exclamationem erumpere quoque debemus, cùm ille tradit, mundum esse æternum, neq; genitum, neq; interiturum. Nostra verò nũc prima sit quæstio, quando is conditus sit & cœperit, quotque ab eo condito ad hunc, quem nunc agimus, annum, anni numerandi sint. Nam hoc imprimis constituendum est, cùm in historiam universam ingredi statuimus, quam finitã esse profitemur. In hac autem quæstione definienda aliquid esse dissensionis, ecquis mirabitur cùm ne Romani quidem ipsi de annis urbis conditæ planè consentire olim potuerint? Veteres, qui Mosen non legerant, cùm principium ignorarent, non potuerunt non toto (quod dicitur) cœlo aberrare. Impudens verò fuit Aegyptiorum vanitas, qui, (ut Plato in Timęo narrat) fingebant, iactabantque non modò sese decem millibus annorũm ante alios homines fuisse, sed & tot seculorũ historiam consignatam habere. Diodorus, qui suspicatus est fabulam hanc, ut est, posse putidam videri, videtur excusare illos velle: quasi cùm annũ unum dicunt, duos tantùm aut tres menses dicerent. Sed ne hac quidem eos interpretatione defendent: & interea de Aegyptijs ea commemorat ementitæ antiquitatis portenta, quæ planè fabulosa esse negare non possit. Augustinus scribit, quosdam dixisse, amplius quàm centum annorum millia numerari, ex quo rationem syderum comprehendit Aegyptus. Ait illos ridendos potius quàm refellendos esse, cùm (inquit) ab primo homine nondum sex millia annorum compleantur. Dicere potius debuerat, nondum quinque millia. Mirabilis verò fuit Arithmeticus ille Apollonius Aegyptius, quem noster Theophilus Antiochenus, inter Christianos scriptor antiquissimus, recitat, numerasse plusquàm quindecim myriades annorum ab orbe cõdito. Nihil dico de Platone, qui multa etiam millia myriadum cumulare velle videtur. Nam suo fortasse more

Lib. 18. de civit. Dei. c. 4.

more ludit,& digitis micat in tenebris. Mitto Babylonios, quos habuisse monumentis suis comprehensa quadraginta & septuaginta millia annorum, multi olim iactabant, ut ipse quoque Cicero narrat. Bene habet. Idem ait, eos, qui hoc dicant, fallere & mentiri: nec reliquorum seculorum iudicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere. Vt autem minus Aegyptijs tam impudenter mentientibus ignoscam, facit illa, qua utebantur Iudæorũ vicinorum consuetudo atque familiaritas: ex quorum & sermone & libris, facilè poterant principium orbis conditi cognoscere. Suavis verò in hac antiquitatis contentione fuit Arcadum victoria, hoc est, plusquàm lunatica insania, qui se esse Proselenos, hoc est, ante Lunam natos, gloriabantur. Narrat hoc Cicero in Fundaniana oratione: & eo verbo illos ornat. Sed quid bonus hic Cicero, qui minimè vanus scriptor fuit, vel sẽsit, vel prodidit de quæstione, in qua versamur? sanè apud eum Scipio Africanus, loquens de anno magno, huius (inquit) nõdum vicesimã partem scito esse conversam. Sed quàm multa putauit in eo anno esse secula? Vix (inquit) dicere audeo. Cautè profectò & timidè, & pudenter. Nam & longam & cõtroversam ea de re fuisse quæstionem, alibi fatetur: & alio loco simpliciter ait, multa annorum esse millia. Verùm si assensus est ijs, quos apud eum Hortensius significat, magnum hunc annum definijsse atque æstimasse duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis: sic enim hunc ex Hortensio Ciceronis locum recitat Servius: Tacitus autem recitans eundẽ locum pro nongentis habet D C C C. nisi mendosa sit scriptura: sed parum interest: Si (inquam) ea anni magni definitio placuit Ciceroni, intelligi utcunque posset, ecquæ fuisset eius opinio de annis orbis conditi. Cæterùm, ut est aliorũ nimis liberalis & effusa, sic Romanorum nimis parca & restricta ratio tunc esset, qui orbis non multò antiquius, quàm urbis suæ initium esse fingerent. Nam vicesima pars illius anni magni, non nisi annos circiter sexcentos & quinquaginta cõtineret. Iuvat hos errores Veterum, doctissimorũ qui-

Lib. 1. de Divin.

Li. 6. de Rep.

Li. 2. de Finis

dem hominum, sed quia Mosaicos Originum libros non legerant, in hoc genere hallucinātium, obiter notare. Quid verò ipsi Iudæi, qui & Mosis & Prophetarum monumenta sæpe legerunt? Ne ij quidem potuerunt satis cavere: quia eas, quæ Prophetarum tempora consequuntur, Græcas Latinasq; historias non coniungerent. Annos ab orbe condito usque ad Persicam monarchiam rectè numerarunt. Sed deinde magnus in eorum calculo error est, qui annos saltem ducentos præterit. Ita est profectò. Græci & Latini Iudaicis monumentis destituti, Iudæi contrà Græcis Latinisque literis nō adiuti, viciosas mendosasque chronologias ediderūt. Quid igitur Christiani, qui posteriores quidem fuerunt, sed utriusque generis libros conferre, & aliorum erroribus erudiri potuerunt? Certè à Christi ætate nihil est aut difficultatis aut dissensionis: sed est plurimum in priorum temporum ratione ineunda, subducendaque. Legebāt illi quidem & sacras & profanas historias: prioresque & posteriores coniungebant. Sed inciderunt in Mosen, partim ab interpretibus malè versum, partim à librarijs corruptum: & ubi Moses mille annos scripserat, annorum duo millia plerique legebant. qui deinde error alijs (ut fit) erroribus auctus atque cumulatus est, & in ipsius quoque Iosephi libros Græcos irrepsit. Sic itaque Iudæis anni ducenti defuerunt, Christianis mille superfuerunt. Sed nullíne olim inter Christianos animadverterunt, quàm valde in hoc genere fallerentur? Sanè Hieronymus, qui omnium & linguarum & historiarum peritissimus fuit, id aliquo modo animadvertit, cùm & Hebraicorum voluminū fontes excuteret, & alios annales diligenter expenderet: tandemque sensit, annos ab orbe condito usque ad Christum numerandos tātùm esse ter mille nōgentos quinquaginta duos, ubi Eusebius numerabat plus quàm quinquies mille & ducentos. Sed ante Hieronymum Theophilus, si in eo, quod utcunque deprehenderat, perstitisset, non ineptè aliquando collegerat, numerari circiter mille nōgentos septuaginta quātuor. Inter huius & Hieronymi calculum,

lum non multùm intereſt,& neuter procul abeſt à vero. Quid igitur tandem ſtatuimus? Doctiſſimi hac ętate homines & Chronologi diligentiſſimi, non ſolũ omnibus Annalibus,ſed & mathematicis demonſtrationibus in conſilium adhibitis, maximam profectò dederunt operam,ut proximè quod quæritur attingerent. Eò autem frequentius reciderunt, ut omnibus rationibus ſubductis,velùti medium quippiam inter Theophili & Hieronymi ſupputationem ſequerētur, hoc eſt, annos ab orbe condito uſque ad Chriſtum, numerarent ter mille nongentos ſexaginta duos. Scio abs nonnullis paulò plures adijci. Sed parum intereſt: notumque eſt vetus & vulgatum illud,Et quod excurrit. Deniq; bene habet,eò tandem rem eſſe perductã, ut iam certò ſtatuere poſſimus ab orbis initio,uſq; ad hunc Chriſti annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimum primum rectè numerari annos nõ multò plures quingentis ſupra quinquies mille.Sed hiſtoria univerſa ne dimidiam quidem partem unius anni magni : neque multò plus quàm tertiam eius partem continet.In hac ego ſupputatione nũc acquieſco:quæ ſaltem proximè,&,ut Geometrę loquuntur, ὡς ἔγγιστα, ad id, quod verius eſt, accedit. Et licet τὸ λεπτὸν,ut Arithmetici vocant, notare ac definire nõ poſſimus: tamen ἐν πλάτει, ut Iuriſconſulti aiunt, tenemus quod quęritur:neq; quorundã ocioſam λεπτολογίαν moror, qui fruſtrà ſe torquēt,ubi nõ eſt neceſſe. Saltē memini,graviſſimum illum ſcriptorem Dionyſium Halicarnaſſæum ,libro ſeptimo , prudenter admonuiſſe, non eſſe quidem ferendum,ſi quis duabus aut tribus ætatibus aberret in temporũ ſupputatione:ſed tolerabilē eſſe errorem,præſertim in Chronologia priſca,ſi paucis in annis fallatur . Deniq; hîc non ero moroſior, quàm cùm audio Mathematicos globum telluris metientes. Iuvat verò,ut vaſtiſſimi huius Circi,huius dico terrarum orbis,quem hiſtoria ſæpe percurret,menſuram aliquam tenere : ſic & temporis , quod emetiri quoq; debemus,aliquos habere fines.

Dixi itaque quinquaginta quinque ſecula nobis

proposita atque perlustranda esse, universæ historiæ memoriam consectantibus. Valeat eorum protervia, qui mirari se aiunt, tam pauca esse secula orbis conditi: & cur non multò antè ab æterno Deo conditus sit, non minus ociosè quàm curiosè quærunt: quasi iam aliud quod agant, nihil habeant. Rectè Augustinus ait, nō minus perperam de immensis temporū quàm locorum spaeijs quæstionem moveri. Ergo qui quærunt, cur infinita non sint secula, quærāt etiam cur immensus & infinitus nō sit terræ cœlorumq; ambitus. Nos potius admiremur tam esse amplam cœli & terrę magnitudinē, tamq; multa iam secula effluxisse: quibus interea Deus tot tantasq; res spectandas cognoscendasq; dedit, ut earum vix centesimam partē complecti possimus. Scilicet in ijs, quæ acta gestáve sunt per annos quinquies mille & quingētos, in hoc terræ amphitheatro, cuius ambitus esse dicitur 1400 maximorum milliarium Germanicorum (si nos non fallunt mensores mathematici) satis superque non est, quod admiremur, nosq; occupet & exerceat. Imò verò (clamant alij) nimium est: magis ut verendū sit, ne difficultas desperationem pariat, & desperatio abrumpat hæc studia tanquam operis infiniti. Ergo iterumque iterumque præmoneo, harum, quas persequi instituimus historiarum multa esse compendia. Non enim illæ omnibus temporibus, omnibus in regionibus habent quod agant. Vix versantur in mari vel Oceano: in quo non est hominum habitatio. Terrarum quàm est magna rursus pars deserta? Quàm raris & angustis in locis habitatur in terra, ut ait Cicero, & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastæ solitudines interiectæ sunt? Sed neque ubi habitatur, & magna hominum frequentia est, semper hæret historia. Deniq; & ubi multa hominum millia sunt, & civitatum multa sunt corpora, sæpe non nisi unum aut alterum locum vel oppidū, & in multitudine non nisi aliquot principes seligit. Sic sese ipsa constringit, & angustissimis plerunq; finibus includit. Sanè illorum, de quibus dixi, seculorum parte priori, & quidē maiori, quæ anno-

Lib. 2. de civit. Dei.

annorum plusquàm tria millia continet, videmus in uno historiæ sacræ volumine,uniusque & gentis memoria,&regionis territorio,historiam inclusam herere. Diu enim nos totos,in illius suæ Reipubl.admirabili conditione, faciæ,& forma contuenda, iam inde ab orbe condito defixos deus detineri voluit: & interea, ne distraheremur,passus est aliarũ orbis partium memoriam veluti obsolescere: easque tanquam aut planè desertas solitudines, aut aquis tenebrísve obrutas regionum vastitates latere. Interea itaque silent aliæ historiæ Græcę atq; Latinæ, nisi si ludendo fortè quasdam poëticas fabulas aspergant. Nostrum certè cursum minimè retardant. Tot tamen secula tam citò emensi,illud etiam iactare poterimus:

Maxima res effecta viri: timor omnis abesto.

Sed audio quosdã desidiosè exclamare, Quis nõ reformidet annos deinde cõsequentes, præsertim illos mille,qui aliarum toto orbe & gentium & Rerumpub.historiã tam longã ,tam variã, tam multiplicẽ,tamq; sinuosam obijcient,totq; volumina evolvẽda dabũt,ut tanquam in medio Oceano,eoq; immenso,ubi(sicuti ait idem poëta) cœlum undiq; & undique Pontus, nihil aliud fortasse quàm desperatio exhauriendi tanti operis occurrat?Imò verò tum demum iuvat,totum rerum humanarum amphitheatrum mirificè & explicatum & apertum contueri , & singulos in eo actus, cùm ad Epitasin fabulæ ventum est, propius inspicere: atq; hinc Græcos audire,illinc Romanos,qui suas profectò partes agunt admirabili & arte,& ingenio,& gravitate, & splendore. Tunc(inquam)demum iuvat, plenum,refertumq; Circum videre, & ad illum modò,modò ad hunc chorum;ac modò ad togatam,modò ad palliatam scænam ciucumduci:& undiq; occurrentium certatimque affluentium excellentissimorum Actorum,multitudine circumsideri:quæ id & dicit & facit,in quo vel spectando intenti oculi,vel audiendo aures arrectæ lubenter meritoque perdurant. Sed sessio longa fatigat. Audio. Verùm potius vereor ne citius historia talis desinat, quàm vellemus:néve

illa prius nos dimittat, quàm satiati simus, si quidem & maximę, & pulcherrimæ, & nobilissimæ res, quæ animos bene & liberaliter institutos alliciunt, rapiunt, retinent, nos delectent. Iam verò cùm ad finem sensim accedentes, delabi nos sentiemus ad patriæ & Reipublicæ nostræ, nostrorumque Maiorum atque adeò avorum memoriam; an quisquam erit tam fastidiosus, qui ab ea abhorreat? Fateor, tunc barbara, aspera, horrida multa occurrere: sed occurrēt etiam multa egregia & præclara: & nimis ingrati essemus, si cum tot laboribus, aliena, proculque remota eruimus, vel vicina vel domestica negligamus. Primū ergo per annos plusquàm ter mille & ducentos, tabulis Iudaicis innixi atq; adeò affixi, res in una gente maximas & planè divinas, Græcis etiam & Romanis ignotas, contuebimur, sine molesta iactatione placidum littus historiæ veluti legentes: deinde in altum passis inflatisq; velis provecti, donec annos circiter mille cōfecimus, variè fortasse distracti, multisque libris circumfusi sæpe hærebimus. Postea verò non etsi mille & trecenti anni supersunt, quibus ad nostrum seculum properantibus (incurrens licet barbaries multos interea scopulos obijciat, tenebrasque sæpe offundat) portum tamen paulò pòst conspiciens exclamare læta voce poterimus illud vetus, γῆν ὁρῶ. Ita est sanè historia, quæ quidem nobis relicta est, & qualiscunq; illa est, quæ iam conflari potest, modò constricta festinat & præceps angusto veluti alveo rapitur, modò distenditur, lentaque est, & diffusa latè inundat. Interdum etiam hæret una in regione & gente: & ad alterum primùm transit, cùm desijt altera. Interdum quam ostentare cœperat, aliquot deinde seculis latere patitur, & postea eandem rursus in medium profert. Denique sæpe annos aliquot transilit, atque silentio quodam sepultos præterit. Sic enim ait, quasi huius orbis partes aliæ modò absorberentur, modò primùm emergerent: hacque vicissitudine etsi multa supprimat, tamen memoriam nostram utcunque exonerat atque sublevat: ne, quæ alioqui capere omnia non posset, in me-

medio cursu cōcidat. Sic quod acerbo casu factum est, ut multa monumenta vel interciderint, vel nos fugiāt: damnum esse interpretabimur; quod si finem spectemus, compendium videri possit. Sed & interdum historia (sicuti res ferūt) magis est σωματοειδὴς, ut Polybij verbo utar: interdum magis est dispersa & disiecta. Cùm ventum est ad Reipublicæ Romanæ amplitudinem: ut orbis Romanus totum propè terrarum orbem occupat, sic & una simplex que eius historia propè οἰκουμενικὴ & καθολικὴ esse incipit. Anteà verò, ubi plures monarchiæ sunt & divisæ, rursúsque postea, ubi illius imperij corpus dissectum in plura iterum regna est, historia est alio modo multiplex: sicuti prospexit prædixitque Daniel, fore, ut Imperium Romanum divisum, tanquam corpus dissectum, desinat in plures, veluti pedum digitos: aut fiat aliquod tanquam sinuosum caput, ex quo plura cornua emergant & erumpāt. Vt ut autem multiplicem faciem historia induat, fateor equidem longam esse (liceat iterum mihi ita loqui) fabulam, quæ iam inde ab orbe condito tot seculis agitur in huius mundi theatro. Cicero scribens ad Lucceium, qui historiam rerum Romanarum scribebat, ait, Ipsam quasi fabulam rerum eventorumque suorum habere varios actus, multasque actiones & consiliorum & temporum. Quid nunc dixisset de universitate rerum gestarum? Itaque fateor iterum, multas huius fabulæ esse scenas, multos actus, choros multos, multas parecbases, strophas & antistrophas multas. Denique fateor cùm eodem tempore tam varijs diversisque in locis, tam multiplices sive ludi, sive tragœdiæ agantur, difficillimum esse, animo omnia illa complecti, & veluti in singula oculos intēdere. Sed si & ordo & modus adhibeatur, qui adhiberi debet: iterum confirmare ausim, nullam esse causam desperationis. Imò verò unam nihilominus esse historiam omnium earum rerum, quæ non tot annos ad recitationem, cognitionem, recordationemque requirant, quot annorum millia in ipsa actione consumpserunt. Subsistet profectò in ipsis veluti carceribus, vel nō lon-

gè progredietur: certè ad metam perveniet nũquam, qui in rebus minutis & inanib⁹ hærere atq; otiosè im morari volet. Sed nostrũ cursum talibus impedimentis, nullo moræ precio retardari, non facilè patiar. Oc current fortasse multa, de quibus illud dicam,

Nec vidisse semel satis est: iuvat usque morari.

Sed ut immorari, ubi opus est, liceat, non est alibi frustrà diuque consistendum, cùm nos etiam ille veluti urbegit alter eiusdem poëtæ versiculus,

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

Scio equidem & fateor, veteres etiam sæpè historicos ocio, quo abundant, abuti in ociosa inanium quarundam rerum descriptione: ut ludit Homerus in Aiacis clypeo. Sed eos, quib⁹ talis mora sessioque placet, tam de historia tota perlustrãda nihil cogitare puto, quàm testudo totum terrarum orbem pervagari nõ instituit. Saltem meminisse debuerant, Ciceronem historiam locationi opponere: eamque demum rem, quæ seria, gravis, magna est, dicere historia dignam esse. Sed

Lib.13. & reprehendere eos historicos, qui puerilia consectan

Lib.3. tur: ut etiam Tacitus non nisi res illustres Annalibus

Lib.21. mandari ait, & profitetur, sese non instituisse exequi sententias, nisi insignes. Denique Marcellinus, Historiam (inquit) per minutias ignobiles producere non decet. Idem alibi graviter monet, historiam indagare non debere humilium causarum minutias. Et verò Suetonius Tiberium Imper. non laudat, sed irridet, cùm ait, eum maximè curasse noticiã historiæ (ut vocant) fabularis usque ad ineptias. Capitolinusque rectè pronunciat, stultũ & ridiculum fuisse historicum illum Iunium Cordum, qui etiam narrabat, quos servos, vel penulas, vel chlamides quisque Principum haberet: & alio loco eum reprehendens, scitè ait, eum hac ratione libros mythistorijs replevisse. Mythistoriam appellat, quam Suetonius historiam fabularem. Ergo ad illam sive Tiberianam, sive Cordianam scholam fabellarum ineptiarumq; potiùs quàm historiarum, eos relegemus, qui ocio, quo abundant, abusi, immorari in talibus nugis volunt. Scio etiam multos, qui

histo

historijs operam dare seriò videri volunt, una aliqua earum parte contentos, in ea, tanquam ad Syrenios (ut ille ait) scopulos, suaviter consenescere velle. Sed quid tam suaves homines velint nihil moror. Equidem modò plurium annorum, atque etiam seculorum memoriam uno die perstringi posse video, modò unius vel anni, vel aliquando diei res gestas, vix pluribus diebus exponi posse sentio. Nam & ita clarissimi scriptores agunt, ut principiò quasi seculares, postea tanquam annales historias conficiant, cùm quid singulis vel seculis vel annis actum, gestũ q; sit, confusè colligũt: tandem etiam diaria & ephemerides producant. Ipse Moses posteaquam primum illud hexaemeron diligenter descripsit, quàm valde festinat? Deinde cùm ad suam ætatem venit, quàm lentè cunctatur? Annos (ut dixi) MMCCCC. quinque libris complexus est: sed primò libro percurrit annos propè MMCCC. Quod autem postremò narrat gestum esse annis quadraginta in deserta solitudine, multò pluribus verbis & paginis exponitur, quàm quod toto prius orbe gestum fuisse dicitur, annis bis mille quadringentis & sexaginta. Sic & Iosephus agit. Nam libris viginti ab orbe condito, usque ad xiiij annum Domitiani historiam Iudaicam annorũ plusquàm 4000. pertexuit. postremò verò bello Iudaico describendo, quod annorum non multorum fuit, quinque libros impendit. Quàm fusè Ammianus Marcellinus postremis suis septendecim libris, qui soli supersunt, historiam suorum temporum, hoc est, annorum triginta descripsit, cum prioribus libris tredecim ducentorum & quinquaginta annorum res gestas incluserit? Diodorus profitetur se libris quadraginta historiam universam exponere. Ac quidem posterioribus libris triginta quatuor, iactat se historiam persequi à bello Troiano usque ad bellum Gallicum Iulij Cæsaris, quæ est annorum MCXXXVIII. Sed quid? Non nisi libros undecim occupat, ut ad Alexandri Macedonis mortem perveniat, hoc est, ut annos circiter DCCC. complectatur. Reliquis igitur libris viginti tribus,

non multò plures quàm trecẽtos annos attribuit. Dio libris octoginta (quos in decades divisos fuisse scriptũ est in Suidæ commentarijs) historiam Romanam ab urbe condita usque ad suam ætatem complexus erat: sed cum prioribus suis libris triginta quatuor, qui iam interciderunt, historiam annorum plusquàm sex centorum & octuaginta perstrinxit: alijs deinde libris viginti quinq;, qui soli nunc integri extant, non multò plures quàm centum annos exponit. Deniq; & Livius agit eodem modò. Prioribus suis libris decem (quàm vulgò vocant Decadem primam) historiæ Romanæ annos CCC. LX. percurrit. Posteà verò cùm ad suorum temporum memoriam propius accedit: vix ac ne vix quidem singulos annos libris singulis explicat. Non excutiò, cur suas aliquando historias vocarit Annales: sed si Annales rectè dicuntur, meritò Annales Maximos dixeris, alia profectò ratione quàm Annales Pontificum. Quid? ipsius (ut populariter loquar) Decadis primæ libro primo annos ab urbe condita ducentos & quadraginta quatuor persequitur. Secũdo verò libro vix annos quadraginta includit. Ac quidem cùm librum sextum aggreditur, confitetur, quas res prioribus libris quinque perstrinxit, esse res nimia vetustate obscuras: velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur. Ergo hic ego de Historia dicerem, quod Aristoteles ait de visu & eius vi atque natura. Sed video non omninò iam id dici nunc posse. Nam illa historia, quæ veluti media est, liquidiꝰ à nobis cernitur propter illustriũ scriptorum literata monumenta, quàm quæ est posterior: hoc est, quæ annis mille ab urbe condita gesta sunt, magis perspicere possumus, quàm quæ alijs, qui consecuti sunt annis mille. Dicerem potius ab historia nobis, ut à Sole, ostendi terræ superficiem: quidque in hac superficie extet inter homines. Prætereo iam res (ut sæpe dixi) inanimatas, brutas, mutas: humanas modò contueor. Alia est terræ superficies in vere, alia in æstate, alia in hyeme: aliamque dies & lux exhibet, aliam nox & caligo. Imò verò aliam aurora, aliam meridies, aliã crepusculum.

Non

Non dissimilem varietatem atq; vicissitudinem historiæ esse sentio. Quid igitur nunc dicimus? Soleo dicère, historiam primùm esse sacram & brevem: deinde sacram, civilem & diffusam: postremò barbaram & horridam videri. Hanc enim summam & generalem divisionem tripartitam initiò mihi præscribo. Deinde singulis illis partibus, quæ tres sunt, subdivisionem aliam quoq; tripartitam subijcio: ut iam universam historiam in partes novem distinguam: iterumq; singulas (nam ita res ferunt) in tres subseco, & viginti septem efficio: totidemq; veluti summa capita, quę in singulis eminent, & in quibus potissimùm consistendum est, memorię causa noto, hoc est, singulis ascribo suum tanquam ducem imprimis nobilē & illustrem: ut & in scæna nōn solùm Prologus argumentum recitat, sed & personas, quarum præcipuæ sunt partes, prius ostentat atque nominat. Sed meæ partitionis rationem & fines res ipsa magis exponet. Interea profiteor, me alijs non præiudicare, si quis malit vel eam sequi, quæ ex schola Eliæ Prophetæ recitari solet, tripartitam divisionem 6 0 0 0. annorum mundi, vel ex Danielis visionibus historicis, & summorū quatuor Imperiorum figuris atque imaginibus, quadripartitam historiæ delineationem observare, vel aliam, quā volet, partitionem fingere. Non enim ignoro variè id fieri & utiliter posse. Sanè Plutarchus narrat, & ad Senatum quoque Romanum aliquando ante civile bellum Marij & Sullæ relatum fuisse significat, Vatum in Hetruria collegium ex veteri sua disciplina docuisse octo mundi mutationes, ac veluti ætates à deo decretas esse singulisque illis rerum conversionibus alios planè homines, alios mores, novumque vitæ genus fore: cumque nova veluti periodus instat, illustri aliquo signo atq; prodigio eam notari atque denunciari. Ac singulis quidem illis ætatibus præscriptum quoque divinitùs esse tempus certum: sed omnium tamen finem concludi atq; comprehendi anno magno. Quid illi sibi vellent, neque satis scio, neque ipsi fortassis dicere satis potuissent. *In Sulla.*

Supereſt,ut ad ipſum veluti procœmium hiſtoriæ univerſæ, quod continet hiſtoriam orbis hominiſque primùm conditi,accedamus, ut & theatri,in quod ingredimur, & in quo geſta ſunt, quæ narrare inſtituimus,ſtructuram:&hominis,qui in eo illud agit,quod audituri ſumus, conditionem & naturam, tanquam perſonam,imprimis conſideremus. Ne verò diutius hìc hærere cogamur, unus ſtatim Moſes efficiet, qui origines,quas quærimus, breviter liquidoq; indicat. Valeat Simplicius ille,Ariſtotelis antiquus interpres, qui cùm intelligeret,quod noſter Moſes narrat de Creatione mundi,Solis luciſque,olim furiosè exclamavit, fabuloſam eſſe narrationem, & ex fabulis Aegyptijs tractam atque repetitam ait, μυθικὴν εἶναι παράδοσιν καὶ ἀπὸ μύθων Αἰγυπτίων ἑλκυσμένην. Nihil facilius eſt, quàm huius, non dicam Cenſoris,ſed potius nugatoris vanitatem refellere. Sed faceſſat. Valeat etiam Galenus,qui,quod religiosè Moſes narrat de Creatione hominis,faſtidiosè reſpuit,improbè cavillatus Moſis (ut pro ſua modica ſapientia loquitur) διατριβὴν ἄνευ ἀποδείξεως. Atqui Plato & alij cordati Philoſophi, cùm diſcere vellent rerum conditarum principia,nõ alium ſibi doctorem vel magiſtrum delegerunt quàm Moſem, cuius narrationem legebant in libris Mercurij Triſmegiſti Aegyptij. Nam neque ſe eos legiſſe Plato diſſimulat, & deſcriptos fuiſſe ex Moſis libris res ipſa loquitur,ſi verba Triſmegiſti,quę etiamnum extant apud noſtrum Cyrillum contra Iulianum,conferamus cum oratione Moſaica. Deniq; quicunque in Græcia ſapuerunt: ut hiſce de rebus audirent ſerium aliquid,propiuſque tanquam ad lumen accederent, & veritatis veſtigia conſectarentur, navigarunt in Aegyptum. Non audeo dicere,eos legiſſe libros Moſis(nam multis poſt tempora Platonis primùm fuerunt in linguam Græcam tranſlati) Sed Mercurij ſaltem commentarios legere potuerunt: & Sacerdotes Aegyptios,qui Moſen ipſum legerant,audierunt, ijſque auditis, non modò, quos appellabant alioqui Barbaros,eſſe Græcis antiquiores doctioresq;

agnoverunt: sed & Græcorum esse magistros ingenuè confessi sunt: neque non laudarunt illam Sacerdotis Aegyptij increpationem, qui (sicuti Plato refert) Soloni respondit, Græcos nihil aliud esse, quàm pueros. Res enim antiquas eos ignorare. Quid? Ipse Diodorus, cùm historiam scribere instituisset, sese propterea in Aegyptum traiecisse, & Alexandrinas bibliothecas, atque sacerdotum ἀρχεῖα excussisse narrat. Sed tantò propterea minus illi ignosco fabulosas ἀρχαιολογίας colligenti. Potuit enim, ut profectò debuit, Mosis libros, qui tunc in linguam Græcam conversi Alexandriæ adservabantur, legisse. Quod tamen ad rerum creationem primam attinet, propius ad eos accedit: estque operæpretium cum ijs, quæ Moses principiò tradit, conferre primas paginas Diodori: quas & propterea Eusebius suis libris παρασκ. assuit. Quid dicam, ipsos non modò Philosophos Græcos, sed & poëtas Romanos propè expressisse, quod Moses de Creatione mundi & hominis literis Hebraicis notaverat? Fuit quidem multorum stupidus error dicentium materiam non fuisse creatam, sed æternam: quæ phantasia multos quoque olim hæreticos occupavit. Sed extat nervosus ad eam refellendam liber Tertulliani adversus Hermogenem. Ego contentus essem unico Apostoli argumento, qui ad Hebræos scribit, Mundum hunc, quem cernimus, conditum esse μὴ ἐκ φαινομένων. Nam id non temerè dixisse ita videtur, potius quàm ἐκ μὴ φαινομένων. Cæterùm quod ad ipsam mundi informationem attinet, saltem consentiens cum Mose, quæ per omnes gentes pervagata est, fama fuit. Imò verò fuit hæc olim propè popularis cantilena, cumque in convivijs accini solerent carmina historica, hinc potissimùm repetitum procœmium est: eiusque tanta vis fuisse dicitur, ut ipsas etiam res brutas & inanimatas commoveret. Sic optimus poëta Virgilius (iuvat enim & hoc adscribere, ut tali vel carmine excitati, vel exemplo recreati, magis atque magis commoveamur) etiam ludendo id significat: & licet de sui Sileni cantu loquens, Epicureum agat, & ad

concurrentes atomos Democriti alludat, tamen fundit non ignobile alioqui carmen de prima rerum creatione:

Tum verò in numerum Faunosq; ferasq; videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus,
Nec tantum Phœbo gaudet Parnaßia rupes,
Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea;
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina, terrarumq;, animæq;, marisq; fuissent,
Et liquidi simul ignis, ut his exordia primis
Omnia & ipse tener mundi concreverit orbis.
Tum durare solum, & discludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim sumere formas:
Iamque novum terræ stupeant lucescere Solem,
Altius atque cadant summotis nubibus hymbres:
Incipiant sylvæ cùm primùm surgere, cùmque
Rara per obscuros errent animalia montes.

Vberior in hoc genere est Ovidius, qui non modò mundi, sed & hominis expressam creationem ita describit in sua Metamorphosi, ut quod ad rerum primam conformationem attinet, videatur poëta Latinus planeque alioqui profanus, non solùm diligenter legisse, sed & eleganter exprimere Mosen voluisse. Versus illius recitarem, nisi si & longiores essent, & essent vulgò satis decantati, & aliò properarem tam valde, ut & illustrissimas hac de re Græcorum sententias cum Mose sentientes nunc lubenter prætercam. Nam & hæc multò rectius, veriusque Moses noster: qui duplicem (ut ita dicam) creationem mundi describit: priorem materię, alteram (si nunc ita mihi loqui licet) formæ: cùm quidem illam priorem (ut dixi) Ethnici propè omnes ignorarent, qui chaós, quod vocant, semper fuisse fingunt. Moses ergo narrat: Deum imprimis creasse materiam: & quidem terram cum aqua confusam, cæcam & informem. Deinde cùm formam tanquam expolitionem huius operis confestim adderet: ex illis duobus & prioribus elementis veluti elicuisse alia duo elementa: & hisce iactis fundamentis, terrestrium cœlestiumque rerum

rum

rum quæ sunt inanimatæ, perfectionem extruxisse diebus quatuor. Mosis narratio cùm distinctè singula exponere vult, dies numerat. Sed habet ea dierum enumeratio aliquid obscuræ difficultatis, nisi si de hoc toto opere loquimur, cogitemus, sicuti Iurisconsulti scitè aiunt, ἔργον καὶ ἀποτέλεσμα. Ego hoc (ut vocatur) hexaemeron soleo partiri in duas modò partes: & priori quatriduum, creationi rerum nempe inanimatarum: posteriori verò, hoc est, creationi animalium omniũ, biduum ascribo. Quod attinet ad res inanimatas, discerno inferiores, nempe infra Lunam, quæ elementis constant, & corruptioni naturali sunt obnoxiæ ab superiorib⁹, quæ plures & simplices sunt. Sed cùm hæ crearentur, illas quoque compositas esse audio. Ergo quatriduo factum esse simpliciter dico, ut discussis tenebris, & aquis subductis, terraque exsiccata, stirpibusque veluti vestita, & aëre ætheréque educto, Luna conglobata, Sole lucente, planetisque reliquis vagantibus, & cœlo firmato, stellisque infixis, affecta sint, quæ sunt utriusque huius orbis terrestris & cœlestis. Atque hîc quidem Moses præcipuè nobis commendare videtur usum & observationem Solis & Lunæ, propter originem & cognitionem temporum. Neque non sentio, quàm id sit necesse in historia. Sunt illa profectò duo magna corpora cœlestia, imprimisque & admirabilia & aspectabilia. Sed hìc præcipuè observemus tertium, qui est telluris globus. Terram cùm dico, infusum etiam Oceanum comprehendo. Ipse Cicero (hoc enim nunc utar potissimũ auctore, si quid ab Ethnicis petendum sit) ait, terram esse globosam, & undique ipsam in sese nutibus suis conglobatam: deinde addit: ipsum autem mare sic terram appetens littoribus claudit, ut una ex duabus conflata videatur. Globosam esse ostendunt ipsarum Ecclypseôn causæ. esse in medio libratam & suspensam, ambiendo nostri negociatores suis navigationibus demonstrarunt, adeò, ut qui olim fabulosi putabantur antipodes, nunc nostris sint familiares. Cicero in Somnio Scipionis ait, terrã immobi-

lem ima ſede ſemper manere, complexam medium mundi locum. Scio quoſdam nunc ſubtilius diſputare, illam non omnino nunc eſſe, quod olim fuerat, centrum univerſi. quaſi dimota ſit à primo ſuo loco & ſitu. Sed id alij viderint. Huius globi ambitum, & (ut vocant) circumferentiam, Veteres etiam ſuo modo dimenſi ſunt, ut Plinius oſtendit. Noſtri hodie menſores Mathematici numerant quinquies mille & quadringenta milliaria magna Germanica. Audax in dimenſione definitio: ſed aliquam tamen habet demonſtrationem. Videat modò menſor (ut Iuriſconſulti aiunt) ne falſum modum dicat. Certè hunc globum, quem tanquam fundum noſtrum calcamus, & in quo hiſtoria, quam perſequi inſtituimus, conſiſtit, oportet nobis utcunque notum eſſe. Sed bene habet, nunc Geographiæ & Coſmographiæ eam eſſe lucem, ut eum veluti ſpectandum in tabula offerat, & propè manu tenendum tradat. Nihil dicam de Principum imaginibus, quæ orbem tanquam palam manu geſtare ſe fingunt: quaſi eſſent, qui dicuntur, κοσμοκράτορες. Memini quod Procopius narrat, tale quippiam olim affictum fuiſſe ſtatuæ Iuſtiniani noſtri. Sed ſacræ literæ id potius adſcribunt maieſtati dei conditoris & ſummi Principis atque Monarchæ, quem non ſolùm terram uno digito verſare, ſed & univerſum mundum tanquam pugno comprehenſum librare aiunt: & coram quo mundus totus vix ſit tanquam una gutta roris. Interea quantus ſit orbis terrarum Geographia utcunque, ut dixi, oſtendit, & eum nobis ſcitè depictum exprimit atq; contuendum dat. Multas huius globi partes fateor eſſe deſertas & incultas, in quibus hiſtoria non conſiſtet. Sed nonnullas, quæ olim iudicabantur inhabitabiles, inhabitari nunc compertum eſt. Sic & auctus eſt hiſtoriæ campus & hæc ætas in Geographia multis modis ſuperat antiquitatem. Quod ad reliquam attinet Coſmographiam ſuperiorem: in cœli ambitu & Solis, Lunæque globo, atque etiam intervallo, dimetiendo, & cum terra certa proportione conferendo, non minor no-

nostrorum Mathematicorum, quàm veterum, audacia est. Sed non est meum inter eos tantas componere lites. Rectè sanè olim iudicatus est Epicurus furere, cùm diceret, Solem esse bipedalem, ut narrat Cicero. Sed ipse Cicero tantùm infinitè dicit, Solis magnitudine multis partibus terram superari: ut & Plinio satis est, probasse terram Luna esse maiorem. Posset videri nostra ætas excellere, quòd sphęram universi etiam αὐτόματον effinxerint. Sed factum id quoq; olim esse ab Possidonio suo familiari testis est Cicero. Novum magis est & admirabile, quod hac ætate quidam observasse se confirmant, Solem indies ad terram devergere, adeò ut abs tempore Ptolomæi, annos circiter mille & quadringentos descendendo confecerit, quantum assurgendo conficere non possent multi telluris globi simul aggesti & accumulati: ita quidem, ut si deinceps ita vergat, intra quinque secula terram conflagrare necesse sit. Si, qui hæc dicunt, possunt, quod iactant, demonstrare: certè enim rem magnam & admirabilem dicunt: & quis tandem historiæ universæ futurus sit naturalis finis prędicunt. Superest reliquarum rerum, quæ animatæ sunt, creatio. Dixi biduum postremū huic impensum esse. Ac prius quidem brutas mutasq; animantes, quæ in terra, mari, aëre sunt, Deum creasse scribit Moses: tandē verò sexto die illud excellentissimum animal, quem Hominem appellamus. Sed de hoc priusquam dicamus, in quo & parvus quidem mundus inesse dicitur: fortasse quæsierit historiæ huius ordo & ratio, qua in parte anni existimemus mundum esse creatum. Dico esse probabile, quod veteres Christiani crediderunt, & olim in quadam Synodo Cæsariensi scitè definitum fuit, fuisse vernum æquinoctium. Nam & Moses in eo primum mensem collocat: qui mensis nostro Martio respondet. Olim Romani Vrbis suæ diem natalem Parilibus celebrabant ex A.D. xij. Kal. Maij. Nos mundi natalem multò magis nunc observemus. De cuius mundi ordine, ornatu, maiestate præterea quid dicam? Nunquam dici ea de re satis

Lib.1.de Fin.

Lib.2.de Nat.Deor.

poterit, quod debet. Sed quicquid potuit, dictum scriptumque ab alijs est diligenter. Itaque ineptus, nimiumque ociosus essem, si hanc descriptionem nunc suscipiam. Illud tantùm breviter dicam: Cùm ad dei cognitionem aspiramus, minimè nos hoc mundi speculum (ut Apostolus vocat) negligere debere. Sed in eo tanquam medio itinere, minimè consistendum esse, cùm ad ipsum conditorem assurgere atque penetrare debemus: qui nec temerè vocatus primùm est, nec frustrà vocari voluit, *Deus, qui creavit cœlum & terram*. Iam verò, etsi præteream multa, quæ de hac mundi conditione & constitutione rectissimè scripta sunt (nunquam enim alioqui ad eam, ad quam propero, historiam aggrederer) saltem Psalmos, quos olim Spiritus S. eo nomine dictavit, sępe in ore habeamus. Sed & magis nos inflammare potest atq; debet, quod nunc dicendum est de hominis creatione, qua deus suum (ut vocant) hexaemeron, veluti absolvit atque conclusit. Audivimus qualem quantamque diebus quinque, veluti domum extruxerit: nunc qualem dominum & incolam immiserit audiamus. Ipsi etiam Ethnici senserunt, mundum hominis causa creatum esse. De hominis ergò creatione tandem videamus.

Constat is corpore & animo. Corpus ex humo primùm deus effinxit ea forma, quam videmus: deinde animum illi inspiravit. Equidem hìc non minus obstupesco, quàm cùm intueor mundum: sed aliquid tamen delibandum est. Corporis fabricam & harmoniam multi scitè descripserunt, & omnes meritò admirati sunt, tanquam præcipuum & excellens dei opificium. Mitto eos, qui imaginati sunt quandam non dissimilem faciem in Luna anteà impressam fuisse, sicuti disputat Plutarchus in Symposiacis. Cicero in libris Academicis (ut ex quodam eorum fragmento didici) meminit quidem horum lineamentorum Lunæ: sed eo exemplo utitur, cùm probare vult, multa nostris & oculis obijci, & sensibus videri, quæ tamen nulla sunt.

De

De hominis animo quid dicam? Moses ait: Deum fecisse hominem ad imaginem suam. Lucebat certè in Sole, atque adeò in universi mundi mole & compage, non obscura dei imago. Sed in homine & eius præsertim animo, expressa quædam fuit melior veriorque effigies dei. Hoc & olim Philosophos sensisse, & ipsum Ciceronem utcunque dixisse audio. Sed sacræ literæ id liquidius describunt, cùm de nobis, in quibus deleta quodammodo est hæc imago, in integrum restituendis, renovandis, atque instaurandis: & in Christo, qui alter veluti Adamus propterea dicitur, qualis illa sit, ostendunt, ut ad eius formam revocati, fiamus homines novi, vel (ut loquuntur) induamus novum hominem, qualis primùm conditus fuit. Iam verò si quæ in nostra corruptione supersunt extrema veluti lineamenta (ut Augustinus vocat) imaginis divinæ, tam Philosophis visa sunt admirabilia, ut hominem propterea dicerent quẽdam esse deum: quid nos de imagine integra & perfecta dicemus? Sanè cùm David noster reputat, quibus hominem creatum facultatibus & beneficijs cumularit Deus, attonitus propè obstupescit. Ait sese in mundi creatione contemplari, quàm sit admirabilis deus, sed se multò magis mirari effusam dei bonitatem in hominis conditione: Quid enim? Hominem à deo ita conditum & ornatum esse, ut sit quasi deus. Rectè sanè. Sed in alio Psalmo, tantò magis detestatur ingrati hominis plusquàm belluinam vecordiam: & propterea quem ut deum aliâs attollit, postea tanquam brutum animal deijcit. Ethnici hæc non intelligunt. Interdum hominis conditionem laudant & admirantur, perinde atque si ille etiamnum esset & permansisset, qualis primùm fuit: interdum eius imbecillitatem & miseriam, quasi in ea primùm fuerit creatus, deplorant: audentque dicere hominem non tam à deo patre, quàm abs noverca natura editum esse. Vtrunque profectò improbè & intemperanter faciunt ac dicunt. Discernere enim oportuit primam cõditionem à corruptione. Sic autem valde est utile, nos historiam

Psal. 8.

Psal. 48.

aggressuros cognoscere qualis sit hominum natura, quale ingenium, quales affectus. Nam hæc cognitio nos veluti præmonet, qualem historiam deinceps expectare potissimum debeamus. Sed tantò magis meminisse nos oportet, nobis rem fore cum hominibus, non eius conditionis, in qua creatus primùm Adamus fuit, sed eius, quæ peccatum est consecuta. Nam posteritas ab homine iam corrupto traxit originem. Porrò Moses addit alterius hominis, hoc est, fœminæ, novam & admirabilem fuisse compositionem, quæ ad absolvendum genus humanum, tanquam pars altera accessit. Ac Paulus hinc elicit singulares quasdam observationes, quæ hanc historiam mirificè commendant, & illius usum illustrant, & quòd vir ante fœminam creatus sit, quodque ex viri ossibus fœmina sit efformata, maximarum rerum significationem esse ostendit. Est autem cum utriusque hominis creatione coniuncta ipsius coniugij sacrosancta institutio: utque quàm arctum sit hoc vinculum magis intelligatur, iam tum ea illi lex dicta est, quæ virum vxori suæ potius quàm parentibus adhærere iubet, & utrunque veluti in unum corpus coalescere. Hinc autem quid Malachias Propheta, quid ipse Christus, quid denique Paulus Apostolus colligat, observandum etiam erit. Cum coniugij deinde ratione coniunctum est domicilium, quod primis illis coniugibus deus veluti ἐπισάθμιον, amœnissimum in hoc orbe terrarum, tanquam in vasta quadam civitate pulcherrimum palatium dedit, eodem, quo creati sunt, die. Et quidem (quod in historia imprimis observandum est) Moses indicat fuisse certum in Mesopotamia locum irriguum, quem illi incolere iussi sunt. Veteres Christiani Persica voce appellarunt Paradisum: qua voce Xenophon in Oecon. indicat vocatos propriè fuisse hortos Regum Persicorum. Cicero in Catone, interpres Xenophontis, dixit agrum consæptum, diligenter consitum. In Sibillinis, quos allegat Lactantius, versibus, ubi de hoc Adami domicilio agitur, legimus παράδεισον, ἐριθήλεα κῆπον. Neque verò pro-

procul à Perſidis finibus ſitus fuiſſe videtur ille Adami paradiſus, quem Moſes non ſimpliciter aut confusè notat in Oriente fuiſſe, ſed indicat fuiſſe in Meſopotamia ad confluentes aut ripas eorum fluminum, quæ ab alijs ſcriptoribus appellari videntur Tigris & Euphrates, quos quidem fluvios apud Babylonem confluere & coire: deinde rurſus diviſis alveis in mare Perſicum effundi, ex Strabonis & Plinij deſcriptione intelligimus. Fuiſſe itaque paradiſum non procul ab ea regione, in qua poſtea condita eſt Babylon, ſtatuamus: & multa quæ de eo interpretes allegorici finxerunt portenta, fugiamus. Amœnitatem fuiſſe denique cogitemus maximam, qualem neque inſulis fortunatis, neque ſuis Tempe Theſſalicis affingere veteres poſſunt. Omitto, quod Plutarchus in Sertorio, & alij tradiderunt de illis inſulis. Notiora ſunt Tempe: qui fuit veluti quidam Theſſaliæ paradiſus. Aelianus ſcitiſſimè deſcribit amæniſſimum illum locum, quem & Penæus amnis, & aliquot alij fluvij confluentes alluunt: aitque non humana eſſe manu conſitum; ſed iam inde ab initio γενέσεως fuiſſe admirabile op⁹ naturæ, αὐτοματως ἐις κάλλος (ut ait) τό τε φιλοτιμησαμένης. Addit & religioni veluti conſecratum fuiſſe locum, quaſi lucum dixeris. Quia Paradiſo in Meſopotamia, ut Adamo pulſo, ſic & alijs deinde hominibus interdictum fuit: ſaltem aliquam eius umbram in illis Tempe videre poſteritas poteſt. Homini in illis amæniſſimis ſedibus collocato, & delicijs alioqui omnibus affluenti, Deum pomi cuiuſdã eſu interdixiſſe Moſes ait. Fuitq; hæc prima & unica abſtinentiæ atque obedientiæ lex, homini data: cuius quidem legis & ratio & ſanctio expreſſa quoque fuit.

Cùm hæc, quæ iam dixi, die ſexto acta perfectaque eſſent, Moſes narrat, Deum die ſeptimo conquieviſſe, eumque diem veluti conſecraſſe quieti. Quod quidem exemplum ex hac ſua hiſtoria repetitum multis pòſt ſeculis etiam laudavit, cùm ſuam ferret de Sabbato, hoc eſt, de corporali quiete diei ſeptimi: qui ſingulis hebdomadibus eſſet feriatus, ut totus rebus ſa-

cris vacaret. Sed & Epiſtola ad Hebræos aliud ex hac hiſtoria myſterium elicit. Age verò, en vir unus, & fœmina una in toto terrarum orbe. Videndum nunc eſt, ecquid agatur. Non enim ſemper feriari iubentur: miniméque fuerunt ocioſi, cum mirabilis ſemper hominum fuerit πολυπραγμοσύνη. Non poſſunt tamen multæ variæque, ubi tam rari homines ſunt, actiones nunc occurrere. Erat certè totus orbis ita paratus, ut nihil præter incolas & inquilinos deeſſet: ſicuti quædam inſulæ nuper in Oceano repertæ ſunt, amœniſſimæ quidem, ſed alioqui deſertæ: in quibus arbores, plantæ, aves, pecudes multæ: ſed homo nullus, hominum que veſtigia nulla. Verùm humanam ſolùm hiſtoriam nunc requirimus. Neque tantùm diſputamus, quid homo à deo creatus agere debuerit: ſed quid egerit, præſertim ſuo libero arbitrio relictus, quærimus: ut cùm in ſcenam Roſcius aliquis prodijt, ſpectamus, ecquid acturus ſit. Cicero: Sunt (inquit) è terra homines, non ut incolæ atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atque cœleſtium: quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animãtium pertinet. Maius quippiam eſt, quod Epictetus apud Arrianũ non minus ſcitè dixit: ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον θεατὴν εἰσήγαγεν αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν.

Ego verò longiùs etiam progredior, & quod principio huius orationis dixi, nunc in concluſione repetam, hominem eſſe à deo creatum, & in hoc mundo collocatum, non modò ut ſpectator & interpres ſit, ſed etiam ut ſit actor. Deinde ut non ſolùm rerum à deo creatarum, ſed & multò magis actionum inter homines & cum hominibus tranſactarum ſpectator ſit. Hinc hiſtoria, in quam nunc ingrediendum eſt.


Finis.

S E-

5

SEBASTIANI FOXII MORZILLI HISPALENSIS, DE HISTORIAE INSTITVTIONE LIBER.

AD LVDOVICVM ZERDAM VIRVM CLARISS.




VVM Diodori Siculi historiam de rebus Græcorum proximus legerem diebus, cuperemq́ ex ea lectione non tantùm rerum gestarum notitiam consequi, sed prudentiæ quoque ad vitæ communis usum præcepta colligere, subijt in mentem cogitatio de ratione & via omnis historiæ cum fructu legendæ ac iudicandæ exquirenda. Quam cùm doctissimorum autorum consilijs, observatione accurata, iudicioq́ interposito, adinveniri posse, & eandem ab historiæ scribendæ ratione non multum discrepare cognoscerem: cœpi tandem quicquid vel mecum ipse hac de re cogitavissem, vel optimorum Historicorũ lectione didicissem, colligere,

atque in ſcriptum referre. Platonis morem (quo plurimum equidem delectari ſoleo) in diſputationibus dialogorum ſequutus. Itaq; & ego inductis in hoc ſermone viris doctiſsimis, brevi temporis ſpacio, quod ex gravioribus ſtudijs licuit ſuffurari, dialogũ hunc de ſcribẽda, legenda ac iudicanda Hiſtoria ratione perſcripſi. Quẽ ipſum tibi ut dicarem, clariſsime Ludovice, hæc me ſunt hortata, neceſsitudo noſtra, eximium in te mei, doctorumq; omnium ſtudium, doctrina & integritas cum nobilitate illuſtri coniuncta, cæteraq; animi & corporis ornamenta, que ne in amici ore vileſcant, ſilentio à me nunc prætermitti ſatius eſt, quàm breviter nec pro dignitate prædicari. Hunc igitur librum eo quæſo animo accipies, quo reliqua noſtra ſoles. Vale.

SEBASTIANI FOXII MORZILLI HISPALENSIS, DE HISTORIAE INSTITUTIONE LIBER.

Occasio dialogi sequẽtis



Vperioribus diebus, quum apud Petrum Nannium familiarem meum, hominem ſanè doctum & eloquentem, unà cum tertio quodam communi utriuſque amico, alijsque viris eruditis qui aderant, fortè eſſem: longumque diverſis de rebus ſermonem, quod fieri tunc maximè ſolet, haberemus: neſcio quomodo quidam eorum, qui & noſtræ gentis & linguæ ſtudioſus eſſe videbatur, in eum ſermonem, ſive oblata occaſione, ſive ſtudioſè quæſita, delapſus, à me quærere cœpit: cur iſta homines noſtri, quæ tum armis in Hiſpania olim adverſus Mauros: proximè verò in Italia, Gallia, Germaniaque tum pace in Repub. ſua geſſiſſent: aut illa etiam, quæ altero novo orbe terrarum ab eiſdem primùm invento, & ſubacto accidiſſent, literis, ſicuti ſua reliquæ gentes, mandare noluiſſent: nullaque extarent factorum tam excellentium à noſtris adminiſtratorum, quàm prædicarentur à multis monumenta, præter admodũ pauca, eaque ab alijs obiter celebrata autoribus, qui dum ſuorũ res in ſcriptum referrent, narrant quidem nonnulla, quæ ſuo inſtituto cõgruere viderentur. Huic ego, quanquam vernacula lingua, nõ pauca extare ſcripta apud homines privatos ac diligentes reſpondiſſem, aliaque huius generis eſſe iam in lucem emiſſa: quæ quidem ut videbantur, non malè quædam exponerent, ſi res præſertim quæreremus, niſi quod nec elegantia, nec propria, nec diſtincta, nec ut lex hiſtoriæ poſceret, facta eſſent: quippe cùm autorum plærique

vel negligentes ornatum, veritate solùm contenti fuissent, vel quòd indocti atq; ignari artis, se temerè ad scribendum contulissent: negare tamen illi planè non potui penuriam historiarum nostrarum: cùm proximis annis, quasi nostrorum socordia adductus Ioannes Vaseus, homo Belga, diligens sanè rerum nostrarum, ut videtur, investigator, annales quosdam colligere, atq; in lucem edere cœperit. Quinetiam nostros dixi, cùm aliàs, tum hac ætate, multis atque gravissimis bellis, & intestinis, & externis implicatos, ęgrè tandem ad literas animum applicuisse: tum pauca, nullaque ferè doctis hominibus præmia fuisse antehac proposita, nisi leguleis quibusdam ac rabulis forensibus: nostra item ingenia natura elata & fervida, studiorum laborem nequaquam diu ferre, quin sese relictis literis, ad ambitionem, divitias, honoresque quærendos statim convertant, aut aliquantulum in studijs progressa, quasi ad doctrinæ summum fastigium pervenerint, ab incepto desistere, & remitti. Quinetiam perturbatione, & ignorantia hominum barbarorum omnes artes fœdatas, incultasque hucusque, sicuti ubique, apud nostros fuisse, nisi quòd nostra memoria paulatim restitui, & coli cœptæ sint, ut iam penè ad extremam perfectionem adductæ videantur. nostros verò qui semper cæteris nationibus institutorum antiquorum extiterint tenaciores, sic illas nunc etiam artes retinere, ut in barbaro illo atque horrido seculo accepissent: nec quid immutandum temerè exemplo aliorum putare, quod illud disciplinarum genus, & forma potissimũ ipsis probetur: Quibus de causis effectum esse, ut ex nostris non modò ad scribendam historiam, sed etiam ad reliquas scientias, perpauci præstantes homines sint inventi, qui ad eruditionem illorum excellentium virorum (quos ęmula Italicæ doctrinæ Hispania tulit olim permultos) accesserint, aut summam ingenij sui vim & acumen quo excellant, in aliquo studij genere ostenderint: Sed tamen hoc tempore sperandum esse, ut quum à domesticis bellis quodammodo requiescamus, sint-

qu

que iam ubique gentium, plæræque artes politæ & cultæ, ac nostri Principes doctos provehere, & in precio habere incipiant: multos suborituros, qui non solùm historias ornatè eleganterque scribant: sed qui excellant etiam in omni doctrinæ genere: ne commemorem etiam doctissimos ætatis huius non paucos qui vivant, aut paucis abhinc annis obierint. Itaque mirum non esse, si nullæ de rebus nostris historiæ extiterint in tanta rerum occupatione, in tanta principum negligentia, tantaque hominum imperitia, cùm vel apud Romanos ætate Ciceronis, cùm maximè imperium ac literæ florerent, historiæ requirerentur: dicatq; in 1. de Legibus libro Atticus, à M. Tullio historiam suæ gentis, quòd nulla tunc lectu digna esset, desiderari. Nam etsi ante illius tẽpora, post annales Põtificum, Fabius Pictor, Cato, Piso, Antipater, Venonius, Clodius, Asilo, Cælius, Accius & Sisenna extitisse perhibeantur: exiles tamen ij & enervati fuere, sicut è nostris etiam plærique, qui aut vernaculo aut Latino sermone historiam cõscripserint. Cum hæc ergo quæ homini illi respondissem, cæteris etiam placerent omnibus, meq; cùm alij ad hunc persequendum sermonem, qui iam perfectus videbatur, incitarent: tum P N. ut mihi plus satis tribuebat, quin te, inquit, exemplo isti[9] Attici (quem cõmemorasti modò) exhortari nos oportet, ut eam quæ desideratur, historiam tuæ gentis per otium scribendã sumas: neq; enim patriæ tuæ maius beneficium cõferre, aut gloriosius tibi nomen cõparare poteris. Quamobrẽ (utar enim Ciceronis eiusdem verbis) aggredere quæsumus, & sume ad hanc rem tempus, quæ est obscura & ignorata à nostrũ plęrisq;. Hic cùm & tertius ille, qui tacentibus reliquis, nostro se huic colloq. maximè ex omnib. admiscere cupiebat, & occasiõe quęsita conabatur, idẽ dixisset, méq; acrius adhuc urgeret: tũ ego, adeò me, inquã, otiosum esse putatis, ut provinciã huiusmodi ultrò invadã, quę nec me deceat diversis studijs occupatũ, & maiorẽ eloquẽtię ac doctrinę facultatẽ, q̃ mea sit, desideret? Quã doleo profectò me à vobis tam nihil fieri, ut quasi pos

ſim Ciceroni ſummo viro par eſſe, idem à me ipſi, quod Atticus ab illo, poſcatis: ſinite quæſo de me id cogitare aut exigere, cùm nec animũ unquàm ad id ſtudij adiecerim, longéque ſim aliam doctrinæ viam ingreſſus, quàm quæ ſcribendæ hiſtoriæ ſit apta. Imò verò, P. N. ait, nullum equidem veſtris ex hominibus aut facultate in dicendo, vi copiaque maiori, aut acumine ac promptitudine in ſcribẽdo celeriori vidi te vnquã: cùm per dies fortaſſe 15. aut 20. ſoleas librũ tanta facilitate, copia, elegantia, ornatuq; ſcribere, ut neſciam an idem materna lingua præſtare poſſis. Non eſt id, inquam ego, quod ab ſcribenda me hiſtoria (ſi quando oporteret id fieri) averteret: alia ſunt quæ me magis moveant, quæque longè difficiliora videantur. Nam uno quaſi ſpiritu multa conſcribere ſoleo equidem brevi tempore, ardore quodam incitatus, ut quaſi è fonte quodam iugi ac pleno effundam ſententias haud malis verbis, & oratione inculta contextas tanta celeritate, ut in ſtyli acumen ſponte plæraque ſubeant. Quæ ſunt iſthæc, P. N. inquit, cædo, quæ te moveant, ne poſſis, quæ've deterreant? An vos, inquam, hæc ignoratis? occupatio ex alienis ſtudijs: rationes vitæ diverſæ ab hoc inſtituto: difficultas denique ſumma huius rei quam exigitis. Nã ut eſſem otioſus, & huic muneri ab ipſa Repub. adhibitus, quod ægrè profectò admitterem, (nec enim ſuſcepta ſemel ſtudia libenter intermitto) tamen vererer equidem tãtum laboris ſuſtinere, ut ſicuti rerum noſtrarũ dignitas poſtulat, ea quæ longo ab hinc tẽpore, aut noſtra etiam memoria noſtri geſſerint, ſcriptis mandare. Quis enim hiſtoriam omnibus ſuis numeris abſolutam atque perfectam ſcribat, niſi orator ſummus, prudentiſſimus homo, atque longo rerum uſu in rep. diu verſatus? An putas me talem æquo animo hiſtoriam æditurum, qualem aut alij plæriq;, aut omnes ferè è noſtris antehac ædidere, ſine arte, ſine ingenio, ſine eloquentia, ſine ordine, ſine delectu, ſine diſtinctione aut varietate rerum atque verborum, ſine iucunditate ac ſale? Sanè, inquit P. N. ut verum fatear, aſſentior tibi

pror-

prorſus,iuréque ſemper tuos iſtos animi motus,ingenijque acumen maximi feci, laudaviq; apud omnes. Sed tamen ut iſta ex animi tui notione cõijcio, facilè intelligo,formam te aliquam ſcribendæ hiſtoriæ perfectam cogitare:quam eò certè magis ſuſcipere debes, quòd habeas iam veluti ſpecimen,quod in ſcribendo imitere. Atqui aliud,ego inquam, eſt animo formam rei capere, aliud verò eam exprimere poſſe dicendo: cùm cogitatio quidvis faciliùs effingat,quàm id in actionem deducat. Quòd ſi autem,uterque eorum duorum inquit,ab huiuſmodi ſcribenda hiſtoria, ut ais, te iuſtis de cauſis removes,illud ſaltem, ne cuncta nobis deneges,iuſta ſaltem petentibus explica: quænam iſthæc ſcribendæ hiſtoriæ forma,quam animo & cogitatione complecteris,ſit:ut ſi non ipſam eius imaginē à te literis expreſſam legere liceat, Ideam tamen animi tui à te verbis explicatam audiamus. Faciam verò id,inquam ego,multò libētius:nam ſi minùs hæc vobis probentur,ea in re tantùm erravero, quòd nec iudicare rectè, nec omnes eius Ideæ numeros accuratè complecti videbor:quod erit certè tolerabilius,quàm ſi in opere ipſo(quod tanquam Phydiæ tabula omnium iudicio ſit proponendum)cunctis diſpliceam: & cùm illuſtrare noſtras res velim meis literis, eas potiꝰ obſcurem. Agedum, inquiunt illi,tandem iſthæc ipſa quæ iam polliceris,profer:illud verò alterū quod ſubterfugis,efficies aliquando,ut abs te omnes expectant. Vnde igitur,inquam ego,auſpicari me vultis? quóve pacto rem agi? num Socratico more, quod videatur, percontabimini,egoque viciſſim vos interrogabo? an continua oratione id ipſum exponā? Agas potiùs, inquiunt illi,oratione cõtinua,ni quid obſtat aliud. Nobis enim curæ erit ſuo loco te interpellare, quū quid videatur quærendum. Tunc ego,quando ita,inquam, me vos audacem,atq; impudentem feſticis, ut apud vos homines longè me doctiores,& eloquentiores hiſce de rebus agendū putetis:ego,quòd vobis paruerim laudandus,in vos,quòd à me id poſtulatis,ſi quid peccâro,culpa reijcienda erit. Libenter, inquiunt illi ambo,

ambo nos culpam istam subimus. Vt autem distinctius, inquam, à me cuncta dicantur, sententiam meam omnem in primis de historia ipsa, eiusque partibus proferam, postremò de illius authore, si otium sit, dicam Non deerit, inquiunt illi, otium, quod ad nos attinet: tibi an sit, videris ipse. Erit, inquam, quod ad me: nam ego timens, ne mea oratione vos diu tenerē, id dixi. Itaque quoniam volūtatem iam vestram cerno, nihil ex eo quod modò proposui omittā. Historiæ instituendæ, mihi originem eius intuēti, hæc caussa fuisse videtur, quòd appetitu honoris & immortalitatis (qui est omnibus à natura insitus) homines principiò cognosci non modò sua, sed etiam maiorum suorum, aut eorum quos in honore summo habuissent, voluere. Cùm enim tā multa prẹclarè geri, magnaque & admirabilia contingere in vita passim animadverterent, cumque eorum à quibus hæc geri videant, desiderio & memoria tenerentur: sicut statuas, aliaque huiusmodi monimēta in eorum recordationem efficiebant, sic & historiam de illorum rebus faciendam putavere: & cùm nondum invētæ literæ essent, eam, velut sermonem quendam memoriæ proditum à maioribus, filijs relinquebāt, ut auditio hæc quasi hæreditaria ad posteros deduceretur: postea verò si quis quibusdā ut apud Aegyptios Hieroglyphicis literis illam notabāt, ut ijs intellectis, posteritas rerum à priscis gestarum recordaretur. Ita varij de antiquitate gentis cuiusque sermones apud homines eius nationis vulgati, & fama consensuque omniū usurpati ubique sunt: fuereq; semper apud Aegyptios, Chaldęos, Babylonios, Græcos, ac cęteras ferè nationes. Nam ut omittam vestigia antiquitatis, expressa apud Aegyptios in literis illis, quas modo dixi, habuere quoq; diu Hebræi fama solum, & sermonibus usurpata eadem ferè quæ Moses postea scripsit, atque is etiam sermo iam inde ab Adamo ductus per filios ac nepotes fuerat. Græci enim, ut ex Platone colligere licet, multa antiquitatis habuere diu monimenta non scripta, aut notis ullis designata, sed à priscis ore tantùm accepta, sicuti diu etiam Homerici

De historiæ origine, & caussis, autoribus, incremēto, & decremento.

merici versus, priusquàm ab Aristarchia in hanc libri formam collecti essent, in ore omnium versati, passimque cani soliti à Græcis dicuntur. Quæ omnia permagno argumento sunt, cupiditate hac relinquendi sui memoriam posteris, homines, & historias, id est, narrationes quasdam rerum gestarum scriptis mandasse, cùm primùm esse literarum usus cœpit, & antequam idem extaret, easdem in sermone vulgi ac veteri fama versari. Placet quidem, inquit P. N. isthæc tua sententia mirum in modum: perge quæso ad sequentia, quæ eò avidiùs expecto, quò sunt meliori è principio ducta. Cùm igitur, inquam ego, varij fuisse historiæ inventores ferantur, ut apud Græcos Cadmus Milesius, apud Iudæos Moses, alijsque in populis alij: id tantùm significatur, apud eas nationes, homines illos primùm cœpisse scriptis mandare ea, quæ aut iamdiu in omnium sermone erant sparsa, aut paulò antè gesta. Itaque non modò primus, si eam duntaxat nationē, apud quam extitit quisque, intelligamus, fuisse Moses ita dicetur, sed Cadmus etiam, & reliqui omnes: quanquam Iosepho gravissimo authori repugnare nolo, dicenti, primum omnium, quicunque fuerint usquam, historicorum Mosem extitisse. Eodem modo primi Græcorum Historici fuisse dicuntur Pherecydes, Hellanicus, Acasilaus: Latinorum ijdem illi, quos commemoravi suprà, Cato, Fabius, Piso, Sisenna, hisque antiquiores Pontifices maximi: qui ut apud Aegyptios & Babylonios sacerdotes, sic annorum singulorum acta scribebant sine ornatu, aut cultu aliquo orationis: quæ acta, quòd essent per annos distincta, Annalia dicta sunt. Hos reliqua Historicorum turba secuta est diversis temporibus, atque regionibus. Nulla fuit enim tam barbara incultaque natio, quæ nullam suæ gentis recordationem, nullam antiquitatis memoriam habuerit. Nam ut omittam Aegyptios, Græcos, Romanos, Chaldæos, Persas, ac totam ferè Asiam & Europam: nostri etiam Turduli, autore Strabone, literis usi, & antiquitatis memoriam, & disci-

plinarum notitiam habuisse multò ante Græcos feruntur: idque autor idem de Gallis scribit. Quinetiam in barbara illa feraque regione Indorum occiduorum, quos nostri exploratos & notos, longissimis navigationibus paucis abhinc annis primùm subiugavere: quum ijdem Motecsuma rege, multis fuissent bellis à nostris superati, & afflicti quasi fato cuidã cedentes, se nostro imperio subijcere velle tandem prædicavêre: quòd vetus in ore omnium eius gentis hominũ, & à maioribus iam inde acceptum oraculum extaret, fore, ut aliquando gens illa, atque regio hominibus quibusdam barbatis, mariq; vectis eò pareret. Quod sine dubio de nostris intelligendum fuit, qui & barba uti semper, cùm ij homines sint maxima ex parte imberbes, & mari eò delati gentem illã numerosissimam & immanem domuêre. Iidem quoque homines, præter id quod summo artificio animalium, arborumque aliarum imaginibus tanquam hieroglyphicis literis omnia describant, ut ego vidi nuper librum eo modo descriptum, & Carolo V. Cæsari oblatũ. habent etiam antiquitatis, & generis sui quique vestigia designata: ut arborem, saxum, aliúdve huiusmodi signum, quo nobilitatis suę testentur vetustatem, eaq; de re graves sæpe inter illos existunt controversiæ ac lites, quemadmodũ mihi aliquando Franciscus Mendoza vir clarissimus, idemq; mihi familiaris, qui unà cum patre illius provinciæ Prorege ibi diu fuerat, diligentissimeque cuncta notarat, ac norat, retulit ea de re diligenter percontanti. Ex quo intelligitur vel apud barbaram illam agrestemque gentem fuisse huiusmodi semper antiquitatis, veterisq; memoriæ recordationem, quam appellare historiam, licet non scriptam, possumus: & apud omnes ferè gentes, eodẽ modo antiquissimum id esse, sicuti rerum noscendarum, & relinquendæ memoriæ cupiditas, ac defunctorum hominum desiderium, præteritarumque rerum notitia penè cunctis à natura ingenita docet. Cùm hęc sit historiarum causa & origo, quemadmodum mihi quidem videtur, principiò homines (ut erant tunc rudia

dia omnia & inculta, ad necessitatemque solùm inventa) contenti solùm ipsa præteritorum memoria, nihil prçter ipsas res ruditer, ac confusè, utcunq; gerebantur, aut in memoriam scribentis veniebant, relinquere posteris studuere: atque ita Hebræi, Aegyptij, Græci, Romani, eo tempore simplicem narrationem sequuti, ieiunos quosdã, & breves Annales gestorum quasi indices descripsere. Postea verò crescente magis hominum cultu & ornatu, non modo victui, vestitui habitationi, cæterisque rebus addito, sed etiam sermoni, cùm iam nõtantùm animi sensum exprimere (cui rei satisfaciebat solùm olim sermo) nihil audire nisi politum & cultum, legeréve sine magno fastidio vellent: historiæ quoque adhibitus est ordo, cultus & ornatus. Hinc effectum est, ut ab eo ferè tempore homines, quo historicam orationem polire, colereq; cœperunt, cùm eadem rudis antea & agrestis fuisset, usque ad eiusdem perfectionem, veluti media quædam intervalla intercesserint, per quæ paulatim illa ad extremam perfectionem adducta est. Vnde historici non tam Latini, & Græci, quàm gentium aliarum exiles primò, ac rudes, ut dicebã, fuere, postea verò, culti, tersi, nitidi, elegantes, ornati, copiosi, graves. Homines enim eloquentissimi, ac gravissimi cùm & otio abundarent & patriæ suæ studio tenerentur, eo suorum res cultu & ornatu celebrare studuere, quo reliqua etiam dicere consuevissent. Ita ad barbarorum historiam scribendam Herodotus unus è primis, suavis & amœnus autor se contulit. Hunc nervosior, magisque cõcisus, artificio tamen & varietate excellens, secutus est Thucydides: posteà Phylistus, Thucydidi non absimilis: tum Theopompus & Ephorus, ambo eloquentes atque suaves: deinde Xenophon omnium, iudicio meo, præstantissimus: itemque Callisthenes Alexandri Macedonis comes, qui fuit ab illo per ebrietatem, ut Seneca & Theophrastus deplorãt, sublatus: postremò Timæus doctus, idemque non minus eloquens homo. His pauciores Latini, & minus culti, atque elegantes fuere, suo tamen in genere singuli

non contemnēdi, ut Crispus Sallustius Thucydidi similis: Livius Herodoto: Cæsar, Suetonius, Tacitus, Curtius, Iustinus, ac cæteri quos habemus adhuc in manibus, cùm tamen fuisse his plures dicantur, temporum vetustate sublati. Cùm iam in summum veluti cultus & perfectionis gradum historia esset per eos, quos iam dixi, autores provecta: habuit eadem etiam occasum suum, unà cum linguæ Latinæ, & Grecæ corruptione, cumque bonarum artium perturbatione, & interitu. Neque enim ante mille & ducentos, atque eo ampliùs annos, vel apud Græcos vel apud Latinos extitit ullus qui historiam aliquam eo cultu & ornatu, quo prisci illi, quos paulò antè retuli, scripserit. Nam post vastitatem illam à barbaris, cladem que Imperio Romano illatam, autores certè plærique, qui temporum eorum historiam literis mandavere, non minùs barbari atque horridi fuere, quàm illi ipsi barbari homines, quorum res tum describebant. Quem enim habuimus, iam inde ab ea ætate ad hæc usque tempora, vel mediocrem, & cũ antiquis comparandum historicum, aut eo dignum nomine? nisi laudare libeat Blondum, Nauclerum, Vincentium, Antoninum, cæterosque huiusmodi autores incultos, horridos, asperos, nullaque virtute oratoria aut historica insignitos. Id verò longè fœlicissimè nostro huic seculo contigit, summo Dei beneficio, quòd sicut artes omnes purgatæ, ac restitutæ ad pristinam dignitatem sunt, ita etiam historia, cùm multi docti, ac præstantes viri nostri memoria extiterint, vivantque adhuc, in Italia præsertim, qui si superiores antiquorum multis non sint, similes tamen, ac pares summis esse possint. Nam Iustino, Suetonio, Curtio possem equidem aliquos huius ætatis & nitidiores & doctiores proferre: quos, ne temerè videar de quoquam ferre iudicium, tacitus præteribo. Hic P. N. præclarè tu, inquit, ac breviter omnem historiæ originem, incrementa, progressum, autoresque ipsos retulisti: mirorque profectò, te hominem studijs gravioribus deditum: hac etiam de re tam diligenter iudicare,

ut hoc in studio videare ætatem omnem contrivisse. Quis enim suspicaretur, te hominem in philosophorum scholis, disputationumque acumine diu versatum, ocij tantum habuisse, ut animum ad huiusmodi res (quas humanitatis studiosis relinquere vos fastu quodam, atque contemptu, quasi rem minimè difficilem soleatis) induxisse aut cogitasse quicquam potueris? colas tu studia tua ut fecisti hucusque, nec invadas nostram regionem, ne lege te cogamus excedere possessione aliena. An verò, inquam ego, putatis vos eloquentiam, & hanc eius partem, quę in conscribenda historia versatur, ad vos solùm pertinere, nec eandem à philosophia nobis mutuò concessam? Fuerunt quidem ista philosophis peculiaria, nemoq; dicendi artem à philosophia, rerumque scientia seiungebat: donec extitere sophistæ veteres, indocti homines, & loquaces, qui humanitatis studia professi, deserta scientia se totos ad sermonem poliendum cōtulerunt, permagnumq; se doctrinę nomen adeptos arbitrati sunt, si eloquentes, si in historię & antiquitatis lectione versati, si autores varios scrutati, si multa ac recondita eorum loca intelligentes, si denique ad scribendum, dicendúmve apti duntaxat viderentur. Hæc quidem quàm sint exilia, & tenuia, vos ipsi me rectiùs intelligitis: quorum aliqui (aliter enim de te, Nanni, sentio) cùm in rebus plerisque ignoratione scientię obmutescant, tandem se ad philosophicum, aliúdve gravius disciplinæ genus convertunt. itaque mirari desinite, si hanc ego rerum, quas ipsi profitemini, cognitionem cum scientijs reconditioribus coniunxerim, agamq; nunc de ratione scribendæ historiæ, quasi unus è rhetorū numero, qui aliquando vel causas declamarit, vel oratoria præcepta iuvenib. tradiderit. Nam ut omittā id, quod Platonem, Aristotelem, Theophrastum, cęterosq; summos philosophos, eloquentissimis oratorib. pares in dicendo, vos ipsi facitis: id quod eloquentiā à rerum scientia nequaquam esse seiungendam declarat, quum tanti viri in utroque studio excelluerint: saltem id cogitare deberetis, non modò dicendi præce-

pta est à philosophis, esse relicta, ut ab Aristotele, Theophrasto, atq; cæteris quos vestri oratores secuti sunt, sed etiam ab ijsdem historias scriptas eruditissimè atq; ornatissimè. Quis enim tam ornatus, ac tersus historicus ullam rem descripserit, tam purè, distinctè, copiosè & suaviter, quàm narrationes illas in dialogis suis Plato, aut historiam animalium Aristoteles? Quis ad Xenophontis inaffectatam illam, ut ait Quintilianus, iucunditatem, quam nulla consequi possit affectatio; accedere potuit? omitto Theophrastum suavem & nitidum, in historia stirpium, Plutarchum, gravem autorem pariter ac doctum philosophum, & historicum prætereo: reliquos taceo, quicunque & in philosophia, & historia scribenda claruisse dicuntur. An verò putabis illos ipsos historicos, quos tanquam numina venerari cuncti soletis, Livium, Salustium, Cæsarem, Herodotum, Thucydidem, sola eloquentia instructos ad scribendum, sine scientia rerum plurimarum accessisse? recognoscite illorum in dicendo acumen, diligentiam in rerum causis, eventisq; notandis, peritiam locorum, temporum, cognitionem humanę vitæ, morum, ingeniorumque gentis cuiusque, consilia, exhortationes, disciplinam, ordinem, distinctionem rerum aptissimam: nihil horum profectò sine magna scientia, & philosophię perfecta notitia fieri potuisse intelligetis. Sed nolo vos amplius urgere, ne cùm in dicenda sentētia, audacem me esse volueritis, impudentem etiam ac protervum in extenuanda vestra professione fieri conqueramini: date id quæso mihi saltem hoc loco, quando me huc ad dicēdum impulistis, non esse id à meo instituto alienum, historiæ scribendæ rationem præscribere, aut eam ipsam, si libeat, literis mandare posse, ego rursus vos patiar libenter, & philosophiam, & cæteras bonas artes colere ac sequi. Damus id, inquit tunc P. N. & plus si voles: tu tantū perge ut cœpisti. Nunc iam, inquam ego, liberiùs tanquam unus ex oratorū numero, dicam quod sentio in reliqua mei sermonis parte: vos si quid minus rectè dicatur, id, tanquam à vestro alie-

alienum ordine me sentire putatote. De origine igitur causa quę historiæ, me quæ satis esse videbantur, dixisse iam cernitis: quid ultrà quæritis? aut qua ratione & ordine? Tu id, inquiunt illi, videris, qui iam à principio sermonem institueris, & historiæ scribendæ formam habere te animo cōprehensam significaris. Rectè, inquam ego: proximū igitur est, ut quid historia, aut quotuplex sit, exponam: postea quemadmodum eadem contexatur, & quasi suis ex partibus conformetur, dicam. Esto ita, inquiunt, ut proponis. Historiam, tunc ego, quid vulgus appellet, nemini esse dubium videtis. Est enim ipsa narratio vera, ornata & culta alicuius rei gestę, aut dictę ad eius notionem hominum menti firmiter imprimendam. Vnde Platoni in Cratilo ἱστορία dici videtur à verbo ἱστάναι, καὶ τὸ ῥοῦν, id est, sistere fluxum, eò quòd memoriæ nostræ fluxæ ac labilis infirmitas ea confirmetur, sintque illa æterna, quę sint historię monumentis consecrata. Sed vulgus ab ἱστορέω verbo, id est, narro dici arbitratur, quòd ea sit tantùm narratio rerum gestarum, dictarúmve: unde Quintiliani sententia, cùm triplex narratio sit, una falsa: altera verisimilis, ficta tamen: tertia diffusa & productior: prima, fabula dicitur seu poësis, secunda, argumentum, tertia historia. Ac fabula quidem narratio est, ut ille inquit, quæ versatur in tragœdijs, atque carminibus, non à veritate modò, sed etiam à forma veritatis remota: Argumentum, quod quū falsum sit, vero tamē est simile, ut Comœdia: Historia, in qua est vera rei gestæ expositio. Itaque partes hæ narrationis, eò inter se congruunt, quòd rem exponunt, ut est: differunt verò, quòd alia verā, alia verisimilem, alia falsam rem narret. Atque hanc distinctionem Quintilianus ex secundo fortasse Platonis de Republic. libro videtur mutuatus, qui de poëtarum lectione prohibenda in Republ. sua, deque poëmate ipso generatim edisserens, orationem, inquit, omnem aut veram esse, aut falsam: & veram quidem esse historiam, falsam autem poësim, seu fabulam. Ipsum porrò nomen historiæ, cùm ad narrationis veræ formam quamcunque latè

Historia definitio, ac partes seu formę

admodum pateat, videtur quoque sub se formas alias complecti. Aut enim aliquod breve factum & dictum narratur, aut longa & diffusa multorum eiusmodi factorum atque dictorum series: cùm breve quid narratur, simplex narratio dicitur: cuiusmodi ea est quã oratores in causis usurpare solent, aut Apophthegmatum, atque factorum singularium commemorationes, quæ in alijs sermonibus sæpe loco exempli afferuntur: cùm aut res diffusè, & longo quasi ductu orationis exponitur, multisque partibus constat, historia nominatur. Ita fit, ut historiæ tanquam unius generis multæ sint formæ: aut enim sunt Chronica, aut chronologia, aut commentaria, aut annales, aut diaria, aut narrationes breves atque concisæ, aut vitæ, aut deniq; historia propriè nominata. Chronica à Græco verbo χρόνος, id est, tempus, ita appellata dicuntur narrationes per temporũ ordinem distinctæ: cuius generis sunt illa, quæ per ætates singulas omnia describunt, ut quid ante mundi diluvium, quid postea, quid unoquoque demum tempore gestum sit. Chronologia, quanvis temporum ratio sit etiam, & in eodem significatu accipi possit, tamen ad brevem potius temporum, quàm ad rerum in ijsdẽ temporibus gestarum rationem spectare videtur; qualis est ea, quam Eusebius & alij sunt secuti. Commentaria Græcis ὑπομνήματα seu ἀπομνημονεύματα nominata narrationem concisam & simplicem summa rerum gestarum capita continentẽ significant, qualia sunt ea Cæsaris, quæ vulgò circunferuntur, de rebus à se gestis: aut Xenophontis de Socratis vita: aut Ptolomæi Aegyptiorum regis, illa quæ citat Athenæus. Annales propriè à Romanis nominati sunt res singulorum annorum à Coss. totaque Republ. gestæ, & in scriptùm à Pontificibus maximis relatæ: quanquam pro historia quacunque à quibusdam usurpari soleant. Diaria Græco nomine ἐφημερίδες dicta sunt ea, quæ singulorum dierum acta continent, quæ eadem annalibus comprehenduntur. Narrationes breves communi voce appellari possunt quæcunq; expositiones seu

com-

commemorationes rerum: vt exemplorum, factorum, dictorum digressiones, argumenta, & quæcunque demum narratio sit, seu obiter, seu ex instituto facta. Vitæ dicuntur, hominum aliquorum, & gestorum descriptiones: quales sunt Plutarchi, Philostrati, Diogenis Laërtij, Suetonij, Dionis, cæterorumque omnium, qui vitas aliquorum scriptis prodidere. Historia denique, ut anteà quoque dicebamus, plena, copiosa, vera, dilucida, ornataque rerum gestarum est expositio. Qua quidem nihil humano generi utilius præstantius, divinius, aut necessarium magis accidere potuit. Cuius de laudibus (ut nunc plura dicam) cùm multa sint, eaque huic loco accommoda, peto à vobis, amici, ut aliquantulum mihi evagari per vos liceat. Facilè quidem, inquit P. N. per nos tibi liceret, nisi multò esse utilius videretur inceptum ordinem persequi, docereque deinceps, quæ partes ac leges perfectæ historiæ, quam proposuisti ultimo loco, sint. Et istud, inquit etiam tertius ille, maximè opportunũ & commodum est. Quo nomine vehementer te oratum volumus, ut quo cœpisti ordine progrediare. Hic ego cùm vinci me ac persuaderi facilè hac in re permitterem, in qua commodissimum fore videbatur, ut institutum sequerer: quando, inquam, historiæ originem, & quid ea esset & quotuplex, hactenus retuli, obsequar petitioni vestræ, hortatuque isto adductus, quæ partes, officiaque illius sint, deinceps exponam: videlicet quæ leges historiæ perfectæ, & quæ contrà vitia imperfectæ sint: deinde qualis futurus sit eiusdem scriptor: postremò quo sint consilio, & iudicio legẽdæ historiæ. Atqui si hæc, illi inquiunt, te ad dicẽdum propositum intellexissemus, non multùm profectò à nobis relictum tibi esset otij ad hæc quæ dixisti, afferenda. Bona quæso, tum ego, verba, inquam, ô amici: quid erat à me amplius poscendum, quàm obtinuistis? Audite iam quæso, ut ad rem institutam accedam. In primis, quoniam historiam, narrationem esse quandam rerum præteritarum aut præsentium iam cõstitit, eadẽq; utrarũq; ratio est: duo sunt in hac spe-

ctanda: Primum, ut res narrãdæ eligantur: secundum, ut eædem suis locis aptè & ornatè disponantur. Vtrunque natura, iudicio, arte, imitatione, consilio, prudentiaque summa constat. Quocirca singula nos ordine persequuti, quemadmodum res quæ in historiã cadant, eligendæ sint, videamus. Dionysius Halicarnasseus diligentissimus rerum Roman. scriptor, in quadam ad Cn. Pompeium epistola, in qua de Platonis stylo disserit, id primo in historia scribenda putat cernendum, ut commodum gratumque lectoribus argumentum quæratur, id quod Herodotus fecerit, qui res iucundas, lectuque dignas conscripserit. Sed hæc mihi eius sentẽtia nequaquam probatur, cum omnia narrari velimus, quantumvis ea aspera, dura, inamœnaque sint: cumque eligendi res, quas ipse narret, historico optionem nõ relinquamus, sed urgeamus potius, ut nihil cognitu dignum prętermittat aut taceat. Quid inamœnius, exiliusúe bellis illis, rebusq; à Popul. Rom. gestis, paulò pòst urbem conditam? at summa cũ voluptate minima illa, & tenuia in Livio legũtur. Quind truculentius, asperius, laboriosius eidem Pop. Rom. quàm Punica bella? at placet ea fortunæ commutatio, illi casus bellorum diversi, illa incommoda utrinque accepta, eæ calamitates, illa denique angusta & turbida tempora. Ergo nihil tam asperum nobis adversarijsúe prosperum erit, nihil tam molestum, periculosum, nihil tam exile, aut parvum, quod tamen cognitu dignum existat, quod in historia scribenda prætermitti debeat. Voluerũt aliquando Romàni, deserta urbe, Veios migrare: ijdem in Capitolium, civitate à Gallis occupata confugere: affecti porrò magnis cladibus ab Hannibale vix intra mœnia urbis tuti erant: ea tamen à Livio scripta non displicent, nec Romano nomini laudis aut honoris detrahunt quicquam. Quapropter non est is habendus in argumento historiæ quærendo, delectus, ut quæsita lectoris voluptate, amœnitatéve solùm, verum quid aut utile prætermittatur, cùm id vitium vel maximum sit. Nec verò, ut idem autor scribit, sciri oportet, quid sit

sumen

sumendum, aut omittendum, quum omnia narrari, nihilque necessarium taceri oporteat: nisi fortè tam exile ac minutum sit aliquid, ut commemorari per se nequeat. Sunt enim magna & utilia narranda, non singula quæque: quæ si prætermittantur, nihil planè intersit. Velut si quis prælij cuiusdam accerrimi descripturus conflictum, quomodo gregarius aliquis miles armatus prodierit, narret, nisi res fortè magni momenti sit, is quidem inutiliter ac inconsultè faciet. Quo nomine sic habendus rerum narrandarum delectus erit, ut quidquid contigerit, penitus cognoscatur: atque idem nisi tam vulgare, ut taceri sit commodi⁹, in scriptum referatur. Vidi ego nuper Hispanica lingua scriptam historiam, de rebus gestis à nostris in novo terrarum orbe, cuius partem nos Hispaniam novam, gens illa Mexium vocat: in qua cùm is multa inusitata & mirabilia, ut sunt certè omnia, memoret, obiter tamen, quomodo miles quidam gregarius à barbaris captus, & ad sacrificium ductus, carbone quodam in loco nomen suum descripserit, narrat. Quid puerilius aut levius, quàm hominem magna narrantem, quasi summo è vertice montis ad infimam convallem præcipitem decidere, nec æquabilitatem historiæ dignitati congruentem servare? Quantò melius Sallustius, Livius, cæteriq; summi viri, qui nihil nisi magnum, grave, utile, gratum aptumque dicunt: vulgaria verò & minuta quæque omittunt: quæ nec historiæ dignitatem decentia, nec lectu digna sunt.

Quomodo vera narranda in historia.

Cùm hìc principio rerum delectus fieri debebat, narrandaque solùm sint magna atque gravia: proximum est ut in fabulis & portentis vitandis sit cautio diligēs. Nam fabulis, ut Herodotus fecit, historiam aspergere turpissimum est, & maiestate veritatis maximè indignum. Narrare verò portenta quædam, qualia in Græcorum Gallorúmve historijs permulta sunt: ut quod Athon montem Xerxes diviserit, fretóque pontem fecerit, quod decem Græcorum millia navali prælio sexcenta millia Persarum occiderint, quis prudens vir non irrideat? Est illud præterea videndum, ne cupi-

ditate, metu, adulatione, affectu, odio, studióve quicquam dicatur: cùm veritas nudè narrari debeat, nullo autem colore adumbrari. Nam cupiditate divitiarum, dignitatis, honorisve, metu periculi impendentis, aut inimicitiarum, aut odij cõflandi, adulatione blanda in eos quorum gesta scribantur, affectu in proprias res, odio in alienas, studioq; partis alicuius narrare quicquid vel minimum, certè vitiosum est, & in historia potissimum fugiendum. Qua de causa non modò in alijs, sed etiam in Livio nimias illas Romani populi laudes, comparationes cum gentibus alijs, exaggerationes, & reliqua huiusmodi, quæ sunt plærunque affectu plena, & studio rerum patriarum, minimè probo, quòd veritatem sæpe prudentibus viris maximè reddant suspectam. Sed neque narrari quicquam turpe, aut inhonestum velim, tametsi eius generis incidant in narrationem aliqua: cùm si ad lectorum utilitatem & institutionem historia scribenda sit, vitari etiam omnis vitiosi exempli significatio debeat, ut vel res turpes omittantur prorsus, ne offendant lectoris animum, vel dum eædem narrantur, id tam honestè ac decorè fiat, ut ex turpissimis fiant auditu, lectuque dignæ. Etenim si vel dum loquimur quotidiano sermone, decoram honestatem servare oportet, ne quod placebat Stoicis ac Cynicis, suis quæque nominibus dicatur: multò id certè magis in historia fieri decet, in qua non modò facta, dictaque considerantur, sed etiam verba, orationeque ipsa. Possem huius rei vobis exemplum, ut eadem illa novi orbis historia, quam commemoravi modò, adducere: in qua ille author quædam turpia verbis non satis decoris sæpe dicit, ut magnum adferant auribus honestis fastidium. Quem nunc, ut omittam, nec illam etiam Antonini, Heliogabali, Caligulæ, Commodi, Sardanapali, aliorumque huiusmodi hominum vitia turpissima tam accuratè describi velim, aut commemorari: plus enim incommodi afferunt lecta, dum prava homines docent ad vitia suapte natura pronos, quàm utilitatis in dehortãdo ab ijsdem sceleribus. Quotus e-
nim

nim quisq; tam moderatus, beneq; affecto animo est, ut eum Antonini Heliogabali mollicìem effœminatissimam à Lampridio commemoratam, Sardanapali luxum, C. Caligulæ sævitiam voluptuariam, ac dissolutam Persarum regum, Sybaritarũ, aliorumq;, quos vel Athenæus, vel alij autores commemorant, audiat, non multa discat continuò prava, vitiosaq; nunquam audita & usitata, quæ unà cum eorum inventoribus sepeliri, quàm hominũ memoriæ mandari commodius fuisset? Quare si meritò Plato è Republica sua poëtas, quòd pravos affectus in hominum animis generent, quòd molles, effœminatos, impios, levesq; faciant, eijcit, id quod nemo probus aut prudens improbabit: profectò dubium non est, quin eandem ob causam in cõscribenda historia, tametsi verè omnia scribẽda sint, aliqua tamen nimis turpia & scelerata, quæ exemplo suo nocere magis quàm prodesse possint, præsertim iunioribus & imperitis, omitti sit longè utilius ac melius. Cùm si legendæ historiæ finis sit, humanæ vitæ institutio recta, nõ modò bonis exemplis ad rectè agendum sint homines invitandi, sed etiam prava & vitiosa sæpe taceri, ne noceant, moneantque quodammodo rudiores rerũ multarum, longè commodius videatur. Qua de causa Solonem nullam de parricidio tulisse legem ferunt, ne exemplũ sceleris potius daret, quàm pœnam eiusdem puniendi statueret. Sic & oratores, poëtas nõ omnes legi, sed puriores honestioresq; volunt. Sic demum virtutis est, & in factis & dictis moderationem, decorum, integritatemq; tueri, nec modò tueri, sed & occasionem omnẽ vitiosi exempli vitare: ne illo nostra ad vitium proclivis natura irritata paulatim, aut impetu aliquo præceps labatur. Quinetiam omnia vera, & quæcũq; acciderint, conscribenda sunt, si nec sint utilia: nec iucunda, ut ipsa per se sui utilitate & amœnitate auditorem facilè alliciant. Vtilia verò erunt, quæ honesta, quæ vera, quæ ad vitæ institutionem ac documentum accommodata sint: ut principum ac prudentum consilia, ut magistratuum decreta, ut Imperatorum stratagemata, ut

bellorum eventus, & confectiones præliorum, ut opportunitates locorum, ut temporum vicissitudines, ut reliqua demum exempla factorum, dictorumve excellentium. Iucunditas verò ita cum utilitate iungenda est: quemadmodũ rectè Lucianus monet, ut hanc illa sequatur, non hæc illam. Siquidem rerum quæ narrentur amœnitas, quærenda sic est, ut lectorem ipsa pariter ad percipiendam oblatam utilitatem alliciat: quemadmodum medicamentis utilibus ac necessarijs suavem aliquẽ addunt saporem Medici, ut eadem salutis causa facilius ab ægroto sumantur. Verùm hac de re plura dicentur tunc, cùm de ornatu & vestitu orationis historicæ agetur: nunc satis sit, ut omnia paucis complectar, id de narrandarum in historia rerum delectu præcepisse, primùm, ut vera omnia dicantur, falsi verò nihil: secundum, ut nulla gratiæ simultatísve suspicio appareat. Quæ quidem duo præcepta latissimè admodum patent, non solùm ad hunc rerum delectum habendum, sed etiam ad dispositionem iudiciumque historiæ. Sunt enim hæc (sicuti ait M. Tullius in libro de Oratore) tanquam historiæ fundamenta & capita, quibus res tota innitatur. Nam & ea de causa historia est, & vocatur, quòd non fabulosa, ut in poëmate, nec verisimilia, ut in argumento, sed certa, explorata, nudaque fuco omni & suspicione falsitatis, affectusque alicuius veritati detrahentis narrentur. Quo in genere summum Salustius adeptus est laudis nomen, quòd vel odio suo in multos, præsertim in Ciceronem, pepercerit, dummodo veritatem nudè narraret. Nam Ciceronis (quem habuit adversarium acerrimum, ut eius declarat oratio invectiva) prudentiam, constantiam, consilium, cæterasque virtutes nequaquam tacet, aut aliorum more extenuat & innuit. In cæteris quoque rebus nihil amicis plus laudis, quàm inimicis tribuit: itaque affectu omni vacuus, simultate, amicitia cuncta sic narrat, ut iudex fuisse factorum atq; dictorum, non scriptor, videatur. Contrà Græci tanto suarum rerum studio tenentur, ut soli historiam sibi scripsisse, assenta-

tarique voluisse videantur, non alijs eam gravioribus ac sanioris iudicij viris probare voluisse. Quapropter mendaces & leves appellati sunt, sicuti Iuvenalis testatur:

——Et quicquid Græcia mendax,
Audet in historia——.

His propositis generatim de rerum scribendarum inventione, & delectu: dicam etiam, si placet, eadem de re distinctius & accuratius, ut melius per partes omnia probentur. Placet verò, ambo illi dicunt, idq; à te dudum expectamus. Ego tum, inventis ita, inquam, rebus, & tanquam ex longa serie & cōfusa sumptis, accedat inventioni ordo ac iudicium in investigando quid dicatur, necesse est. Cum enim non tam in historia quàm enarratione omni docilitas spectetur, vitanda est omnis confusio & perturbatio rerum, ne dum omnia involvuntur, ac temerè, ut sese offerant, dicantur, nihil percipiatur, commodeque dicatur: cùm ordo & ad docendum & ad memoriam firmandam, & ad persuadendum multum conducat. Lectis itaque rebus & sicuti ad bonam ædificationem necessarijs comparatis, talis est adhibenda earum conquisitio, ut quemadmodum boni architecti priusquam perficiãt, & ornent ædificium, fundamenta, parietes omnemq; aream, & ambitum rudem initiò faciant, postea singula distinguant & ornent: sic in describenda historia primò res generales quærantur, postea disponantur, ornentur & vestiantur. Atqui hoc certè eo est difficilius, quo sunt pauciores, qui aptum rerum ordinem invenire, aut inventũ perpetuò servare possint: quod magno iudicio, prudentia, arte, consilio, exercitatione que constat. In hac igitur re, quæ ut difficilis, ita cognitu necessaria est, sinite quæso quid sentiam, prolixius me, quàm feci hactenus, aliquãto docere: quia res ampla describi paucis non potest. Imò verò, illi inquiunt, à te id ipsi efflagitamus, eramùsquè, ni esses præfatus, postulaturi. Hìc meo, inquam ego, iudicio, ac potius bonorum omnium authorum servandus in inveniendis rebus, quæ sint narrandæ, erit ordo.

De rerum in historia dicendarũ delectu & partibus.

Primùm, ut quæ ſint dicenda, quæramus generatim, quaſi quæſtionem in diſputatione præcipuam. Secundùm ut partes ſingulas velut queſtiones communi illi ſubiectas perſequamur, ut ſuo diſponantur loco. Atque hoc primum ipſis de rebus præceptum ſit: de ordine verò & oratione eiusq́; partibus poſtea dicetur prolixè. Invenire itaque, ut res in hiſtoria narrandæ ſint, tametſi ad communem illam delectus rationem, de qua ſuprà dixi, pertineat, tamen eſt hoc loco accuratius exponendum, in quo & inveniri omnia & diſponi iam inventa pariter volumus. Hæc igitur proponẽda ſunt primùm quaſi generalia, ut exemplũ aliquod fingam, ſcripturos nos de noſtrorum hominum in novum orbẽ expeditione ac navigatione, rebusq́; in ea regione geſtis. Hoc tanquã theſis eſto primò comprehendenda & conſtituenda, cuiuſmodi ſanè rem videmus à Livio, Saluſtio, Cæſare, Tacito, ceterisq́; ſibi ad ſcribendum propoſitam. Nam illud ſive bellum unum, ſive rerum omnium civitatis, popularive, aut principis alicuius narratio, quæ ſcribatur, ab hiſtorico ſuſcepta eſt uti theſis præcipua toto in opere cõſtituta, in qua his habendus eſt delectus, quod antè diximus, ut vera omnia ſumantur, nõ falſa, ficta aut adumbrata, ſtudióve aut affectu aliquo elata, non turpia, non portentoſa, non inutilia & minuta. Hæc ipſa in univerſum propoſita, apertius per partes explicata intelligẽtur. Principiò res hoc ordine invenientur & collocabuntur, priuſquam oratione veſtiantur, ut temporum, quibus ſit quídve geſtum, prima habeatur ratio: imò tota hiſtoriæ ſeries nullam habebit aliam diſpoſitionem, nullumq́ue ordinem præter eum qui ſequatur tempora: quoniam ſi hiſtoriæ finis eſt, ut quęcunq; præterierint, ita noſcas, ut ijs interfuiſſe ipſe videare, certè ſcribẽda ſic erunt omnia, ut ſunt geſta dictáve. Exemplo huius rei eſt T. Livius, qui res Romanas ab ipſo Vrbis exordio ſcribere auſpicatus ad ſuam uſq; ætatem hiſtoriam ratione temporum obſervata perſequitur. Cæſar etiam ex eo tempore, quo primũ eſt cum exercitu in Galliam profectus, res à ſe geſtas ad

Qua methodo res in hiſtoria narrãdæ invenientur, et collocabuntur ſuis locis.

ad belli exitum narrat. Id ergo primùm in hac parte præceptum sit, ut temporum ratio habeatur: ita tamẽ ut ea nón distinguãtur annorum singulorũ aut mensium dierúmve spatijs, sed toto rerum decursu, & serie. Nam singulorum annorum gesta describere, quod in Annalibus Pốtif. maximorum fiebat, sæpe opus non erit, cùm pauca sæpe uno anno memoratu digna contingant: multóque minus eandẽ ob causam, aut mensium, aut dierum singulorum acta, quæ sunt Diaria nominata. Quo nomine rerum gestarum rationem sequantur tempora, non è diverso: id quod in Livio, Cæsare, ac cæteris bonis autoribus perspicuũ est, qui ita res narrãt, ut nulla quasi intermissione temporum facta accidisse videantur, temporaq; obiter designentur, non quid quoq; tempore actum sit ita dicatur, ut maior temporis, quàm rei gestæ habeatur ratio. Exempli causa, Livius sic narrationem universam persequitur, ut illa omnia quę scribat continuo decursu, atq̃e uno quasi tractu, sine intermissione accidisse putentur: tempora verò atq; eorum ordinem nunquam, nisi à narratione digressus, re ipsa id postulante, obiter notat, veluti libro 8. Decadis primæ. Idem illa Romana tempora, quorum res narrat, collatis aliarum gentium rebus sic refert: Eodem anno Alexandriam in Aegypto proditum conditam: Alexandrumq; Epyri regem ab exule Lucano interfectum, sortes Dodonęi Iovis adfirmasse. Idem lib. 2. eiusdem Decad. tempus per res ipsas pop. Rom. sic distinguit: Liberi iam hinc populi Romani res pace belloque gestas, annuos magistratus, imperiaque legum potentiora, quàm hominum peragam. Idem alias non semel postquam multa narravit, id profert continuò in medium: quo ea tempore gesta sint, quot anni tunc ab Vrbe condita agerentur, quod item lustrum fieret, qui Coss. essent, quæ apud alias nationes accidissent. Hæc verò nequaquam ita cốmemorat, ut dicat hoc anno id gestum esse, sequenti illud, postea hoc aut aliud: sed hæc omnia continenter effecta esse ab eo tempore ad illud. Atq̃e hæc temporis significatio in historia commodis-

Quomodo tẽpora in historia notanda sint.

ſima aſt ad res diſtinguendas: contrà verò in Chronicis atque annalibus res ad ſingula tempora referuntur, ſervato curſu atque ſerie eorundem: minimè tamen ad res ipſas accommodantur tempora, ut fit in hiſtoria. Quanquam verò eadem rerum exponendarum ratio videtur eſſe, ſive res ſequantur tempora, ſive contrà tempora res ipſas, quòd ſive Annales fiant, ſive Chronica ſive commētaria, temporum ratio quæratur, rerumque in ijs evenientium cognitio: tamen aliam perfectæ hiſtoriæ, quam hîc deſcribere volumus, aliam Annaliū aut Chronicorum eſſe formam putandum eſt. Nam ad Annales Chronicáve aut cōmentaria ſcribēda, perfacile eſt rationem temporum ſequi, actaque omnia eorundem ratione habita, ſimplici nudaque narratione complecti. At in hiſtoria, (quam plenam, quam abſolutam, perfectam, quā partibus omnibus ſuis, aptiſſimè conſtitutam fingimus) ea eſt omnino ſervanda forma, quam dixi in temporum deſcriptione notandam. Diſtinctis igitur rebus, & hoc modo delineatis, ut cognoſcatur quid quoque tempore actum ſit, ita tamen ut nec exiliter & minutè ſingula tēpora cōmemorentur, niſi quum res poſcat: ſpectanda quoque locorum, ubi quidque ſit geſtum, eſt forma: ſiquidem ad memoriam & rerum notitiam maximè id cōfert: velut ad recordationem etiam faciliorem, imaginibus, notiſque per certa loca diſpoſitis uti ſolemus. Itaque ſi hiſtoria diſtincta & illuſtris futura ſit, non ſolùm temporibus ſunt res diſtinguendæ, ſed etiam locis. Quod ſolent plerique ferè Coſmographi facere, dum vel regiones deſcribunt, vel civitatum ac montium ſitus, vel fluminum curſus, vel maris ſinus ac portus, cæteráve eiuſdem generis: quæ cùm in ijs ſpectanda ad notitiam ſunt, tum in hiſtoria maximè. Quam quidem ad rem Coſmographiæ accurata notitia & peregrinatione, ac multorum vel mercatorum, vel nautarum (qui propter frequentes peregrinationes, locorum notitiam habent permagnam) relatu, fide, vel militum aut eorum qui rebus ipſis geſtis interfuerunt, narratione

Quomodo loca notāda et deſcribenda in hiſtoria.

certa

certa, si Historicus ipse non interfuerit fortè, opus est: ut noscatur quæ regio quæque sit, & qualis, quæ eius natura, situs, aër, quod cœlum, qui homines, quale illorum ingenium, mores, vitę ratio, quæ civitates, quę earum administratio, quæ ratio, qui apparatus, qui cives, quæ eorundem disciplina: tum quæ planicies agrorum, qui montes, quæ flumina, quę maria, qui portus, qui sinus, quæ gentium aliarum vicinitates: ac demum tenenda est diligenter totius Cosmographiæ ratio & cognitio, ut quoties sit cunq; opus, vel civitatis obsidionem, vel oppugnationem describi, vel castrorum formam, vel exercitus itinera, vel locorum opportunitates, vel gentium quibus cũ bella sint gesta, subsidiáve ab ijs accepta, commeatus, mores, ingenia, cæteraque huiusmodi significari: hæc protinus nota & perspecta, tum ex Cosmographię peritia, tum si ea desit, ex relatu aliorum certò occurrant. Sed quoniam hæc omnia latè admodum patent, nec facilè doceri, nisi ratione aliqua circunscribantur, possunt: distingui ea sic oportet: ut quando res quę gerũtur, aut bellicæ sunt, aut urbanę: eædemq; bellicæ, tum marinæ, tum terrestres, & in utrisque loci potissima ratio habeatur: pernoscenda sit regionis cuiusq; descriptio, unà cum eius terminis, ac regionibus finitimis, tum maris, sinuum, portuum, promontoriorũ, vadorum, insularũ, classium, navigationumque forma. In ipsa porrò terra, præter totius regionis rationem, montes, valles, planicies, flumina, agri, eorum fertilitas aut sterilitas, cultus, aut vici, cæteraque huiusmodi cognoscenda sunt. Quinetiam in civitatum descriptione earũ situs, amplitudo, angustia, mœnia, munitiones, ædificia, suburbia, cives, ipsorumque ingenium, natura, cultus, mores, tota Reipublicæ ratio explorata & nota esse debebit, ne cum harum rerum opus sit descriptione ad historiam illustrandam, cęci & peregrini videamur. Exempla huiusmodi descriptionum singularum extant in Cæsare, Salustio, Livio, atque cæteris multa: quorum è numero ad rem unam quanque ostendendam aliquot adferemus. Cæsar initio libri primi de bello

Quo ordine loca distinguẽda describendaq; sint

Gallico, & situm, & partes, & terminos, & vicinas eius provinciæ nationes ita describit: Gallia est omnis divisa in partes tres: quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtę, nostra Galli appellantur. Ecce regionis descriptio. Maris verò alicuius, ut Siculi, Gallici, Balearici, Hispanici, cæterorúmve similium quoniam communis est, ac eadem ferè apud Pomponium Melam, Plinium, Strabonem, reliquosq; cosmographos descriptio, exemplis Historicorum opus non esse arbitror, cùm facile sit cuiusque horum maris naturam, formam, sinus, portus, promontoria, insulasque describere: ut vel ex Cæsaris lib. 5. Comm. de bello Gallico, in expeditione in Britanniam ac navigatione, descriptioneque insulæ licet cognoscere. Itaque hæc, & quæ communia & apud Cosmographos obvia sunt, nunc prætermittantur. Agrum verò aliquem, eius fines, formam, fertilitatem aut sterilitatem, cœli temperiem, cultus rationem, montes, ædita loca, planiciem, convalles, fluviorum cursum, latitudinē, ortum, rapiditatem, commoditatem vel ad irrigandos agros, vel ad navigationem, inundationes, fontes, eorumq; naturam ac formam: reliqua etiam huiusmodi loca, una ferè & eadē omnino cum superiori, forma ac ratione depingere licebit: itaque res haudquaquam exemplis doceri vult, cùm aperta sit atq; facilis. Civitatem item describere non est difficile, cum quivis situm eius, formam, ædificia, munitionem, circumiacentis agri commoditatem, suburbia, reliquaq; omnia, quæcunq; spectari in civitate aliqua possunt, considerare ac in scriptum referre, quum res poscat, possit. Cuius rei exemplo sit illa apud Cæsarem Alexandriæ descriptio in lib. de bello Alexādrino: Alexādria est ferè tota suffossa, specusq; habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in privatas domos inducitur, quæ paulatim spacio temporis liquescit ac subsidit. Hac uti domini ædificiorum atque eorum familiæ consueverunt. Nam quę flumine Nilo fertur, adeò est limosa ac turbida, ut multos variosque morbos efficiat: sed ea plebs ac multitudo cōtenta

est,

est necessariò, quòd fons urbe tota nullus est: hoc tamen flumen in ea parte urbis erat, quæ ab Alexandrinis tenebatur. Athenarum quoque descriptionem apud Plutarchum in Thesei vita, & Pausaniam licebit intueri accuratè factam. Carthaginis item novæ in Hispania à Scipione expugnatæ situm à Livio, Deca. 3. lib. 6. sic designatum audite: sic enim de Scipione scribens ille ait: Ibi quibusdam suadentibus, ut quoniam in tres tam diversas regiones discessissent Punici exercitus, proximum aggrederetur: periculum esse ratus ne eo facto in unum omnes cōtraheret, nec par esset unus tot exercitibus, Carthaginem novam oppugnare statuit: urbem quum ipsam opulentam suis opibus, tum hostium omni bellico apparatu plenam (ibi arma, ibi pecunia, ibi totius Hispaniæ obsides erāt) sitam prætereà cùm opportunè ad traijciendum in Africam, tum super portum satis amplum quantævis classi & nescio an unum in Hispaniæ ora, qua nostro adiacet mari. Atq; de civitatum descriptione hæc satis: quæ cum Poëtis etiam historicis est communis: ut cum Virg. qui lib. 1. Aeneid. diligenter admodùm depingit Carthaginem, & Palanteam Evandri regiam: cumque Poëtis ferè reliquis, præsertim heroicis, qui historicis sunt persimiles. Nec verò descriptio locorū satis est in historia, quum hæc ad res illustrandas & distinguendas sumantur, sed consilia & causæ gestorum multò magis exponendę, quò ipsis cum rebus gestis magis coniuncta sunt. Nam si factorum aliqua in re omnium commemoratio fieri debeat, quum nihil in ea grave ac necessarium prætermitti oporteat, tum est illud præcipuè spectandum, ut causæ consiliaque factorum explicentur. Causæ autem atque consilia tametsi aliquo modo eadem esse videantur, quatenus acta & eventus ex ijs pendent, diversa sunt tamen: quia causæ sunt eæ, quæ inducunt ad quid agendum, ut bello Punico causam præbuit Sicilia à Romanis occupata: consilia verò sunt illa, quæ in deliberando sumuntur, ad aliquid administrandum: ut in eodem ipso iam excitato & indicto ducum stra-

Consiliorum in historia notatio, itemq; causarum quomodo facienda.

tagemata: vel antequam idem denuncietur, id quod populum principemque aliquem ad illud gerendum moveat. Itaque causa consilio prior est, & quasi prima rei gerendæ occasio: consilium, id quod oblata occasione susceptum, ex deliberatione nascitur. Causæ quidem ut primæ ac voluntariȩ, sic variȩ sunt, & varijs ex eventibus contingentes. Nam aut cupiditas dominandi ad bella homines excitat; ut Ninum Assyriorum regem, quemadmodum scribit Iustinus, & Alexandrum Macedonem: aut ulciscendæ iniuriæ studium, ut olim pro recuperanda Sicilia Carthaginenses Romanis bellum intulere: cùm enim tot sint, quot dixi, bellorum, Platone li. 2. de Repub. autore, occasiones, tot erunt etiam causæ bellicis rebus datæ. In civilibus autem negotijs plures esse causȩ rerum possunt ut mutationes legũ, seditiones, simultates civium, magistratuum dominatus, coloniarum deductiones, civitatis lustra, navigationes novæ, inventa, portenta, multaq; huiusmodi alia, quæ & incidunt quotidie, & causam præbere scribendæ historiæ possunt. Ac bellorum quidem varias causas pereleganter nos recensere docuit in libro 3. Decadis primȩ Livius, secundi Punici belli occasionem declarans: Odijs etiam, inquit, propè maioribus certarunt, quàm viribus: Romanis indignantibus, quòd victoribus victi ultrò inferrent arma: Pœnis, quòd superbè avaréq; crederent imperitatum victis esse. Fama etiam est, Hannibalem annorum fermè novem, pueriliter blandienté patri Amilcari, ut duceretur in Hispaniam: quum perfecto Africano bello, exercitum eò traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris iureiurando adactum se, cùm primùm posset, hostem fore Popul. Romani. Angebat ingentis spiritus virum Sicilia Sardinaq; amissæ. Nam & Siciliam nimis celeri desperatione rerum concessam, & Sardiniam inter motum Africæ fraude Romanorum, stipendio etiam superimposito interceptam. Hasce omnes causas, plurésque his eleganter, & scitè admodum recenset Livius. Atque hic porrò locus recensendarum causarum & consiliorũ com-

munis

munis est historicorũ cum Poëtis: qui narraturi quid grave atque magnum, causas etiam consiliaque eius exponunt, id quod libro 1. Aeneid. Virgilius fecit in exponenda tempestate, qua Troiana classis oppressa & afflicta est, hoc modo:

Urbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni:
Carthago Italiam contra, Tyberinaq; longè
Ostia, dives opum studijsq; asperrima belli,
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo: Hic illius arma,
Hic currus fuit: Hoc regnum Dea gentibus esse
Si qua fata sinant, iam tum tenditq; fovetq;:
Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces:
Hinc populum latè regem belloq; superbum
Venturum excidio Libyæ, sic volvere Parcas.

Reliquas item causas odij Iunonis in Troianos eodem modo persequitur, Causarum verò aliarum, quæ penè infinitæ sunt, & plerumq; in eventu positæ, sive sint rerum urbanarum, sive bellicarum exempla, plura proferre necesse non est, ne minima quæq; persequar: satis sit docuisse paucis, notandas esse rerum narrandarum imprimis occasiones, ipsáq; non negligenter aut falsò, sed accuratissimè & certò exquirendas & explicandas apertè: nec eas tantùm narrari: sed antecedentia, consequentia, connexa, præteritaque commemorari, ac sæpe lõgo è principio duci oportet, ut fecit in exemplo suprà posito Livius, ac poëta Virgilius in hac parte legem historiæ servans: itemq; Sallustius in Catilinæ coniuratione historiam vel ab Vrbe condita accersens, ut causas corruptorum morum Catilinæ & coniuratorum referret. His addentur consilia & apparatus, illa quidem in deliberando: hi verò in rebus necessarijs apparandis & providendis: Velut cùm bellum indictum nobis est ab hostibus, deliberatio quærens, quomodo sit illi occurrendum, itemque ratio & institutum, cur idem inferatur, si causæ intercedant necessariæ, tum ratio commoditatis in obsidendo hoc vel illo oppido, munienda urbe aliqua, conciliandis

Apparatus quę ratio in historia sit.

fœderatis,adeóque ſtratagemata omnia ducum, imperatorum,populorum conſilio fieri debent. Fecit id Criſp. Salluſtius in Catilinæ ac cæterorum coniuratorum conſilijs explicandis hoc modo: Catilina ubi eos,quos paulò antè memoravi,conveniſſe videt,tametſi cum ſingulis multa egerat, tamen in rem fore credens univerſos appellare & cohortari,in abditā partem ædium ſecedit:atque ibi omnibus arbitris procul amotis,orationem huiuſcemodi habuit. Ipſam porrò orationem, in qua idem conſilium animi ſui coniuratis aperit,eóſque ad rem gerendam hortatur, legat quiſque apud Salluſtium:hoc ſatis exempli cauſa relatum ſit. Apparatus autem coniurationis eiuſdem ſic ab eo deſcribitur; Interea Romæ multa ſimul moliri, conſuli inſidias tendere,parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obſidere,ipſe cum telo eſſe,item alios iubere, hortariq; ut ſemper intenti paratiq; eſſent,dies nocteſq; feſtinare,vigilare, neque inſomnijs, neq;labore fatigari.Poſtremò,ubi multa agitanti nihil procedit,rurſus intempeſta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Leccam: ibique multa de ignavia eorum queſtus, docet ſe Manlium præmiſiſſe ad eam multitudinem, quam ad capienda arma paraverat;item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent: ſeque ad exercitum proficiſci cupere,ſi prius Ciceronem oppreſſiſſet,eum ſuis cōſilijs multum officere. Hac etiam in re Poëtæ hiſtoricis ſimiles ſunt:ut Virgilius libro 4.Aeneid.profectionis Aeneæ ex Africa in Italiam formam & apparatū ita deſcribit:

Tum verò Teucri incumbunt,& littore celſas
Deducunt toto naves,natat uncta carina,
Frondenteſq; ferunt remos,& robora ſylvis
Infabricata fugæ ſtudio.

Huc etiam pertinet militum, copiarum ac legionum forma,inſtructio & collocatio acierum ad prælium ſe apparantium,valli,munitionis, vigiliarum,calonum, commeatuum,tormentorum,machinarum, cæterorumque huiuſmodi neceſſariorum bello impedimentorum

torum forma. Quorum omnium exempla proferre opus non est, cùm satis sit monuisse, hæc oportere in historia describenda suo loco commemorari, aut in legenda ea quæ iam scripta sit, notari accuratè in autore ipso. In exponendis præterea consilijs, non modò rerum universarum, sed etiam actorum singulorum, ferendum est quoque ab Historico iudicium, adeoq; dicendum quid probet, aut rectum iudicet, quídve contrà vituperet. Nam nuda proponere consilia, nec in ijs prudentiam, aut temeritatem, aut calliditatem, aut fortitudinem, moderationem, aliaque huiusmodi obiter notare, eius est profectò qui non utatur consilio, cùm in eo ipso quid boni malíve sit non discernat. Fecit id accuratè Salustius in Catil. coniuratione, dum & corruptionem, & eius causam Romanorum iam inde ab urbe condita memorat, interposito iudicio suo: itemque Livius lib. 6. Decad. 3. ancipites casus & difficultatem rerum Romanarum & Carthaginiensium ea tempestate sic indicans: Neq; aliud magis tempus belli fuit, quo Carthaginienses, Romanique pariter varijs casibus immistis, magis in ancipiti spe ac metu fuerint. causas huiusce difficultatis deinde addit longiores. Idem lib. 9. Dec. 1. iudicium de Papyrio suum ferens, Haud dubiè, inquit, illa ætate, qua nulla virtutum feracior fuit, nemo unus erat vir, quo magis innixa res Romana staret: quin eum parem destinant animis magno Alexandro ducem, si arma, Asia perdomita, in Europam vertisset. Hinc digressus elegantissimam facit autor comparationem Romanorum cum Alexandro, ut quærat, num hic si in Italiam cum exercitu, sicuti in Asiam, cæterasque provincias venisset, illis tunc imperio atque viribus florentibus foret superior. Hìc etiam Historicum, quando iudicium suum interponere licet, decebit, cùm variæ incidant sententiæ una de re, variæque opiniones, iudicare quid verius sit, quídve magis ipse probet, tum si quid à veritate alienum videatur, illud refellere, authores alios reprehendere, sententiam aliquam vulgarem damnare: id quod libro

Quomodo iudicium suũ ferat de reb. Historicus.

Iudicium de alijs Historicis ab Historico ferendum etiam.

1. Decad. 1. Livius observavit hoc modo: Tulit enim & Romana Regia tragici sceleris exemplum, ut tędio regum, maturior veniret libertas, ultimumq; regnum esset, quod scelere partum foret. Vides iudicium de facto, nunc de veritate sentẽtiæ: Hic L. Tarquinij Prisci Tarquinij regis filius nepósve fuerit, parũ liquet: pluribus tamen autoribus filium crediderim, fratrem habuisse Aruntem Tarquinium mitis ingenij iuvenem. Idem Dionysio Halicarnassæo, Polybio, Plutarcho, cæterisque Græcis autoribus, dum vel Romanas, vel aliorum res scribunt, peculiare est: ideoq; in historia proponimus imitandum. Porrò apparatus descriptio, ut ad institutum redeam, facilior est, nec tam in prudentia, quàm in recta dicendi vi posita: qua suis quisq; coloribus unumquodque depingere, ac delineare possit. Nã quæ fœdera icta, qui socij asciti, quę militũ copiæ, quæ commeatuum abundantiæ, quod armatorum genus, quę tormenta atque machinę, qui pontes extructi, quę viæ stratę, quæ valla ducta, qui aggeres, quę munitiones urbium factę sint narrare, mediocris id eloquentiæ prudentiæque est, cùm in hoc apparatus, ut facti sunt, commemorari debeant, nihil verò aut amplificandi aut extenuandi causa præterea adiungi. Extat huiusmodi descriptionis exemplũ, in Cæsare lib. 5. Commentariorum de bello Gallico, in quo expeditionem in Britanniam, eiusq; apparatum recenset: idemq; in descriptione illa pontis, quem ad Rhenum traijciendum fabricari iussit, efficit lib. 4. eiusdem operis: item in bello Alexandrino, quomodo ad capiendam urbem loci opportunitatem quæsierit, eamq; urgeret, narrat initio eius libri. In bello etiam Iugurthino Salustius eleganter Marij expeditionem in Africam contra Iugurtham narrat: itemq; Q. Curtius Alexandri, lib. 3. Huc referri descriptio quoque illa triumphi à Lucullo acti elegans atque amœna ex Plutarcho in eius vita potest. Quæ omnia, ut sunt aperta, neutriq; vestrûm ignorata, exemplis, nisi aliud videtur, nõ egent. Nullo modo (inquiunt & P.N. & tertius ille) nam & hæc ipsa sunt satis non modò nobis, sed

Ratio & ordo apparatuum describendorum.

sed vel cuiq; mediocriter instituto cognita: tu tantùm perge ad sequentia. Rursus ego quasi breviter omnia percurrere cupiens, ne in proferẽdis exemplis longior æquo essem, his, inquam, ita de apparatibus, causis, consilijsq; rerum agendarum propositis, nunc quemadmodum acta ipsa narrentur, exponam: (siquidem eum in narrandis ijs sequi oportet ordinem: quem in gerendo autores ipsi sequuti sunt) qua quidem in re quid gestum sit, aut quomodo, unumquodq; narrandum est: ut si sit prelium commissum, quódnam illud & quale extiterit, à quibus ducibus gestũ, quibus militibus, quæ forma castrorum, valli, legionũ, peditum, totiusq; exercitus fuerit: quomodo utrinque concursum sit, quo animo, quo clamore, quo impetu: obiter etiam Imperatorum vultus, animus, armatura, diligentia, conciones, exhortationes ad milites, militum quoque ipsorum aut strenuitas, aut ignavia, aut mens, aut demum laudes & vituperia personarum sine affectu aliquo referẽtur. Hìc incidet oppugnationum, expugnationumque forma, militum diligentia, armaturæ, animorum, cæterarumque huiusmodi rerum descriptio. Quæ omnia quũ non in bellicis tantùm rebus cernenda sint, sed in urbanis etiam, adducto exemplo uno aut altero ex Livio atq; Cæsare apertius intelligentur. Livius lib. 1. Dec. 3. dum Hannibalis Romanorumque exercitum, animum, cohortationem ad milites, collocationem & instructionem acierum describit, elegantissimè id facit. Quinetiam Cæsar lib. 2. de bello Gallico, totam prælij cum Nervijs commissi rationem accuratè, & copiosè ostendit, ne opus sit à me hìc proponi, cùm eam quivis legendo nosse possit. idem lib. 1. de bello civili, dum pugnam à se cum Cn. Pompeio commissam narrat, indicat. idem reliqui Historici atque horum imitatores Poetæ faciunt: in quo tamen is ordo servandus esse videtur, (si Historicorum præstantissimorum rationem sequi libeat,) ut simulac rei gestæ quam sit recensere opus incidat mentio, antequam id quod sit actum, narretur, exponatur, quomodo conventum utrinque sit, quo in loco quis fue-

Forma narrandorũ actorum ipsorum in historia.

rit loci situs & forma, quid ab utrisque provisum aut præparatum: quæ verba, quis animus, vultus, mens, consiliumque utrorumque fuerit: deinde quomodo concursum, qua diligentia, quo astu negligentiáve res administrata: quid quoque loco factum, quando & quomodo periculis occursum, vel fortunę eventus secundus persecutus sit. His sigillatim expositis, eventus considerandi notandique partis utriusque sunt: ut quid boni adversive alterutri acciderit, quid negligenter, rectè factum, quę culpa aut industria, quid melius peiúsve actum foret si secus fieret. Atque hoc in præliorum describendo certamine: in contentione verò privata aut forensi, & omnino quacunq; in re gesta servandum id est, ut primò quomodo res præparata, deinde quomodo gesta sit, postremò quid ex ea sit sequutum dicatur: idque adiunctis omnibus sigillatim expositis. Quoniam autem acta omnia, quę historiæ velut præcipua capita sunt, quorum gratia narrantur reliqua, quæ & retulimus & sunt deinceps dicenda, aliam ex se quandam factorum seriem procreant, ut eventus casusq; varios: & ij quoque sunt locis suis describendi. Eventus autem appello ea quæ ex actis ipsis evenerint, aut quæ connexa cum ijs sunt: ut cędes in exercitibus factæ, deditiones oppidorum, captivitates, vastationes, populationes, deletiones, fugæ, triumphi, trophęa, prǣmia, honores militibus ducibusq; concessi, supplicia in ignavos sceleratosque milites, fortunæ commutationes casusq; Martis diversi & ancipites, disciplinæ militaris ratio ab utrisque servata, error & negligentia aliorum, aut aliorum prudentia, portenta varia, & monstra futurarum rerum, descriptio personarum, naturę, ingenij, morum, famę, nominis, generis, cæterarumque rerum ad easdem personas pertinentium, quibus de agatur. Hæc quantum & ad historiæ ornatum, & ad exemplorum vim conferant, ipsa nos Historicorum bonorum atque prudentium scripta docent, quæ ob eam causam laudantur maximè, quòd non ipsa modò acta nuda narrent, id quod utilitatis nihil adfert, aut gustus, sed quòd hęc etiam

Quomodo acta & eventa rerum in historiam cadentium notanda sint.

etiam illorum necessaria accidentia adiungant, sine quibus iniucunda & inutilis prorsus narratio sit. Proferam horum aliquot exempla ex diversis authoribus, ut quo pacto fieri eadem debeant, ostendam. Cladis ingentis à Thomyri Scytharum regina in Cyri exercitu factæ, Iustinus libro 1. meminit: cuius ne nuntium quidem ait superfuisse, quum omnes ad unũ cæsi fuerint, unaque Cyri caput, in vtrem humano sanguine repletum hoc titulo coniectum, Satia te sanguine quẽ sitisti. Aliarum quoque cladium memorabilium tum Livius diversis meminit in locis, tum Plinius lib. 7. de bellis à Cæsare confectis, exercitibusque hostium fusis & fractis: ait enim illum plusquàm decies centena hominum millia diversis in prælijs cęcidisse: ut Aurelianum etiam omittam, quẽ diversis prælijs quadringenta Germanorum millia interfecisse legimus. Deditionis exemplum in Tarentinis extat apud Livium 8. lib. Decad. 3. cùm eadem urbs è Carthaginensibus à Q. Fabio Maximo, postquàm amissa fuerit, sit recepta. De captivis præterea Romanis apud Hannibalem ex pugna Cannensi, scribit idem Livius secundo 3. Decad. libr. quot ij fuerint, & quales, tum quomodo à senatu propter inertiam reiecti. Vastitatis porrò illatæ Italię, populationum, excursionum eodem in lib. post Hannibalis in Italiam adventum, permulta sunt exempla. Vt etiam deleta Carthago sit, Corinthus, Numantia, Saguntum, plerique Romanarum rerum scriptores commemorant. Fugę item in Cn. Pompeio ex Pharsalica pugna privato vestitu induto, in M. Antonio ab Augusto in Actiaco prælio superato, in Mithridate, alijsque imperatoribus & exercitibus multa exempla sunt: in quo id fortis viri est, quemadmodum Plato in convivio refert de Socrate ex Potidiensi pugna cedente, fugato Atheniensium exercitu, ut sic discernatur, ut cautio in vitando hoste decens, non timiditas videatur. Triumphos item C. Cæsaris, Octavij, Pompeij, Luculli, Marcelli trophæa, ovationes, supplicationesque varias Plutarchus, Suetonius, alisque narrant scriptores: Præmia verò rectè

gestorum, aut ignaviæ supplicia militibus à duce illata: ut coronæ diversi generis, vacationes, agrorum distributiones, aut decimationes etiam, aut capitis supplicia, ubique ab Historicis commemorãtur: velut de Scipione fertur, qui milites extra ordinem vagantes, si Romani essent, vitibus, si exteri fustibus feriebat: de Man. Torquato, qui filium ob imperium neglectum, cædi iussit: de Valerio Publicola Consule, qui P. Decium trib. militum, quòd eius industria exercitus angustias quasdam evasisset, aurea corona, Hecatombe, unoque bove albo auratis cornibus donavit: deque alijs item ducibus, qui modò coronas varij generis, ut muralem, civicam, navalem, castrensem, obsidionalem: modò armillas, modò vexilla, modò aureos argẽteósve torques, modò pateras, modò quid huiusmodi aliud militibus donabant. Disciplinæ verò militaris ordo rectus, & ratio in alijs declarata, in alijs autẽ adempta, tum varij eventus ac commutationes præliorum, exercituum, gentium, populorum, ducum, opportunitatum, non uno tantùm in loco exemplóve ostendi possunt, sed toto in historiæ aut expeditionis alicuius cursu continuo. Portenta item varia, & monstra rem quamque antecedentia, vaticinia & auguria, notari ferè semper ab historicis cernimus, ut sunt illa quæ mortem C. Cæsaris præcessere, quę Oct. Augusti, quę Pompeij, quę Cannensem pugnam, quę alia denique aut prælia gravissima, aut mortes magnorum virorũ, aut casus varios & inusitatos antecedunt. Qua quidem in re cùm alij plerique autores diligentes admodum sint, tum Dion maximè, ad superstitionem usq;. Sed hæc omnia notare, sive à nobis certò conspecta sive audita sint ex alijs, eademq; referre, non tamen pro veris ac indubitatis asserere suo loco scribenti licebit: id quod à plerisque bonis historicis fit. Hactenus ipsa de rerum in historia dicendarum inventione atque delectu, non tam communiter, sed & sigillatim prolixius, quàm vos fortasse desiderabatis, non quàm res magna ac diffusa, dixi. Hiscéne adhuc estis contenti, an aliud requiritis amplius? Requirimus verò inquit

quit P. N. & efflagitamus. non enim vides te id quod præcipuum, maximéque utile est, nondum attigisse, ut de harum rerum, quarum de inventione accuratè, doctéque disseruisti, dispositione & ornatu agas deinceps? est ita, inquit terti⁹, ut ait R. N. nam frustra de inventione hactenus esset dictum, si nõ unà quoque de dispositione dicendum esset. Atqui ego mei, inquam, oblitus muneris, apud humanitatis studiosum, quæ dixi, putaram esse satis. Quid? ille tum, an verò nos ideò dialecticæ atque methodi iudicas esse ignaros, quòd humanitatis profiteamur studia? Minimè, inquam ego, sed ij solent plerunque humaniorum literarum vulgò haberi, esséque docti, qui Latinè Græcéque norint, qui multos legerint autores, multorum in ijs locorum intelligentiam habeant: qui historias varias, antiquitates, poemata, sententias, & locos quosdã communes teneant memoria: qui varijs eiusdem autoris collatis exemplaribus, varijsque lectionibus annotatis castigare libros soleant: qui Ciceronianè scribere, aut Virgilianè, si sit soluta vinctáve oratione scribendum, possint: qui Rhetoricam norint, qui varijs ex disciplinis paucula quædam degustarint, ut possint ijs de omnibus suo loco agere, viderique & Astrologi, & Physici, & Geometræ, & Iurisconsulti, & Medici, & Theologi: certum verò aliquod scientiæ gen⁹ non amplectuntur, in eóve excellere student: huicque sic reliqua adijciunt, ut aliquo modo sequantur, non ut eorum studio capiantur. Tales profectò ego humanitatis plerosque studiosos & esse, & vocari arbitror, quanquam tibi plus & Nannio isti equidem tribuo: ijsque nec acumen Dialecticorum, differendiq; vim, nec absolutam Physicorum scientiam, aut reliquorum cuiusque artis doctorum cognitionem plenam concedo, nisi quis fortasse uti vos, ita studia hæc cõsectetur, ut ipsa gravioribus scientijs qui se dediderit addat. Quapropter nec methodi tantã à me nunc rationem habendam duxi, cùm rem utcunque adumbratè iam proposuerim. Ille porrò quia me inceptum persequi cupiebat, ne hisce ipsum sermonibus detinerem diu-

tius,perge,inquit,sentias de professione nostra quod velis,dummodò quod incepisti profeceris. Nollem te, inquam ego, tam facilè mihi hac in disputatione cedere,quam sicuti adversus Gorgiam Socrates fecit de arte Rhetorica differens, unà tecum inire iam voluissem, non quòd de te sanè quicquam sinistri sentiam, quem doctum & eruditum iudicem, sed ut inquirerem id quod cogitavi sæpè,quódnam sit istud humanitatis doctrinæ nomen,quæúe professio: num huius periti Grammatici solùm an alterius scientię artifices sint ? Sed veniam quò me vocas,ne moram traham longiorem. Quum de rerum,quas in historia narrandas dixi,me dispositione atque structura differere velitis,id dabitis saltē,Disponere nihil aliud esse hoc loco,quàm in oratione referre suis quidque locis, & collocare aptè,consentaneéque. Dam⁹ verò, uterque eorum respondit. Quinetiam totidem,inquam,esse collocandi formas,quot orationis partes. Istud verò, inquiunt,non satis intelligimus. Exponam ego, tum apertiùs & explanatius. Quemadmodum una eademque Medicinæ ars est,quæ & morbos internoscit,& ijs adhibet remedia,& medicamenta salutaria conficit, & urit,aut secat:& tamē cùm internoscit,Theorica: cum adhibet remedia,Pragmatica:cùm urit & secat,Chirurgica dicitur,quòd diversis fungens officijs,diversas videatur partes habere:sic una est in oratione omni rerum disponendarum ratio atque via:sed quoniam diversæ orationis eiusdem partes sunt: una,in qua rem auspicamur,altera,in qua eam persequimur,continuamusque:tertia,qua terminamus, & claudim⁹: dispositionis quoque partes tres erunt:prima,quę exordijs: secunda,quæ continuationi:postrema, quæ conclusioni formam addat. Quorsum hæc?illi tum. ut cognoscatis, inquam, me tres solùm historiæ partes afferre, earumque unamquanque disponendi pręscribere velle formam. Cùm enim eadem sit narratio,certè quidquid cuivis narrationi congruat,huic etiam,ac multò magis necesse est cōgruat, quòd omniū narrationum verissima,atque ornatissima sit. Debet quidem omnis narra-

narratio, ut oratores præcipiunt, perspicua, brevis ac vera esse, ut commodè intelligatur id quod narretur. Ac perspicuitas quidem in orationis luce & splendore consistit: brevitas non tam rerum concisam enumerationem, quàm congruentem aptamque mediocritatem significat, ut Quintilianus refert adversus Isocratis sententiam. Veritas in eorum quæ narrentur, certitudine posita est. Hæc porrò ipsa ordine quodam gestarum rerum exponenda sunt: idcirco enim narrant, ut quomodo gesta sint eadem cognoscantur. Quod ipsum cùm in naratione ita fiat, historia item quæ est narratio, ijsdem ferè partibus constabit, ut primò sit dilucida, brevis, vera, deinde ordine ac dispositione aptè distincta. Ac de brevitate quidem & veritate dictum est suprà, cùm quid narrandum, quídve omittendum esset, præscripsimus: de perspicuitate verò dicetur tunc, cùm de oratione & ornatu historiæ agemus: de dispositione autem rerum, & ordine nunc est agendum. Dispositio igitur, quam sicut in narratione quavis, ita in historia sequi rerum gestarum ordinem volumus, exordiendæ, continuandæ, finiendæque expositionis forma continetur: quæ quidem ipsa describēda per partes à nobis est sumpto initio ab exordio. Exordium nos hìc, non ut Rhetores in orationibus suis putāt, esse dicimus, quod auditorem, lectorémve instruat ad ea quę sint dicenda: quod attentum, benevolum atque docilem eum reddat, quod denique à reliqua oratione diversum sit, sed quod idem cum sequenti cohæreat narratione, quódq; non ad benevolentiam fiat, sed ad orationis universæ ingressum atque aditum: quæ ne ex abrupto incipiatur, ab aliqua exordij forma, tanquam à capite peti debet. Quocirca nullo, si autorum optimorum exempla sequamur, in conscribenda historia utemur exordio, quo lectores benevolos saltem reddamus, nisi fortè scribendæ rei vtilitatem, quæ tanquam finis historiæ proposita est, paucis libeat proponere. Quod ipsum ab Historicis secus, quàm ab oratoribus fit, qui procemijs uti sæpe, ijsdēq; minimè lōgis soleāt: ut Livius initio cuiusq; De-

De historicæ narrationis dispositione, ac primùm exordio eiusque formis.

cadis, Saluſtius, Polybius, ac reliqui ferè omnes: itaq; ſi utendum prooemio in hiſtoria ſit, illud certè futuræ orationis utilitatem, magnitudinem, raritatem, cæteraque ferè, quæ ſolent ad lectionem avidos homines reddere, continebit. Quòd ſi verò ab hiſtoria eiuſque uſu, de ipſius qui ſcribat perſona, cauſisq; cur illud ſcribendum ſumpſerit, de autoribus rei eius, quæ ſcribatur, deq; eorum doctrina, aut inſcitia raritatéve libeat præfari quicquam: quod fecit Dionyſius Halicarnaſſeus, Polybius, è noſtris verò Saluſtius ac Livius: non erit id quidem abſurdum aut alienum, modò ne nimis prolixè fiat, aut ſuſpicionem confictę rei, minus que veræ præbeat, ſi quæ præfentur, huiuſmodi ſint, ut ambitionem, amorem, cupiditatem, odium, oſtentationem, levitatémve præ ſe ferant. Multum enim hiſtoriæ dignitati detraheretur, ſi gloriæ quærendæ, ſi gratię ineundæ, ſi avaritiæ, ſi nimij in res patrias ſtudij, odiíve in alienas, ſi oſtentandæ doctrinæ cauſa ſuſcepta eſſe ipſa diceretur. Veritatis enim amor, & ſtudium, utilitatisque publicæ cura prædicanda hìc eſt, quando ad id inſtituitur, hiſtoria, non tu ipſe, aut res tuæ: quarum ad laudem hiſtoria non ſcribitur, ſed ad publicam utilitatem, ex veritatis cognitione natam: quam tamen dum conſectare, laudaris, magnumque patriæ, atque tibi nomen comparas. Atque in præfationibus quidem ſcribendis, modò hæc fugiantur vitia, atque gravitas congruens hiſtoriæ in oratione ſervetur, modò timidum exiléve nihil ſit, dicat quod quis velit: liberum enim eſt, & in promptu cuique vel de ſe, laborib. ſuis & ſtudio, vel de patrijs rebus, vel de ſcribendi genere ipſo quidvis proponere, ſic tamen, ut gravitatem, conſtantiam, integritatemque tueatur præcipuè, hancq; non modò ipſis in rebus, ſed etiam in verbis & oratióne tota declaret. Extant exempla huiuſce rei in Saluſtij, Livij, Polybij, Dionyſij Halicarnaſſei, ac cæterorum autorum, quicunq; præfati ſunt in hiſtorijs: quanquam non defuêre permulti, qui nec præfatione utendum ſibi putaverint. Quos etiam ſi commodum videatur, licebit imitari, dum ipſam continuò

tinuò rerum expositionem ingrediamur: quemadmodum & oratores causam, cùm opus est. quia cùm id potissimum sit, rem ipsam describere: præfationem verò, quæ ab ea aliena est, aliquo modo prætermittere: non erit etiam incommodum statim exordiri rem scribendam, sicuti Cæsar, Tacitus, alijque magni viri fecêre. Exordia verò, quibus in hoc genere utamur, sumi ex hisce locis commodè possunt: aut à causis consilijsq; rei gestæ, quum quæ occasiones, quæ consilia ei causam prebuerint: aut à descriptione loci, in quo res ipsa sit gesta: aut ab amplificatione eiusdem, cùm eius magnitudo inusitata proponitur: aut à persona qua de agatur potissimum: aut à tempore, in quo res ipsa contigerit, quo cum occasio erit coniuncta: aut à commemoratione seu repetitione rerum illi, qua de agatur, connexarum, ut cùm de regnorum, civitatum principumque aliorum statu conditioneque quid affertur historiæ instituendæ coniunctum. Omnino autem exordium hoc, ut si qua in re alia, maximè debet connexum esse cum narratione sequēti, vel potius ex eadem ipsa nasci, non peti aliundè: nam causæ, consilia, descriptiones locorum, aut temporis, reliquaq; quibus de diximus, ipsa ex rerum serie, atque sylva petenda sunt, ut prima cum posterioribus rectè apteq; cohæreant. Vnde aliter in historia, atque in reliquis caussis quidem oratorijs haudquaquam semper in exordienda narratione ordinem rerum gestarum, per temporis cursum sequi oportet, cùm sæpe à media rerum serie, sæpe etiam à fine incipiamus: quod in Poetis cernimus manifestè, qui narrationem à medio rerum ordine auspicantur, ut in Homero ac Virgilio: qui non ab initio Græcorum in Troianos expeditionis, sed ab alia quadam re media narrationem sunt exorsi. Quo nomine id in historiæ exordio spectandum est, ut ab ipsa rerum gestarum origine prima, temporis rationem secuti exordiamur. Atque hoc non modò observatum semper à magnis Historicis est, sed etiam à Luciano præceptum atq; à Dionysio Halicarnasseo. Sed age singulas exordiundi formas exemplis doceamus.

Causæ Macedonici belli à Romanis contra Philippum gesti à Livio in primo Decadis quartæ libro sic proponuntur initio narrationis: Cæterùm cœptum bellum adversus Philippum decem ferè antè annis, triennio prius depositum erat: cùm Aetoli & belli, & pacis fuissent causę. Vacuos iam deinde pace Romanos, & infensos Philippo, cùm ob infidam adversus Aetolos, aliosq; regionis eiusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in Africam missa Hannibali Pœnisq;, preces Atheniensium, quos agro pervastato in urbem compulerat, excitaverunt ad renovandum bellum. Sub idem ferè tempus & ab Attalo Rege, & Rhodijs legati venerunt nunciantes, Asiæ quoque civitates sollicitari. Huc usque, & in ijs quæ sequuntur causæ diversę huius belli Macedonici commemorantur, sicut initio quoque libri primi Decadis tertiæ. Iam verò consilia apud eundem Livium libro 6. Decadis tertiæ hoc probent historiæ exordium. Cn. Fulvius Centimalus, P. Sulpitius Galba Coss. quum Idibus Martijs magistratum inijssent, Senatu in Capitolium vocato, de Republ. de administratione belli, de provincijs exercitibusque patres consuluerunt. Q. Fulvio & Appio Claudio prioris anni Coss. prorogatum imperium est: atq; exercitus, quos habebant, decreti: adiectumque ne à Capua quam obsidebant, abscederent, priusquam expugnassent. Hìc diversa consilia commemorantur, eademq; futuræ narrationi aditum faciunt. A loci quoque descriptione exordiri nō rarò solent Historici: ut Cæsar librum Commentariorum de bello Gallico, primum à Galliæ divisione orditur: itemque Dionysius Halicarnasseus secundum antiquitatum Romanarum ab ipsius Romæ situ & origine. Quod idem ferè Livius in primæ Decadis libro primo sub ipsum initium operis fecit. Quinetiam à rei narrandæ amplificatione licebit quandoq; initium capere, ut nono in libro Decadis quartæ, belli Ligustici difficultatem exaggerans Livius his verbis: Is hostis velut natus ad continendam inter magnorum intervalla laborum Romanis milita-

militarem disciplinam erat, nec alia provincia militem magis ad virtutem acuebat. nam Asia & amœnitate urbium, & copia terrestriumque maritimarumque rerum, & mollitia hostium, regijsque opibus ditiores, quàm fortiores exercitus faciebat, præcipuè sub imperio Cn. Manlij solutè ac negligenter habiti sunt. itaq; asperius paulò iter in Thracia, & exercitatior hostis, magna clade eos castigavit: in Liguribus omnia erant quæ militem excitarent, loca montana & aspera, quæ & ipsis capere labor erat, & ex præoccupatis deijcere hostem: itinera ardua, angusta, infesta insidijs, hostis levis & velox & repentinus, qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum aut securum esse sineret: oppugnatio necessaria munitorum castellorum, laboriosa simul periculosaque, inops regio, quæ parsimonia astringeret milites, prædæ haud multum præberet. Plures etiam his Livius eiusce belli quod sit descripturus, difficultates addit atque persequitur. Porrò à personæ qua de dicendum est, quum vel eius res dicas gestas, vel alicuius populi ea usi, commemoratione, descriptione, aut laude, aut vituperio exordiri licebit etiam, quemadmodum cùm alij multi, tum Crispus Sallustius initio libri de Catilinæ coniuratione ita scribens: Lucius Catilina nobili genere natus, fuit magna vi & animi & corporis, sed ingenio malo pravoque. Atque hanc ille hominis descriptionem persequitur eo usque, ut initam ab eo coniurationem, totiusque negotij progressum exponat. Eodem ferè modo plerique autores, qui viri alicuius vitam scriptis mandarint, ab eius commemoratione historiam incipere solent: ut in Commentarijs Cæsarem libros plerosque à sui mentione auspicari, ac Suetonium Tranquillum, & cæteros qui vitas Cæsarum conscripsere cernimus. A tempore itidem, quo quid aut actum sit, aut geri cœperit, solet historia initium habere, ut apud Livium Decadis 3. libro 2. hoc modo: Iam ver appetebat, cùm Hannibal ex hybernis movit, nequicquam antè conatus transcendere Apenninum intolerandis frigoribus, & cum ingenti pe-

riculo moratus, ac metu. Idem li.7. Decadis.1. sic exorditur: Annus hic erit insignis novi hominis cōsulatu; insignis novis duobus magistratibus, prætura, & curuli ædilitate: hos sibi patricij quæsivere honores, pro concesso plebi altero consulatu. Plebs cōsulatum L. Sextio, cuius lege partus erat, dedit, patres præturam Sp. Furio M. filio Camillo, ædilitatem Cneo Quintio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni suarum gentium viris gratia campestri ceperunt. L. Sextio collega ex patribus datus L. Aemilius Namercus. Prætereà ex connexarum cum historia rerum commemoratione quadam brevi, & ad ipsam narrationem ducente tanquam exordio sumetur quoque initium, ut fecit libro primo de bello civili Cæsar, hoc modo: Literis à C. Fabio Cæsaris Coss. redditis, ægrè ab his impetratum est, summa tribunorum plebis contentione ut in Senatu recitarentur. Vt verò ex literis ad Senatum referretur, impetrari non potuit. Hoc loco Cæsar quæcunque bello civili occasionem dederunt, sumpto exordio ab ipsius petitione, de prorogāda absenti sibi dictatura, principio narrat. Eodem modo Livius Roman. Pop. originem descripturus, pauca quædam de Troiæ excidio fugáque Aeneæ commemorat initio libri primi Decadis 1. Itemque Dionysius Halicarnasseus de imperijs Asiaticis proponit nonnulla, ut ad Romani imperij scribendum ortum deveniat. Deinde à propositione brevi & concisa eorum quæ sint dicenda exordiri plerique solent, & commodissimum est, ut res paucis proposita reddat attentum docilémque lectorem. Exemplo est Sallustius in Iugurthini belli principio ita scribens: Bellum scripturus sum quod popul. Rom. cum Iugurtha rege Numidarum gessit: primùm, quia magnum & atrox, variaque victoria fuit: deinde, quia tunc primùm superbiæ nobilitatis obviam itum est: quæ contentio divina & humana cuncta permiscuit, eoque vecordiæ processit, ut studijs civilibus bellum atque vastitas Italiæ finem faceret. Cornelius item Tacitus gravis & elegans autor, vel Quintiliani, cuius temporibus is vixit, iudicio, eodem modo
do

do quid esset scripturus brevi proponens: Inde, inquit, consilium mihi, pauca de Augusto & extrema tradere, mox Tiberij principatum, & cætera sine ira, sine studio, quorum causas procul habeo. Exposui exordiendæ historiæ locos eos, qui mihi vel observanti bonorum autorum scripta, vel cogitatione animi in id intuenti proponendi videbantur: vos quid iudicetis, significate, num errem fortè, an aliquid videatur addendum, detrahendúmve proposita ex divisione.
Nos verò, inquiunt, rectè ut oportet, sentimus: nam si vel minima in re lapsus esses, qui nos humanitatis studijs impeditos, Dialecticæ vim ignorare arbitrabare, occurreremus profectò armati vel istis tuis armis te oppugnaturi, vel saltem iniuriam à te factam ulturi.
Quid, inquam ego, tam inhumanos vos isthæc humanitatis professio facit, ut unico verbo, quod equidem numquam de vobis malè sentiés protuli, læsi me provocetis? certè si Dialectici usus perfectam assumatis vobis notitiam, me facilè id concedente, saltem Philosophica studia nihil contulisse vobis ipsis videntur, cùm nec affectum cohibere, amico cedere, boni omnia consulere, dictum, ut fertur, malle, quam amicum perdere, didiceritis. An vos ego sophistis barbaris mitiores ac humaniores, ut esse videri vultis, ac civiliores putabo, qui non minus ijsdem contentiosi, pertinaces procacésque in me sitis? Equidem illos anteà tales esse solùm iudicabam, at nunc vel vobis de ipsis non minus in hac contentione vestra id sentio. Atque illi, facilè, inquiunt, & opportunè nobiscum iocaris Socratico more, & nos & Sophistas pariter reprehendens, quasi verò nos aut eorum sententiam amplecti, aut tales videri, ac non potiùs didicisse nihil, quàm quid simile nosse velimus. Quid? ego inquam, si eorum non dico res aut orationem, sed vel historias legistis fortasse, certè nihil potiùs eorum temporum cognovisse, quàm eas legisse cuperitis, præsertim quum ij pauca nova scripserint, sed aut vetera collegerint, aut ordinem commutarint rerum earundem, nisi fortè vos delectat Vincentius, Antoninus, Nauclerus, Freculphus,

Philippus Bergomas, Ricardus Sanctivictorius, Vernerus Monachus, Benvenutus, Blondus, Sabellicus, alijque generis huius, qui nec ornatè, nec distinctè, nec aptè res narrent, non præfentur aut exordiantur commodè, nec ut nos anteà præcepimus, incepta continuent, aut continuata bene concludant. Quibus ne ipsi similes simus probatosque potius autores imitemur, exordiendi rationem illam à me traditam sequamur. Continuandæ verò historiæ formam, ut eò iam veniam, nónne ostendere nūc commodum erit? Percommodum, illi inquiunt. Ergo eam præscribere hinc, sicuti fecimus anteà in exordijs, incipiamus.

Narratio in historia qualis esse & quomodo fieri debeat.

Transitio ad narrationem historicam ab exordio tam fieri aptè, & coniunctim oportet, quod monet etiam Lucianus, ut exordium ipsa ex narratione natum, narratio inde minimè divulsa aut disiuncta esse videatur. Si enim omnia quæ narrentur inter se arctissimè colligata non sint, non una, sed multæ narrationes videbuntur, cuiusmodi sunt Annales, Chronica & Diaria, de quibus anteà retulimus. Igitur omnia in Historia sic sint connexa & vincta, ut alia pendeant ex alijs, quemadmodum etiam quum gesta sunt, non temerè illa aut fortuitò contingere. Quocirca qui rerum scribendarum causas, consilia eventusque rectè notarit atque perspexerit, is si rerum ordinem sic sequatur, ut eædem sunt gestæ, aptissimè quidem omnia coniunxerit. Atque hoc non modò in historia, sed in narratione quavis est efficiendum, ne insulsa dissolutaque sit eadem narratio. Exempli gratia, si quis bellum civile à Cæsare Pompeioque gestum narrare ita volet, ut quomodo è Gallia cum veteranorum exercitu Cæsar profectus Italiam invaserit, Romam venerit, Brūdusium deinde, mox Apolloniam, cum Cn. Pompeio dimicarit, primò profligatus, paulò pòst redintegrato prælio victor evaserit, Alexandriam venerit, oppugnarit, reliquas demum eiusdem res ita persequatur, ut aliud ex alio non pendeat, nec cum eo videatur colligatum, sed dissoluta divulsaq; sint omnia: is perperam sanè historiam continuaverit. Quamobrem ut commodè

modè cuncta narrarentur, causa exponenda esset, cur Cæsar è Gallia cum exercitu in Italiam penetrarit, Romamq; infesto cum exercitu venerit, eaque occupata, cur primò Brundusium, deinde Apolloniam profectus, traiecto exercitu cum Pompeio pugnarit, infœliciter primùm: pòst, quo consilio discesserit aliquantum ab eo, quousq; receptis viribus non detrectarit, sed etiam appetierit prælij certamen: qui hæc, inquã, omnia redditis causis, notarit, perspexerit, colligarit, nunquam peccaverit quidem hoc dissolutionis vitio. In hunc quoque locum, quæ anteà de inventione diximus, possent aptè incidere, si tempora distinguerentur, loci describerentur, causæ consiliaque exponantur, acta ipsa, & eorum forma narretur, eventus notentur, portenta & auguria circa rem quamque evenientia commemorentur, eo videlicet ordine, ut temporis servetur decursus atque progressus, & quæ primùm contigere, primum, quæ secundò secundum, quæ deinceps, sequentem locũ obtineant. Idem est enim historiæ & rerum gestarum ordo, eademq; series, quã sequi semper in narratione oportet, ut Livius, Cæsar, Salustius, Tacitus, cæterique præclari Historici faciunt. Quoniam etiam digressi sæpe à præcipua narratione, ad alias illi connexas, & ad temporum collationem necesse est, ut si quod alijs in regionibus gestum sit à diversis ducibus, aut quæ eodem tempore apud alias gentes civitatésve contigerint, narratur: ea quidem digressio nec longa, nec ab instituta narratione divulsa, aut magnopere diversa sit, quando ea fit, vel ad rem narrandam, quæ sit cum præcipua historia connexa, nisi quòd diversis in locis, à diversisque hominibus geratur: vel ad conferenda tempora, quibus sit quidque gestum, quo id magis illustretur, collatis rebus gentium aliarum, vel magis notis, vel æquè saltem. Exempla utriusque rei proferam. Cæsar libro quinto de bello Gallico, commemorato prælio à se cum Gallis commisso, eiusque forma, sic ad Labieni legati, qui erat in hybernis, res digreditur: Interim ad Labienum per Rhemos incredibili celeritate de vi-

ctoria Cæsaris fama perfertur, ut quum ab hybernis millia passuum circiter 60. abessent, eoq; post horam nonam diei Cæsar pervenisset, ante mediam noctem ad portas castrorum clamor oriretur, quo clamore significatio victoriæ, gratulatioq; ab Rhemis Labieno fieret. Hic Cæsar ad diversam digressus narrationem connexam tamen cum re proposita, redit aptissimè ad institutum: quod fieri quidem cùm omni in digressione, tum maximè in historica debet: ut idem ipse Cęsar in eo loco his verbis: At Cæsar principibus cuiusque civitatis ad se vocatis, aliàs territando, cùm se scire quæ fierent, denunciaret, aliàs cohortando magnam partem Galliæ in officio tenuit. Hinc reliquam persequitur narrationem: itaque reditus à digressione aptè ac tempestivè fieri debet, sicuti & res ipsæ, quanquam diversis in locis gerantur, inter se connexæ sunt. Ad tempora item, aut ea demum, quæ ijsdem temporibus alibi acciderint, digredi licebit: ut Livius libro 4. Decad. 1. res in civitate à Tribunis Consulibusque gestas narrans hoc modo: Eodem, inquit, anno, Posthumia virgo Vestalis de incœstu causam dixit, crimine innoxia, ob suspicionem propter cultum amœniorem, ingeniumque liberius quàm virginem decet parum abhorrés famam. Ampliatam deinde absolutam pro collegij sententia Pontifex maximus abstinere iocis, colique sanctè potius quàm scitè iussit. Simile est huic illud Cornelij Taciti libro 11. annalium. Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armenijs, & ad præsentiam Cęsaris vectum memoravi fisus Pharasmanis opibus. Is rex Hyberis, idemque Mithridatis frater nunciabat discordare Parthos, summaque imperij ambigua, minora sine cura haberi. Nam inter Gotarzis pleraque sæva (qui necem fratri Artabano, coniugiq; ac filio eius præparaverat, unde motus eius in cæteros) accivêre Bardanem, & quę deinceps sequuntur. Atque hæc de rerum & temporum descriptione obiter cùm divagamur, facienda. Iam quia locus hic descriptionem personarum, concionesque habitas postulat, videndum est quando & quo-

Collatio temporũ in quibus sit quidque actum.

quomodo hæc fieri debeant. Neque enim muta esse debet historia, vel laude, vituperatione, censuraq; eorum, quorum in ea fiat mentio, carere. Describenda quidem hominum eorum, qui memoratu dignum aliquid gesserint, in historia persona erit, quoties vel illorum prudentia, fortitudo, moderatio, iustitia, contrariáve his vitia commemoranda sunt, vel rerum ab ijs gestarum conditio, formaque id postulet. Vt apud Salustium de bello Iugurthino scribentem Iugurthæ ipsius ingenium, natura, mores, genus, cæteraq; huius generis recensentur: quoniam aliter res ab eo gestæ cognosci rectè non possent, nisi eius robur, calliditas, perfidia, patientia, industria, ambitio, moresque noti essent. Idem in Hannibale describendo Livius tertia Decade facit, in Perse rege, in Luculli vita Plutarchus. Ac in describendis quidem huiusmodi viris, eorumque factis, interponendum est sæpe ab Historico iudicium, ut in ijs laudet alia, alia vituperet, nihilque aut odio, aut benevolentia, aut cupiditate, ambitionéve dicat: sed tanquam iudicis integri probiq; personam induat, omnia synçerè ac purè examinata commemoret. Nec verò est privati cuiuscunque hominis describenda persona, nisi præclarum aut excellens aliquid gesserit cur æquè atque magni viri concelebrandus sit. Huius generis duo illi apud Cæsarem lib. 5. de bello Gallico milites, T. Pulfius, & Varenus egregia fortitudine viri cõmemorantur: quòd cùm inter se ijdem aliquando graves habuissent contentiones, uter præferretur alteri, ac die quadam ab hostibus acriter ad munitiones castrorum pugnaretur, eodem Pulfio extra munitiones irrumpente, excitanteq; Varenum, ut si probandæ virtutis occasionem quæreret, eam tunc sumeret, idemque Varenus fecisset, uterque acerrimè pugnans, & hostium multos cædens, fortissimè tandem evaserit. Tale est illud quod de Cynegiro narrat Iustinus Trogi Pompeij abbreviator; quòd cùm ille fugientibus Persis in naves, manu prehenderet quandam onustam hostibus, ut eo usque persequeretur, eam non anteà dimiserit,

Personarũ descriptio in historia qualis.

Quando liceat singulare aliquid factũ narrare.

quàm amputata primò utraque manu: deinde capite (mordicus enim illã adhuc tenebat) cęsus fuerit. Concionẽ & decori in ijs servandi exemplum. Con ciones præterea ac sermones sive ad populum, sive ad milites habiti, ad cohortationem, dehortationem, consultationem, sententiam dicendam, tum epistolæ ad alios missæ, verbaque fœderis icti inter aliquos, aliaq; huius generis non pauca incidunt, sæpe in ipso narrationis cursu, dum alicuius personæ loquentis, incitantis suos, vel loci, in quo illa necesse sit recitari, occurrit mentio. Ea verò cùm locus fieri postulet, ita dicenda sunt, ut decorum personæ loquentis maximè observetur. Nam si milites ad virtutem hortantis oratio ducis interponatur: ea prudens, gravis, animosaque esse debet, si dehortantis, timida, pericula proponens, animos adimens: si quid in consilium referatur, prudenter id graviterque dicendum est: omnino autem mores, ingenium, naturaque illius qui habeat orationem perspicere, similemque illi sermonem tribuere decet, ut personæ sermo congruat: aliter enim gregarius miles, aliter dux, aliter hostis loquitur: ergo alijs humilis tribuatur oratio, alijs gravis & prudens ac imperiosa, alijs superba, irarum alijs minarumque plena. Afferam huc ex Livij quarto libro Decadis quartæ, Catonis orationem tuentis legem Oppiam, de prohibendo matronis Romanis ornatu nimio gravissimam, eiusque dignitate & severitate dignissimam, ne cohortationes diversas, concionesque ducum, ac varios sermones colloquiaque proponam, quibus historię sunt plenæ. Ea igitur Catonis oratio vel ideo saltem, quòd huius ætatis matronis aptè congruat, ut

Catonis oratio.

afferatur in medium sic habet: Si in sua quisque nostrûm matrefamiliâs, Quirites, ius & maiestatem viri retinere instituisset, minus cum universis fœminis negocij haberemus. Nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri, hoc quoque in foro obteritur & calcatur: & quia singulas sustinere non potuimus, universas horremus. Equidem fabulam & fictam rem ducebam esse, virorum omne genus in aliqua insula coniuratione muliebri à stirpe sublatum esse. Ab nullo

lo genere non summum periculum est, si cœtus & cócilia, & secretas consultationes esse sinas. Atque ego vix statuere apud animum meum possum, utrum peior ipsa res, an peiore exemplo agatur, quorum alterum ad nos Coss. reliquosque magistratus, alterum ad vos, Quirites, magis pertinet: nam utrum à Repu. sit necne, id quod ad nos refertur, vestra existimatio est, qui in suffragium ituri estis. Hæc consternatio muliebris sive sua sponte, sive autoribus M. Fundano, & L. Valerio facta est, haud dubiè ad culpam magistratuũ pertinens, nescio vobis Tribunis, an Coss. magis sit deformis: vobis si fœminas ad concitandas Tribunitias seditiones iam adduxistis: nobis, si ut plebis quondam, sic nunc mulierum secessione leges accipiendæ sint. Equidem non sine rubore quodam, paulò antè per medium agmen mulierum in forum perveni. quòd nisi me verecundia singularum magis maiestatis & pudoris, quàm universarum tenuisset, ne compellatæ à Consule viderentur: dixissem, quid hic mos est in publicũ procurrendi & obsidendi vias, & viros alienos appellandi? istud ipsum suos queq; domi rogare non potuistis? an blandiores in publico quàm in privato, & alienis quàm vestris estis? quanquam ne domi quidem, vos sui iuris finibus matronas contineret pudor: quæ leges hìc rogarentur, abrogarentúrve, curare decuit. Maiores nostri ne privatam quidé rem, agere fœminas sine autore voluerũt: in manu esse parẽtum, fratrum, virorum nos, si dijs placet, iam etiam Rempub. capessere eas patiemur, & foro propè, & concionibus, & comitijs immisceri. quid enim nũc aliud per vias & compita faciunt, quàm quòd aliæ rogationes Tribunorum pleb. suadent, aliæ legem abrogandam censent? Date frenos impotenti naturæ, & indomito animali, & ne sperate ipsas modũ licentiæ facturas, nisi vos faciatis. Minimũ hoc eorum est, quæ iniquo animo fœminæ sibi aut moribus, aut legibus iniunctũ patiuntur, omnium rerũ libertatem, imò licentiam, si vera dicere volumus, desiderant. quid enim si hoc expugnaverint, non tentabunt? Recensete omnia muliebria iura, quibus licentiam earum alli

gaverint maiores nostri, per quæque subiecerint viris: quibus omnibus constrictas, vix tamen continere potestis. Quid si carpere singula & extorquere, & exæquare ad extremum viris patiemini? tolerabiles vobis eas fore creditis? extemplò simul pares esse cœperint, superiores erunt. At hercle ne quid novum in eas rogetur, recusent: non ius, sed iniuriam deprecantur. imò ut quam accepistis, inijstis suffragijs vestris legé, quam usu tot annorum & experiendo comprobastis: hanc ut abrogetis, id est, ut unā tollendo legem, cæteras infirmetis. Nulla lex satis commoda omnibus est: id modò quæritur, si maiori parti & in summam prodest. Si quod cuique privatim officiet ius, id destruet ac demolietur: quid attinebit universas rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ sunt, possint? Volo tamen audiri quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrant in publicum, ac vix foro se & concione abstineant? ut captivi ab Hannibale redimantur, parentes, viri, liberi, fratres earum? procul abest, absitque semper talis fortuna Reipublic. sed tamen cùm fuit, negastis hoc pijs precibus earum. An non pietas, nec sollicitudo pro suis, sed religio con gregavit eas. matrem Idæam Pesinunte ex Phrygia venientem accepturæ sunt. quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri? ut auro & purpura fulgeamus, inquiunt: ut carpentis, profestis quoq; diebus velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis & ereptis suffragijs vestris per urbem vectemur, ne ullus modus sumptibus, luxuriæúe sit. Sæpe me quærentem de fœminarum, sæpe de virorum, nec de privatorum modò, sed etiam magistratuum sumptibus audivistis: diversisque duobus vitijs avaritia, & luxuria civitaté laborare, quæ pestes omnia magna imperia everterūt. Hæc ergo quò melior, lætiorq; indies fortuna Reipubl. est, quò magis imperium crescit, & iam in Græciam Asiamque transcendimus, omnibus libidinibus, illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas: eò plus horreo, ne illę magis res nos ceperint, quàm nos illas. infesta mihi credite,

signa

signa ab Syracusis illata sunt huic urbi, iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, & antefixa fictilia Deorum Romanorum ridentes. ego hos malo propitios Deos, & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum memoria per legatum Cyneam Pyrrhus, non virorum modò, sed etiam mulierum animos donis tentavit: nondum lex Oppia ad cohibendam luxuriam muliebrem lata erat: tamen nulla accepit. quam causam fuisse censetis? eadem fuit quæ maioribus nostris, nihil de hac re lege sanciendi. nulla erat luxuria quæ coherceretur. Sicut antè morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorum: sic cupiditates pri⁹ natæ sunt, quàm leges, quæ ijs modum facerent. Quid legem Liciniam excitavit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? quid legem Cinciam de donis, & muneribus, nisi quia vectigalis iam & stipendiaria plebs esse Senatui cœperat? itaque minimè mirum est, nec Oppiam nec aliam ullam tum legem desideratam esse, quæ modum sumptibus mulierum faceret, cùm aurum & purpuram data & oblata ultrò accipiebant. Si nunc cum illis donis Cyneas urbem circumiret: stantes in publico invenisset, qui acciperent. Atque ego nonnullarum cupiditatum ne causam quidem, aut rationem inire possum. Nam ut quod alij liceat, tibi non licere aliqd fortasse ꝙ nolis, aut pudoris aut indignationis habeat: sic æquato omnium cultu, quid unaquæque vestrûm veretur, in se conspiciatur? Pessimus quidem pudor est, vel parsimoniæ, vel paupertatis, sed utrunque lex vobis demit: cùm id quod habere non licet, nō habetis. Hanc, inquit, ipsam exęquationē nō fero, illa locuples. cur non insignis purpura & auro conspicior? cur paupertas aliarum sub hac lege latet, ut quod habere non possunt, habituræ si liceret, fuisse videantur? Vultis hoc certamen uxoribus vestris injicere, Quirites, ut divites id habere velint, quod nulla alia possit? pauperes, ne ob hoc ipsum contēnātur, supra vires se extendant? Ne simul pudore, quod non oportet, ceperit: quæ de suo poterit, non parabit: quæ

non poterit, virum rogabit. Nunc vulgò alienos viros rogant: & quod maius est, legem & suffragia rogant, & à quibusdam impetrant, adversus te & rem tuam, & liberos tuos inexorabiles. Simul lex modum sumptibus uxoris tuæ facere desierit, tu nunquam facies. Nolite eodem loco existimare futuram rem, quo fuit antequam lex de hoc ferretur, & hominem improbum non accusari tutius est, quàm absolvi: & luxuria, non mota tolerabilior esset, quàm erit nunc ipsis vinculis, sicut fera bestia irritata, deinde emissa. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam censeo, vos quid faxitis, Deos omnes fortunare velim.) Quid hac oratione gravius? quid prudentius? quid utilius? quid aptius Catoni illi Cẽsorio, qui authore Fabio Quintiliano, idem orator, idem historiæ conditor, idem iuris, idem rerum rusticarum peritissimus fuerit: quique inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi sæculo literas Græcas ætate iam declinata didicerit. Quòd si verò decorum loquentium personarum expressius videre voles, extant Socratis eius, qui apud Græcos dici alter Cato posset, apud Platonem ac Xenophontem permulta, tum apud Poëtas, in quibus hoc ipsum decorum maximè spectatur, cæterosq; demum bonos autores. Hactenus ergo, ni quid vobis aliud videtur, continuandæ historiæ formam, ac leges videri possum præscripsisse. Videris quidem, illi respondent: Sed in terminanda narratione, concludẽdaque quid demum præcipis? id enim restat à te nondum explicatum, quando de exordiendi continuandique forma solùm disseruisti? Quid vos à me, inquam, tam multa postulastis? non aliquam perorandi formam, & colligendi argumentorum summa capita, vel auditorum animos permovendi requiritis? nulla profectò alia est claudendæ historiæ ratio, quàm ea, quam ipse rerum finis & exitus doceat: neque enim peroratione opus est, nisi ut unà & rerum serie, & narrationis cursus terminetur, nisi fortè, ut Appianus Alexandrinus in fine libri Syriacarum rerum fecit, historiæ narrandæ argumentum paucis complecti placeat:

ecat: vel quòd Nicephorus ecclesiasticæ historiæ autor diligens solet, ad finem annorum, totiusque temporis spacium, quo res narratæ contineantur, numerare. Sed minimè his est semper opus, nisi ut narrationis finem rerum gestarum exitus faciat. Atqui modò, illi tunc, cùm de historiæ dispositione dicendum proposuisses: eiusque tres partes enumerasses, exordium, continuationem, exitum, duabus prioribus explicatis, tertiam, quæ restabat, omisisti. Quid? ego inquam, vos méne illa omnia putatis explicaturum, quę initiò proposita ad rei intelligentiam expositione non egeant? Satis erat profectò intellexisse, tribus ex hisce partibus, quibus tota historiæ series continetur, duas quę egerent explanatione, tractari oportere: tertiam, quæ facilis esset, omitti. Quocirca nolite à me id posthac requirere, quod vel ipsi non esse requirendũ iam cernitis: nisi & verbosum esse me in te nihili placeat. Esto, illi aiunt, ut cupis, ne urgeri teà nobis querare. Sed nunquid memoria illud excidit, quod proposuisti de ornatu cultuque orationis dicturum te deinceps? hactenus enim totius quasi corporis membra, eorumq; colligationem formasti: nunc restat ut carnem ac cutem, coloremque ac venustatem sanitati partium eiusdem cõgruentem addas. Turpe enim esset, corpus aptissimè suis membris conformatum ac pulchrũ externo cultu carere. Rectè à me, inquam, vos id requiritis: nam præstandum omnino est, quando & principiò sit propositum, & res id ipsa iam postulat. Quid enim turpius, quàm si cùm aptum historiæ corpus ut membris, sic partibus suis commodè copulatũ effinxerim, idem postremò quasi nudum & exenteratum relinquam? profectò ut inepta & inconcinna oratione molestius nihil, ita decẽti & ornata, nec pulchrius, nec amœnius est quicquã. Etenim nisi planè Laconici esse volumus, qui non solùm eloquentiam, cæterasq; bonas artes, sed etiam ipsam humanæ vitæ magistrã philosophiam è sua Repub. expulerint, illud negari saltẽ non potest, quin magnus ornatæ cultæque orationis sit usus, si non ad movendos homines, atque afficien-

dos, quod Areopagitis atque Aristoteli minimè placuit, ad docendos tamen & persuadendos facilius. Nam si quod est hominis proprium loqui universo ex animantium genere longè præstantissimum est; loqui profectò ac dicere omnium hominum, aut multorum optimè, id hominis maximè proprium erit. Quid tu, illi tunc, sensim ad eloquentiæ laudem & usum procedis, nec fines alienos invadere, ipso præsertim in dominorum conspectu erubescis? Satis sit quidem id quod initiò tibi, & nunc etiam concessimus: non est igitur quòd occupes aliorum munia & provinciam. An vos, ego inquam, laudandæ eloquentiæ munus permissum esse vobis solùm putatis, ac non æquè doctis aliarum disciplinarum? cùm tamen ipsi sæpe laude afficere scientias alias soleatis. Alij enim vestrûm philosophiam oratione laudandam suscipiunt, alij medicinam, alij iurisprudentiam, alij demum gravissimis de quæstionibus nimis fidenter disputare non dubitant, quod in convivio Platonis fecit Aristophanes, laudes amoris, dignas quidem illas eius doctrina & ingenio prædicans. Quocirca liceat mihi quæso per vos ulterius procedere, ne me toties interpellando ab incepto revocetis. Perge, inquit eorum uterq;, ut nec te interpellemus, & hac in re tibi etiam cedamus. Iam igitur, inquam ego, satis inter nos de eloquentiæ utilitate, vel sine ullis argumentis constat. Quid, P. N. tum inquit, sine ullis ais argumentis? quasi ulla desint, quòd nulla tu attuleris. cui dubium sit, quantam illa vim habeat ad persuadendos homines, ad concitandos, impellendosq; quò velis, ad docendos & animandos, ad componendos eorum motus ac seditiones, ad delectandos denique si voluptas quæratur: quum una Menenij Agrippæ vel maximè rudis incultaque oratio tantùm valuerit, ut secedentem in montem sacrum Rom. plebem odio patrum revocare, conciliareque cum his ipsis potuerit: cumque nihil magis vel auditores attentos ac stupidos, vel voluptate affectos & aviditate legendi lectores teneat, quàm eloquentia. Neq; enim Cicero existi-

mavit

imavit in libris de inventione verum esse putarim, eloquentia homines ex agrestibus, & incultis mansuefactos in cœtus ac societatem, in civitates denique congregatos, legibus & institutis coërcitos Rempubl: colere ac tueri: nec quod apud eundem in libro de Orat. primo Crassus existimat: cùm illud unà cum toto libro, quem sibi iuveni queritur excidisse idem Cicero, improbandum: hoc vel ab ipso Cicerone sub Antonij persona refutatum sit. Itaque nec hisce laudibus eget eloquentia, & permagna sunt ea, quæ paulò antè protuli de eiusdem commodis argumenta: nisi tu etiam adhuc plura desideres. Mihi verò, inquam, hæc satis sunt, fueruntque anteà, quum id Geometrarum more pro certo & explorato statuissem: quare ad institutum revertar. Quum suprà historiam veluti corpus à me prius fabrefactum, & conformatum oratione vestiri oportere dixerim, ipsamque orationem ac eloquentiam perutilem esse constet, videamus iam quod orationis genus historiæ congruat, postea in illo ipso quod sit inventum, quid observari debeat, dicemus. Placet mihi P. N. isto modo, inquit: Oratio, ego tum, omnibus quæ proferri dicique à nobis soleant, congruit, unáque hoc modo est: eò tamen quòd huic illíve rei diversæ accommodatur, diversa quoque est ipsa. Quid istud est? tertius ille inquit. Dicam, tunc inquam, ut noscas apertius. Musica nónne una res est, quæ in sonorũ concinnitate & harmonia versatur? Est, ille inquit. Eademq; tibijs accommotata alia est, atque cùm citharæ ac fidibus adhibetur? ita planè ille. Orationi autem quid musica similius? quæ & hominum aures & mentes permulceat, moveat, afficiat. Ita prorsus, ille ait. Eodem igitur, ego respondi, modo, Vna quidẽ est oratio, quã quidq; effertur: sed cùm fabulis fictisq; rebus adhibetur, poesis: cũ philosophicis disputationibus, gravibusq; sententijs, sermo philosophicus atq; gravis: cùm vulgari confabulationi, colloquium: cùm rebus narrandis, historia nominatur. Equidem tuam istam P. N. inquit, orationis partitionem probo. Hæ porrò, inquam ego, formæ à

Quæ oratio, & qualis historiã deceat

me dictæ tum inter se congruunt, tū etiam differunt: congruunt quidem in eo, quòd orationes sunt, quòd verbis & eorum connexione continentur, quòd animi sensa exprimunt, declarant, ut intelligantur: differunt autem forma ipsa exprimendi res oblatas. Nam poësis ad voluptatem & delectationem, non quod verum & rectū, sed quod falsum turpeq; sit, sæpe dicit. philosophica disputatio gravis atq; austera est semper, intentosque veluti nervos habet, nec respirare lectorem, aut delectari diu permittit: colloquia negotijs humanæ vitæ implicata ad res, oratione neglecta, mentem convertunt: historica demum media quodammodo inter poësim ac philosophicum sermonem, gravitatem, moderationem, nervos, sanitatem ab hoc, ab illa venustatem, elationem, amœnitatémque habet. Et hoc etiam illi aiunt, perplacet: sed explanationem poscit maiorem. Poëtas, inquam, sæpe credo, legistis? at eos animadvertetis voluptati, & affectibus semper excitandis intentos, serium verò nihil, nisi sui obliviscātur muneris adhibentes: contrà verò philosophicos libros disputationibus, sententijsq; gravibus plenos, nullis iocis aut salibus, nisi raro admodum ad fastidium levandum, aspersos esse: Ex his duobus id sumit historia, quod accommodatum sibi est: quia enim narrare vera & utilia studet, sic tamen ut narrando fastidium non moveat: sequitur in expositione veritatis philosophicum, in levando fastidio, & ornanda oratione poëticum sermonem. Itaque tum gravis, tum iucunda historica oratio est. sed nos qualis eadem sit futura, iam doceamus: nam quid ex alterutro eorum duorum generum habeat, deinceps intelligetur. Narratio quidem omnis, ut Aristoteli placet in libro de Rhetorica ad Alexandrum, si tamen is eius est, gravis perspicuaque esse debet: gravitatem rerum & orationis forma efficiet, perspicuitatem dictio aperta & dilucida, ordóque rerum aptus atque distinctus. Istud etiam, ille tertius ait, adhuc non satis perspicio, quorsum tam longè repetitum dicatur: quo nomine ipsa de re agas quæso apertius. Esto ita, inquam: nam ut

quod

quod narrationi omni congrueret, historiæ adhiberetur ex parte, id referebam. Alia igitur via ingrediar, quæ tibi fortè videbitur facilior & melior. Quid ita? inquit ille. E partibus, inquam, suis orationem historicam, sicuti eius corpus è membris suprà feci, componam: quando non finis orationem universam initiò proponere, tum eam in partes secare, ut quo sit modo constituenda agnoscas. Imò, inquit ille, placet id magis, quod proposuisti postremò: est enim facilius, & sensui accommodatius. Commodè, inquã. Ergo cùm narrationem historicam & gravem esse & iucundam, id est, mediam inter poema, philosophicumq; sermonem statutum sit, ac oratio omnis tum verbis, tum eorum vinculo & connexione, tum tractu ipso, quẽ Stylum appellamus, contineatur: sic agam hisce de singulis, ut quæ verba, quis eorum nexus, quis deniq; stylus historiæ sit aptus, doceam. Primùm verba, sicut in oratione omni, Latina, propria, selecta, usitata sonantiaque sint: non nova, aut nimis obsoleta horridáve: qualia in Salustio sæpe occurrunt, qui vetustati multùm in verbis videtur studuisse. Sed ne id quidem maiori expositione indiget, cùm nemo nesciat, non modò in historia, sed etiam alijs in rebus Latinè semper loquendum: ne similes saltem aut Antoninis aut Vicentijs simus. Nexus porrò verborum, qui Græcè περίοδος, id est, ambitus, circuitus, comprehensio, continuatio, circumscriptioq; Ciceroni dicitur, Latinus etiam sit, purus, tersus, nitidus, oratorioq; similis semper, poëtico verò aliquando, sed rarius: cuiusmodi est illud Livij libro 1. Decadis 3. in Hannibalis cohortatione ad milites. Eaque uti rata scirent fore, agnum læva manu, dextaque silicem retinens, si falleret, Iovem, ceterosq; precatus Deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset, & secundum precationem caput pecudis saxo elisit. Sed hoc poëticum, uti dixi, quod delectandi causa, in nexu verborum nonnunquam ab optimis Historicis usurpatur, rarius esto: nexus autem Latinus & oratorius sit semper: quod idem ignotũ esse non debet ei, qui Latinam lin

guam norit, cùm in verbis & eorum colligatione linguæ cognitio posita sit, & qui horum nesciat alterutrum, linguam quoque ipsam ignorat. Iam quia non satis est orationem, dictionemq; sive phrasim Latinã esse, ut historia laudetur, sed numeris item absolutam suis, concentuque oratorio sonantem ac numerosam, habenda quoque ratio est numerorum, non quidem omnium (nec enim poëtici, nisi raro, nec ij qui ad forenses sunt causas apti, decent) sed historiæ convenientium: qui, ut ait Cicero, redigant omnes in quadrum numerumque sententias, quique laxè & fusè, non incisè membratimq; procurrãt, ut orationem Isocrateo & Theopompeio more faciant fluentem. Est enim hæc numerorũ forma demonstrativo, atq; adeò Historico generi orationis accommoda, non illa contentiosa, ardens & concitata, quæ in causis prodest forensibus. Afferam utriusque orationis exemplum, ut qui historiam numerus, quíve causas deceat, intelligatur. Livius in primo Decadis tertiæ libro, Hannibalis in observando Romanorum exercitu ad Trebiam diligentiam describens, sic fluit leniter atq; laxè, ut meritò lacteo eloquentiæ fonte manare D. Hieronymo dictus sit. Ita enim ait ille: Hannibal cùm quid optimum foret hosti, cerneret, vix ullam spem habebat, temerè atque improvidè Consules acturos: sed cùm alterius ingenium fama prius, deinde re cognitũ, percitum ac ferox sciret esse, ferociusque factum ex prospero cum prædatoribus suis certamine crederet: adesse gerendæ rei fortunam haud diffidebat: cuius ne quod prætermitteret tempus, sollicitusq; & intentus erat, dum tyro hostium esset miles, dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret, dum Gallorum animi vigerent: quorum ingentem multitudinem sciebat segnius secuturam, quantò longius ab domo traherentur. Videtísne quàm latè ampleque fluat oratio, quàm tardè graviterque procedat, quàm magni periodi sint? At Cicero in oratione pro Ligario quantò concitatior, ferventior, astrictior? Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat?

gebat? cuius latus mucro ille petebat? qui sensus e- «
rat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ar- «
dor animi? quid cupiebas? quid optabas? Quàm ferit, «
urgetq; adversarium: quantis velut aculeis, sic interrogationibus contentus eum pungit, & instigat. Atqui quum hic numerus acer, nervosus, ardensque sit, ille prior lentus, tardus ac fusus, historiæ longè est accommodatissimus: quæ non rapidè ferri, incitariq; debet: sed sponte ipsa currere, & leniter quasi vehere lectorē. Hoc verborum ac sententiarū nexu numeroso & fuso historicus constat stylus: qui qualis futurus sit, adhuc docendum est accuratius. Tria, ut vos me multò rectius nostis, sunt styli genera, unum humile ac tenue: alterum elatum atque sublime: tertium æquabile & mediocre: primum comœdiæ, familiaribusque sermonibus: secundum, causis forensibus: tertium, duntaxat historiæ, narrationique omni aut sermoni gravi accommodum est. Ipsum autem hoc genus medium, æquabile, fusum, tractum, lene, sine tumore asperitateq; sit, gravibusq; sentētijs ac præceptis ad vitam accommodatis aliquando distinctum: nō aridum, ieiunum aut exile: quale Salustianum illud: quod Quintiliano propterea iunioribus legendum proponi nequaquam videtur. Verùm hac in re id dubium existit à gravibus viris sæpe controversum, num tenuis & ieiunus stylus sit fuso & copioso in historia melior. Polybio quidem, Salustio, Demostheni, Thucydidi, Senecæ, atque alijs summis viris concisum dicendi genus placuit, reiecto altero & copioso, quòd enervatius & mollius videatur. Vnde idipsum in Philarcho reprehendisse fertur Polybius: in Livio, Seneca: in Cicerone Largus Licinius. Contrà Platoni, Theophrasto, Isocrati, Ciceroni, Livio, Quintiliano, alijsq; vel doctioribus fusum & copiosum genus magis probatur. Quorum profectò sententia & melior & verior mihi videtur non modò ad animi sensa commodius exprimenda, sed ad docendum etiam & delectandum. multum enim illa horriditas & ieiunitas in dicendo displicet, lectorem tædio afficit, reijcit, nec respirare

quasi sinit intentum semper, & occupatum frequentia sententiarum ac rerum. Quamobrem commodius videtur, ut totum dictionis genus sit in historia latum ac fusum, nonnunquam verò astringatur pro rerum ac temporum brevitate. Itaque si res aliqua paucis concisèq; narrari velit, si aridè & ieiunè, dicatur quidem eo modo: quemadmodum apud Livium etiam uberrimum & copiosum in dicendo authorem summa est illa dictionis brevitas, in Carthaginiensium Romanorumque exercitibus ad Trebiam pugnaturis describendis. Duces cornibus præerant, sinistrum Asdrubal, dextrum regebat Matharbal, mediam aciem Hannibal ipse cum fratre Magone tenuit. Sol seu de industria ita locatis, seu fortè ita stando peropportunè ita parti obliquus erat: Romanis in Meridie, Pœnis in Septentrionem versis. Hìc & in sequetibus verbis rapidum orationis cursum, celeritatem, cola & commata, ut verbis Græcis utar, considera. Ipsam profectò exercituum ad pugnã descendentium festinationem, ac ducum eos ducentium cursum, clamorem, impetum & concursum ob oculos videtur ponere, ut semper non esse fusa illa, laxaque copia utendum, sed habenas orationi aliquando contrahendas intra brevem quasi gyrum, angustumque spacium intelligas. Cùm hoc modo ex diffuso & conciso genere stylum historicum temperari oporteat: deinceps quo pacto poëtico & philosophico, ut anteà dicebamus, sermoni similis fit, nisi est molestum, audite. Quid tu, inquiunt, molestum? imò istud ipsum peropportunè. Historicum stylum, ego tunc, Quintilianus decimo lib. poëmati similem esse adeò putat, ut is ferè versus solutus vinculis poëticis, ac fusus videri possit. hoc autem dicendi genus usurpari, quod narrationis suavitati, voluptatique lectorum verbis liberioribus, remotioribus figuris, & ad delectandum compositis locus concedatur. At Luciano affectatio poëtica, compositio diligens admodum, declamatoriæq; similis, & curiositas exquisita displicet adeò, ut ea etiam de causa Herodotum reprehendere nõ vereatur. Huius ergo licet à Quin-

à Quintiliano dissentientis sententiam sequi malo, quòd sic voluptatem in narratione spectandam putem, ut gravitati rerum, & veritati nihil detrahatur. Quid enim indignius, quàm hoc affectato exquisitóque dicendi genere, doctis prudentibusq; lectoribus veritatem suspectam reddere? Equidem quum Herodotum lego, vel ijs etiam in rebus quas norim esse verissimas, tamen nescio quomodo suspecta mihi omnia sunt, dum eum existimo sermonis excolendi & poliendi studio nimio addidisse aliquid veritatis integritati, aut eidem detraxisse. At Xenophontis Cyropædiam, quam novi maxima ex parte confictam ad optimi principis institutionem formandam, quòd sinceritatem, candorem, puritatémq; minimè affectatam eius in dicendo perspiciam, certè legere, quin pariter probem, veramq; omnino putem, non possum. Fugienda igitur est prorsus poëtica hæc dictio in historia, nec ullis non modò verbis, sed ne figuris quidē poeticis utendum, nisi fortè suspectam veritatem reddere, dum nec mediocrem eius levandóq; lectorum tædio aptum cultum in oratione requirimus. Neq; enim est affectatione quicquam aut peius, aut molestius, non in oratione modò, sed ipso in vitæ genere. Nam vel in Platone, qui in Phædo nescio qua occasione Musas invocarit, sublimiorque quàm alias videatur, id vnum vehementer Halicarnasseus Dionysius reprehendit: idemque à Græcis pectere, ac delinire scripta sua solitus dicitur, quòd eloquentiæ maximè omnium studuerit, adeò ut in manuscriptis illius exemplaribus initium librorum de Republica bis aut ter immutatum dicatur fuisse inventum. Idipsum vitio Isocrati, Hortensioque datum est, multisque viris permagnis, vel quòd minima affectationis vestigia in eorum scriptis cernerentur, nedum si expressa & conspicua esset ipsa affectatio. Quid aliud in Apuleio, quem quidem nescio quo judicio aut sensu Erasmus vester in copia sua laudavit, reprehensione dignius est, quàm poëtica illa frequenter dicendi usurpata forma? Quid enim gratiæ habet, aut venustatis illud ex Asino, cui

idem auctor planè similis, non Latinè loqui, sed rudere potius videtur? Iam dicacitas hinnula, cùm ille imo de pectore cruciabile suspirium ducens, dextra serviente frontem replaudens me miserum infit. Nunquam igitur narrationem historicam poëtica licentia dissolvi patiemur, si mihi, viri optimi, creditis: nec quod Historici veteres Herodotum hominem fabulis & poëtico stylo delectatũ secuti, aliquot suis in historijs vestigia imitationis eius reliquerint, ideo eorundem vestigijs hisce insistendũ nobis est. Licebit quidem nonnunquam ne difficiles admodum & austeri sim⁹, uti infinitivo pro imperfecto, ut apud Salustiũ: „ Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, „ laborantibus succurrere, integros pro saucijs arcessere, „ omnia providere, multùm ipse pugnare, sæpe ho- „ stem ferire. Licebit etiam vel loci vel expeditionis, vel personæ alicuius, vel prælij, certaminis que descriptionem poëtica elatione, amœnitatéque facere, epithetis, adiectivis, translationibusqúe poëticis uti, sed id ita dissimulatè & tectè, ut ne id quidem altius in rem intuentibus sese ostendat; licebit denique cohortationibus, consultationibus, epiphonematis, excursionibus ad apparatum, personam, reliquaque huiusmodi describenda uti Historico pariter & poëtæ: sed hoc ita fieri decet: ut poëtæ poti⁹ historicos imitari, quod fertur de Lucano, quàm poëtas Historici videantur. Verùm hac de re satis, ne in ijs quæ perspicua, & ab alijs sæpe explicata sunt, verser diutius. Audistis, amici, à me originem historiæ & causam: tum quid, & quotuplex ea esset: deinde quæ viderentur esse leges eius condendæ: reliquum est, ut hisce cognitis quæ sunt iam ad imitandum proposita, illa vitia summopere fugiamus: ut falsum quid vel minima ex parte narretur: ut perturbata & confusa sit: ut nullus rerum gestarum habeatur delectus: ut nec exponantur consilia causæque rerum: ut turpe quid, aut quod non sit optimo exemplo lectoribus narretur: ut semper sui similis ac non distincta & varia existat: ut frigida sit & insulsa: ut ieiuna, sterilis, humilis, impuroque sermone

Quæ vitia in historia vitanda.

ne scripta: ut exordia aliena sint, longa aut inepta: ut portentosa aut frivola narrentur: ut personarum locorúmve nomina mutentur: ut omnes orationis partes non sint æqualitate aliqua inter se connexæ: ut error existat in descriptione locorum: ut decorum personarum ac rerum non servetur: ut levia extollãtur magnis prætermissis: ut longi & exquisiti tituli quærantur: ut denique eorum omnium quæ suprà docuimus, aliquid prætermittatur. Si quid vos hisce præterea existimatis addendum, significate quæso antequàm ad Historici descriptionem descendam. Ea enim restat nunc tota ex disputatione nostra. Nos verò, inquiunt, detrahere, non addere quid vellemus. Adeò enim difficilem scriptu historiam nobis fingis, ut quasi Momus quidam ne ullum quidem in ea nævum admittas. Num vos etiam, inquam, facilem eam scriptu putatis? Magnum ponat in illa studium historicus, & laborem necesse est, quando immortalitati consecratur, nihilque immortale aut diuturnum, nisi ægrè ac labore factum esse possit. Pereunt & collabuntur vel perfectissima quæque, interitum secum ipsa imperfectione afferente, nedum imperfecta & incondita. Præsertim cum optima quæque scripta reprehensoribus, ac præstantissimi authores obtrectatoribus non caruerint, à quibus & reprehensi, & æditis libris sæpe sunt accusati: ut à Zoilo Homerus; Plato ab Aristotele, Cephisodoro, Theopompo, Hippodamante, Demetrio Phalereo: Aristoteles ab eodem illo Cephisodoro quatuor libris, ut Athenæus refert, scriptis. Grave subit iudicium qui historiam scribit, tum invidiam odiumque non hominis solùm unius, verùm etiam gentium, regionum, multarumque civitatum, quæ vel iniuriam fieri sibi, dum quid turpiter aut ignavè à se gestum narratur, putant: vel vitio etiam mendacij insimulare scriptorem non dubitant, modò suum reprehensione alterius obtegere vitium possint. Sed esto id difficile, arduum, invidiosum, laboriosum: attamen quid pulchrius præstantiúsve, quàm tot vitæ exempla posteris relinquere, tot factorum atque

Difficultas scribendæ historiæ, ac præstantia huius scriptionis.

dictorum monumenta, tot institutorum & legum vivendi formas? quid optabilius quàm unum te superstitem tot civitatibus, populis, ducibus, regibus, hominibus, narrationibus vivere, atque immortalem esse? Perijt Crœsus, Lydi, Assyrij, Persæ, Babylonij, Aegyptij, Græci, Romani, Alexander, Hannibal, Scipiones, Pompeius, Cæsar, Marcellus, cæterique summi viri & populi ac principes præstantissimi: periere eorum trophæa, monumenta, ædificia, opes, genus, familia: vivunt tamen omnes adhuc: suntque victuri posthac eorum, à quibus illorum res scriptæ sunt, beneficio, vivuntque quandiu hi ijdem vixerint, secus non futuri superstites, quàm unà cum illis. Miror equidem sæpè, cùm nostri seculi principum ambitionem, elationémque animi mecum cõsidero, qui fiat, ut cùm propagare imperia tantoperè studeant armis atque opibus, cùm innotescere cunctis velint, cùm nihil aliud quàm gloriam appetere, quærere, & stabilire conentur: sint tamen adeò segnes in rebus suis vel Cæsaris exemplo, ipsimet scribendis, vel alijs ad scribendum mandandis, ut nihil præter vulgarem hanc & præsentem populi auram captare velle videantur, de futuro seculo minimè solliciti, aut providi. Rectè meo quidem iudicio sentis, P. N. inquit, eoque magis priscorum hominum miror suspicioque virtutem, quòd ut in rebus gerendis præclari extitere, ita in ijsdem posteritati mandandis diligẽtes: adeò ut utri nam rei auram maiorem adhibuerint, dubitẽ. Versabatur interdiu in militaribus rebus, bellicisque occupationibus Plinius: at idem noctu Naturæ historiam scribebat. idem Valerius Maximus in colligendis exemplis fecit. idem Caius Cæsar in Commentarijs suis. idem Decadis Brutus. idem Xenophon, Thucydides, summique alij viri, quos prudens omitto. Nec hoc in illis miror solùm, sed illud maximè, quòd philosophos, hominum genus à negotijs civilibus remotum, contemplationique deditum, non modò ad Rempublicam sæpe fuisse accedere solitos, cùm illi opus ipsis esset, sed ad bellum etiam profectos fortissimè dimicare

micare pro patria légimus: veluti Socrates, qui (ut autor est Plato ac Xenophon) semel apud Potideam, iterum ad Amphipolim, tertiò in Beotia pugnasse in prę lio fertur: quanvis huic gravissimorum virorum sententiæ Athenæus libro quinto repugnare audeat. itemque ut Xenophon, cuius in scribendo elegantia, & in bello armaturæ cultus propemodum par fertur fuisse. & Solon, qui dubijs in patriæ rebus, ac turbidis medium in tyrannorum discrimen descendit. & ut alij denique viri, tum Græci, tum Romani, tum gentium etiam aliarum. Itaque cùm hoc reputo, causam cur hodie vel nulli docti viri gerendis rebus adhiberi soleant, vel ij qui versentur in illis, docti non sint, esse árbitror, quòd alteros avaritia, alteros nimia negligentia deterret: dum ij qui negotiorum turba obruuntur, si quid sit bonarum rerum cogitationi, studioque ociũ m relictum, illud ad opes, honores, dignitates, familiam augendam convertunt: qui verò in ocio literarum ętatem conterunt, dum laborem, & inquietèm adversam consuetæ tranquillitati verentur, prodesse Reipublicæ desinunt. Quocirca præclarè nobiscum totaque Republica ageretur, quemadmodum sua in civitate Plato quærebat, si non philosophos, saltem rerum multarum, artiumque peritos haberemus homines, quibus esset principi ad omnia negocia utendũ. Paucos equidem, & verum ut fatear, nullos ferè huiusmodi novi: sed beneficio, autoritate, industria, liberalitateque principum eligendi, fovendi, alendique tales sunt, quemadmodum apud Persas fieri solitum scribit in Cyripædia Xenophon, Platoque vester & Aristoteles iubent. Hæc cùm graviter & eruditè P. N. dissereret, finemque dicendi fecisset, tertius ille subridens, rectè vos, inquit, facitis isto modo. Videmini sanè prius quàm huc ad sermonem habendum veniretur, mutuo consensu alter ideam quandam historiæ, eiusque authoris, alter civilis hominis facere: quasi verò satis non sit, res gestas utcunque memoriæ posteritatis mandari, ut noscantur, & hæc Reipublicæ forma, qua nunc utamur, non optima &

commodissima sit. Tu verò, inquam, peius, qui à te ipso non verearis dissentire, quum id appelles ideam quod rarius sit aliquãto: quod tamen ipsum vel apud aliquos cernere, vel in authore quoquam legere aliquando potueris. Quàm tibi nulli fuisse viri huiusmodi in rebus publicis quales desiderat iste, videtur? Lege antiquorum scripta, libros eorum evolve, acta recognosce, quid apud gentes aut populos diversos agatur, audi & inquire: multos & perfectiores, & præstantiores inveneris, quàm sunt ab isto, qui se tibi noluit accommodare, memorati: Historia verò à me descripta qui tibi videri potuit ab usu hominum atq; sensu remota, cùm ea ad formam bonorum Historicorum, qui nunc in manibus omnium versantur, formata sit? De Historico autem ne iudices antè quàm à me qualis sit, audias, iam dicã: in quo etsi ei multa tribuere, quæ paucis contingant, tibi videar, tamen erige paulò altius ab his quæ cernis animum, cogita formam aliquam perfectiorem & rariorem, quam intuens veluti regulam, quis sit uniuscuiusq; gradus perspicies. Neq; enim aliter quid rectum contrariúmve sit, internoscere aut iudicare possis, quàm forma rei aliqua absoluta ob oculos posita. Quo nomine ad ipsum Historici munus describẽdum accede mecum, nec interim refragare quousque sermonem ea de re universum audieris. Scio, inquit ille, quò tendat oratio tua: Platonis Rempublicam, Ciceronis Oratorẽ, Vitruvij Architectum fingere, quasi Prometheus quidam vis. Quid tua, inquam, si finxero, si modò aliqua ratione commodè id possim. Ne interrumpas igitur, ille inquit, huiusmodi digressionibus cursum orationis tuæ: dic tandem qualem esse velis historię scriptorem. Ego verò, inquam, cùm vitæ legem historiam putem, eiusque scriptorem, legislatorem esse quendam prudentem ac probum iudicem: is est à nobis fingendus optimus, integerrimus, prudẽtissimus, atq; omnibus, si fieri possit, virtutibus ornatissimus. Nam si veritatem sit narraturus sine fuco aut prętextu, nihil studio aut affectu tacebit, nihil odio dicet, nihil cupiditate a-

Historicus qualis esse debeat.

te avaritiáve in gratiam aut adulationem ſcribet. Omnino autem cùm omnes illi virtutes, ut cuiq; homini probo colendæ amplectendæq; ſunt, tum prudentia in dicendis atq; tacendis, dein moderatio affectuum in iudicando, poſtea fortitudo, & libertas animi ingenua, ut nihil metu ſileat, avaritiáve faciat: putetque ſe iudicis boni & integri ſuſtinere perſonam, quàm ſummum ſit ſcelus affectu aliquo perturbatum aliquando non tueri. Itaque nec deterrebitur à veritate narranda, quòd Clytus ab Alexandro cæſus ea de cauſa fuerit: nec amorem ſuum aut ſtudium præponet iudicij integritati. Quapropter reprehendendus quorundam mos eſt, qui hoc ſcribendarum rerum ſuarũ munus non quaſi onus grave, ut eſt certè, ſed veluti premium exigui ſtipendij, honoríſve cauſa alicui concedant. Non enim vident ſe precio cõducere adulatoris operam, non iudicem ſibi rectum pręficere: quem veriti ſæpe à vitio deterreantur. Nec verò ſibi ſolùm Hiſtoricus futurus eſt probus ac rectus, ſed noſſe in alijs acri iudicio quid laude vituperationeq; dignum exiſtat. Qui enim is ferat iudicium, qui nec iudicare ſciat? fallatur, erretque paſſim neceſſe eſt, niſi accuratiſſimè hominum noſcat ingenia, mores ac vitam, eaque recto iudicio examinet. Igitur non modò orator & dialecticus erit, ut propriè, ornatè, diſtinctè apteq; dicere poſſit: ſed phyſicus etiam ac morum ſcientiæ doctus. Qui enim poſſit hominum mores naturamque noſſe? qui mores ipſos ad normam virtutis examinabit? Mathematicorum autem ſcientia, quàm ei ſit neceſſaria, quàm iuris divini & humani notitia utilis, locorum deſcriprio, tempeſtatum & portentorum notatio, legum, fœderum, inſtitutorumque expoſitio declarat: qua utendum eſt ſępe in medio narrationis curſu. Vt omittam interim, quod vel principes ipſi de rebus ab hoſte occupatis cõtendentes hiſtorias tanquã oracula conſulunt, indeq; iuris ſui omnem rationem petunt ac proferunt. Sit præterea multarum rerum peritus, ut antiquitatis, exemplorum, dictorum, factorum, morum diverſorum: gentium variarum ingenia

norit, nationes inviserit, regiones peragraverit, publicis negocijs interfuerit, bellicis, urbanis, principũ, privatorũ, militum, ducum, bellicarũ & civilium rerum teneat rationem, nec si possit auditui tantùm credat, sed ipsemet noscat, videat, exploretque omnia, non quæ sit scripturus modò, sed quæ ad vitæ cultum pertineant. Virum hunc magnum, gravem, integrum, severum, peritum, intelligentem, exercitatum, civilem, urbanum, totius vitæ communis ac privatæ non rudem, eloquentem, doctum, in dicendo scribendoque promptum, diligentem, studiosum quis non amet tantùm ac laudet, & conscribendæ historiæ muneri adhibeat, sed etiam Reipublicæ quasi parentem & conservatorem, per quem ipsa & stare & immortalis esse debeat, non præficiat. Hunc arbitror dices alterum esse oratorem aut architectum, quales Cicero ac Vitruvius describunt: sed animadvertas oportet, multa prudenter me prætermittere, ne inusitatum aut rarum aliquid videar afferre. Nam si quæ de illo sentiam atque animo comprehendam, dicenda essent omnia, ponerem illum profectò non aliqua in civitate terrestri, nulli propinquitate coniunctum, nulli subiectum regi, nulli legi, sine affectu, perspicacissimum, diligentissimum, omnia noscentem, intelligentem, notantem, postremò tanquam Deum aliquem humana considerantem, nec se illis miscentem. Certè sive huic similis aliquis usquam extiterit, sive non multùm dissimilis, magno esse in honore apud cives suos deberet, cũ veluti Pythius Apollo media in Republ. sit constitutus iudex, & observator rerum omnium, deque ijs & agere & respondere optimè possit. Alexander Macedo quanquam alijs in rebus intemperans, tamen in hoc multùm laudandus est, quòd gloriæ amore semper mirum in modum exarserit, volueritq; rerũ suarum scriptores habere quàm optimos: licet id ipse non sit ex voto ætate sua consecutus. Idem Aristotelis libros de Animalium historia, quam ipse in illa imperij sui propagatione latissima ferè cognovit, ac perscribendam magistro tradidit, tanti fecit, ut octoginta talenta de-

dedisse illi, dicatur. Vnde liber etiam is à Græcis πολυτάλαντος πραγματεία, id est, multorum talentorum opus appellari solet. Augustum quoque Cæsarem perstudiosum fuisse literarum, doctorúmque hominum accepimus: quòd hoc modo æternam nominis sui famam se cõsequuturum existimarit. Idem (ut autor est Dion) scripsisse quatuor lib. fertur, quos Drusus ostenderit post eius obitum: quorum primo ea quæ ad eius funus spectarent, continebantur, secundus res ab eo gestas complecteretur, tertius rationem omnem reddituum & expensarum quas fecisset: quartus gerendæ Reipublicæ formam Tiberio hæredi præscriptam. Extitit & in Lucullo, quemadmodum scribit de illo M. Tullius atque Plutarchus, tantum in homines doctos studiũ, ac bonas artes, ut cùm sibi sæpe philosophos, oratores, variarumque rerum peritos homines adhiberet, sive domi esset, sive militiæ: semel ipse unà cùm Q. Hortensio & L. Sisenna viris principibus congressus ea lege, ut cui sors eorum obtigisset, is Marsicum bellum scriberet vincta solutáve oratione, illud bellum sorte sibi obveniente Græcè conscripserit. Simile in Nerone Adrianóque Cæsare studium fuisse fertur, sed ad invidiam & æmulationem usque in doctos viros. Nam ille Lucanum invidia excellentiæ poëseos sustulit, hic Favorinum ac Dionysium Milesium sophistas summo est odio prosecutus. Quid memorem honores Platoni à Dionysio Siciliæ Tyranno exhibitos? Quid Homero & Pindaro ab Alexandro? quid Possidonio à Pompeio? quid denique Livio à Gaditanis? Nunc tantus est literarum doctorumque contemptus apud principes viros, ut quosdam audierim aliquando asserentes publicè, nũquam se liberos suos ad studia missuros, quòd ijs esset nihil scire utilius. His nullum ego afferre supplicium gravius possum, quàm ut unà cum opibus suis sepeliantur obliti, neglecti, contempti, eiusdem cõditionis denique cum infimis & obscuris hominibus. Hæc ipsa doctorũ contẽptio nõ modò apud homines nostros, ut dicebam initio sermonis mei, historiã ne-

Quæ causa sit, cur rerũ suarum nostri nullam habeant historiam.

gligit, artesque bonas iacere antehac fecit, sed apud alias etiam nationes & nunc & olim, quanquam nescio quomodo tunc post tantum hominum cultum, tantam elegantiam doctrinæ, morum, factorum artiumque omnium à veteribus relictam paulatim absolevere homines, feréque sunt æquè rudes effecti, ac prisci in illo seculo, in quo glandibus usi, Cerere nondum frumenti usum afferente, dicuntur. Quid enim aut Romani aut Græci, qui omni doctrinarum genere olim excelluere, post fœdam illam & exitialem Gothorum, barbarorumque omnium Romano imperio vastitatem illatam scripsere, nõ dico antiqua eruditione, sed nec mediocri quidem dignum? Quid porrò Galli, qui imperio Rom. florente, ipsi quoq; literis floruere? quid nostri demùm? qui (ut principio etiã dicebam⁹) multò antè Græcos & literas, & poema, & artes habuere, posteáq; Romanam linguam complexi sunt adeò cupidè, ut propria neglecta, hanc unam in usu habuerint, unáque cum illa & mores, & cultum & studia acceperint, Romanisque ipsis doctorum multitudine, scriptorum copia, elegantia, eruditionéque pares extiterint? Post illa verò tempora nihil prorsus habemus, quod sine turpitudinis metu possit in medium proferri. Nam Isidori, Roderici, aliorumque similium, diligentium sanè hominum, sed illo seculo doctorum extant nonnulla, ea tamen vix hac ætate, & hoc cultu digna. Posterioribus temporibus occupata ab Afris Hispaniæ maxima parte, continentia bella, & assiduæ barbarorum incursiones non modò studijs nihil otij relinquebant nostris, sed nec Reipublicæ, aut civitatibus satis bene colendis, & administrandis. Ita effectũ est, ut nullam historiæ lucem nostrorum res, quæ multæ profectò & præclare extitere, habuerint: aut si quã habeant fortasse, sit eadem alijs ignorata, propterea quòd vernacula lingua scripta omnia ad gentium aliarum homines pervenire nondum potuerint. Equidem cùm multas sæpe res, quas homines nostri vel priscis temporibus, vel superiori memoria gesserint, lego, easq; nullis, præterquam nostris hominibus notas esse vi

se video, vehementer principum negligentiæ irascor; qui ea non curent sic scribi, ut communicari cum alijs possint nationibus, quique ut parasitos, inutiles hominum aulicorum turbas, inutilia ædificia, spectacula, sumptus alios magnificos faciant, non hanc etiam in rem & sibi, & imperio suo gloriosam, liberales, studiosi & magnifici sint: cùm non id minus Reipublicę constitutioni, legibus, institutis, exemplo suo prosit, quàm præclaræ leges, egregia facinora, imperij fines propapati, Respublicæ bene constitutæ: cumque vel hæc ipsa silente historia, ignota sint, & æquè obscura neglectaque iaceant, ac si temerè & nullo autore essent effecta. Sic videmus pro veris historijs commentitias narratiunculas, & ineptè confictas fabellas esse suppositas, non quidem ipsa de antiquitate, quam ignorare forte sit tolerabile, sed proxima de ætate potius. Nam ut omittam quod ante Romanorum, Græcorumque ætatem nullius ferè gentis, præterquam Iudaicæ, vera ulla extent monumenta, ne ipsorum quidem Græcorum, quorum pleræque res eius ætatis sunt fabulosæ, ut in Platonis Timæo Aegyptius ille sacerdos Soloni significat, quodq; libelli illi Chaldæo Beroso falsò adscripti de orbis antiquitate, Hispaniæ regibus, cæterisque similibus nulla fide digni sunt: & quod demũ nulla natio, nisi postquã est à Romanis Græcísve cognita & explorata, ut ex horũ scriptis aliquod suę patriæ monumentum agnoscat, verũ aliquid suis de rebus narrare aut prędicare poterit: certè vel tempus illud quod inter imperij Romani occasum, ac superiorum Castellæ regum ætatem intercessit, luce historiæ prorsus caret. Nihil enim habemus ab eo tempore quo Roderico Gothorum & Hispaniæ rege victo universam ferè provinciam Mauri occuparunt, nisi fabulosum, puerile & obscurum: idemque vix dum extaret, nisi ex Roderici Toletani episcopi fragmentis, & quadam Alfonsi regis, eius qui & tabulas Astronomicas, & septem partitas leges patria lingua fecit, historia, ac Valerij cuiusdam, qui Ferdinandi quinti vixit temporibus, revocatum esset.

Itaque & hæc media quæ retuli, & prisca illa ante Romanas res obscura ac fabulis plena sunt. Neque enim ego apud bonos autores duodecim illos Hispaniæ reges eorumq; res gestas tam plenè & accuratè scriptas invenio, quàm apud Berosum: cùm nec eiusdem libri aliquà verba usquam citentur, ut fidem operi facere possint, cumque apud Herodotum, Iustinum, deniq; antiquos alios scriptores nullum eorum regum vel nomen inveniamus. Neque etiam de prælijs à Gothis, cùm vastaretur Hispania, gestis contra Africanos, neq; de ipsòrum regno priori, aut rebus, neque de ratione repellendi hostes primùm ex ultima parte, quæ incolumis ab impetu hostili remanserat; deinde superandi eos paulatim ætate illa scriptum aliquid plena fide dignum invenio: nisi fortè quis adeò sit rerũ antiquarum studiosus diligensque observator, ut aliqua eruat monumenta & vestigia, ex quibus si nó integram & perfectam, tamen qualemcunq; historiam facere possit. cuius generis multi viri sunt & docti & diligentissimi. Duæ hisce temporibus ætates interiectæ, prima Romanorum, secunda hæc nostræ memoriæ proxima lucem habere possunt maiorem, propterea quòd Romana tempora, dum eius populi res gestæ in Italia, Gallia, Germania, Hispania, cęterisq; provincijs narrantur, nonnulla obiter nostrę gentis peculiaria commemorant: superiora verò tempora, nostręque aut parentum memoriæ vicina summotis longius Mauris, ac propagatis Castellæ finibus, ocium aliquod diligentibus, quos rude illud seculum habuit, concessêre ad res scriptis mandandas. Habet & hæc nostra ætas præclara multa & inusitata exempla, quæ vel cùm Romanorum ac gentium cæterarum imperiosarum contendere rebus possent; habet & doctos multos: sed nescio qua negligentia ferè, ut existimo, eisdem ingenita patriæ honori atq; gloriæ intermittunt consulere: aut si quid scriptis mandent, id lingua materna, non aliena scribendum putent: cùm non videant à peregrinis hominib. linguam vernaculã ignorari, & Latinã multò esse nobis propriorẽ, quàm reliquis

quis nationib. utpote qua olim sit hominũ nostrorũ vulgus usum: & cui hæc ipsa qua nunc utimur, maximè sit affinis, adeò ut aliquando scripta viderim quædam ita elaborata & facta ab aliquo diligenti utriusq; linguæ observatore, ut Latinis Latinè, Hispanis sonarent Hispanicè. Quamobrem in tanta nostrorũ hominum erga res patrias negligentia expectandum est, ut peregrinus quis Hispanica lingua cognita, res etiã nostras perscribat, ut fecit nuper Vasæus, Iovius, Sabellicus, Ricius, Volaterranus: vel principes cohortãdi sũt, ut inertiam hanc, vel propositis præmijs, vel minis etiam cohibeant, cogantq; homines doctos huc rei animum tandem adijcere: desinantque illud quod ego nonnunquã audivi circũferre amplius, gerere se quidem tantùm res præclaras, & memoratu dignas cupere, scribendas verò alijs eas relinquere: quasi eiusdem virtutis non sit præclarè aliquid gerere & idem alijs noscendum proponere. His ita propositis, quum P. N. laudaret orationem meam, studium in patriam, notitiam antiquitatis, & monumentorum nostræ gentis, ac temporum, varietatémque rerum, & copiam, méq; ut soleret, pluris, quàm æquum videretur faciens miraretur: nunc demùm, ille tertius inquit, perducta oratione tua ad finem, vide quid ei desit ex ijs quæ proposuisti. Quid? inquam ego. Quod de historiæ legendæ ratione nihil adhuc præcepisti, quod erat præcipiendum imprimis, quodq; à te cupidè iam inde à principio orationis tuæ expectabatur. Næ tu, inquam, præceptis vehementer delectaris, q̃ ad illa semper me voces. nónne tibi satis ea esse quæ de conscribenda historia exposui, ad eandẽ legendam potuere? Quid ita? inquit: num eam ego sum scripturus unquam? Nequaquam id, inquam ego: sed quo pacto ipsæ non modò historiæ, sed nec omnino alicuius rei bene scriptæ artificium & elegantiã dignoscere aut diiudicare possis, si nec quid artificiũ, aut quale sit, rectè cognoris? isthęc q̃ tu poscis, nõ nisi à doctis & bene institutis intelliguntur. Nam qui accuratè debeat historiam legere, quomodo sit eadem scribẽda noscat necesse est:

Ratio & modus historiæ cum fructu legendæ.

qui poema, orationem, disputationem, comœdiam, fabulam, aliud denique quicquam eodem modo. Itaque artifices & eruditi, artificiosa eruditaque tantùm cognoscunt, non rudes aut imperiti. Synesius Platonicus, vir gravis, magnique ingenij ac iudicij, in Dione scribit, se ut de libris quos legeret, accuratè iudicaret, eadem itidem scribere quæ in illis continerentur, solitum, quò melius quid rectum, aut contrà esset, cognosceret. Itaque si comœdiam, si carmē, si historiam, si aliud huiusmodi legisset, idipsum se effingere conari solitum esse. Nec mirum id quidem: nam rectè ut iudicet, quod de Prometheo fertur in fabulis, in ipsas res penetrare, ac commorari te oportet: neque enim aliud est, illum in ignem modò, aliàs in aquam, nonnunquam in piscem, aliquando in aliam naturæ formam commutatum esse, quàm tanta hæc omnia cum mentis contentione inspexisse: ut in ipsam eorundem naturam intraret quodammodo. Ergo lectioni accedat iudicium, non tam natura quàm arte usuque comparatum: tum doctrina non vulgaris, aut mediocris: qualis fuisse in Platone dicitur, qui Philolai Pythagorici libros magno emptos precio, tanto studio atq; intentione animi legere sit solitus, ut ijdem ad eius iā mortui caput reperti sint posteà. Atque ut noscas quo sint iudicio & consilio legenda omnia & iudicanda: (nam scio te mihi facilè repugnaturum) adducā si placet, idque Latinè (nec enim Græca libēter Latinis insero) eiusdem illius quem commemoravi modò, Synesij viri doctissimi verba ex Dione, in quo ipse libro rationem vitæ suæ reddit. Profer isthęc quęso, inquit P. N. placet enim mihi autoris maximè, nisi quòd durus & intricatus videtur. Sic igitur, inquam, ait ille in fine eius libri: Ego verò nullam in rem aliam vires intendo, præterquam in ea quæ vera sunt: sæpe etiam nec libri fieri aliquam patior iacturam, quin aliquid capiam commodi. Sed oculos ipse contineo, atque ita me exerceo, ut ne temporis quidem momento ab eo dimotus, sequar rerum ipsarū seriem, & tanquam ordine legens, cogitatione quod mihi consequi videatur,

tur dico, nonnunquam & hæc, quæ dicam, cum scriptis conferens video me sensum & intelligentiam eiusdem orationis assequi facilè. Ita fit, ut quasi coniectando inveniam quid aliquando. quod etsi dicendi genere discrepet, proximè tamen ad scripti formam accedat: cuius etsi intelligentia diversa sit, sæpe tamen autori libri congruit, eamque nequaquam ille si in mentem venisset, reijceret. Atque id equidem, si quos in viros liberaliter institutos inciderem, haberémque in manibus scriptum aliquod grave, quod vellent ij communiter inter nos legi, sic faciebam. Cùm autem licebat, & investigabam aliquid, & in dicendo exprimebam, nō mehercule exercitationis gratia, sed ut sic progressus & sensui, & linguæ pariter responderem. Vnde magna profectò admiratio, & applausus nascebatur eorum qui autorem illum laudarent, cuiuscunque id esset scriptum, non quòd adiectum putarent aliquid: ita mihi Deus animum veluti tenuem quandam imaginem formarum earum, quæ vel in sermone, vel moribus sint aliorum, effecit. Quòd si prætereà in libris depravatis versarer, diligentiam omnem adhibebam, atque eò me natura experimento id cognoscentem adducebat, ut inconcinnas aures sonus quidem oppleret, concentuque cessante, non parum temporis eo ipso permotæ adhuc relinquerentur: Equidem sæpe in tragœdijs tragœdum egi, in comœdijs me ad scriptoris studium cuiusque conformavi: itaque modò æqualis Cratino videbar, interdum Crateto, nonnunquam Diphilo, aut Philemoni: nulla denique forma erat aut studij, aut poëseos, qua de non dissererem, cuiúsve non fecerim aliquando periculum. Si verò integra scripta ad aliorum scriptorū formam componerem aut cum eorum fragmentis conferrem, siquidem multa dicendi genera sunt, eaque inter se plurimùm discrepantia: iudicium adhibere meum unicuique rei, quam imitando exprimerem, sæpe necesse fuit, quemadmodum fides, quæ hypate nominatur, vi sua retenta concentum pariter pulsa harmonia, ædit. Videtis igitur iam viri doctissimi in legendo

consilium,atque prudentiam: quam si legendis quoque adhibeamus historijs permagnum eius rei fructũ percipiemus. Qui enim ingenio non hebeti, mediocri diligentia, labore, & studio moderato, memoria non planè futili ad eam legendam accesserit: modò ea sequatur, quæ in conscribenda historia præcepi suprà, quæq; deinceps dicam brevius, uberrimum sanè ex ea fructum ad eruditionem & ad elegãtiam vitæque usum ceperit. Ecquænam isthæc sunt, ille tertius dixit, quæ putes sequenda? nam superiora satis intellexi. Legistíne Ciceronis, inquam, oratorem? Quid ni? ait ille. Et Quintilianum? eodem quoque modo. Audi ergo, inquam ego, quid illis placeat viris. Cicero imprimis in Oratore ad Brutum ordinem rerum gestarum, veterisque memoriæ civitatum, illustrium regum, & imperiosorum populorum oratori futuro tenendũ inquit: quod qui præterita norit, idem & futura, & præsentia sit facilè cogniturus: cùm unus sit semper humanarum rerum cursus atque processus. Idem ferè præcipit oratori suo Quintilianus, ut copia exemplorum abundet, argumentaque habeat inde firmissimæ autoritatis ad causas, vitæque rationẽ. Quæ igitur illi oratori tenenda præcipiunt ad causas in foro agendas, tu ad vitæ rationem, quam ut in theatro, ita hoc in hominum cœtu rectè instituere oportet, referes. Nam & vivendi præcepta, & agendi, ac dicendi, & omnia denique cognoscendi ex historijs exempla potissimum sumere necesse est, eum qui illas legat, ne inutili & inani rerum gestarum narratione contentus fructum & utilitatem ipsam omittat: veluti pictor, si proposita sibi ad imitandum egregia aliqua forma, eius duntaxat nitore & venustate delectatus, nec artificium consideret, nec illud ipse imitetur, nec sæpe imitando exprimere studeat. Cùm igitur non ad voluptatem aut tempus frustrà terendum legenda historia sit, sed ad vivendi legem atque rationem noscendam & imitandam: sic est eius lectio instituenda, ut non tantùm exempla factorum quærantur, sed etiam dictorum, consiliorum, casuum diversorum,

forum,& locorum notitia gentium ac nationum multarum,morum, Reipublicæ formarum,institutorum, temporum,totius denique humanę vitę cursus,ac vicissitudinum plena descriptio. Quo nomine accuratè notandum est,quid rectè aut turpiter actum dictū mve sit,ut alterum fugiamus, alterum amplectamur:tū quid quoque tempore acciderit diversis in locis,civitatibus atque nationibus: quis situs locorum multorum, quæ soli forma, quæ cœli & aëris natura, quæ forma civitatum, ædificiorum, munitionum,machinarum,stratagematū,consiliorum, deliberationū,expeditionum, cohortationū, disciplinæ militaris ratio extiterit. Ita fiet,ut qui civilibus in negocijs versetur, formam civitates ædificandi, civium instituendorum, legum condendarum,stabiliendarum,abrogandarum, ac universæ Reipublicæ rectè formandæ tenere, sequique possit: qui studia doctrinæ colat,virorum multorū exempla, quos in ediscendo, legendo, docendo,scribendo imitetur,habeat: qui militię deditus sit,eius disciplinam,consilia omnia,eventus,exercitationem, prudentiam, cæteraque in exemplo cognoscat. Quocirca nulli non erit maximè utilis historiæ lectio, si hanc legendi formam atq; rationem sequatur: id quod vel eius imago,& causa docere apertissimè potest. Quemadmodū enim cæteris in rebus quæ sunt ingenio & industria hominum pervestigatæ,ad naturæ necessitatem utilitas ab eisdem quæ sita est: ut sunt ferè artes omnes, quæ manu exercentur, instrumenta, machinæ, molitiones,civitates,cultus, vestitus,ædificia,cæteraq; generis huius: sic etiam historia & inventa & culta & conservata est, non ad inanem ac futilem præteritarum præsentiúmve rerum,nam talium est ipsa non futurarum commemorationem, sed ad humanæ vitæ institutionem: sicut & leges,& morum disciplina, & cæteræ quoq; bonæ artes,ac liberali homine dignę. Nam ut leges ad civium eorū qui sunt unis mœnibus, aut unius regionis finibus septi, conformationem, vivendique formam sunt constitutæ, utque morum scientia ad hominum

De historię prȩstantia, utilitate atque usu.

omnium moderationem, medicina ad sanitatem, artes liberales ad elegantiam doctrinæ repertæ sunt: ita historia ad incitandos præclaris exemplis tanquam legibus ad virtutem homines, eosdémve à vitijs deterrendos eventuum contrariorū similitudine, ad componendos animi motus sedandosque rursus, ad animi curationem, ad cultæ cognitionis ornatum. Si enim oratori notitiam historiæ ad agendas causas, ut multis uti possit exemplis tanquā vetustatis, ut Quintilianus ait, fide tutis necessariam eloquentiæ doctores arbitrantur, quantò magis nos vitæ humanæ informationi conferre illam putabimus, cùm longè sit utilius ac melius homines exemplis ad vitæ probitatem adducere, quàm ut eisdem persuadere quicquam velis? Exempla quidem usq; adeò movent hominum animos, ut quoniam eo sunt illi ingenio, ut quod ab alijs fiat, sibi quoque putent faciendum: vel vitia etiā & scelera aliorum ipsi imitentur. Sumus enim omnes invicem veluti simiæ factorum & dictorum nostrorum, sicuti & simiæ quoque ipsę nostri; ita cernimus hominis unius scelerati & impuri vitam, quasi morbum latè serpentem & contagiosum aliorum mores corrumpere: sic mali principes non tam detrimenti id rebus publicis afferunt, quòd eas malè administrant, quàm quòd exemplo suo cunctos depravant: sic patres vitiosi filijs sunt pravitatis causæ & exemplo. Quæ omnia cùm in historijs expressius quàm in communi omnium vita sint, dubitari certè non potest, & eius ipsius permagnam esse utilitatem, & id ipsum eiusdem esse finem, ut homines inde ad commoda sua exempla sumant. Si enim aliquid non modò ab unoquoq; homine agendum dicendúmve sit, sed à Republica universa, num adeò sunt omnes prudentes doctiq; nati, ut non egeant exemplis aliorum, quæ imitentur? quid leges, artes, Reipublicæ rationem, militarem disciplinam, cætera omnia præclara inventu docuit aut confirmavit, quàm exempla multa rerum similium? ut cùm multa sæpe vitia committi ob rem aliquam homines cernerent, leges contra il-

Quanta exempli vel boni vel mali vis sit.

la tu-

la talêre: cùm uno experimento fieri commodè aliqua noscerent, exemplo illo moti communem quandam eorum rationem effecêre: cùm in ipso quoque bello aliud semper conferre, aliud nocere intelligerent, militandi quoque formam & artem invenêre: cùm denique exempla quid scitè, quid contrà, quid cautè, imprudenter, temerè, quid ignavè, quid fortiter, quid denique aut malè aut benè fieret, ostenderent, effectæ sunt artes omnes, consilia & instituta formata, rationes & experimenta inducta, tota denique humanæ vitæ ratio, cultus & utilitas sic inventa & exculta est. Et quoniam exempla sunt tanti momenti, quanti diximus, quamcumque in vitæ partem te vertas, tantùm etiam conferre historiæ notitiam putandum est, ut qui sit ea imbutus ac tinctus, summam iudicetur habere rerum cognitionem, summamq́ue peritiam atque prudentiam. Nam quod peregrinatio, ætas diuturna, cognitio rerum multarum, experimentum, consilia, usus, acumen, peritiaq́ue in homine aliquo minimè negligenti & cordato, qui iudicij vi omnia intelligat, notet, retineat, efficere poterit: id sanè meliùs ac veriùs efficiet historia, quæ & illa omnia cōplectitur, & tanquam totius humanæ vitæ tabula & speculum est ad prudentiam & notitiam proposita. Equidem si senes magno in honore habemus, quòd plura nosse ac vidisse, ut ait Quintilianus, credantur; si vitam diuturnam, atque adeò immortalitatem ipsam perutilem fore ad cernenda noscendaq́ue plurima, quæ passim eveniant, putamus; si artium bonarum scientiam idcirco quærimus, usu rerum terimur, inter elegantes cultosq́ue homines versamur, ut hoc usu & cognitione tanquam colamur: profectò historia maximè utilis existimanda est, quæ idem ipsum efficere multò meliùs faciliusq́ue possit. Iam verò si utilitatis contemptor sis, honestatemq́; ipsam aut voluptatem sequare: unde q́uæso utranque assequi magis, quàm ex historia possis? Nam & te ipsa ad iustitiam, proposito Aristide, Socrate, Catone, Cimone, Curio, cæterisq́ue huiusmodi viris exhortabitur; ad fortudinem

Quantū ad prudentiam historia confer ta.

etiam, Epaminonda, Themiſtocle, Alexandro, Pompeio, Cæſare, Aureliano, Probo, Aëtio, Belliſario: ad moderationem, Camillo, Diogene, M. Curio: ad prudentiam, Bruto, Scipione, Platone, Solone: ad fugam voluptatis atq; aliorum vitiorũ, propoſitis vitæ ſordib. & turpitudine Commodi, Caligulæ, Neronis, Heliogabali, Dionyſij, Sardanapali, ac ſimilium. Nullam deniq; vitæ rationem aut bonam honeſtamq; ſequi, aut pravam fugere poteris, in qua nõ videas multorũ hominum manifeſta exempla: quibus non modò cernas quo pacto vivendum tibi ſit, ſed etiam ſingula futuræ vitæ quaſi momenta in imagine expreſſa, & multò antè ſignata cognoſcas. Voluptatem verò qua ex re maiorem uberioremque capias? cùm te vel inepta & fabuloſa poëtæ cuiuſvis narratio, quàm certò ſcis eſſe falſam, ſuſpenſum detineat? admirari, laudari, afficiq; faciat? Delectat varietas rerum atque novitas, cognitio gentium diverſarum, morum, ingeniorum, peregrinatio, experimentum, locorum ac temporum notitia, memoria vetuſtatis, multorum præclarè dictorum atque factorum, non alia quidem de cauſa, quàm quòd horum omnium deſcriptio, id eſt, hiſtoria, quæ illa continet, grata & iucunda eſt. Qua de re ne pauca dicam, quum multa magnaq; ſint, quę à me haudquaquam pro dignitate ſatis dici poſſint, audite quæſo quid M. Cicero in oratione pro Archia Poëta de huiuſmodi ſtudio dicat. Hæc, inquit, ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornãt, adverſis ſolatium ac perfugium prębent, delectãt domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Quæ ille divinus vir, quum graviter, copioſè ac iucundè, ornateque omni de humanitatis ſtudio diſſerat, commodè etiam de hiſtoriæ notitia uſuque poſſunt intelligi, à quibus tantùm ad omnem vitam iucunditatis & delectationis accedit, ut iure optimo idem Cicero in Oratore ad Brutum, de Hiſtoria præclarè illud dixerit: Neſcire quid antequam natus ſis, acciderit, id eſt, ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis, niſi cùm memoria

Delectatio ex hiſtoriæ lectione.

moria rerum veterum, cum superiorum ætate contexitur. Alfonsum Neapolis regem usque adeò lectioni Livianæ deditum veteri memoriæ proditum est, ut cùm à Cosmo Medice Florentino, principe viro dissideret, essentque ab illo T. Livij commentaria quàm ornatissima dono data, quòd rex eius lectione oblectari diceretur, suadentibus ipsi medicis, ut à lectione abstineret ne quid in libro veneni esset, quod officeret, quum ab ingenio Florentino timendum esset: ipse tamen simul ac librum in manus sumpsit, legitque ac evoluit diligenter, respondisse dicatur: desinite ineptire, nam regis animus nullo privati hominis regitur arbitrio. Præclara sanè vox, tantóque regé digna, utilitatem præstantiamque historiæ declarans. Quid enim magis regium, quàm ut nationum, populorum, gentium, civitatum, hominumque diversorum, quibus vel dominetur, vel hostis aut amicus sit, notitiam habeat permagnam, sic temporum præteritorum, adeoq; seculorum, ac veteris etiam memoriæ? Quid regendis populis accommodatius? quid rebus publicis informandis, legibus ferendis, consilijs capiendis, rebus denique omnibus tam privatis, quàm publicis: tam urbanis, quàm bellicis aptius & conducibilius? Ergo summa quidem historiæ utilitas est, summa item iucunditas & delectatio, cùm non modò ad omnes vitæ usus latissimè pateat, sed magnam afferat etiam vel solis & otiosis, vel occupatis & media in hominum societate atque cœtu constitutis nobis delectationem. Nec verò solùm utilis est aut iucunda historia, quòd hosce ferat quos dixi fructus, sed necessaria etiam, non tantùm illis ipsis quorum aut facta aut dicta celebrantur, sed & rebus publicis ac civitatibus. Quid enim præclarè à quoquam gereretur, si esset ei persuasum, id omnes ignoraturos? num boni duces in prælijs manifestam mortem contemnerent, si nulla inde futura gloria, nulla laudis commemoratio eventura esset? Quorsum optimi quique ac generosissimi alijs excellere factis, dictis, eruditione, virtutis studio, dignitate honoribus,

Quam utilis ac necessaria historia sit viris principibus, ijsque qui versantur in Rep.

laude, divitijs student; non id agant tantummodo? minimè certè; sed immortalitatis cupiditate, quam sui memoria apud posteros futuram in terris diuturnam sperant. Sic præstantissimi & ad virtutem incitatissimi duces, rebus præclarè gestis firmam commendationis suæ memoriam, perpetuamque stabilire conantur, idque tropheis, monimentis, laudibus scriptisque fieri volunt. Poëtæ quoque versibus suis passim immortalitatem sibi pollicentur. Vnde illud Horatij Flacci:

Non usitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates, neque in terris morabor
Longiùs, invidiaque maior
Vrbes relinquam.

Philosophi verò illi commendationis laudisque contemptores, docti quoque omnes scriptis suis memoriam sui student sempiternam relinquere. Et cùm homines omnes, quemadmodum Plato inquit, idcirco laudari & commendari velint, ut eius laudis memoria, si fieri possit, æterna fiat, quum ijdem immortalitatis amore teneantur: fit magna excellentibus & præclaris viris iniuria, si nullis eorum monumentis relictis, omnis cum morte ipsorum memoria pariter sepeliatur, ignotumque sit cunctis, num ij vixerint unquam, an non. Rectè iudicio meo Horatius poeta omnium (ut mihi videtur) hac in re elegantissimus:

——*Neque*, ait,
Si chartæ sileant, quòd benefeceris,
Mercedem tuleris: quid foret Iliæ,
Mavortisq; puer si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygijs fluctibus Aeacum
Virtus & favor, & lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis:
Dignum laude virum Musa vetat mori:
Cœlo Musa beat.

Quid? poëmata fabulis, mendacijs, vitiorumque exemplis plena, affectus pravos gignentia hominum ani-

animos mollicie, luxu, vitijsque alijs, ut ait Plato, corrumpentia hoc possunt, historiæ veritas fida firmaque non poterit? Ergo necessaria profectò est hac in parte Historia, si digna rectè factis præmia conferri; si exempla vivendi habere volumus. Nam, ut idem ille ait Horatius:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte, carent quia vate sacro:
Paulum sepultæ distat inertiæ
Cælata virtus.

Rectè ille quidem, nisi id poëtis, quod est proprium historiæ ac peculiare, tribuisset. Quod si autem historiam hominibus singulis esse tantoperè necessariam putamus, quid universis civitatibus fore censendum est? quum & Reipublicæ bonum civium singulorum bonitate contineatur, & eadem civitas sine ritu, sine moribus, & institutis antiquis, sine exemplis, sine legibus eorumque ordine, ratione & causa (quæ omnia ex historia pendent) stare nequeat? Certè si homines singuli, quandiu memoria & notitia rerum multarum careant, rudes, agrestes, inculti, cæci, muti, infantes denique, ac brutis persimiles sunt, multò magis civitas ipsa, quæ talibus constet hominibus: quæ ipsa aut vitiosa aut bona idcirco habetur, quòd bonis aut pravis civibus constituatur. Hac de causa Solonē Græcosque sacerdos ille Aegyptius aut Platonem, in Timæo pueros vocat, quòd nullā antiquitatis memoriam, nulla certa & vetusta monumenta haberent. atque id ipsum non Græcis modò rectè congruere potest, sed omnibus etiam civitatibus, omnib. viris præclaris, omnibus principibus atq; regibus, quòd quandiu hanc memoriam sui contemnant pueri semper, & ijdem stolidissimi iure optimo iudicabuntur. Comparet sibi quisque ingentes divitias, regna & imperia latissima, gerat se in pace ac militia strenuissimè, prudentissiméque, sit doctus, prudens, cordatus, iustus, fortis, moderatus, omnibus denique bonis ornatus,

instructúsque sit: quid hoc ad Rempublicam refert, si tibi id solùm es, ac non alijs? si reliqui ignorent omnes? si nulli sint eius fœlicitatis ac fortunæ participes? eodem sanè silentio involveris, atque alius è media vulgi fece, æquè ignotus, obscurus, neglectus iacebis. Videtísne viri, quàm utilis, quàm porrò necessaria historia atque eius usus sit, ut ne nos quidem esse homines penè sequatur, si ea careamus: quum id sit hominis maximè proprium, scire & cognoscere non tantùm ea quæ sensibus sese ostendant, sed etiam quæ cogitationi, quæ menti, quæ memoriæ subijciantur: atque hæc ipsa quæ cadant in memoriam, eique insculptæ sint, velut historia quædam contineantur. Quid enim aliud est, liberales artes nosse, ac tenere, quam earum intelligentiæ historiam tenere? quid item mathematicas disciplinas philosophiam denique omnem, quàm, ut librum de varia historia, sic notiones eius rei omnes habere insculptas memoriæ? Sic Platoni Physicæ scientia historia nominatur in Phædone: Sic medicina humani corporis partes, morbos, eorumque causas & signa, medicamentorum genera, cæteraque omnia quasi longam aliquam historiam recenset: Sic legum & institutorum civitatis cognitio quædam est, & historia rerum à civitate aut Republic. institutarum: Sic denique scientiæ omnes historiæ & sunt, & appellari rectè possunt. Quas ut nosse utile sit, aut iucundum, sic etiam historiam, ut dixi. Hæc quum ego dixissem, putassémque meam orationem ad finem tandem perductam, protinus quasi è latebra quadam repentè prosiliens tertius ille, ut fecerat sæpius: Atqui, inquit, tu nondum ordinem historiæ legendæ promissum initio præscribis, quasi te, nisi perfecto sermone, simus dimissuri. At ego, quid tu, inquam, mihi toties occurris? apertiúsne rem modò à me exponi vis, quã est suprà explicata? Satis profectò fecisse me tibi, & cuivis homini nõ importuno videri possim, proposita historiæ utilitate atque usu. Sed nũc demùm scio quid velis: ad puerilia nescio quæ, ac nimis exilia me revocas, dum tot præceptiunculas & otiosas

Orao ac methodus historiæ legendæ

tiosas, & homine ingenioso indignas extorques. Primùm ergo, ut petitioni tuæ morem geram, cùm in historia legenda utilitas, & ad vitę institutionem, & ad elegantiam doctrinæ quæratur, ordinem temporum considera, ut quid actum Troianis temporib. in Græcia, Asia, Italia, cæterisque provincijs sit: quid sequentibus deinde usq; ad tuam ætatem, ita ut quasi totius anteactæ vitæ ac sæculorum omnium notitiam habeas in promptu. Ad hæc gentium, populorum, regnorum mutationes, civitates conditas aut deletas, locorum deniq; plurimorum rationem, situm, naturam, solum, cœlum, res dignas memoratu nota: præterea res in hisce locis gestas à regibus, populis, nationibus, privatisque hominibus & in pace, & in bello: item dicta, facta, consilia, ingenium, mores vitæq; totius non modò præclarorum hominum, sed pessimorum etiam, ac gentium & nationum diversarum, porrò sermones habitos à diversis, decorum personarum, Historici iudicium, doctrinā, diligentiam, eloquentiam, ordinem, reliqua denique aut vitia aut virtutes historię. Hæc nonne dicta à me sunt abundè satis & copiosè? Sunt, inquit ille, sed non ut percipi facilè potuerint. Cupísne porrò, inquam, ut hæc eadem in exemplo, ut notāda sint, doceam? Minimè opus est, inquit: ita breviter dicta magis & placent, & utlia fore videntur. Nihil igitur, inquam, est amplius, quòd vel me quæras, vel acrius instiges, ut hucusque fecisti. P. verò N. inquit, nihil est sanè: & hunc nostrum amicum libenter amplector, qui sic urgendo à te potuit orationem tam doctam, tam elegantem ac eruditam, tam variam & copiosam extorquere. Et certè ne tibi fortè impudens in efflagitando viderer, à te id ipsum petissem, nec rogare prius desijssem, quàm impetrarem. Itaq; nec nostro isti amico irascare, nec nimis longam hac de re orationē habuisse te putes, quę mihi valde iucunda & suavis visa sit: quæque videri prolixa non potuit, cùm tanta rerum varietate, copia, cultu & ornatu referta & polita fuerit. De legibus verò historiæ scribendæ à te datis, tametsi nullo

usus es authore ad sententiam tuam firmandam, nequaquam à te profectò dissentirem, qui eas omnino probem ac laudem. Ergo quum tibi & dicendi facultas, & elegantia, & eruditio, & iudicium, & ingenium, & rerum plurimarum notitia atque usus, & ipsa instituendæ historiæ perfectissima forma sit, quin tu quæsita occasione ac ocio ad colendas (ut dicebam initio) res patrias, & illustrandas te confers? Quis enim est vestrûm tot artium bonarum, tot eloquentiæ ac doctrinæ, antiquitatisque ornamentis æquè ac tu instructus? quis celeritate maiori, fervore, conatu, diligentia res sumit scribendas, & pertractandas, sumptasque faciliùs aut melius perficit? quis lucidiori ornatiorique stylo ipsas mandare scriptis possit? Profectò cùm multis te sæpe de causis permagno sum studio prosequutus, tum maximè nunc, oratione ista tua audita: qua sic sum equidem ipse affectus, ut quod de Pericle fertur, aculei quidam persuasionis animo meo relicti videantur. Sic enim appositè apteque dicis, eam in dicendo vim habes, eam lenitatem atque candorem, ut & dicas & persuadeas quod velis. Me saltem (verum ut fatear) abundè persuasisti, tertium verò istum, ut ex eo intelligo, eodem quoque modo: itaque quantum iudicio meo consequi possum, si quid ego in hac parte rectè iudicaturus videor, nihil oratione tua cultius, nihil rerum copia & doctrina accuratius, nihil iudicio verius, nihil sententia denique tua præstantius existimo. Parciùs isthæc, inquam, amice: plus enim mihi tribuis, quàm aut in me sit, aut agnoscam ipse. stultissimus enim sim atque sensu omni carens, si quæ in me, & in oratione mea putasti esse, admittam: ac multò quidem insanior illo Thrasilao, de quo scribit Athenæus, quòd eo genere insaniæ laboraret, ut quotidie in Piræum veniens naves omnes suas esse putaret, solventes è portu conscriberet, appellentes summo gaudio acciperet, merces contrectaret, earumque precium indicaret: adeò deniq; diligens ea in re esset, ut omnium illarum dominus videretur: Nam ille quidem insaniæ morbo

Hispanica iactantia.

esse

esse omnia sua putabat. ego verò si mihi arrogem id quod tribuis, prudenter sciențérque insaniam: qui nó morbo aliquo, mente alienata mihi ea tribui permittam, sed sana & integra, nimio autem amore mei, & studio perturbata. Itaq; desine tantum amico laudis concedere, ut eadem suspecta, & falsa cuiq; videri, tu nimio affectu commotus non recte sentire puteris. Et P. N. Dum tu, inquit, me modum in te laudando excedere inquis, in extenuando te ipse illum longissimè trāsis. Noli igitur de te malè sentire, aut diffidere. Nam etsi moderationis id tuæ sit, quam in te semper laudavi & magni feci, tamen id est maximè incómodum ad maiora alia tendentibus. quibus quasi compedes ne possint, nisi trepidi ac timidi pervenire, inijcit. Ergo ut in bello, & reipublicæ negotijs gravibus magno est opus animo, ut sine desperatione adversa superentur, ardua suscipiantur: sic in literarum studijs, quemadmodum Plato veste inquit, haud quaquam minor animi elatio & contentio quęritur, nó solùm ut perferantur labores studiorum, sed etiam ad discendum, legendum, docendum & scribendum. Qui enim dum discit ut arduum, ut obscurum ac difficilè id se assequuturum desperat: nec rectè capiat unquam detrectante laborem quodammodo animo, nec si ceperit, firmū aut exploratum sit satis, cùm semper vacillet ac fluctuet mens sibi diffisa. Qui porrò dum legit, ubiq; dubitat, hæret, cespitat, difficultate obstringitur: nihil se commodè capere, nihil retinere posse existimat: idem in pręcipitium cadit, in quod ille superior. nihilque rectè leget aut intelliget unquam. Qui etiam docendi munus, ut sibi difficile atque impar semper detrectat, inani metu concepto, nec sibi usui, nec alijs erit, quum scientia, sicuti bona cætera occultari & seponi à communi usu remota non debeat. Qui demum vulgari quadam sententia commotus eorum qui dicant nihil iam scribendum, quum extent tam multa antiquorum præclara scripta, quæ omnium instar esse possint: quum arduum sit rectè animi sui sensa explicare, & cũctorum iudicium subire, quod perfectissimum esse, si quid in lu-

Quo quisq; animo ad studia debeat accedere, eaq; tractare.

cem sit proferendum, oporteat: quum nonum in annum Horatij præcepto scriptum quodcunque premẽdum sit, ne prius in hominũ veniat manus, quàm cultum, quàm limatum, quàm omni ex parte politum prodeat: qui, inquam, vulgari hac opinione ductus, nihil scribat, si possit, errat profectò, & ut patriæ, ac humani generis commodorum invidus ex hominum cœtu, civitate, regionéque tota pellendus esset. Quid enim si antiqui scriptores, quod ante se Plato, Aristoteles, summique alij viri scripsissent, propterea nulla eorum quæ conscripsere, præclara scripta reliquissent, quanta luce doctrinæ, rerumque multarum caruissemus? Quid si vel hi qui nũc aut ætate superiori multa vel pręferẽda antiquissimis ædidere, id cogitassent, nónne commodo & fructu permagno privati essemus? Quid si omnes id cẽseant, antiquis contẽti sint, nihil ultrà quærant aut addant minuãtúe, nihil certè ab imperitis incultisque rusticis aut vetulis differant, qui eisdem semper vestigijs insistentes, naturam rerũ ipsam non contemplentur, non animi sui aciem exacuant & intendant, non iudicent ea quæ in usu sint, sed opinionibus sine ratione credentes ducantur, non iudicio, nõ recta ratione, non experimento (quod in dies paritur) non observacione, non correctione errorum, quos deprehenderint in alijs, non additione utilium, detractionéve rerum inutilium & otiosarum, quæ multa in antiquis sunt, eruntque semper in omnibus, quum nihil omnino perfectum & absolutum effici possit. Esse autem difficile in publicũ animi sui sensa quenquam proferre, iudiciumque multorum subire, nemo quidem negat: sed eò id pulchrius & utilius, quò difficilius est, eoq; magis ad illud enitendum studio, & industria maiori. Nolumus nos quenquam è medio vulgo id aggredi temerè: sed illum qui possit, eumque laborem, industriam, diligentiamque summam huic rei adhibere, scribere ac limare, corrigere, & conferre cum amicis eadem sæpe, posteaque proferre: ac si tunc etiam quid videatur limandum, idem castigare accuratius facta & secunda & tertia, si opus sit, æditione: præsertim cùm tanta nunc excudendo-

Nũ aliquid denuò scribi post antiquos oporteat, aut illud in lucem emitti.

rum librorum commoditas ſit, quantam ne optare quidem homines poterant, priuſquam inveniſſent. Quòd ſi hoc modo culta examinataque res ſit, quid obſtat quò minus publicetur, cũ nulli docto aut ſummi iudicij ac ingenij viro, id diſplicere poſſit, aut debeat, quod bonis iudicijs diligenter examinatum & caſtigatum probetur? Nam iſto modo nec illa preclara antiquorum ſcripta haberemus, quòd in eorum vel prestantiſſimis aliquid reprehenſione dignum ſæpe non occurrere nequeat. Differri verò nonum in annum quod ſcribatur, paterer quidem libenter, ſi vel ab illis qui hoc præceperint, vel ab alijs ſummis autoribus id obſervatum, vel ſi obſervarint, idcirco rem fore multò meliorem, vel ſi omnium æqualia eſſe ingenia putarem: ſed quum nihil eorum videam, quid attinet toties id inculcare, obijcere doctiſſimis viris nõ recto iudicio, ſed obtrectandi invidioſo quodam ſtudio? Placet Horatio id, At Quintilianus aliter ſentit, qui perfectiſſimo illi oratori ſuo, hoc emendandorum ſcriptorum tempus præſcribit: Nec dubium eſt, inquit, optimum eſſe emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea poſt intervallum velut nova aut aliena redeamus, ne nobis ſcripta noſtra quaſi recentes fœtus blandiantur. Sed neq; hoc contingere ſemper poteſt, præſertim oratori, cui ſæpius ſcribere ad præſentes uſus neceſſe eſt. Et ipſa emendatio finem habet. Sed enim qui ad omnia ſcripta, tanquam vitioſa redeant, & quaſi nihil fas ſit, rectum eſſe, quod primum eſt, melius exiſtiment, quicquid eſt aliud: idq; faciant, quoties librum in manibus reſumpſerint, ſimiles medicis etiam integra ſecantibus. Accidit itaque ut cicatricoſa ſint & exanguia, & cura peiora. Sit ergo aliquando quod placeat, aut certè quod ſufficiat: ut poliat lima, non exterat. Temporis quoque eſſe debet modus. Nam quod Cinnæ Smyrnam novem annis accepimus ſcriptam, & Panegyricum Iſocratis, qui parciſſimè decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet, cuius nullum erit, ſi tam tardum erit, auxilium. Atque hæc Quin-

tiliani sententia, quæ probilior est ac melior, ab Horatiana multùm non differt. Neq; enim is ait novem annos premendum opus quodcunq;, sed id quod ex prima quasi effictione imperfectum, iudicioq; doctorum improbatum prodierit. Sic enim ait:

Tu nihil invita dices faciésve Minerva,
Id tibi iudicium est, ea mens, si quid tamen olim
Scripseris, in Meti descendant iudicis aures,
Et patris, & nostras, nonumq; prematur in annum.

Quòd si, inquit, repugnante Minerva, scriptum videatur opus iudicio doctorum hominum, longũ in tempus differas editionem: alioqui si, ut sæpe fit ac monet Quintilianus, perfectum & cultum sit statim natum (quod facilè consequeris si ex arte facias) longo tempore opus non erit. Itaque nec has annorum enneadas, poëtica quadam dictione potius quàm vera usurpatas pro numero apto & perfecto ad rem perficiendã admittamus, cùm aliter id intelligi ac præcipi à summis viris cernamus, aliterque antiquorum doctissimi fecerint, quàm putentur. Cùm si à Platone, qui annos unũ & octoginta vixit, è septuaginta & octo libris seu dialogis, quos unà cũ epistolis scripsit, singuli in annos novem premendi essent, centum ac triginta & duos annos vivendum illi, excepta infantia & pueritia, foret. cumq; si Aristoteles, Xenophon, Theophrastus, Galenus, Didymus Grammaticus, quem ob librorũ scriptorum multitudinem Demetrius Træzenius Βιβλιόταταν appellavit, Origenes, è Latinis Cicero, M. Varro, Augustinus, multiq; alij gravissimi autores, secuti consilium illud essent, haud conscripsissent tam multa, quæ propter utilitatem summam perpauca videri possint. Verùm hæc poëtarum laborem suum, ac studium in re nihili ac futili prædicantium, ut magni fierent, sententia est: qui quum ea fingere vellét, quæ ab omni ratione aliena essent, nec ratio ipsa rectè à natura informata, detorqueri se à communi sentiendi usu, ad inusitatã viam & fictam pateretur, miror profectò eos, non plus etiam temporis postulasse, aut etiam in eo studio tam vano consumpsisse. Sed quid quæso tan-

Contra poetas & eorũ studium.

tandem proferunt? Alius turpissimus quasdam, & iuvenũ moribus pestilentissimas fabulas, alius Satyras, alius epigrammata, alius Thebaidem duodecim elaboratam annis (quam nemo sine fastidio legat) alius deniq; natum quendam, ut ait idem Horatius, ridiculũ murem, postquam diu multumq; parturierit. Aliter igitur docti prudentesq; viri existimabunt, neque levi hac poëtarum sententia moti æqua ratione omnium ingenia iudicabunt, aut tempus idem cunctorũ castigandis scriptis præscribendum censebunt. Nam ingenijs quibusdam vel ad discendum vel perscribendum quidquam pauci menses sunt satis, alijs ne multi quidem anni: alius perfectum quid & excultum proferre continuò, alius tardiùs, alius nec tardè etiam efficere potest. Quid, quòd propterea artis ac vitæ ratio instituta est, ut quod magno labore homines vix cõsequi poterant, brevi quadam ratione proposita assequerẽtur, perficerentq; facilè. Verùm ne rem satis apertam, tibiq; sat notam pluribus doceam, perge ut cœpesti, in scribendo, egregiamque hanc animi tui vim ociosam esse ne sinas. Hæc quum P.N. dixisset, eique tertius ille assensus esset, actis pro recto consilio, & utili gratijs, summa cum voluptate ab illis discessi.

FINIS.

IO. ANTONII VIPERANI,

DE SCRIBENDA HISTORIA LIBER.

AD

Antonium Perenotum Cardinalem, Archiepiscopum Mechliniensem.



VM valetudinis causa me ad meos Meßanam recepißem, incidi in ea tempora; quæ plena tumultus, & periculi nos in gravi cura, & timore habuerũt. Nam id temporis Solimannus Turcarum Imperator ira, odioque permotus adversus milites Hierosolymitanos, quos ex insula Rhodo eiecerat, nunc Melitam incolentes unam ex his insulis, quæ propinquæ Siciliæ in Africam prospectant, & audentiores quàm anteà effectos ingenti bello petivit, tanquam ex spreta Ottomannici imperij maiestate supplicium desumpturus. Vnde magnum universæ quoq; Siciliæ discrimen impẽdere sentiebamus, angebaturq; metus in nobis eò magis, quò magis intelligebamus neq; Melitam viris satis esse munitã, neq; mœnia & propugnacula nostrorũ vim hostilium tormentorum posse ullo pacto sustinere. Sed re præter omnium opinionem bene gesta, nec tam humana virtute, quàm divina pleriq; eorũ, qui non minus auctoritate apud me poterant, quàm benevolentia, hortati me sunt ad scribendum hoc bellum, quo nullum acrius neque nostra,

neque

neque maiorum nostrorum memoria gestum fuisse videbatur. A quo opere multa me deterrebāt, præter valetudinem infirmā, ingenij, & iudicij parvitas, ac earum doctrinarum, quæ historico necessariæ sunt, cognitio satis exigua, tum eloquentiæ vis modica, & in hoc genere exercitatio ferè nulla, præterea rudis ætas & ad tantam prudentiam immatura. Fecit me tamē verecundia negandi audacē, ne dicam impudentem, scripsiq; de bello Melitensi historiam, non quæ in aliorum manus veniret, sed quæ studium meum, & voluntatem amicis commendaret: qui plus æquo illam probantes in lucē subitò emiserunt, hoc ipsum refugiente me. Quod ubi cognovi, permisi quoque tum libellum de scribenda historia typis dari, & idem cum historia iudicium, eandēque fortunam subire magis quadam animi cōmotione affectus, quàm ratione. Quem libellum antè ex summorū scriptorum exemplis, & doctißimorū hominum præceptis composueram: in quo veluti formā historiæ mihi effinxeram, ad cuius similitudinem meā illam exprimerem. Itaque primum in ipsis rebus gestis inquirendis maximam operam, & diligentiā posuimus, tum ab omni odio & amore nos revocātes res scitu digniores elegimus, & eas quarum ignoratio aut perturbatura, aut obscuratura esset historiā. Nam minima quæque persequi hominis est parum videntis quid historiæ dignitas requirat, nec intelligentis quæ res propriū historiæ corpus, aptúmve conficiant. Et quoniam ipsa belli narratio brevis alioquin fuißet, & quàm paucissimis verbis comprehensa non satis animum legentis explesset, nec fastidium levasset, utpote simplex, & unius modi, non multa rerum & locorū varietate di-

ſtincta, conciones, adhortationes, deſcriptiones, aliasque digreſſiones ad augendam, & ornandam hiſtoriam intexuimus, & genere dicendi nec grandi, nec humili, ſed utroque temperato, leni, & fluente, pro noſtro ingenio, & facultate uſi ſumus. Inſpiciebamus profectò hiſtoriam virginem quandam eſſe liberam, & incorruptam, nulli appetitioni ſervientem, veritatis cultricem, moribus gravem, ſani ſucci, coloris ſuavis, omni mẽbrorum magnitudine, & compoſitione perfectam, non levibus rebus, & inanibus deditam, ſed ſtudentem gravibus, & magnis, gaudentemq; ornatu modico, & decente, non ad voluptatem, ſed ad honeſtatem exquiſito, qualis matronæ convenit, non ut meretricius ille fucus eſt poetarum maximè proprius. Neq; ego cùm hæc, & illa ſcriberem, ignorabã me multorum reprehenſionem incurſurum, quia me hominem eſſe ſciebam, ab ipſaq; rerum perfectione humanam conditionem longius abeſſe. Omitto faces invidiæ, quibus inflammata ſunt omnia: omitto quorundam faſtidium, & arrogantiam, quibus præter ſuas nulla res alia placet. Nec equidem me cum Livio conferam, aut Salluſtio, prudentiſſimis & graviſſimis rerum ſcriptoribus; qui tamen aliquando reprehenſionẽ forſan etiam dignam non effugerunt, & Demoſthenes interdum Ciceroni non ſatisfacit: & Horatio videtur Homerus quandoque dormitare, certumq; eſt quod Virgilius, ſi per vitã licuiſſet, multa in Aeneide permutaſſet, quæ ut combureretur moriens teſtamento reliquerat. Non eſt enim humani ingenij, quod ad omnia ſatis eſſe nõ valet, ſed divinæ cuiuſdã facultatis ſummam aliquã laudẽ virtutis, doctrinæq; pertingere. Nec iniuria quoſdã irriſeris, qui ita ſibi blãdiũtur,


ut

ut aliorum morosi & iniqui iudices, suarum laudum fautores aliena fastidiant, tractent sua: in quibus si quid ab alijs reprehendi sentiunt, aut insolentia, aut livore factum existimant. Ita sibi quisque arridet, & sua quemque delectant: at sibi quisque minus est notus, quia sui nimium est amans: nec de se quisquam rectè iudicat, quoniam amor sui cæcus est. Ad hæc scriptorum varietas in suo quæque genere laudabilis dissimiles habet laudatores & imitatores sui. Nam alij ubertatem Livij, alij brevitatem Salustij, alij Cæsaris elegantiam admirantur: & id quisque laudat præcipuè, quod se assequi posse confidit. Neque hæc à me ita dicuntur, ut cuiusque opinioni standum esse putem. Quid enim levius esse potest ad iudicandum vulgi assensione? quod bonarum artium expers, & imperitum magnarum rerum pulchritudinem videre non potest. Cuius opinionem & sententiam laudatorum hominum iudicio fretus, semper equidem ipse contempserim. Quibus quidem si minus probabuntur ea, quæ scripsi: at certè videbor voluisse perficere, quæ animo comprehẽderam: non autem potuisse vir haud multis naturæ, & artis adiumentis instructus, nec in scribendis historijs valde exercitatus, ut si laudem nullam merear, at gravi culpa saltem, & reprehensione caream. Tua verò dignitas, Cardinalis amplissime, & summa fortunæ conditio, & generis splendor, & benefactorum gloria, & comitas morum, & linguarum peritia, & doctrinarum cognitio, & magnarum rerum scientia, & præstantissimarum virtutum laus mihi facilè persuaserunt, ut hunc libellum tuo nomini dedicarem. quem si in tuam clientelam admiseris (quod pro tua te humanitate & magnitu-

dine animi facturum spero) non dubito quin ex tuo nomine magnum lumen, & auctoritatem accepturus sit. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo.

Quid sit Historia.

CAP. I.



ES gestas prudenter & ornatè explicare quod est historiam scribere non minus difficile & arduum opus est historico, quàm utile, iucundúmque lectori. Voco historiam non expositionem cuiuscunque rei; quam verbi notionem Plinius secutus, librum suum inscripsit, Historiam naturalem, & Historiam animalium Aristoteles, & Plantarum Theophrastus; sed narrationem rerum gestarum Historiam voco. Nec mea sententia quicquam facit ad Historiæ leges, an contineat res à memoria ætatis nostræ remotas, an ea complectatur, quibus ipse rerum pronuntiator interfuerit; etsi verbum Græcum ἱστορεῖν hoc ipsum significare videtur: hoc autem maximi refert, quod est firmamentum historiæ, ut quemadmodum gestæ res sunt, ita narrentur. Quare nomen historiæ non malè tum ab ἱστορεῖν deduxeris, quoniam omnino necesse est eum, qui scribit, aut spectasse res, aut ab his accepisse, qui præsentes viderint. quanquam Historiam Plato, quòd rerum memoriam firmet, ἀπὸ τοῦ ἱστάναι, τὸν ῥοῦν dictam putat. Porrò quod in alijs artibus & doctrinis usu venit, ut inchoata primò, tum progressu temporum factis summorum ingeniorum opera & industria multis accessionibus perfectæ & absolutæ fuerint, hoc idem historiæ cõtingit, ut eius forma primùm impolita, & planè rudis extiterit; mox poliri & coli cœperit; tandem plurimis ornamentis, & virtutibus illustrata perfectionem & absolutionem consecuta sit. Quod facilè declarat scriptorum ætas & facul-

tas. Nam qui primi omnium apud Græcos historiam scripsêre, Pherecydes, Hellanius & Acusilas memorantur: apud Latinos à Cicerone recensentur Fabius, Cato, Piso, Fannius, horridi & agrestes in dicendo homines sine cultu & nitore. mox Herodotus, ut lectorem gratius detineret, primus dicitur historiã exornasse, & habitus huius rei gratia historiæ pater; post hunc Thucydides summo artificio illam perpolivit: ut non modò ab his excitata historia, sicuti refert Theophrastus, ut auderet magis, quàm superiores, diceretq; ornatius, sed etiam magno studio elaborata & exculta fuerit. Apud nostros quoque primùm Antipater se paululum erexit & inflavit vehementius; tandem Salustius, & huius ætate non longè disiunctus T. Livius ita illustrarunt, ut ad summum fastigium evexerint. Dicere igitur historiam aliam esse exilem, aliam magis expressam, aliam coloratam; quid aliud est, quàm ex temporum notationibus, & ingeniorum viribus historiam metiri? ne quid res postulet, sed quid in homine sit videre? Nos qui absolutionem, & perfectionem historiæ quærimus (nam, ut inquit apud Ciceronem Crassus, quacunque de arte aut facultate, cùm quæritur, de absoluta & perfecta quæri solet) unam, sed ex multis rebus & studijs completam, & perfectam historiam esse dicimus. Profectò quædam illarum formarum nullam ferè præceptionem desiderant, nisi ut res breviter narrentur quemadmodum visæ aut relatæ sunt, absque ulla exornatione rerum & verborum: quod præstare vel sine magistro quivis certè poterit: hæc verò magnum & prudentem virum, in dicendo gravem & politum, multis etiam artibus instructum postulat; nec quibuscunque præceptis contenta est, verùm summum artificium exquirit. Nec me latet A. Gellium annales ad historiam retulisse, tanquam speciem ad genus, quasi plures eius formæ essent: quas si docuisset, non sanè rem fecisset supervacaneam: quando generis divisio, quod duas ut minimùm partes complectitur, non nisi ex formarũ constitutione intelligatur. Vult ille historiã esse

rerum gestarum narrationem, quæ si cuiusque anni ordinem teneat, annales nominentur, hoc est, monimenta, quibus res traduntur singulorum annorum. Itaque annorum observatio (nam differentia notionem generis ad speciem reducit) hanc unam historiæ formam constituet. Vbi aliæ formæ? quibus illæ differentijs inter se discernentur? Atqui Cicero primam illam, veteremq́; historiam annalium confectionem vocat, nempe horridam & incultam narrationem, quę deinde longo temporis intervallo, quod artibus afferre dicitur incrementum, & sapientissimorum hominum studio & doctrina dignitatem suam, & ornatum adepta est. Quamobrem si notationem historiæ largo ambitu definis, quælibet rerum gestarum narratio erit in historia: sin perfectam, ornatamque narrationem historiæ nomine dignam putas, aliud quoque discrimen erit inter annales, & historiam afferendum: nimirum annales rudem quandam esse, ac brevem rerum quoque anno gestarum narrationem; historiam verò illustri, & decente verborum, & sententiarum ornatu rem copiosius explicare, conciones interponere, descriptiones adhibere, nec eventus modò persequi, verumetiam consilia prudenter exponere, & graviter interdum commendare, quæ laudanda sunt, & reprehendere contraria: ita ut annales historiæ materiam suppeditare videantur, quam illa prudenter, dilucidè & ornatè exponat, & inchoatam, adumbratamque perficiat. Atque ut Annales ab annis, sic à diebus Græcè Ephemerides nuncupantur, quæ singulorum dierum gesta summatim comprehendunt. Et docti viri quid aliud vocant Commentaria, quàm scriptorum materiam? unde videlicet sumant, qui velint scribere historiam? Ac illa Cæsaris, quòd tanta rerum prudentia, & nitore scripta essent, sanos homines (ut Cicero sentit) à scribendo deterruerunt: quamvis fortè grata ineptis fuerint, qui (ut eiusdem verbis utar) omnia volunt calamistris inurere. Sed historiæ nobis explicanda natura est. Nec mihi probantur ij, qui historiam definiunt esse rem gestam, sed ab æ-
tatis

tatis nostræ memoria remotam. Non enim est res gesta, sed rei gestę narratio; neq; ab ætate nostra semper remota; alioquin Xenophontis Cyri expeditio, & bellum Catilinarium Salustij ab historiæ possessione deturbarentur; ne magnos alios scriptores commemorem, qui æqualem ætatis suæ memoriam literis persecuti sunt. Quid hi præterea responderent, qui historiam à spectando dictam volunt? Illa quoque definitio nimium communis videtur, rerũ, inquam, gestarum expositio. nisi enim aliud addas, non eam historiam expresseris, quàm quærimus. A qua definitione non absimilis est illa, quæ historiam finit esse publicam rerum humanarum memoriam: quæ res gestas ab oblivione vindicans, in communem utilitatem illas publicis monumentis, literisque custodit. Verùm eius vim ita mihi videor posse breviter circumscribere, si sit rerũ gestarum ad docendum usum rerum syncera, illustrisque narratio. Narratio commune quoddam est genus; quod proprium historiæ fiet, si alia addideris. Nam quòd res gestas complectatur, distinguitur ab his, quæ aut naturales explicant, aut fictas: cuiusmodi sunt fabulæ poëtarum: nec Epopœia quicquam aliud est, quàm rerum fictarum enarratio. Ideoque Cyripediam Xenophontis ab historia segregaverim; in qua rerum varietatem non tam ille secutus est, quàm conatus boni quandam principis formam exprimere. At verò futura prædicere solius est vatis. Venusteque Lucianus quosdam irridet, qui litteris mandare audebant, quæ nondum evenerant. Habet quoque Orator narrationes suas, quas inficit multo fuco, aut occultando quod turpitudinem habet; aut exornando, quod laudandum proponit: sed historiæ narratio sine vlla veritatis simulatione syncera est. Est etiam illustris, ob idq; ab annalibus, &, si quæ aliæ sunt huiusmodi, sine ulla sententiarum & verborum dignitate, & splendore, disiuncta narrationibus. Eius autẽ potissimè gratia historia scripta est, ut aliorum exemplo quid agendum nobis in vita esset, videremus. siquidem prçteritorum exempla testi-

Historiæ definitio.

monia sunt futurorum: quorum plurimus idcirco est in deliberatione usus.

Quæ sit materia, & quis finis Historici.
CAP. II.

Historiam aliqui in duas formas diviserunt, adducti fortasse Polybij verbis in eam, quæ universam aut mundi, aut imperij, & gentis vel civitatis, aut cuiuspiam hominis vitæ rationem complectitur, & in eam, quæ separatam aliquam actionem, actionésve persequitur. Sed utriusq; eadem ferè præceptio est. Igitur quæ de historiæ natura breviter perstrinximus, exponemus nunc copiosius, ut intelligat futurus historicus qua in re versari debeat, cuiusq; gratia, & quo artificio historiam scribere; materiam dico, finem & modum. Materiam nec excogitat ipse nec parit, sed tanquam lapidarius oblatam aliunde horridam & incultam polit, non aliam formam inducens, sed imaginem ipsam rerum artificiosè exprimens, & decenter exornans. Sunt autem historico subiectæ ad scribendum res gestæ, quibus ornatè graviterque explicandis ingenij vires atque artem exercet: res, inquam, gestæ hominum opera & industria, vel unius aut plurium. quanquam fortuna in his sæpe locum habet, & magnam quoque partem sibi vendicat eorum, quæ eveniunt. Verùm ea, quæ non casu & fortuitò, sed è nostra voluntate fiunt, si prudenter & cum ratione suscipiantur, laudamus; sin contrà, vituperamus. Quæ verò nobis ex voto succedunt secunda, vel contra sententiam adversa, si nulla nos in causa sumus, cur ita eveniant, nulla neque laude, neque reprehensione digna sunt; sed vel dolorem, vel lætitiam, vel commiserationem, vel admirationem, vel invidiam afferunt. Omnis enim vera laus ab honestate proficiscitur, ut à turpitudine ignominia. Docere autem quæ bonæ, quæ malæ actiones sint, hoc eius philosophi est, qui de vita & moribus disserit; at dicendo laudare, vel vitu-

ſtupare, Oratoris; effingere verò quæ cuiq; conveniãt, poetæ; ſed ut geſtæ res ſunt bene, hoc eſt, ſyncerè, dilucidè, & ſapienter narrare, hoc eſt proprium Hiſtorici munus. Verùm & is interdum gravis eſt actorum iudex, & cenſor; quique ab omni fictione abhorrens modicè benefacta commendat, damnatque contraria. Hic profectò ſapiens hiſtoricus habendus eſt: atque hic eſt hiſtoriæ finis, quò omnia referenda ſunt, non ut rerum geſtarum memoriam ſervemus, ſed illarum experientia humanæ vitæ rationem & uſum doceamus. Nec ſi Plutarchus monet in ſcribendis viris animi affectiones, & ſtudia potiſſimùm exprimi debere, quibus imago vitæ tanquam lineamentis depingatur, negat hunc eſſe finem hiſtoriæ, quem dicimus. Nam quò magis mores explicantur, eò ſunt ad docendum exempla acriora. Vnus igitur hiſtoriæ finis eſt, utilitas: non dico hiſtorici; quem interdum adſcribendum aut alicuius gratiæ aut gloriæ, aut pecuniæ cupiditas impellit. At cuipiam fortaſſe delectatio videtur etiam eſſe finis hiſtoriæ, quòd ex hiſtoriarum cognitione magna voluptas percipiatur. Sed ſi ſte peculiaris eſt cuiuſque cognitionis, & ſcientiæ fructus; quæ per ſe ipſa plurimum delectat; cuiúſque tanta eſt in hominum animis generata cupiditas, ut ſemper aliquid audire, videre, diſcere velimus. An eam voluptatem intelligis, quam ſuavis habet oratio? Sed ea eſt proprietas elegantis, iucundi que ſermonis. Neque iſtud ſibi hiſtoricus proponit, ut oratione delectet, quod Oratori & Poetæ propoſitum eſt; ſed res geſtas narrare, quæ ſint rerum agendarum exempla. Ne verò languens, & aſpera narratio legentium animos alienet, aut ſtudia retardet, dictionem polit, & leni quadam ſuavitate rerum & verborum aſpergit; ea quidem ratione, non ut voluptatem utilitas, ſed utilitatem ſequatur amœnitas. Quòd ſi voluptatem tanquam finem inſpiceret, proculdubiò poëtarum more, multa confingeret, ac velut encomiaſtes multa amplificaret: quippe fabulæ & exornationes ad delectandũ valent. Et inanis eſt opera, quæ nullum fructũ affert,

ſed tantùm aurium delectationem petit. Quare Hiſtorico aliundè materia ſuppeditatur, ipſe ex ſe prudentiam & eloquentiam affert; atque hunc finem reſpicit, ut rerum geſtarum explicatione proſit. Quod autem in omni re extremum & ſummum eſt, & quò omnia referuntur, hoc ego Finem appello. Poteſt autem cuipiam mirum videri, cur bella frequentius ſcribantur, cùm potius deteſtanda & execranda ſint, & multa domi prudenter, fortiter, iuſtéque gerantur? An quia ferocibus hominum animis, & elatis iſta magis arriderant? An quia in his eſt magna virtutis & varietatis fortunæ materia? ne aut ſecundis rebus efferamur, aut deprimamur adverſis? Quis magni illius Pompei Romanæ Reipubl. principis, maximique imperatoris, qui de univerſo orbe triumpharat, modò corporis truncum in litore miſerabiliter iacentem inſpiciens mutabilitatem fortunæ non graviter perhorreſcat? Quis de victore Annibale, qui Rempubl. Romanam Punicis armis iam penè oppreſſerat, Scipionem, cui deinde cognomen fuit Africano, glorioſiſſimum triumphum deportantem ſi cernat, de ſuis rebus omninò deſperet? Hoc profectò ſapientiæ maximum & præclariſſimum opus eſt, in volubilitatem Martis, & fortunæ intuentem, res humanas fortiter & prudenter adminiſtrare. Vbi preterea maior, quàm in bellicis rebus virtutum ſylva apparet? Et ne de Temperantia, quæ in belli duce ſemper eſt laudata ſummopere, & Iuſtitia, loquamur, ſine qua nulla hominum vita eſſe poteſt, hìc fortitudo omnes vires ſuas explicat, & quaſi in propria poſſeſſione verſari videtur; ubi omnia pericula mortis procreantur, cuius contemptio præcipua eſt fortitudinis laus. In capiendis autem & præripiendis hoſtium conſilijs, in parandis, evitandisque inſidijs, in faciendis caſtris, in inſtruenda acie, in conferendis ſignis, in oppidis oppugnãdis, in continẽdis, exercendisque militibus, in providendo ne quid deſit, ne quid officiat, ne quid ex inſperato eveniat, quanta ſunt hæc prudentiæ & qualia munera? His ego de cauſis bella frequentius ſcribi opinor; aut quia nihil

ita

ita frequenter inter homines ac bella gerantur.

De laudibus Historiæ.
CAP. III.

QVOD si hunc finem historiæ propositum volumus, ut documentis ad bene vivendum abundemus, nihil mihi videtur historiarum lectione utilius, & ad mores informandos, & ad gubernandam Rempubl. accommodatius. Docent sapientes viri prudentiam, quæ vivendi ars est, doctrina & experientia comparari, atque illam cogitatione & studio, hanc ætate acquiri: illam communia dicere, hanc propria: illam decipi quandoque, hanc nunquam posse, ut optima vitæ magistra iure maximo habeatur. Atqui in historia, non ut in morali philosophia precepta, sed exempla sunt vitæ, quæ nos ad virtutem informant, & movent vehementius, utpote propiora, magisque explorata & certa: quoque magis ad agendum valet usus, & quæ rerum est singularium, experientia, quàm scientia, quæ rerum est universalium, eò præstantiora sunt ad agendum exempla historiæ, quàm philosophiæ præcepta: illiusque doctrinam solùm auribus percipimus, huius exempla tenentes rerum ipsarum imagines aspicimus, ac similium imitatione magis ac magis ad virtutem accendimur. Non igitur malè historiarum cognitionem cum philosophiæ præceptis contulerim. Quin immò philosophiam quidem ut asperam negligunt; historiam contemnit nemo: illius acris, & concisa oratio sæpe minus est iucunda; huius lenis & fluens sine ulla offensione in animos illabitur, & quadam cum suavitate insidet. Et quid optabilius obsecro cuiquam esse potest, quàm in humanæ vitæ amplissimo, ornatissimoque theatro quæ gerantur, quæque eveniant spectare? ac videre aliorum exemplis quid sequendum, quid fugiendum sit? Quod equidé prudentię genus alieno malo sapienti gratissimum, felicissimum esse reor. Etenim si pluri-

mum confert ad prudentiam rerum experientia: experientia verò longo tempore & memoria indigeat (quapropter senes ob longam ætatem & usum Prudentes appellamus) & nostrarum rerum usus magno labore, nec sine aliquo interdum periculo partus, atque is modicus propter ætatis brevitatem, parvitatemque iudicij non satis sit ad omnem vitæ casum & fortunæ, quid amabilius? quid acceptius? quid potius esse potest, quàm ex historijs multa vitæ præcepta, & optima ac certa morum documenta percipere? & quę multorum annorum spacijs gesta sunt brevi quodam volumine comprehensa videre? quæq; multis abhinc seculis evenerunt, quasi præsentia, & ante oculos nostros obversantia scriptorum beneficio cernere? unde superioribus annis vixisse videmur, & pręteritis rebus non minus, quàm præsentibus interfuisse. Sic multam aliorum periculo prudentiam nobis cõparamus, quam modicus rerum nostraru in usus magnam efficere non potest. Sciteq; Cicero nescire (inquit) quòd antequam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Ac meritò sacerdos ille Aegyptius Solonem, & reliquos Græcos (ut est apud Platonem in Timæo) quia nullam vetustatis memoriam haberent, pueros, tanquam ignaros & imperitos appellavit. Lucullum illum, qui Mithridatem vicit in Ponto, memoriæ proditum est, Roma profectum rei militaris ignarum, & penè rudem, cùm totum iter & navigationem in legendis historijs, & doctorum hominum disputationibus consumpsisset, in Asiam venisse factum Imperatorem: ut Mithridates hunc maiorem, quàm eorum quenquam, quos vidisset aut legisset, ducem à se cognitum esse consiteretur. Philopæmen quoquę maximus dux Græcorum lectione rerum ab Alexandro gestarum, & æmulatione, tantam gloriam assequutus est, ut cum eo totius Græciæ decus unà corruisse visum sit. Magnum præterea effecit Scipionem Africanum Cyripediæ lectio, studiumque historiarum. Quin Alexander severus Imp. (ut Lampridius scribit) in dubijs rebus historiarum peritos maximè consu-

fulebat: quòd nimirum de futuris rebus melius sentirent, qui res gestas memoria tenerent. Quid enim aliud est historia, quàm rerum agendarum exemplar, quo futura ad præteritorum memoriam, quasi regulam deducantur? Ecquis est ad intelligendum ita hebes; qui si causas simul & eventa perspiciat, rem imprudenter gerat? At rerum pronuntiator causas aperit, & eventa demonstrat; ne quid agatur, quòd non mens, ratióq; præscripserit. Est igitur historia, in qua tanquam in speculo aliorum vitas inspicimus ad res bene gerendas, & ad mores informandos satis utilis & accommodata. Est etiam sæpe usui alijs artibus & doctrinis, præsertimq; Oratori, qui exemplorum varietate utitur ad persuadendū; & Poëtæ, ut similes actiones effingat; immò Epicurus narrationē rerum ab historico mutuatur. Ad hæc morales Philosophi sæpe exemplis probant. Multa quoque ex historia perdiscit Geographus. Atq; istæ pariter doctrinæ satis adiuvāt historiam ut omnes artes mutuis quibusdam auxilijs & adminiculis inter se adniti videantur. Cæterùm dici non potest: quanta ex historiarū lectione delectatio capiatur. Nam videmur superioribus annis vixisse, & præstantissimos homines tanquam hospitio accipere, cumque illis magnis de rebus colloqui, & nos inter nos invicem interrogare, respondere, & rerum gestarum petere pariter, & reddere rationem. Quæ maior, quæ utilior, quæ iucundior est his congressibus delectatio? Nec est quod illorum statuas, quæ nos excitent ad virtutem, tanto studio conquiramus, quæ corporum sunt, non animorum simulachra. Nam in historia ita cuiusq; mores exprimuntur, ut inde melius cuiusque animum videre possimus, quàm ex quibusvis corporum lineamentis. Accedit quòd statuæ non facilè loco dimoventur; historiam quocunq; eundum est, tecum ferre commodè vales, & ubiq; legere. Illam præterea ex eventorū cognitione delectationē quantam putas? Ipsa etiam novitas rerum, & varietas, temporumq; mutationes & fortunæ vicissitudines, inopinatiq; casus, quib⁹ historia referta est, ut movēt homi-

num animos, & delectatione quadam in legendo retinent auditorem. Etsi discendi semper aliquid, & videndi insita est homini à natura cupiditas, ut ad aniles fabulas quandoque aures præbeamus, certè non potest historia non placere; quæ locorum habet descriptiones, morum dissimilitudines, populorũ ingenia, civitatum formas, imperiorum conversiones: quarum rerum cognitiones animum incredibili voluptate afficiunt. Nulli sit igitur mirum, si mirificè omnes historia delectemur. Equidem ipse cùm præterita memoria repeto, & à primis (ut ita dicam) incunabulis hominum ætatem recolo, atque hanc mundi summam senectutem intueor, ad quam devenimus, quasi omnibus seculis vixerim, vehementer mecum animo lætor; & omnem annorum seriem mente coniungens, ac regnorum initia, progressus & exitus contemplans, quòd harum rerum cognitione sapientior evadam, singulari quadam suavitate perfũdar. Et magnæ profectò gratiæ habendæ sunt historiæ, quę res gestas ab oblivione & rerum interitu vindicat, sola regibus, populis, civitatibus, regionibus superstes.

Vixêre fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

quod de Historicis verius dixeris, quàm de Poëtis. Nam ea quæ apud istos legimus, vera esse putam⁹; in illis ficta omnia sunt, mendaciјsque conspersa. Nec ab re Pontifices maximi, ad quos spectabat annales conficere, ac in tabula conscriptos populo legendos exhibere: unde aliqui rerum scriptores (quod apud Assyrios Berosus fecisse creditur) historias suas desumpserunt, quasi rem sacram illos in sacrario asservabant. Púlchrè igitur Cicero, historia est (inquit) testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis.

De

De Inventoribus historiæ.

CAP. IIII.

AT curiosè quidam inventorem historiæ inquirunt, rem quidem occultam & incertam, sicuti multarum quoque aliarum rerum inventionem obscuram esse videmus, tum quia rerum præteritarum memoriam longinquitas temporum delevit, tum quia multis illarum principia communia fuerunt, tum quia laudem istam suis quisque ad res patrias celebrandas attribuit. Nam Aegyptij sacerdotes suos historiæ parentes extitisse affirmant; Græci Cadmum Milesium authorem esse aiunt; alij Abrahamum Urensem asserunt, à quo cœli & terræ primordia enuntiata fuisse testantur, quæ deinde Moyses scripta suis libris reliquit. quam tamen historiam Iosephus scribit antè in duabus columnis, lateritia & saxea, filios Sethi incidisse: ut ab ipso iam mundi exordio historiæ principium revocetur. Alij tradunt Noë post inundationem orbis terrarum ad radices Gordiei montis Armeniæ, quæ acciderent in saxo insculpsisse: alij cœptam scribi historiam fuisse autumant à Nini regis Babyloniæ temporibus, octingentis ante bellum Troianum annis opinor, quòd ille primus omnium mortalium bella finitimis intulerit. Mihi satis probabile est ab initio maiores, cùm literarum formam nondum ullam invenissent, ne rerum memoria extingueretur, simul etiam exemplis posteros erudirét, quæ gesta essent & signis notasse, & filijs narrare consuevisse, & quasi per manus deinceps & hæreditaria quadã successione alios alijs narrando tradidisse. Itaq; rerum gestarum memoria non librorum paginis, sed hominum animis & signis conservata fuit, donec scribendi ratio reperta est. Quis igitur unum aliquem conijciat, qui primus inter tot tantasque nationes, lingua, scriptura, moribus inter se quàm dissimilimas historias, hoc est, rerum narrationes literis commendare incœperit?

Quòd oratoris munus sit, Historiam scribere. CAP. V.

SED videre satius est cuius artificio historia perficiatur. Quidam apud Lucianum medici esse historiam scribere infert hac ratione; quoniam Aesculapius medicus, filius est Apollinis; Apollo autem Musarum dux, & omnis eruditionis princeps. Alius ad solum sapientem, ait, hoc munus spectare, & multiplici syllogismo, & per omnes figuras diducto usque ad satietatem id probat. Quem verò sapientem intelligat, non declarat, ni fortè se unum putet sapientem. At dicet fortasse aliquis si de magnitudine Mathematicus, & de naturalibus rebus Physicus, & historias scribet Historicus. Nec repugno, sed hoc quæro, an hoc artificium Historicus per se ipse componat, an mutuetur aliunde? Materia quidem communis est, res nimirum, quæ geruntur; quæ non aliter, quàm ut gestæ sunt, exponi debent, sed non omnium est bene scribere. Primum disponendi ratio videnda est: quæ etsi plurimum natura, & iudicio constat; habet tamen aliqua præcepta, quæ naturalem ipsam prudentiam regunt, neque errare patiuntur. Quæcunque illa sint, orator primus invenit & edocuit. Tum ipsa oratio suavis, & ornata, cuius obsecro est, nisi oratoris? qui non ab alijs virtutibus inventione, dispositione, memoria, & actione, sed ab eloquendo nomen adeptus: quòd fortasse communes illæ cùm alijs, hæc unius propria esset oratoris. Et quemadmodum Dialecticus hanc provinciam sibi sumpsit, ut de quacunque re sibi proposita probabiliter disputaret; sic orator, ut de quacunque re prudenter diceret, & ornatè. Quamobrem Dialectica, & Rhetorica in nulla sibi subiecta materia versari, sed vagari per omnes dicuntur, reliquarum doctrinarum comites & adiutrices sorores. Veniamus ad historiæ partes, principium & narrationem. certè harum præ-

ceptis Rhetorum volumina referta sunt, ut benevolum, ut attentum, ut docilem auditorem faciamus, ut dilucidè & evidenter, ut probabiliter, ut suaviter, ut splendidè rem narremus. Quid de concionibus loquar, quæ in ipsa historia interponuntur? nónne indigent universa Oratoris opera? His de causis mihi videtur historiæ artificium aut Oratoris esse, aut ab Oratore petendum. Et M. Tullius non deceptus (ut quidam opinantur) dictione Theopompi, qui multum intulit in historiam, eloquentiæ auditor, & imitator Isocratis; sed quia bene dicere, & scribere Oratoris est, putat historiam scribere Oratoris munus esse, & summi, & maximi, nimirum singulari quadam prudentia, gravitate & eloquentia præditi. Qui tum sanè Historicus dicetur, cùm historiam scribet; sed artificio utetur suo. Atq; utinam Ciceroni, quam meditabatur, historiam per temporum iniquitatem, & inimicorum audaciam scribere licuisset. quantum alijs præstitisset; argumento esse possunt orationum suarum narrationes breves, dilucidæ, lenes & suaves, quo scriptionis genere longè omnes superavit. Falluntur ergo etiam qui historiam grammaticæ subijciunt: quasi ars literarum modũ doceat, quo res gestæ scitè, & luculenter explicentur. Et licet historiarum tractatio & cognitio grammaticis tribuatur, ipsum tamen artificium historiæ & scribendi munus Oratoris est, non Grammatici. Vnde quis non iure miretur scribendæ historiæ præcepta Rhetores pauca admodum tradidisse, cùm historiam scribere Oratoris munus esse cõfirmarint? An putaverunt quædã in promptu esse & prudenti obvia, quædam facilè percipi posse ex his ipsis, quæ suis artibus cõprehenderant? Nec inficias iverim tantummodò virum prudentem quid deceat videre: sed præceptis etiam quibusdam hæc ipsa prudentia regitur. & qui oratoria præcepta ad historiæ tractationem accommodasset, quædam explicando copiosius, quæ Rhetores nõ attigerunt, aut breviter perstrinxerũt; quædã breviter attingẽdo, & quasi digito demõstrando, quę uberius ex ipsis Rhetoricę

fontibus hauriri possunt, separatimque leges historiæ docuisset, rem fecisset proculdubiò historiarum studiosis maximè utilem. Ideoque satis laudandi sunt, qui seorsum ab oratorijs institutionibus historiæ præcepta dederunt. & nos, qui conamur illam illustrare, si quid studiosis profuerimus, magnum fructum percepisse videbimur.

De Rerum delectu.

CAP. VI.

NEC rectè quidam auctor Græcus negat ulla esse scribendæ historiæ præcepta: quam rem quibusdam levibus argumentis probare conatur. Nam licet actiones scribat propè infinitas, & quæ diversis locis, varijsque temporibus evenerunt; tamen eligendi ea, quæ memoria publica digna sint, & suo quæque loco disponendi ratio quædam adhibenda est: quæ etsi prudentiæ videtur, tamen doctrina quadam confirmatur. Mox si elocutionis præcepta nulla sunt, ne historicus quidem illa desiderat. Et ne de rebus manifestis suscipiatur disputatio, ipsum quodcunque est, artificium historiæ iam texere incipiamus. Debet autem historico idem studium esse, quod bonis scriptoribus esse solet, rerum, inquam, primò, deinde verborum. Sed rerum duplex est cura, electionis & collocationis: nam de inveniendo nihil dicendum est; quoniam Historicus materiam scribendi nec ipse confingit (ut dictum est antè) nec invenit ullo per se studio aut arte. Ac de rerum delectu primò, tum de collocando dicam. Cumque multa in hominum vita gesta sint, & nunc quoque gerantur, quæ dignam scribendi materiam historico subministrent, primũ omnium ille materiã sumet non ęquã modò viribus suis, verumetiã ab omni odio alienã, nec pervagatam & humilem, sed illustrem, & gravem, & virtutem exemplis abundantem, & varijs inopinatisq; casibus cum delectatione quadam admirabilem, ut imperiorum fortu-

nas,

nas,gentium instituta,civitatum mores,clarorum virorum vitas: quæ habent ad Resp.prudenter administrandum,& ad bene,beateque vivendum satis apta & idonea documenta.Nam(ut rectè inquit Halicarnassæus) qui res scitu indignas, aut humiles, & ignotas, aut quæ obsint exemplis,historiæ committit,à qua & veritas,ac prudentię,& sapientiæ præcepta peti solent, tum mores suos malos aperiunt,siquidem oratio imago est animi, tum laudem nullam consequuntur,sibi & alijs iniqui. Nec assentiar tamen eidem Halicarnassæo dicenti in eo libello, in quo historicos inter se confert,tantùm res gratas & iucundas eligi debere,ac Thucydidem reprehendenti, quòd patrium bellum malè fortunatum scripserit.An obsecro solùm ad gratiam & voluptatem historias scribimus? Quòd si utilia scribenda sunt, atque ea censemus esse utilia,quæ ad institutionem vitæ & mores faciunt,cur inutile erit malorum causas,& inde mala civibus suis demonstrare quæ cautius devitent? Et qui de virtute disputant philosophi, nonne etiam vitiorum rationem & naturam explicant,quæ fugias?quanquã ea,quæ possunt animum ad turpitudinis cogitationem aliquam traducere,pro honestatis decoro prætermittenda existimo,aut leviter,& obscurè notanda.Ac impudenter facere, & indecorè Suetonius videtur, cùm uniuscuiusque turpitudinem nulla id rerum necessitate poscente singillatim & accuratius persequitur. Vbi universum materiæ genus historicus elegit magnum inquam,illustre, & utile,ne illud negligenter, & inscitè tractet nõ modò sine ullo decore,& ornatu,sed imprudenter etiam,& temerè omnia explicando. Etenim si eorum,quæ à veteribus scriptoribus memoriæ prodita sunt,historiam scribere instituit, meliores autores sequetur, magisque probatos: quorum autoritati, & fidei standum omnino est: quoniam ea,quæ narrant, à nostra memoria longè absunt:sin verò ea scribit,quę suis temporibus gesta sunt, quando omnibus rebus unus interesse non potuit,nec cuncta spectasse,& plerunque res variè, nec uno modo referantur, omnia

(quę se Thucydides fecisse testatur) pro se diligentissimè inquirat, omnes audiat, cum omnibus colloquatur, & ijsdem sæpe de rebus omnes percunctetur: nec tamen omnibus fidem præstet, verùm his qui liberè nullo neq; odio, neq; amore commoti res ipsas pronunciant, atque ea dicunt, quæ ad veritatem, & communem magnorum hominum opinionē, & assensum propius accedere videntur. Licet quoque interdum quædam, quę occultiora sunt, probabilioribus coniecturis colligere, alioquin incerta pro affectu animi ne divinet, nec dubia sequatur pro veris: & alios interdū modestè refutare licet, quo veritas magis elucescat, & ad verisimiliorem dissidentium sententiam ire, quod factum à summis scriptoribus non est quod alij reprehendant. Et quamvis ex hominum opinione multa pendeant, tamen autoritati doctissimorum hominū inniti semper tutius erit. Postquam igitur universam materiam historicus collegit, ante oculos totam exponet, ut videat quæ ex ea seligere, quæ reijcere, quę dicere, quæ tacere conveniat, quóve pacto ex his coagmentare historiam, atq; unde incipere, ubi finire, quò ordine singula coniungere oporteat, ut unum quasi corpus conficiat, quod principio, medio, fine constet, quodque è cohærentibus inter se partibus ritè, ordineq; compositum dignitate formę, & specie commendetur. Nam rerum delectum non solùm in universo genere materię, sed in singulis etiam partibus habere debemus, quo solùm res memorabiles, & dignæ literis custodiantur: quandoquidem historiæ finem utilitatem ipsam statuimus. Humilitatem enim rerum historiæ dignitas aspernatur, & ad docendum exemplis illustribus opus est. & inepti est leviter ea, breviterq; attingere, in quibus totum negocium vertitur, ea verò quę nullius ponderis sunt, copiosius scribere. At quidam vel rerum ignari, vel hebetes, inopesque iudicij non vidētes quæ tenere, quæ respuere, quę tacere, quę pronunciare conveniat, ad leves quasdam, & inanes commentationes, & ineptias digrediuntur, & summā rei negligentes minima quæq; pertractant: qualis ille est

le est apud Lucianum, qui memorabile, & maximum bellum levissimè percurrit, & in cuiusdam ignobilis viri peregrinatione deveniens, eò usque progressus est, donec fontem sorte quadam offendit: inquem nisi incidisset, siti enectus esset. Quid hoc est aliud, quàm optima negligere, pessima carpere? & lineamentorum artificium ignorare, & in coruscantium pigmētorum admiratione persistere? Equidem quæ nulli?, aut quā minimi momenti sunt, neq; ad mores, neq; ad parandam prudentiam quicquam conferentia quid decet explicare? aut etiam poëtas imitari, qui omnium pene militum, & ducum, quemadmodum quoque mortis & vulnerum genera ambitiose nimis persequuntur? Sed illi delectationem aurium, & amplificationem petunt, historicus utilitatem, & brevitatem amat. Nominabit quidem suis nominibus primarios duces, scilicet rerum gestarum principes, & authores: uno verò communionis, & societatis nomine reliquos omnes nominabit. Nec si quis etiam non adeò illustris homo aliquód facinus præclarum, & singulare fecerit, æquū tamē nō est eum sua laude privari. Cæsar lib. v. de Bello Gallico. T. Pulphij, & L. Vareni egregia quadam fortitudine militum excellens illud facinus commemorat, quo uterque alterum periculo liberavit, cum alterius gloriæ uterque invideret. Nec Livius equestrē pugnam Claudij Alellij Romani cum Taurea Cāpano silentio involuit: in qua tanta Romani virtus emicuit. Et à Iustino Cynegyri cuiusdam militis Atheniensis ad Marathonem gloria summis laudibus celebratur: qui post longam cædem persequens hostes fugientes, ad littus onustam navē dextra comprehendit, nec dimisit prius, quam manū amitteret, tū amputata dextera sinistra navem tenuit, qua etiam abscissa morsu arripuit, & veluti rabida fera manibus obtruncatis dentibus dimicavit. Clara enim per se ipsa est virtus, neque se in occulto esse patitur. Quòd si quædam humiliora videbuntur, quàm ut narrentur, paritura tamē aliquam narrationi obscuritatem, si omittantur, brevissimè tum illa expedies. Neque enim in levioribus

rebus gravi historico immorandum est, nec silentio quicquam prætermittendum, cuius ignoratione historia perturbetur. Equidem hæc summa laus scriptoris est, nec redundantia dicere, quæ è mente effluant, nec manca, quæ rerum cognitioni officiant.

De collatione rerum. CAP. VII.

ET ne huc, illucque historia vagetur, tenendus est quidam ordo, & rect⁹ quasi cursus scriptionis. Et quoniā omnis actio principium habet, progressum, & exitū, causa, quæ ad agendū aliquem impulit, cognoscenda est primò, & cū causa consiliū, quæ licet eadem esse videātur, quòd inde acta, eventusq; dimanēt, sunt tamen ratione quadā diversa. Nā causa dicitur, ut dominatus cupiditas, ulciscēdæ iniuriæ libido, timor maioris periculi, & mali, odiū alicui⁹, & amor, & quidquid nos ad agendū inducit. consiliū verò est excogitata ratio faciendi. Quæ verò agimus, aut impetu quodā animi, aut affectu, aut ratione agimus vel evitādi alicuius incōmodi gratia, vel cōmodi consequendi. Nam quæ vi agimus, nullo pacto per nos agere dicimur: nec voluntaria sunt quæ casu cōtingunt, sed ad supremā divināque vim referuntur: siquidē fati fortunæq; nomina iā nos Christiani sustulimus è nostro loquendi genere, & usu. Quib⁹ de rebus modicè, & prudēter historic⁹ loquetur, quoad spectabit ad rei gestæ explicationem. Quòd si ignoratio principiorū magnam obscuritatem in reliquis affert, & historicus actiones nō bene explicarit, nisi rerum causas, & consilia bene perceperit. Cognitis autem causis reliqua melius intelligentur, & veriora putabuntur. Aperiet autem causas Polybii documento eas, quæ coniunctæ sunt cum rebus ipsis, atque temporibus, quæque necessario quodam modo illis congruere videntur. quanquam interdum si res ipsa postularit, paulò altius repetere causas, & tēpora conceditur, dum breviter, & summatim recenseantur. Salustius tamen nimis altè principium duxisse iudicatur, qui Catilinæ cōiurationem scripturus ab Vrbis origine principium sumpsit. Causarum, & consilio-

filiorum explicationem sequitur apparatus, tum eorum narratio, quæ ex his profecta fuerunt distinguẽda ab historico modis, locis, & temporibus; tādem exitus rerum declarādus est, & ea, quæ consitata sunt eventa, prudentérque explicanda sunt quæ è sapientibus consilijs, quæ è temeritate, quæ è casu aliquo evenêre. Notanda sunt etiam quæ vel ante rem, vel in re, vel post rem diuinitus contigerunt, ut prodigia, ut oracula, ut sanctorum hominum voces, atq; ea, quæ rarò accidere solent. Quæ licet naturalia sint, non tamen accidunt absque aliquo portento, & divini numinis ostensione, ut terræmotus, eluviones, aeris cõflagrationes, defectus solis, & cometæ calamitatum prænuntij, atque alia his similia. Cæterùm per singula personæ, & rei attributa diligenter, & accuratè percurrendum est, quæ omnem actionis imaginem, & naturam exponunt. Personæ præter nomen attribuuntur genus, patria, natio, disciplina, studium, liberi, propinqui, affines, amici, conditio, honores, potestates, divitiæ, libertas, & quæ in corpore spectantur, sexus, etas, figura, valetudo, vires, atque animi affectiones, & virtutes, & vitia. Rem verò circumstant, causa, tempus, locus, occasio, instrumẽtum, modus, & huiuscemodi alia: in quorum tractatione Rhetores summopere elaborant. Sed ista quoque sigillatim magis videnda sunt, quæ totum negotium complectuntur, facultas, occasio, eventus: quemadmodum Polybius, ne quis dubitaret quibus viribus freti Romani ad universi orbis imperium aspiraverint, eorum vires & opes primùm ostendit, tũ quam occasionem, & opportunitatem nacti fuerint bellum alijs gentibus inferendi, postremò quæ successerunt ordine enarrat, cædes, vastationes, deditiones, triumphos, commutationes fortunæ, & casus. Sic ergo, ubi rerum delectum historicus habuit, tum breviter rem universam perstringet, & quasi quoddam corpus adumbrabit, ac in summa quædam capita rerum omnem dividendo historiam articulis, membrisque discernet, singulisque ordine collocatis, & forma historiæ inducta dictionem quasi colorem adhibebit;

veluti pictores primùm animo simulachrum concipiunt, deinde effigiē in tabula mollibus quibusdā lineamentis conformant, postremò pigmēta artificiose, & accuratè aspergūt, umbras, & eminentias colorū varietate distinguūt, summoq; labore & industria picturā absolvunt. Hoc est rem ipsam primò per figuram comprehendere, tum comprehensam explicare, & ornare dicēdo. Ipse autem ordo naturalis erit, & rectus, ut res non aliter narretur, quàm eo, quo ab autore gesta est modo, nec ulla res confundenda, nec prævertendus exitus rerum: cuius expectatione lectoris anim⁹ detinetur, sed temporum ratione, & natura rerum servata ea, quæ sunt tempore priora & necessitate existendi, sicut eventis causæ, priora quoq; collocabuntur. itaq; eventa post cōsilia, & causas sequentur effectus, & cōsequētia antecedentia, atq; eo pacto singula inter se componentur, ut demi vel transferri nullo modo possint.

De multiplici Actione. CAP. VIII.

CAeterùm historia aut simplex est, quæ rē unam, uniusq; modi cōplectitur, aut multiplex, in qua variæ res, diversi eventus, dissimiles exitus continentur: quale est bellum Punicum, quod maxima varietate ducum, & locorum gestum est. Si narratio est simplex, in unà tantùm rē scriptoris animus, cogitatioque versabitur, nimirum ut rem ipsam eodem, quo gesta est ordine exponat. Vnde ne rerum simplicitate, & simili semper & odiosa narratione lector historiam fastidiat, pluribus illam ornamentis rerum & verborum illustrare conetur. Sin varia est, multiplexq; narratio, summo iudicio & prudentia distinguenda erit, ne varietate confundatur. Nec difficile est eas actiones ordinatè disponere, quarum aliæ ex alijs proveniūt, aut tempore alijs antecedunt. nam docet tum ordinē tempus ipsius. Nec tam profectò locorum hic, quàm temporum rationem observabimus. Nam si locorum ordo absit, non ita res obscurantur, ut si temporum confusio, & perturbatio insit: quandoquidem consilia, rationes, causæ, eventa rerum non æquè locis, ac tempo-

ribus.

ribus distinguuntur. quorum ordinem qui non tenet, totam historiæ narrationem obcæcat. Quid enim illi non erit obscurum, qui ignoret quid quoq; tempore gestum sit? Perturbatio enim temporum omnem scientiam antiquitatis tollit. Atq; hoc certè vitium historiæ mihi maximum videtur, si tenebras afferat, quę lucem afferre debet. Tempus autem notabimus eo modo, quo in publicis scripturis, monimentisq́; signatur. Neq; anni, anniq́; partes solùm, & menses, verumetiā dies, noctes, horæ, ac momenta significabuntur, si quā afferat eorum cognitio utilitatem. Sed cùm iisdē temporibus multa gerūtur inter se diversa variis in locis, veluti quo tempore Annibal Italiam vastat, Scipio Hispaniam domat, tunc pro scriptoris prudentia liber est ordo, ut quam rem prius velit, commemoret. At rem unā prius eò scribēdo deducet, donec capi possit, mox ad aliam sese conferet, quam eodem usque deducet, quoad eius imago appareat, servata semper & notata eadem temporis ratione. Sed ita ratio temporum servanda est, non ut res temporibus interpunctim, quòd in annalibus fit, sed rebus tempora accommodemus decursum quendam perpetuum, & tractum legentes, ac ordientes historiam quasi telam continentem, quo tota facies rerum, & connexio explicetur. ad quas interim distinguendas obiter, cùm opus fuerit, tempora notabuntur, quæ rerum gestarum rationem sequantur. Et Dionysius Halicarnasseus Herodotum laudat, quòd res inter se bellę & artificiosè coniungat, nec ad unam rem transeat non alia prius absoluta, ut multis argumentis corpus unum conveniens, secumq́ue consentiens efficiat: minus Thucydidem probat, magis tempora, quàm rerū cursum observantē, & qui narrando quæ eadē ęstate, vel hyeme gesta sunt, alia attingat, alia imperfecta relinquat. Itaq; corpus unum multas in partes scindit, ut lector vix animo, & cogitatione rem ipsam assequatur. Non igitur rerum ordinem, non temporum, non locorum, non causas, non effecta prudens historicus permiscebit, sed cuiusque rationes, & eventa separatim, & distinctè narrabit: nec ex

una re in aliam transibit, nisi priorem, ut par est, prius explicarit, ne cogatur ad eam, qua involutam obscuritate reliquit, confusus iterum reverti. Quòd si locorum ordinem & situm aliquando sequetur, non tam illum à propinquioribus sibi locis inchoabit, quàm sumet ab his, quæ maiorem cum re habent cognationem: & per omnia vagatus loca nullam occasionem prætermitteret, atque eadem tempora quatenus fieri potuit omnibus attribuens ad omnia festinabit. Transitiones autem, quibus utetur, non coactę, sed artificiosæ quasi à reipsa advocatæ videantur. Neque non erit unum bellum Punicum, unaque historia, licet multiplices, variasque res complectatur: quando ab ijsdem causis omnia profecta ad eundem exitum spectent. quemadmodum membra corporis, quamvis dissimilem figuram habeant & magnitudinem, diversisq; officijs fungantur, unum tamen corpus componunt; atque omnia ad ipsius intuitionem & salutem prospectant. Nec repugnavero, Valeriũ Maximum inter Historicos annumerandum non esse, quippe qui nullam perpetuam narrationem teneat. Docet tamen graviter & acutè, quis fructus ex historiarum lectione capi possit. Nec verò opus est monere ne repugnantia, & aliena à re narrētur. nam quædã vitia ita manifesta sunt, ut inutilis sit omnis illorũ animadversio. Atq; hæc ipsa præcepta sequemur in eorũ vitis describendis, quorũ mores ad sequendũ vel fugiendũ aliquid exemplo esse possunt. Siquidẽ ætatis gradus observabimus, & acri iudicio consideratis personę reiq; attributis, non solùm quę quis gesserit, sed etiam quæ sapienter, acutè & eruditè dixerit, referemus. Neq; tamen omnia aut dicta aut facta complectemur, sed ea dumtaxat, quibus hominis mores, & affectiones animi tanquam in tabella imago, & simulachrum exprimantur: non secus atque pictores in oris pictura & lineamentis, plurimum artis, & studij ponunt, quod inde morum inditia capiantur. Sed & quandoque ipsi vitarum scriptores ordinem vitæ, ætatúmve non tenent, verùm in certa capita res digerunt

gerunt, quod fecit Suetonius. His ipsis quoque præceptis confirmatur ea historia, quæ universam quandam actionem aut mundi, aut gentis, aut civitatis amplectitur; ut videlicet primum origo rerum ostendatur: mox quo pacto auctæ sint, & in quod fastigium pervenerint explicetur: demum quis exitus fuerit iuxta ac tempora tulerint, prudenter, breviterque narretur. Igitur in scribenda historia primùm initia rerum, tùm progressus, postremò finis semper erit spectãdus. Hæc de electione, & collocatione rerum summatim dicta sunt, nunc de ornatu, qui gravis, cultus, & honestus esse debet, qualis matronam decet, non meretricius ille poëtarum, pauca dicenda erunt.

De Digreßionibus, Descriptionibus Cõcionibusq; interponendis. CAP. IX.

AC porrò descriptiones populorum, & illustrium personarum, ut Iugurthæ, apud Sallustium, & apud Livium Annibalis hominum ingenia, moresque declarant: regionum quoque, & oppidorum, montiũ, nemorum, portuum, fluviorumq; descriptiones plurimùm ad rerum ornatum, & perspicuitatẽ conferunt: quæ rem ita suis ornant insignibus, & ante oculos ponunt, ut cerni, non audiri videatur. Nec locorum modò, verum etiam temporum descriptiones, atque aliarum rerum, ut munitionum, obsidionis, machinarũ, pugnæ, triumphorum, alicuius apparatus, & pompæ spectant eódem: quibus & aptè utendum est, ne, tanquam alterius generis pannus male assutæ dicantur, & modicè sine fuco, & affectato nimium apparatu, ut omnis ingenij, & doctrinæ ostentatio, ostentationisq; suspicio evitetur. Nihil enim æquè hominem homini odiosum reddit, atque arrogantia. Porrò in describendis locis ne quid à vero absimus, locum ipsum oculis spectasse tutius erit, quàm auribus ab alijs percepisse: ut Salustium ferunt, quo maiore fide bellum Iugurthinum scriberet, Africam pervagatum esse. Neque solum descriptionibus, sed quibúsvis etiam alijs digressionibus adsit modus, & temperantia, ne licet à

re declinent, non tamen cum re aptè cohæreant, longioréſve ſint, quàm deceat. Voco autem digreſſionem cùm à re propoſita in aliam declinamus; ſicuti Livius in tranſitum Alexandri in Italiam, & Saluſtius in mores Cæſaris, & Catonis digreſſus eſt. Et apud Oratores præſertim in genere demonſtratiuo, & apud Poetas, qui ſe totos ad delectandum compararunt, frequentiores ſunt, & longiores digreſſiones, apud hiſtoricos verò rariores, & breviores, qui in vitio eſſent, ſi qua digreſſione delectationis ſolum, non etiam evidentiæ gratia uterentur. Eſt autem cur digredi liceat, ſi lectorem inſpicias, ut aliqua varietate recreetur, ſi rerum naturam comtempleris, ut dilucidiores fiant, & cultiores, ipſaque hiſtoria dilatetur, & ornetur, alioquin ſterilis & ieiuna. At verò quidam levioris ingenij homines, quaſi rem ipſam faſtidientes, nullam nõ captant digrediendi occaſionem ad eloquentiam, & eruditionem alicuius rei vindicandam, neque ad digrediendum vocari ſe prius ab ipſa re (quod prudentiores faciunt) patiũtur: faciũtq;, ut infantes, & ineruditi habeantur, quòd neque modum, neque locum obſervent. Videre enim quid deceat, hoc eſt caput bene ſcribendi. Thucydides autem magnæ prudentiæ & gravitatis ſcriptor, his digreſſionibus aptè & moderatè vtitur, neque nimium vagatur, ſed digreſſus ſtatim revertitur, ut illum veluti fugiẽtem hinc inde res omnes apprehendant. Ita breviter rem omnem explicat, & ornatè. Verumtamen ad amplificandum, & rerum veritate diſtinguendum, ornandúmque opus, atque ad prudentiam & mores, vim habent magnam conciones, & cohortationes. Nec perſonam tamen ullam Hiſtoricus effinget, ſed loquentem modò interponet, ut credibile eſt illam fuiſſe locutam, cùm eadem verba referri non poſſint. Id quod ingenium ſolers, & acre iudicium, & multarum rerum cognitionem quærit, ut loquentium moribus, & naturæ conveniant, quæ dicuntur. Quid enim magis arduum eſt, quàm aliorum mores, animos, orationem induere; & in illorum ſeſe conformare voluntatem, atque natu-
ram?

ram? Qua quidem re nihil est in poësi difficilius: nullusq; locus mihi videtur historico relictus, in quo magis vim dicendi ostendere, rerũ causas & consilia melius explicare, laudare & reprehendere liberius possit, quàm ubi alios dicentes imitatur. Primũ igitur non quæcunq; personę, sed illustres, præstantes, & dignæ pro historiæ gravitate inducentur non quacunq; de re, sed de gravibus, maximisq; rebus concionantes sapienter & prudenter servato personarum decoro. Dicet graviter & severè Cato, ad populi gratiam Cæsar, Marius agrestis homo, & solùm ad arma natus bonarum artium studia, doctrinasq; contemnet. nec expavescet vir fortis, & audebit imbellis; & de suis quisque studijs, non de aliena facultate disputabit. Neque solùm personæ, verùm etiam rei, loci ac temporis habenda ratio semper est. Nam brevi hortatione tanquam stimulis opus est, cùm instat, urgetque necessitas: longior verò desideratur oratio, cùm rerum conditio postulat, licetque etiam per tempus, quando animi languescunt & torpent, atque aut monendi sunt, aut inflammandi. tum in exercitu classicum dicere oportet, in Senatu de administratione reip. deq; his, quę ad civilem prudentiam & felicitatem pertinent. Quis illã Marij apud Salustium orationem, in qua negligit studia literarum, si ante pugnam habeatur, non meritò reprehendat, utpote à re, & loco alienam, atque etiam pro tempore longiorem? cùm apud populum Romanum habita in comitijs cuipiam videri longior fortasse possit? Non dicam quòd haud scio qua ratione aliqui orationes funebres ab historia removendas esse censeant, quando pulcherrimũ earum exemplũ apud Thucydidẽ legamus. Sanè Trogus (ut refert Iustinus) reprehendit in Livio & Salustio, quòd directas orationes operib. suis interserendo, historiæ modum excesserint: idem in Thucydide carpere potuisset. Vocant (ni fallor) directas orationes eas, quę per primã personam pronunciantur; obliquas, quę per tertiam, ut illa Mithridatis est apud eundem Iustinum. Profectò mihi ut pro re, loco & tempore breves & aptæ

conciones placent, sic nimium frequentes, & prolixæ, ac quacunque de re susceptæ orationes non admodũ placent: nam rerum gestarum cursum retardant, & multa præter rem sæpius amplectuntur. In quarum artificio multis mirus est Livius, nihilque mihi videtur eo inferior esse Thucydides. Contrà sunt qui eruditionis expertes, nec magni iudicij homines dialogismos quosdam, & sermones intexunt, & hortationes loquacissimas & frigidissimas, insulsa omnia sine condimento, sine eruditione, sine acumine, sine iudicio, sine eloquentia, & ornatu orationis. Enimverò qui rerum, personarum, temporum, locorumque decorum non videt, is in omni re graviter peccat. Quod decorum contineri arte nõ potest, prudentia & iudicio tenetur. Ergo digressionibus, descriptionibus, concionibus, hortationibus mirum in modum locupletatur, & illustratur vehementer historia: quę, nisi moras quasdam & respirationes haberet, nimis animum lectoris intenderet & satietatem afferret, si non aliqua varietate rerum condiretur.

Quòd veritas fundamentum, & vita Historiæ sit. CAP. X.

QVidam verò historico negat licere orationem ullam interponere, quòd illam fingere oporteat, nihil autem fictum historia recipiat. Verùm alia est rerum, alia verborum ratio: illæ possunt, ut gestæ sunt, explicari; ista, quemadmodũ pronunciata sunt, referri nullo pacto possunt. Et si in obscuris rebus licet quandoque probabilitatem sequi, non idem licebit in verbis? Si res verbis immutaretur, hoc non certè iniuria negarent: sed quando orationis rem melius exponunt & ornatius, idque factitatum à summis scriptoribus, & à magnis hominibus probatum videmus, quo nos iure, quáve authoritate damnabimus? Nec se verborum, sed rerum pronunciatorem historicus profitetur: quas verè expresserit, cùm nihil finxerit, nec recensuerit ea, quæ facta non sunt, nihilq; nimis præ animi vitio depresserit vel extulerit, explicatisq;
rite

ritè caußis, & eventis distinxerit suis quæque modis, temporibus & locis. Neque abfuerit à vero, si non omnia dixerit quæ rem circumstant, dum summam totius rei aperiat. Atque hæc est, quæ aliquando cernitur inter scriptores dissimilitudo, quòd non omnes eodem modo rerum & personarum attributa persequuntur. Etenim historiæ fundamentum, firmamentum, spiritus & anima est veritas, absque qua nullam neque formam, neque fidem habebit. Retinebit quidem sine elegantia verborum & sententiarum ornatu nomen suum; at sine veritate nullam vim, nullam authoritatem, ne nomen quidem suum retinebit, nec se tueri, nec defendere ab illius vituperatione & reprehensione poterit: & mutata iam figura non amplius historia, sed fabella quædam inanis, & commentitia res dicetur voluptatis tantùm gratia, non etiam utilitatis inventa. Quamobrem hæc prima, hæc maxima lex in historia omnium eruditissimorum hominum sancita cõsilio est, ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri dicere non audeat. Nam ea solùm de causa historias legimus, ut res gestas, non fictas agnoscamus, quarum lectione ad prudentiam, & veram laudem excitemur. Quòd si falsa pro veris narrentur, illorum exemplis, non secus ac falsis fictisque testimonijs decipiemur. Vnde vana, & falsa scribere, quid aliud est, quàm hominibus imponere? quidque iniquius & magis contra officium scriptoris est, quàm commentitijs rebus veritatem inquinare & adulterare sanctam historiæ legem? Aut quis, obsecro, lector non graviter ferat, si deceptum se senserit, cùm intelliget falsa esse, quæ pro veris accepit? Si historia est (ut sapientes viri voluerunt) speculum rerum, tale speculum illud est, quod reddit imagines dissimiles, & tortuosas? Si est lux veritatis & imago: quæ nam lux ista putanda est, quæ veritati tenebras offundit? aut quæ imago, quæ deformis est, & rerum confictarũ potius simulachrum, quàm verarum effigies? Atque hoc est vel præcipuum inter historiam poësimq; discrimen, quòd in historia omnia ad veritatem referuntur, in-

poësi ad delectationem pleraque. Neque verò solum falsa non dicet, sed ne vera quidem ullius metu, vel amore occultabit; & simplicem veritatem pluris faciens, quàm cuiusquam hominis gratiam, vel offensionem, rem ipsam seu malè, seu bene gestã sit, aut ab amicis, aut ab inimicis, nihil vel addendo, vel diminuendo, vel dissimulando ingenuè & syncerè narrabit. Non enim æquum est, neque sanctæ historiæ legi consentaneum tuorum errata tegere, & factum aliquod insigne laudibus extollere, hostium verò malefacta maledictis incessere, & præclara facinora silentio præterire: nec tum historiam scriberes, sed tuorum causam contra adversarios ageres; nec historici personam gereres, sed oratoris. Itaque Livius plus æquo favisse Romanis videtur quibusdam, & Salustius non bono animo subticuisse, quæ Ciceroni à Senatu ob oppressam Catilinæ coniurationem summa cum laude & benevolentia decreta fuerunt. Quin etiam videre quosdam licet, qui non rerum narratores, sed in historia laudatores se declarant in principum laudes evagantes, cumque præstantissimis imperatoribus illos conferentes, & laudibus afficientes penè divinis. Quæ comparationes ab oratoribus receptæ in historia sæpius vitiosæ sunt. in quibus & nimijs, & ineptis sæpe, neq; necessarijs Theopompum deliquisse Halicarnasseus iudicavit. Ac magnificè Alexander ille Magnus librum Aristobuli, in quo multa de se in certamine cum Poro Indorũ rege suscepto mentiebatur, quòd se falsò laudari & adulari sentiret, in fluviũ proiecit, eadem pœna dignum esse dicens authorem, qui pro se ipso depugnans singulari certamine talia perpetrasset. Dum igitur isti laudationibus exornare historiam volunt, & encomijs veluti fuco illinire, deturpant & enervant, ignorantes id pulchrum & decorum esse, quod est cuiusque naturæ proprium atque conveniens: maluntque aut eius, quod decet, ignari, aut affectu aliquo depravati brevem aliquam, & inanem gratiam aucupari, quàm suæ famæ veritatique consulere. Quod peculiare totius Gręcię vitium fuit,
vel

vel ostentandi ingenij gratia, & eloquentiæ, vel suorũ facta exornãdi liberè in historia mẽtiri. adeo etiam apud Herodotũ, quẽ historiæ patrẽ appellant, & apud Theopõpum sunt innumerabiles fabulæ. quod in laudationibus plerisq; accidere solet, quia multa pro veris falsa pronuntiãt. Prudenterq; Thucydides historiã Herodoti fabulosam vidẽs, multisq; mendacijs, & figmentis scatentem, quãvis illũ omnes admirarentur, tamen professus est se veritatis studio perpetuo duraturam possessionem posteris relicturum. Quid? quòd nonnulli quasi mercede ad scribendum conducti, veritatem, & historiam venalẽ exponunt? Quod si quibusdam explicandis aliquando periculũ aliquod grave fortunarum aut vitæ, scriptori ab aliquo immineat, quòd in his ille turpitudinem suã notari sentiat, personam aliquã artificiosè, & cautè loquentẽ inducat, à qua explicentur, aut exprobrantẽ hostem, aut desiderantem amicũ: quemadmodum poëtæ cum in scena quid palã fieri vetat aut probabilitas, aut pudor, quod nullo tamen pacto ignorari, silerive oporteat, personã aliquam effingunt, quæ verbis illud coràm exponat. Quòd si quædam etiam fortè occurrant scribẽda, quę humanam fidẽ excedunt, veluti portenta, & miracula, aut his similia, quæ Livius, & Diõ usq; ad superstitionem observarunt, prudens scriptor ita illa referat, non ut quicquã neget, vel affirmet, sed in medio relinquat, ut de illis, pro sua quisque sententia iudicet; sibi nullum periculum inde sit.

De interponenda scriptoris sententia.
CAP. XI.

Licet tamen scriptori interdum sententiam suam interponere, prudenter aliquid admonere, quæ consilio, quæ temerè, quæ casu, quę divinitus acciderunt, sapienter explicare, atque expositis rationibus, quæ bene facta sunt, probare, & contraria breviter reprehendere, hoc est docere quem fructum lector ex historia possit, debeatq; percipere, sed modestè tamen absque ulla ingenij vanitate, ut bonum, & prudentem

scriptorem decet, non ut oratorem, aut philosophum agat. Et quoniam non aliter loquimur, neque res iudicamus, quàm affecti sumus, moresq; in ipsa oratione elucent, siquidem talis est cuiusque animus, qualis est oratio. Nam honores ambitiosus, divitias avarus, arrogantiam superbus, iustus æquitatem, sapiens prudentiam, studiosus virtutem & integritatem sonat, Historicum, qui se totum ad veritatis, & virtutis studia comparavit, virum bonum in primis esse oportet, cuius orationi fides habeatur. Xenophon Dionysio Halicarnasseo præsefert mores sanctos, iustos, faciles, constantes, ac in summa omnibus virtutibus ornatos. Philistus verò adulatorios, sordidos, & humiles. Herodotique animus lenis videtur. & mansuetus, ac Thucydidis acer, & rigidus. Quæ animi affectiones sæpe sunt pro hominum ingenio, studijs, & ætate dissimiles, tum verò solùm dignæ vituperatione, cum vitio corrumpuntur. Semper autem bonus historicus sit ad laudandum quàm ad reprehendendum proclivior. quòd bonæ mentis indicium esse ducitur: & à potiori parte genus demonstrativum Rhetores laudativum appellarunt. Nihilominus si quid laudandum, aut vituperandum est, bono modo id fiat, ne adulari, aut calumniari quempiam videaris. Non enim in iudicio versaris, aut foro, ut adversarium crimineris, aut alicuius vitam, & facta concelebres. Etenim bono viro nulla turpior nota inuri potest, quàm adulationis. & Theopompo vitio datū est, quod invidiose nimis, & acriter in historia quosdā insectaretur: quā rem ita in studium, & exercitationem verterat, ut accusare magis, quàm scribere Historiam crederetur. Videndum est ergo quos, & quæ laudemus, vel reprehendamus, insignes inquam personas, & ea, quæ in rem præsentem pertinent, neque ea levia, sed magna, & gravia & unde hominis animus, & studium dignosci possit. ac vitium est calumnia, vel assentatione in alienas à re disputationes abduci. Nam si facti cuiuspiam temeritatem reprehendis, non etiam in avaritiæ accusationem divertes, quæ nullum habuit cum temeritate com-

commercium. Equidem in ſcribendis vitis omnes animi affectiones, & ſtudia, & facta, & dicta explicanda ſunt, quæ hominum ingenia, moréſque declarent: in alicuius autem rei geſtæ explicatione ſolum ea notanda, quæ in præſens opportuna, & apta, nec aliena iudicantur. Omnino reprehenſiones, aut laudationes breves eſſe debent, & ſignificatæ potius quàm expreſſæ, quando narrationis contento curſu, & abſque ulla interpellatione efferatur oratio: & quia nullam moram pati poſſe videtur, nihilque velle recipere, niſi quod opportunè interveniat, loco opponantur, & opportunæ, & rebus idoneæ; quæ ornaméto potius ſint, quàm impedimento. Itaque brevis, & acuta ſententia interponenda eſt, quæ facilè in animum penetret, firmitérque inhæreat: qualis eſt, apud Saluſtium illa de Metello, Vir egregius in alijs artibus nimis molliter ægritudinem pati. At quanti hominis hoc ſit, quis non videt? prudentis, gravis, benemorati, eruditi, rerum humanarum uſum habentis; & æquiſſimi viri: quem nulla perturbatio, affectióque commoveat; qui veritatem cuiuſvis gratiæ & offenſioni præferat, in reprehendendo ſeverus, & gravis cenſor; qui præclare facta merita laude non defraudet, nec conniveat delinquentibus, non plus alteri tribuens, omnibus benevolus, nulli addictus, ſui iuris, ſuis legib. vivens, non quid hic probet, aut ille, ne quid cuique placeat, diſpliceatq́; ſolicitus, ſed tanquam hoſpes, & peregrinus commendet libero animo laudanda, & damnet vituperanda. Optimum verò conſilium hanc in rem dat Lucianus, ut ab omni affectione ſeipſum ſcriptor expediens tanquam ex alto, ut Iuppiter apud Homerum, res humanas inſpiciat, nullam ipſe in partem animum, & ſtudium appellat, & quid quiſque ſentiat, & agat, & quid cuique eveniat contempletur, & ſagaciter cuiuſque conſcientiam intueatur, omnium conſilijs interſit, teneat omnium mentes, præſens ſit omnium actionibus, ſperet, metuatque cum omnibus, fugiat cum fugientibus, & ſequatur perſequentes, tum ipſe liberè, opportunè, & breviter moneat, quid face-

re oportuisset, & benefacta laudando, & reprehendendo malefacta gravem, æquum, syncerum, & prudentē ubique se iudicem præstet: neque enim solum bonus, & æquus index, verum etiam prudens esse debet, qui videat quid res, locus, & tempus postulent. Illæ verò sententiæ, quæ celebria quędam dicta sunt pro hominum opinione vitæ usui convenientia (non tantùm enim animi sensum, verùm etiam hoc ipsum aliquando sententia significat) si aptè, & modicè interserētur, orationem quasi luminibus quibusdam, gemmisque distinguent. Præclara illa est apud Iustinum. Quò fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat, & apud Livium, Adeo spreta in tempore gloria cumulatior redit. & apud Salustium animo cupienti nihil satis festinatur. & apud eundem, Regiæ voluntates ut vehementes, sic mobiles sæpe ipsæ sibi adversæ sunt. Prę cæteris autem rerum scriptoribus, ne Valerium commemorem acrem in sententijs, in conclusionibus brevem, pariter & acutum, Plutarchum suspicere soleo, cuius sapientes, & eruditi sermones, atque adeo morata oratio est, ut semper aliquid maneat, semper doceat, semper optimis moribus lectorem instituat: quanquàm nimius interdum hac in re nonnullis videtur, quod à rerū gestarum narratione (quod etiam Polybio obijciunt) ad philosophorum scholas, & longiores de moribus disputationes divertatur. Sed hoc ille forsitan sibi magis quàm alijs scriptoribus licere putavit, quoniam vitas scriberet: in quibus (ut antea diximus) nō omnia persequi oportet, sed duntaxat ea, quæ mores, & animum indicent. Ideoque vitarum scriptores parcius utentes alijs digressionibus, concionibus, adhortationibus, descriptionibus, amplificationibus ad huiusmodi, quæ ad vitam, morésque pertinent, disputationes liberius, libentiusque vagantur.

De cura verborum. CAP. XII.

RErum curam sequitur verborū ratio: quæ in verbis simplicibus, & coniūctis sita est. Et simplicia

verba

verba debent esse Latina, non peregrina. nam qui Grecè scribit, Italorum verbis non rectè utetur. debent etiam esse propria & usitata, quę rem maximè declarēt, quæq; facilè intelligantur, non aliena, inusitata, vetusta, obscura, & extra loquendi consuetudinem posita: quippe diluciditas cū in omnibus, tum in rerum narratione potissimum est necessaria. Ipsa est propria orationis virtus, sine qua nullam afferret utilitatē oratio. Seligenda prætera sunt verba gravia, rem exornantia, digna, & rebus apta. Postremò seligenda, quæ iucunditate, lenitate, elegantia, & nitore polleant: reijcienda verò aspera, exilia, vulgaria: atque ut fugienda est verborum humilitas, sic est abhorrēda (utar verbo Græco) hippotyphia, quam ingentem, & nimium fastum Latinè dixeris. Nec me latet alia esse nativa, alia reperta verba; sed facere, aut fingere verba puto non amplius nobis licere, quibus Latinus sermo perijt, nisi in his rebus exprimendis, quæ verbis Latinis notatæ non sunt, sicuti sunt tormentorum, munimentorum, navium, atque aliarum rerum genera veteribus ignota. Rebus enim novis nova verba imponenda sunt. in quibus fingendis aut analogiam aliquam sequemur; aut deducemus à Græcis, aut rerum naturam imitabimur, utemurque his verbis novis, quæ boni autores invenerunt & usurparunt. At coniunctio verborū fugato Solœcismo Latinitatem servet, & amet perspicuitatem sine ambiguitate, recto ordine, neque in longum dilata conclusione: tum apta iunctura lenis sit, & numeris opportunè cadentibus suavis, ac verborum & sententiarum pro rebus illuminata figuris. Et historico quædam sunt peculiaria verba, & dicendi modi minus ab alijs scriptoribus usitati. Nam mortales frequenter inquit pro hominibus, nō itidem orator, desiderati sunt, hoc est, perierunt satis illi frequens, non itidem oratori, pacificare, omnino verbum historicum est, pariterque frumentari, aquari, lignari, suspiciens pro suspectum habens dixit Salustius, & intestabilis pro infamis, & supplicia pro supplicationes, neque discordiosum verbum respuit amator vetusta-

tis. Tu tamen ne eruditionem & solertiam venditare iudiceris, vetusta verba ne exquirito; quando Salustius non effugit adversariorum reprehensionem, quòd vetustam orationem affectaverit. Multa quoq; historicus per infinitum modum incidit; quod à comicis, non adeò ab oratoribus usurpatur: sæpe etiam verba quędam reticet, sed, quę deesse facilè intelligantur, ut Dico, Respondeo, Gero, Sum, Facio; & multa sæpe membra ab uno capite per iugationem connectit. Præterea remotiores quasdam figuras excogitat, & propè ad sublimitatem poëticam accedentes. dum dicit Annibal ictus tragula femur, quod orator nunquam dicere auderet; & maior pars vulnerati, & singulari numero pro plurali, & tempore præsente tanquam præterito, & infinito verbo pro gerundio poëtarum more aliquãdo utitur. Nec frequens tamen, & audax in transferendis & cõformandis verbis, sed contentus esto his figuris, quæ tædium levent, non admirationem & satietatem afferant; quoniam decet historicam orationem gravem esse, philosophicam dignitatem quodam modo redolentem, & ad levandum fastidium cuiusdam poëticæ suavitatis participem, ornatamque mediocri cultu, ne officiat veritati nimius splendor elocutionis. Neq; in oratione solùm, verùm etiam in vita peccatur ex nimia cura, & appetitione, quam affectationem propè poëticam, & declamatori ę penè similem in Herodoto Lucianus advertit. Porrò genus orationis in historia esse debet lene, fusum, temperatum, & sine asperitate æquabile. Quod verborum concursu fiet neque horrido, neque hiulco, sed quodam modo coagmẽtato, ac levi sine vocalium inter se occursu, sine asperiorum consonantium commissura, sine verborum vitiosa traiectatione, labentibus opportunè numeris, & quasi fluentibus, molliterq; conclusis. Cùm autem fusum dixi, non diffusum verbis, nec sensis redundans intelligi volo (brevitati enim studet historia) sed, quod nimis concisum & minutum non est, quod non intempestivè exultat, neque subsidet, quod leviter, æquabiliterq; decurrit, & ut amnis quidam

dam molliter labens, non imbre crescens, & rapidè fluens ut torrens, omnib. in quadrũ redactis numerumque sententijs. Non enim ad irã, odium, cõmiseratione, invidiam concitare, sed docere instituit lectoré ea, quæ gesta sunt: decurritq; tractu ęquali secũ ducens lectorem, nunquam intersistens, nisi cùm illum respirare, & paululum quiescere longior cursus, aut res postulat, ubi quid perfectum est, aut ubi gravius aliquod negotium occurrit, ut gressum paulisper sistere oporteat. Nec omnia è numeris constabunt, nec erunt dissoluta numeris omnia: hoc rusticanum est, rude, & agreste, illud ambitiosum adeò atque molestum: & vitiosum est in soluta oratione carmen, quod Livius fecit illis verbis: Facturus ne operę precium sim; & alibi: Additur & Perusina cohors; & iterum: Hæc ubi dicta dedit, stringit gladiũ, cuneoq;: & Salustius, Iam q; dies consumptus erat. quanquã historica locutio propter verba quædã, figuras, & numeros à communi genere dicendi remotiores similitudinem habet quandam poëticæ dictionis. Quapropter Fabius Quintilianus illam affirmat esse quodã modo carmen solutum. Ergo verborum apta, & certis numeris moderata compositio fluet ipsa per se leniter, & numerosè, habebitq; omnia eodem fluxu & tractu deducta, & eadem moderatione, & simili iunctura coagmentata, atque contexta. Quod non ita aio, ut non pro dignitate cuncta explicentur: copiosius magna, pressius humilia dicenda sunt. In aciebus conferendis, in describendis prælijs, in exprimenda facie aliqua expugnationis sublimiores sentẽtię & verba quęruntur: cumque res pręclaræ attinguntur, & varietates fortunæ, & rerum humanarum vicissitudines, gravior tum etiam desideratur oratio. Aliter concionantis, aliter narrantis historici dictio instituitur, hæc tenuior, illa grandior, & quæ facultatem sapiat oratoriam. Meminisse tamen debet historicus semper generis sui dicendi temperati, lenis, fusi & æquabilis; ne multiplex & diversi coloris stylus, & deformis appareat, sibi totus incõstans, & varius, & errans. Atq; ut summatim,

& breviter dicam, Oratio debet esse rebus apta, & accommodata; pulchritudinem cuiusq; servans & magnitudinem: eaque satis probatur oratio, quę rei naturam maximè exprimit. Hæc de historica dictione breviter diximus, tum quia studiosius Rhetores dicendi fontes aperiunt, tum quia non minus valent ad bene scribendum exercitatio, & optimorum scriptorum imitatio, quàm ipsę Rhetorum artes & doctrinæ. Doctrina igitur, & exercitatione, & imitatione efficiendũ est, ut historiæ dictio plana sit, & ornata; quæ ab omnibus intelligatur, & probetur, & laudetur ab eruditis.

De partibus historiæ, Principio & Narratione.
CAP. XIII.

EXposita rerum & verborum ratione, nunc explicandæ sunt partes, quibus historia componitur. Sunt enim duæ, Principium, & Narratio. nam rarò aut nunquam utitur Epilogo. Principium intelligi volo, quod exordium alij, Græci melius prooemium dicunt, quasi aditum ad ipsam narationem non ipsius narrationis initium. Principium autem liberum est, & sæpe longè à materia ductum, cuiusmodi sunt illa Salustij, ac longè adeò deducta, ut quibusdã longius petita videantur. quod oratori in demonstrativo genere licere intelligimus, quoniã (ut Rhetores pręcipiunt) tunc est opus exordio, cùm erga nos bene afficiendus est auditor: cùm verò sua sponte paratus est audire, liberè tunc possumus exordiri, atq; interdum altius prooemium sumere. Verùm ita liberum esse debet exordium, ut cum ipsa re cohæreat: minus autem cohæret, cùm in alias quoque partes traduci potest. Vsus autem exordij in oratione (sicuti Rhetores docent) hic est maximè, ut auditoris animum ad reliquã dictionem præparet, benevolum, attentum, docilem faciendo. Lucianus verò principium historiæ nullam debere putat benevolentiam, sed attentionem solam & docilitatem captare; quia neque decet, neque necessum est auditoris favorem & gratiam venari

eum,

eum, qui res gesta apertè, & simpliciter narrare debet, & syncerè veritatem pronuntiare. Nullum ergo à persona ducetur exordium. Nam quæ à persona ducuntur (ut scribit Cicero) ad captandam benevolentiam valent. Atqui T. Livius ab aliorum scriptorum, & sua persona exorditur de illis magnificè, de se modestè loquens; & quæ de urbis Romæ principijs ab alijs dicebantur, ut penè fabulosa crederentur, illa se nec affirmare, nec refellere velle profitetur. Hæc quò, nisi ad benevolentiã spectant? ad arrogantiam nimirum, & invidiam à se depellendum? Neque id sentio, ut favor audientis petatur. nam aut veritati minus fidere, aut ad gratiam, & voluptatem scribere putabimur: quos decet non propriæ laudis, & commodi, sed communis utilitatis gratia historiam scribere. Præterea nulla scriptoris causa agitur: verùm si quod est nominis periculum, aut famæ, si qua odij, invidiæq; suspicio, hæc ego modestè declinanda, & repellenda existimo: nec ipse Lucianus repugnarit. Valet quoq; ad benevolentiam cùm causas aperimus, quibus ad scribendum impellimur: quod fecit Herodotus. Nam & è causis benevolentiam captari sentit Fabius Quintilianus. Etsi probè scio historiæ principij duo illa munera præcipua esse, attentionem, & docilitatem. Attentio fit cùm rei magnitudo proponitur; sic Thucydides scripturum se ait magnum bellum, & maximè omnium memorabile, quæ unquam antea gesta fuissent, cum res novæ, quod Polybius, & admiratione dignæ, quod Livius, & Herodotus polliciti fuerunt; cum ostenduntur coniunctæ cum auditoribus; cum ob fortunæ incredibiles vicissitudines iucundæ, cum utiles, & necessariæ demonstrantur. His enim rebus, atque his similibus docent Rhetores attentum fieri auditorem. At docilem facimus, cùm breviter ostendimus quam rem scripturi sumus, attentiusq; audit, qui docilis fit. Quod exordium haud malè opinor historiæ propositionem dixerim: cuiusmodi epicorũ est propositio, in qua finis poëticæ imitationis ostẽditur; ut lectores intelligant quò animum intendant. Neq;

hic opus est ulla divini numinis imploratione, quasi inaudita & incredibilia; & præter hominis expectationem & fidem narranda sint: licet Valerius Maximus (si is est modò in historicorum numerum recipiendus) Tiberij Cæsaris numen ambitiosè nimis invocarit. Et scitè Lucianus quendam irridet, qui à Musis exorditur. Nec splendida nimis & tragica sint principia, non maiora, quàm par sit, non vulgaria nimis & communia, non à re nimium aliena, atque disiuncta. Et sanè tunc procemium erit decenter magnum, neque productum nimis, neque correptum, quando rebus æquale, & consonum erit. Quidam existimantes principium liberum illud esse, quo pariter uti, & non uti possumus, Satyricorum more abruptè exordiuntur, & Xenophontem imitari se arbitrantes, qui sic exorsus est, Darij, & Parasitidis filij nascuntur duo, ignorantes quæ vim habeant exordij statim absque ullo procemio narrationem ipsam rerum incipiunt. Primum non intelligunt liberũ principium vocari, quod ad favorem audientis & benevolentiam spectat, eoque nos tum uti posse, & non uti, cùm neque à nobis alienus est auditor, neque ullum est in causa periculum. Quin ipsamet Satyra, quæ abrupta in initio videtur, semper aliquid habet loco principij: & deformis erit velut sine capite, sic absque principio trunca, & manca historia. Etenim licet nulla benevolentia, nullaq; attentione opus sit; tamen ipsam docilitatem semper necessariam esse duco, ut saltem lector sciat, quã rem velis narrare. Quis (& meritò inquit Aristoteles in Rhetoricis) probet, quod non proposuit? nec tu itidé rem aliquam cuipiam narraveris, nisi quam rem sis narraturus prius exposueris. Quis obsecro mentem ad rem aliquam attentè applicet, quam ignoret? sic docilitatem ipsa comitatur attentio. Et si inscriptio operis Suetonij futuram narrationem non significaret, quis principium illud, quò spectaret, intelligeret? Quare de hoc etiam exordio, quod Occultum vocaveris, dicendum est. Quando apertè non placet exordiri, tũ quædam proponenda sunt, quæ quasi aditum

parent,

parent, & muniant ad narrationem. quod tunc maximè fit, cùm causæ explicantur, quæ præcesserunt rem, quæ literis tradenda est, quo facilior cognitu reddatur: sic expeditionē Cyri scripturus Xenophon, prius ostendit ortum Cyri, & cum fratre dissidium, quod in causa fuit expeditionis. Non igitur illud, Darij & Parasatidis filij nascuntur duo, est expeditionis initium, sed ad ipsam expeditionem via & aditus. Et Cęsar, qui à Galliæ descriptione orditur, quid aliud quàm aditū parat ad bellū, quod scripturus est? Et apud Salustium post liberum illud in Catilinario principium: urbis & corruptorum civium morum descriptio, quamvis longius fortasse petita, viam instruit ad narrationem. Ad hæc docent Rhetores non modò in principio, verùm etiam interdum in medio cursu orationis licere, cùm gravior res inciderit, vel defessus fuerit iudex audiendo, aut docilitatem, aut attentionem, aut benevolentiam renovare. Quin Livius in parte operis secundo bello Punico præfatus est. Quod non arbitror licere nisi in longo opere & graviore quadam operis parte. Ipsa autem oratio non instructa & accurata, perinde ac oratoria, sed tranquillior & sedatior est in exordio.

De Narratione. CAP. XIIII.

RElicuum historiæ corpus est longa quædam narratio, ad quam lenis & mollis debet esse transitio. Differt autem historici narratio ab epica narratione poëtarum, nō modò quòd illa res fictas, hęc gestas exponit, verùm etiam quòd illa non ab ipsis rerū causis exorditur, sed interdum etiam à medijs, ac sæpe ab ultimis, hæc à primis orsa principium recto ordine ad finem usq; decurrit, illa confictarum personarū magis, hæc temporum servat rationem; illa artificiosum, hæc naturalem ordinem sequitur, ut in poëtica dictū est à nobis copiosius. At quæres unde narrationis initium ducat historicus? ex quo videlicet res geri cœpta est: & quod rerum gestarum est caput, hoc narrationis principium esse debet. Sunt autem causæ, quibus ad

agendum impellimur, aut si quid aliud videtur cum his esse coniunctũ. Exempli gratia: si bellum aliquod velis scribere, diligenter observatis temporũ momentis ab eius initio & causa, si alicuius vitam, ab eius natalibus; si res Romanas, à Romanorum origine; si ea, quæ in hominum vita hactenus contigerunt, universa literis complecti instituas, ab ipso mundi exordio narrationem inchoaveris. Et causæ quidem actis, acta eventis antecedunt, & quod quamque rem sequitur, id postponi necesse est: atque ita narranda sunt eventa, ut causę simul aperiantur: quas nemo nisi prudens cognoverit. Aio autem causas, è quibus petitur narrationis initium, proprias, non alienas, & proximas esse debere, non ultimas esse (ut antè diximus) repetẽdas. Extremum erit, quod ultimò gestum est, quodque finem rebus attulisse videtur; & semper quoad fieri poterit, nobili aliquo fine historia concludatur. Sanè imprudens scriptor ignorato rerum fine persequitur ea sæpe, quæ ab historia sunt aliena, ne dicam etiam inania & frigida: quæ & levitatem ostendunt historiæ, & scriptori detrahunt authoritatem. Quòd si ea, quæ finem insecuta fuerũt, illustria & digna publica memoria videbuntur, nec ab ipsa rerum natura adeò abhorrentia, breviter referri posse existimo, & quasi per transennam, ne longius quàm par sit, protrahatur historia. Cęterùm eum cursum & ordinem tenebis, quem cùm de collocatione rerũ loqueremur, exposuimus. Erit autem narratio lenis, æquabilis ac sui similis, & in catenæ morem connexa, si non res cumulaverit rebus, unde series & ordo perturbetur; sed inter se cuncta ritè, ordineque composuerit, secundum primo, secundoq; tertium coniungens, ne quis hiatus aut concavitas rerum appareat. Ac docet ipsa rerum natura, ut quo quidq; modo, loco & tempore gestum sit, eodem distinctè narretur. Iam Rhetores ipsi perspicuitatem, brevitatem & probabilitatem aiunt tria esse potissima narrationis officia: verùm historiam non modò probabilem, sed etiam omnino verã esse oportet. Brevitas fit verbis & rebus: verbis (ut Cicero inquit) sim-

simplicibus, semel unaquaque re dicenda, nulli rei, nisi ut dilucidè dicas, serviendo: quoniam brevitatis vicinum vitium est obscuritas: idémque alio in loco inquit; Sit igitur verborum tantum, quantum necesse est, nullum nisi necessarium verbum assumatur: rebus autem si non à primis utique initijs, & gemino (ut aiunt) ab ovo rem exordiamur, si aliena & ad rem nostram minus pertinētia omittamus, & minima negligentes ea quoque recidamus, quæ nullum detrimentum perspicuitati allatura sint. Et molestæ sunt earūdem rerū ab Homero usitatæ, reiectæ à Virgilio repetitiones. Nam in otiosis detineri ægrè fert is, qui ad eventa festinat. Nōnulli verbis breves, rebus sunt longiores, dū ea dicunt minutatim, quæ contrahi, & summatim referri possunt, velut exemplis Rhetorum docemur. Et quædam interim silere, quæ ex alijs intelligantur, prudentis est scriptoris. Contrà quidám ita breves sunt, ut totam rem penitus obscurēt. Profectò brevitas est non ut minus, sed ne plus dicatur, quàm oportet: eamque brevitatem ego divinam, & iucundam esse duco, quæ comitem habet diluciditatem. Quę ipsa diluciditas pariter quoque fit verbis & rebus, verbis quidem proprijs, propriè & dilucidè rem demonstrantibus, non ambiguis, nō longius translatis, tum etiam usitatis: nam obscura sunt, quę in usu non sunt. verborum quoque continuatione nec longa nimis, nec perturbata: Rebus verò, si, ut quodque primo gestum est, ita primò exponatur; nō erunt discerptæ sentētiæ, non præpostera tempora, non confusæ personæ, distincta omnia reb⁹, personis, temporibus, locis, causis. Præter hæc suavitate quadā est condienda narratio. nam quæ undique concisa, & inornata est, agrestis, horrida, & cōfusa videtur: ut & suavitas facit: ut breviora sentiantur, quæ delectant. Aspergendi quoque sunt interdum affectus quidam vel commiserationis, vel odij, vel admirationis. Desiderabunt aliqui præter has virtutes dignitatem, & magnificentiam: sed neque omnia similiter eundem splendorem admittunt, & amplitudido verborum solùm magnitudini rerum convenit, ne-

que attollenda humilia: neq; depriméda sunt gravia: atq; hæc est dignitas. Vnã ego præ cæteris virtutem in narratione suspicere, & admirari soleo, magnã dilucitatis procreatricem evidentiã, à Græcis dictam ἐνάργειαν, ita rem exprimenté verbis, ut non solum ad aures illam deferat, sed etiã sub oculos subijciat. Cuius illa sunt apud Sallustiũ, Spectaculũ horribile in cãpis patentibus sequi, fugere, occidi, capere, equi atq; viri affecti; ac multi vulneribus acceptis neq; fugere posse, neq; quietem pati, niti modò, ac statim concidere, postremò omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaverib. & interea humus infecta sanguine. Atqui dictio prudens, & morata sit, in qua civilis quædã sapiẽtia & honestas eniteat. Quas ob res historicus brevitatem in primis quæret purã, & illustrẽ, crebrasq; sentẽtias, & densas coagmentabit, exæquabitq; (ut Salustius loquitur) dicta factis orationis tractu leni, & temperato. Nos hæc breviter: ad Rhetores, qui plura.

De difficultate scribendi.
CAP. XV.

HIs, atque huiusmodi præceptis artificium historiæ componitur: quæ tum scriptorum authoritate, & exemplis, tum Rhetorum artibus, atque doctrinis confirmari possunt. Nunc demonstranda sunt ea, quæ in scriptore inesse debent, & scribendi simul difficultas aperienda, quæ meo iudicio gravis, & ingẽs est. Nam aut vetera scribimus, quorum memoriam ex scriptorum monumẽtis accepimus, aut æqualem memoriam ætatis nostræ persequimur. Si eorum, quæ ætate nostra gesta sunt, historiã scribere velimus, in magnas difficultates & pericula incurremus. Primum animi commotiones aderunt, quæ mentem huc, illucq; impellent, insurget amor suorum, contrà stabit inimicorum odium: è quibus reliquæ perturbationes oriũtur quæ cæcæ sunt, & finguntur, quòd iudicium impediant, ne videat quid deceat, quidq; honestum sit. Quarum tractatio eius philosophi mihi propria videtur, qui circa mores, virtutesq; versatur. verum oratores eã

sibi

ſibi ſumpſerunt, quoniam in illis ſedādis, & commovendis potiſſimum elaborarent. Sed ne aliò vagari videar, ad id, quod propoſitum eſt, revertar. Aio igitur affectus animi impedimento eſſe, quo minus rem ſyncerè narremus, & maximam virtutem eſſe in ſcribendo neque hoſtili animo eſſe in hoſtes, neque in ſuos amico, ſed in utranque partem æquo. Quòd ſi neutrius partis erimus, àquibus nam facta diſcemus? Odiorumq; diſcrimen non unius modò perſonæ, ſed etiam gentis & populi, non tibi videtur grave, ſi malefacta reprehenderis? Accedit quòd res ipſæ neq; omnes ab uno cerni poſſunt, neq; uno eodemq; modo ab omnibus narrantur, ſed prout quiſq; (ſicuti Thucydides inquit) aut in alterutros animo eſt propēſior, aut res geſtas reminiſcitur. Quis ad hæc hoſtium univerſa cōſilia (ut reliqua omittam) percipiat? quis etiam ſuorū? Eſto, multorū familiaritate utatur: at quàm multa occulta ſunt? quàm multa diverſo modo explicātur? Legi ego ſæpe literas vel clarorum virorū: in quibus longè aliter res ſcribebantur. audivi etiam illuſtres viros, interdum rem eandem non eodem pacto recenſuiſſe, aut quia rem ipſi non perinde aut alij accepiſſent, aut quoniam aliter affecti eſſent, aut quia non ſimili ratione conſilia exponerēt, aut quoniam ita ſentirēt. Diſſimiles quippe ſunt hominum ſenſus, nihilque eſt in humanis, quod affectu aliquo non corrumpatur. Illudque eſt luce clarius, ipſos principes viros, à quibus utpote rerum authoribus percipi poſſent conſilia, decreta, imperia, cauſæ, unde omnis eventorum pendet cognitio, ſui potius amantes, quàm veritatis, ſua, ſuorumq; benefacta potius augere, & errata contegere, quàm aliena. ac credibile eſt eos, qui principum familiares ſunt, ad ipſorum gratiam facilius inclinari. adeo in occulto eſt veritas. Quapropter deſino mirari, ſi veteres illi rerum ſcriptores inter ſe quandoq; diſſenſerint. Nec præterea minus arduum eſt aliorum ſatisfacere voluntatibus, quoniam (ut ſentit Saluſtius) plerique, quæ delicta reprehenderis, malevolentia, & invidia dicta putant, ubi de magna virtute, atq; gloria bo-

norum memores,quæ sibi quisque facilia factuputat æquo animo accipit,supra ea veluti ficta pro falsis, du cit. Quantus præterea labor videndi,interrogandi au diendi,notandi,scribendi? At verò fidei periculum mi nus timetur,cùm præterita scribuntur multorum tam literis,& opinionibus confirmata:quæ vel propter scri bentium authoritatem , vel antiquitatem olim apud omnes fidem obtinuerunt. Nam à libris tum fides,nō ab hominibus petenda est,nihil addendū, nihil demē dū,ita reddēda omnia,veluti accipiūtur. Sed tamē non modicæ impensæ fiēt in omnibus libris undiq; comparandis,nec parvus labor in his legendis insumetur. Quem laborē minuit typorū,quibus literæ imprimū tur,inventio,cęlestis quidē illa,& proculdubio divina, quæ tātas attulit humano generi utilitates,si nō multorū studia relaxaret. Siquidem permulti, quoniā indicem habent earū rerū,quæ libris continentur, quasi earum scientiā typorū præsidio consequuti sint,in legendo studiū,& in dicendo diligentiā remittunt,fiūtque scienter ignari,& graviter inprudentes. Quid, in tractandis historijs,& tot virorū monumentis cognoscendis,quo studio,quo labore,qua cura, & diligentia opus erit? Et quantis vigilijs,& lucubrationibus ea putas perfici debere,quæ immortalitati , & æternitati consecranda sunt?

De Historico. CAP. XVI.

ATque hæc in re:quæ verò in historico requirantur ex his, quæ dicta sunt,possumus intelligere. Lucianus prudentiam, & exercitationem in historico desiderat. Prudentiam vocat civilium actionum intelligentiam , qua causas perpendat , consilia investiget, quid temerè,quid ratione gestum sit dijudicet; & evē ta unde orta sint aperiat,& quid quamque rem sequatur doceat,constanterq; decernat quæ laudanda sint, quæ contrà vituperanda. Equidem si prudentia est rerum agendarum ratio, & hominum actiones historia complectitur,sancitque bonas, & malas veluti legum latrix

latrix, quis illas ritè expresserit, quis de illis iudicium suum bene tulerit, nisi vir prudens & expertus, multarumque rerum peritus? Quam prudentiam ille ducit esse donum naturę: verùm si præceptis ullis confirmatur, & docetur porrò virtus (ut doctissimi viri sensērunt) & historicus informandus illis est. Quæ quoniam à philosopho morali petuntur, non equidē natura modò, sed etiam doctrina & usu prudentem historicum quæro, non vulgarem & rudem atque indoctum rerum humanarum, qui ineptias, fabellasque conscribat. Tum si Rhetores oratorem illum suum bonum volunt, cùm veritatem quandoque obvelet, cùm multa comminiscatur, cùm multa sæpe dissimulet, cùm sæpius ad gratiam, & voluptatem loquatur, ipsorummet Rhetorum præceptis atque artibus instructus, non ego bonum historicum desiderabo? non libidini emancipatum, non cupidum auri, non inanis gloriæ appetentem, sed modestum, liberalem, virtutis studiosum, &, quod maximè ad syncerè scribendum valet, nullis affectibus servientem, qui nec metuat quenquam, nec ab ullo quicquam speret, vel si Alexander sicut in Clytum acerbus existat; vel tanquam Luceius à Cicerone etiam atque etiam rogetur ut vehementius res suas ornet, quàm sentiat, in eoque leges historiæ negligat, sed tanquam bonus iudex, & incorruptus censor libero & æquo animo vitia damnet, virtutesque commendet: ne veluti Salustius à Dione Nicæo reprehendatur, quod ijs ipse vitijs sit inquinatus, quæ in alijs carpit. Prætereà solertem illum volo in inquirendo, optoque illi intelligens in eligendo, & collocando iudicium. Ad hæc multis artibus eruditum, scribendique doctrina apprimè imbutum. Nam pręter moralem philosophiam quis non videt illi geographiam esse perdiscendā, cui describenda sunt loca, urbes, populi? atq; ad hæc ipsa utilę esse peregrinationem, & artē pingendi, quo fidelius & clarius exprimat ea, quę descripturus est loca. Illi quoq; utiles sunt artes eæ, quæ bello, quæ civilium rerū administrationi, quæ reliquis humanę vitæ usib. necessariæ sunt. Et

ne artes omnes,& doctrinas subijcere uni videar, unã artem oratoriam non dicam historico utilem,sed propriam illius puto,non solùm in concionibus,quę dicendi artificio componuntur,sed etiam in reliqua dictione. Quæ dictio exercitatione,& stylo,qui est bene scribendi magister, comparatur simul,& confirmatur semper ad optimorum scriptorum cõformanda imitationem:quorũ vestigia servantes ab omni reprehensione tuti simus, & parem,si Deo placet, laudẽ consequamur. Illa verò quid opus est dicere, quæ per se ipsa nota sunt, ut tempus sit,atq; ocium, ne alijs curis, & negocijs occupetur animus, & impediatur? Nam Ciceroni historia neq; institui potest nisi præparato ocio,nec exiguo tempore absolvi. Et quod ille de se ipso, hoc de se quisq; ingenuè fatebitur, quod animi pendere solemus, si aliò traducimur,cùm semel quid orsi sumus, nec tam facilè interrupta cõteximus, quã absolvimus instituta. Cæterùm bonam valetudinem, ingenium ad historiam,facultates,& opes,& quę sunt huiusmodi,quæ alij artifices in fingendis suis ponere solent, quoniam per se cuique nota sunt,omitto:quæ ut adsint pluribus monere nõ tam esse prudentis mihi videtur sępe,quã ignari quid dicat, & rebus supervacaneis redundantis. At bene Plutarchus ei,qui scripturus est historias, sentit illustrem,& opulentam urbem incolendam esse, ac præcipuè liberalibus artibus florentissimam,tum ob copiam librorum,tum ob nobilium virorum consuetudinem. & mihi eorum,quæ scribuntur,nõ modò cognitio,sed etiam usus,& experientia pernecessaria videtur,ut bene prudenterq; scribantur. Si prudentiam igitur spectemus, si mores,si nitorem orationis, si multarũ rerum doctrinam,intelligemus summi oratoris in dicendo, & magni ac prudẽtis viri in sentiendo esse historiam scribere: ut meritò historici doctissimorũ hominum iudicio sapientes semper existimati sint. Nihilominus quod de poëtis Horatius:

Scribimus indocti,doctique poemata passim,

De historicis idem dici potest. Nam communi quodam

dam morbo ſicut Abderitæ (quemadmodum iocatur Lucianus) omnes unà laborare videmur. Omnes enim cùm bellum aliquod geritur, ad ſcribendum ſeſe cōferunt vel ignari unde incipiendum, ubi finiendū, quæ dicenda, quæ omittenda, quo ordine ſingula exponenda, qua arte coniungenda, quo ornatu veſtienda ſint. Patet igitur quantum hi fallantur, qui putant nullum eſſe artificium hiſtoriæ. Neq; ſi prudens vir hæc per ſe ipſe percipiat, nulla erit hiſtoriæ ſcribendæ ratio & doctrina. Nam quid aliud eſt doctrina, quàm ſummorum virorum legibus inſtructa, & conformata prudentia?

De legenda Hiſtoria. CAP. XVII.

ET magni quoque viri eſt, prudentis & boni, veros fructus ex hiſtoriarum lectione colligere: qui videlicet rationes rerum divinas, humanasq; percipiat, qui ſeligat morum optima documenta, qui eadem, qua vitam ſuam, honeſtatis norma & regula, aliorum facta metiatur, in quo multa locorum cognitio, mira virtutum, vitiorumq; ſcientia, ſingularis magnarum rerum doctrina & eruditio inſit. Quòd ſi Ariſtoteles non ſolùm ętate iuvenes, ſed etiam moribus reijcit ab ethices lectione, quòd ex affectu vivētes, & rudes vim eius perſpicere non poſſent, & nos eoſdem iuvenes ab hiſtoria excludemus hoc certè magis, quò difficilius eſt agendarum rerum proprias rationes, quàm communes cognoſcere, & uſus eſt ipſa cognitione pręſtantior: Non enim hiſtoria ad delectationem, ſed ad utilitatem quæ ſita eſt, ut vivendi rationem exemplis doceret, quæ potiora ſunt ad movendum, quàm verba, ſiquidem homines vehementius imitatione excitātur. Sed alij glorioſis quibuſdam nominibus & factis ſolū delectantur ad colloquendum magis, quàm ad agendum parati: alij ſola hiſtoriæ ſuavitate capiuntur: paucos movet ſapientiæ ſtudium, æmulatioque virtutis, quoniam pauci honeſtatis faciem & pulchritudinem vident. Neque moralis philoſophia ſola cognitione contenta eſt, & qui ad philoſophiæ præcepta exempla

adiunget, is magnos fructus ex historia capiet, ac perfectam & absolutam sapientiam consequetur. Quod præstantes illos viros fecisse certum est; qui ad magnorum hominum imitationem se ipsos effingentes aut similibus, vel dissimilibus, contrarijsve exemplis tanquam regula admotis quæ agenda, quæ negligenda essent, acriter respexerunt. Quamobrem si non ad movendos affectus & leniendos, sicut poëtica, sed ad regendum animum pertinet, non cuiusque est, sed magni & prudentis hominis historiarum tractatio; & historias qui prudenter scripserit, utiliter etiam legerit. Et bene Quintilianus, Historiarum (inquit) diligens lectio, non tamen usque ad supervacaneum laborem occupata: persequi quod quisq; unquam vel contemptissimus hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ aut inanis iactantiæ est, & detinet atque obruit ingenia melius alijs vacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Ergo in notandis temporibus, populorum ingenijs, moribus civitatum, in animadvertendis rerum consilijs, actis & eventis, in discendis excellentium hominum factis & nominibus, colligendisq; facetè, graviter & sapienter dictis, quæ vocāt ἀποφθέγματα, & in his, quę valent ad perfectam vitæ rationem & elegantiam doctrinæ, ad imitationem virtutis, & fugam vitiorum, non in levibus rebus & inanibus historiarum prudens lector occupabitur. Qui quidem historiæ fructus & utiles sunt, & suaves: ut quanta in scribendo est difficultas, tanta sit in legendo utilitas vitæ, animique voluptas.

FINIS.

De historica facultate

CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE IVRISCONSVLTO LAELIO TAVRELLO. FRANCISC. ROBERTELLVS S. D.



On dubito, quin, quamvis occupatissimus sis, libelium hunc nostrum, quem proxime scripsi, de ea facultate & artificio, quod in scribendis historijs requiritur, libenter sis lecturus. Id verè ego tum spero humanitate tua fretus singulari, tum ut confidam, faciunt magna tuæ erga me benevolentiæ signa, quæ mihi antehac perspexisse videor. Ardeo sanè cupitate incredibili aliquid scribendi, quo quantum tibi debeam apud homines testatum relinquam. sed nimirum ita nunc occupata sum opera, & impedito animo, ut nullum mihi vacuum relinquatur tempus. Leges igitur in præsentia libellum hunc meæ erga te præclaræ voluntatis, & observantiæ testem, cùm multis ante propè subnegaßem, nunc non tribuere non potui, cum ijdem, tuæ tutelæ subiectus ut exiret, postularent. Eum verò ego ordinem in disputando servavi, quem Aristoteles ipse in Rhetoricis tenuit scribendis. sic enim quam planißimè & minimè vulgari modo, eam totam rem scribi poße existimavi. Omnia præterea quæ à me in hoc genere scripta sunt, ita sum commentatus, ut neque mania scrutari, neque omnia

curiosè consectari voluerim, sed prorsus ad artem, & μέθοδον illam praeclaram redigere totum hoc scribendi genus conatus fuerim, ut nova veluti quaedam peculiari nomine à caeteris distincta extaret facultas sive ars historica. nam qui de eadem re aut tam accuratè scripserit, aut eo ordine quo nos, planè novi neminem. Quòd si intellexero te doctissimum virum à me prorsus non dissentire, aut, si rem minus aliquam probabis, gratam tamen hanc meae erga te observantiae testificationem tibi fuisse, mirum in modum laetabor. Sed omnino huic disputationi nostrae, ex animo: sin minus, humanitatis causa, suffrageris velim, ut unà cum plurimis & quàm ornatissimis tuis de me iudicijs etiam hoc extet. nihil enim mihi ad omnem laudem illustrius, aut ad commendationem maius, per quam optimo ac Max. Duci Floren. C O S M O Med. indies gratior acceptiorque sim (id enim imprimis mihi optatissimum est) contingere posse puto, quàm si me à te amari, & probari intellexerit. Is enim multum tibi tribuit, & tam amplis honoribus, atque praemijs propter innumerabiles & maximas virtutes tuas, ac singularem sapientiam & doctrinam te decoravit, ut non olim apud Alexandrum Augustum Ulpianus, aut alius quivis apud maximos Reges & principes honoratior unquam fuerit. Vale. Pisis. IIII. ante Cal. April.

M. D. XLVIII.

NVNC

NVNC dicendum qualis sit Historica facultas (sic enim in præsentia libet appellare) quem habeat sibi finem propositum, quam materiam subiectam. Ac de fine primùm: nam cætera facilius cognoscentur. Proclus doctissimus Platonis interpres, in suis Quæstionibus poëticis refellit nõnullos, qui poëtices finẽ esse statuebãt oblectationem, asseritq; finẽ ipsius esse, imitari: quod hac ratione satis probabili cõfirmat. Omnis poëta imitatur: ergo finis poëtices dicẽda est ipsa imitatio. quasi normã quandã ac viam nobis ostendat doctissimus vir eo loco ad inveniendũ cuiusvis artis & facultatis finẽ, ex eo, quod perspicitur quælibet ars agere. Alia est ratio inveniendi finis in qualibet arte & facultate, quam mihi videtur Aristoteles secutus in Rhetoricis ad Theodectẽ, cùm ait; Finẽ Rhetoricæ facultatis esse perspicere, quid in unaquaq; re probabile sit: idq; exẽplis confirmat, tum medicæ artis, tũ Geometriæ. Hæc verò posterior ratio indagãdi finis ad id respicit, quod quælibet facultas & ars docet. sed nos priorẽ sequẽtes dicimus: Historicæ facultatis finem esse narrare, historicumq; ipsum, narratorem quendã & explanatorem. *Historiæ finis.* *Historicus.* Et quoniam narramus & explanamus aut res, quæ naturales sunt, aut quæ ex opificio aliquo proveniũt, aut quæ ab hominibus geruntur: non earũ quæ primo & secundo loco à me dictę fuerũt, sed quas ipsi homines gerũt. Lucianus Samosatensis priorem rationẽ secutus, in eo libello qui inscribitur πῶς δεῖ γράφειν ἱστορίαν, finẽ historiæ cõstituit ut iuvet, τὸ χρήσιμον, quod Græci vocant, non τὸ τερπνὸν. nam illud ex veritate, qui ultimus est finis proficiscitur. Quòd si per se subsequatur τὸ τερπνὸν nõ extrinsecùs adductũ aut accersitum, id quoq; magnopere ad Historiam spectare. Hæc ita Lucianus exposuit, bellè quidem & doctè: nos verò aptè hæc cum superiorib. coniungi posse existimamus (nam officium & finis affinitatẽ inter se habent maximam) ut dicamus, historiæ finẽ esse narrare res gestas uti gestę fuerint, iuvãdi gratia. Quòd si res ita sese ha- *Historiæ finis.*

bet, patet historiæ finem esse narrare res gestas, uti gestæ fuerint, iuvandi gratia, ex quo etiam patet historici esse, narrare γεγενημένα. nam non est effictor rerum, sed explanator: atque ut verbis Luciani utar οὐκ ἔστιν αὐτῶν πραγμάτων ποιητὴς, ἀλλὰ μηνυτής. Hinc verò tam multa incommoda emanarunt. Nam dum maxima historicorũ pars ipsam narrationẽ prætermittens τῶν γεγενημένων: insistit nunc huius, nunc illius viri laudibus: aut sæpe etiã studet hostes adducere in contemptionem, suorũ magis, quàm illorũ studiosus, fœdissimè corruptũ fuit totũ hoc scribendi genus. Non minus igitur verè quàm politè fuit à Cicerone dictũ in Bruto; historiam esse factam mendosiorem laudationibus funebribus, & domesticis aliquarũ familiarum. nam ita factũ est, ut falsi consulatus, falsi triumphi recenserentur. In utroq; peccat aliquando Livius noster, dum plus nimio Romanorũ laudi studet, & hostium gloriã oppugnat. Quid enim opus fuerat quodam in loco de Gallis, quæ gens fortissima, & honoris appetẽtissima semper habita fuit, illud tam iniquo & exulcerato animo proferre, eos dulcedine vini allectos, primũ in Italiæ alpibus subiectam planitiem venisse, locaq; multa occupasse. Sed multi qui historiam scribunt, planè ignorãt qua in re historica facultas poëticæ dissimilis sit. nam poëtice considerat tantũ τὸ δόξαν, & illud, quod Aristoteles vocat εἰκὸς, id est, verisimile. Si igitur sibi proponat uirum aliquẽ laudandũ, potest ꝑ suo iure illa proferre: Os Iovi, humeros Marti, pedes Mercurio similẽ esse. Ad historicã verò facultatem si hæc applicentur, cùm ipsa habeat sibi propositũ τὸ ἀληθὲς, & τὸ γεγενημένον, nihil aliud fuerit historia, quàm pedestris quædã poëtice. Iam verò summatim ut dicam, historicorũ mẽdacia aut confinguntur κατὰ τὸ εἰκὸς (nam ne verisimile quidem recipit historia) ut si quis dicat, hostiũ quinquaginta millia cæsa, ex nostris duos cæsos, tres vulneratos. Aut cũ longissimè discedunt à verisimili, ut si quis afferat, imperatoris clamorem tantum fuisse, ut illius voce perculsi octo simul interierint, neque aliundè quàm ex inscitia indoctorum

rum

rum,aut ex adulatione improborum hominum proveniunt. Quorum utrum turpius ſit,planè nondum conſtitui,cùm utrunque ſit turpiſſimum exemplum. inſcitię hoc poterit eſſe, Siquis urbem aliquam in litore poſitam in monte dicat;hoc enim portento ſimile eſt: quaſi aliquis urbes loco ſuō dimoveat, & veluti Hercules Athlantem montem humeris, ſic ille oppida tranſportet. Non ſine riſu nuperrimè legi in cuiuſdam Germani Geographia Piſanæ urbis, in qua nunc ſumus, mœnia mari ablui. Adulationem in hiſtoria Alexander Magnus uſquē adeò deteſtatus eſt;ut Ariſtobuli librum in amnem proiecerit;idemque dixerit, cupere ſe aliquando poſt mortem redire ad vivos,ut perſpiceret, an homines ſe poſtquam è vita ceſſiſſet tantopere laudarent.Extimeſcebat quippe Rex ſapientiſſimus teterrimū hoc portentū, quod iamdudum appello ADVLATIONEM. Eſt doloſum, vafrum, ac veritati maximè infenſum; vivosque vorat homines, corvis multò nocentius, qui cadavera tantùm edunt. Quantoque quis potentior & opulentior,tanto illi maius ab hoc portento imminet periculum.Vſq; adeò autem cum Adulatione eidem Alexandro colluctandū fuit,ut niſi ſibi diligenter conſuluiſſet, Statuarius veluti quidā Adulationis emiſſarius montēAtho,qui tāta eſt altitudine,ut eius umbra pertingat Lemnon inſulam,in illius effigiem effinxiſſet. Præterquam quòd ex inſcitia & adulatione mendacia oriuntur; eſt & aliud quoddam in hiſtoria vitij genus,quod RETICENTIA appellatur:cui(ſicuti teſtatur Cicero)pœna eſt à iuriſconſultis conſtituta.Eo apud nos vitio laboravit Saluſtius in coniuratione Catilinæ deſcribenda;nam quòd Ciceroni actę à ſenatu fuerint gratiæ;quòd pater patriæ dictus;quòd eius nomine ſupplicatio decreta;quòd illi Capuæ à Decurionibus ſtatua inaurata fuerit erecta; Hæc omnia,quæ veriſſima erant;&multum ad Ciceronis gloriam ſpectabant,odio adductus reticuit.Reticere fortaſſe nonnulla licet, quæ proferantur, neque multum augeant hiſtoriæ dignitatem, & plurimùm detrahant

menti aliorum laudibus. Ea igitur aptissimè usus est Thucydides libro viij. ubi narrat quidem Antiphontē rhetorem, virum disertum, solvendæ Atheniensium Democratiæ authorem extitisse; subticuit tamen ultimo supplicio affectum fuisse, eiusque cadaver, ut à feris discerperetur, proiectum; voluit scilicet hoc condonare suæ erga præceptorem pietati, à quo fuerat in arte bene dicendi institutus. Testatur Aelianus libro decimo ex Critiæ libro, Archilocum propria vitia, & probra patefecisse, quę si ipsemet nō protulisset; pauci admodū scivissent. nam se ex serva natū, inopia coactum ad Thasios venisse; eosq; paulò pòst omnes in se irritasse; eo fuisse ingenio, ut de amicis nō secus, ac de inimicis obtrectâret; se demū quod multò maius, & magis turpe est, in adulterio deprehensum & fugientē è pręlio clypeū reliquisse. Possūt planè hęc aliquando, aut ego fallor, sine reprehēsione sileri; sed reticere ea quæ ad augendā viri alicuius gloriam spectant, in re aliqua bene fortiterq; gesta, hoc prorsus improbi ac flagitiosi est hominis. Et quoniam mendacia ac fabulas diximus ab Historico imprimis evitari debere, videndum, quid de Thucydide & Herodoto scriptū reliquerit Marcellinus doctissimus rhetor. Sunt autem fermè hæc: ὅπου τὸ μὲν παρ' ἡροδότῳ καὶ ὁ δελφίς ἐστιν ὁ φιλήκοος καὶ ἀρίων ὁ κυβερνώμενος μουσικῇ, καὶ ὅλως ἡ δευτέρα τῶν ἱστοριῶν τὴν ὑπόθεσιν ψεύδεται. ὁ δὲ θουκυδίδης οὐδ' ἀναμνησθῇ τινος περιττοῦ, ἀλλὰ μὲν τὴν ἀνάγκην λέγει, διηγεῖται δὲ μόνον εἰς γνῶσιν τῶν ἀκουόντων. Idem Thucydides cautius viperino sanguine vitat veterum fabulas. quod ut facilius intelligatur, proferam ipsius verba, quæ sunt libro sexto, ubi de Cyclopibus & Læstribagonibus loquitur: παλαιότατοι μὲν λέγονται ἐν μέρει τινὶ τῆς χώρας κύκλωπες, καὶ λαιστρυγόνες οἰκῆσαι, ὧν ἐγὼ οὔτε γένος ἔχω εἰπεῖν οὔτε ὁπόθεν ἐσῆλθον, ἢ ὅποι ἀπεφάρησαν, ἀρκείτω δὲ, ὡς ποιηταῖς τε εἴρηται, καὶ ὡς ἕκαστός πῃ γινώσκει περὶ αὐτῶν. Itidem libro secundo, ubi recenset Therei & Procnes fabulam. Satis opinor, hactenus declaratum à me fuit, Historicum explanatorem quendam & narratorem esse rerum, ut gestę fuerunt: ideoque

que illi imprimis dandam operam, ut veritatem omnibus in narrationibus suis persequatur, & mendacia vitet; quæ unde proveniant, & qualia sint, apertè demonstravi. Quoniam verò historicæ facultatis finem quoque esse diximus, ut iuvet, hóc ipsum, quale sit, breviter explicandum. atque hinc primùm exordiar. Historia rerum memoriam conservat; iuvat igitur. quis id non videt? Plato in Phædro sub finem copiosè declarat, multisque probat rationibus, quas ego, ne longior sim, prætermitto. Idē Plato in Timæo, ubi sermones refert Aegyptij sacerdotis, habitos inter eum & Solonem, dum antiquitatem omnem persequitur: illum prorumpentem inducit in hæc verba, magna cum indignatione: ô Solon, Solon; vos Græci semper pueri, iuvenisq; semper vobis est animus, in quo nulla est vetustatis cognitio, nulla cana scientia. Pueros ignaros historiæ appellat: nam sicuti pueri neque hominem ab homine (nam omnes Patres vocāt) neque rem à re dijudicant: sed sensu tantùm moventur, nihilque, quod procul sit, cogitatione complecti possunt: neq; præterita respiciunt; neque futura prævident. Sic de eo existimandum omnino, qui historiam & antiquitatem non novit: longamque seriem annorum & rerū gestarum non percepit animo. quid enim hic aut recensere potest in consultatione maximarum rerum, aut quid habet in promptu, ex quo futuros perspiciat eventus? Planè rudis, planè hebes, planè puer, imò infans dicendus. Insita est animis hominum vis reminiscendi, ac præterita, & absentia recolligendi animo, quamvis longissimè absint. Hanc qui non excolit; qui non exornat, qui non exercet, haud equidem scio, an homo dicēdus sit; cùm eam negligat partem, quæ in homine maximè excellit; neque brutis inest. Prudentes facit historia, iuvat igitur. An hoc eget probatione? dicā tamen, ut res tota facilius intelligatur. Qui in tractatione literarū versantur; & philosophi, qui de moribus agunt; & poëtæ, & historici unum hoc sibi videntur habere propositum, ut iuvent. Et iuvant mehercle, sed diversa ratione. Philosophus

finem homini constituens felicitatem: qualisq; sit exponens, docet, quo eam consequamur modo, ostensq; virtutem esse vitiorum utrinq; (ut Horatius adensq; virtutem esse vitiorum utrinq; (ut Horatius ait) redactam; perturbationesq; animi procul fugiendas; qualé que sit vitę genus eligendum, demõstrans, homines paulatim à vitijs ad virtutem revocat, atque ita effingit, ut nihil laudandũ putent, nisi sit cum virtute & honestate coniunctum. Studet idipsum assequi etiam poëta suis imitationibus tum Comicis, tum Tragicis: id autem qua fiat ratione, satis est à me in Poëtice declaratum. Historicus quoq; huic est uni rei intentus; exemplis hominibus satis proponés ac suadens, quid sit honestum, quid utile, quid turpe, quid inutile; multò fortasse plenius ac melius, quàm philosophi. Oratio autem cùm duplex sit, qua aliquid persuademus, altera, quæ exemplis contexitur: altera quæ enthymematis conficitur: affert hæc quidem animis audientium maiorem fortasse vim: nam maiore cum impetu ruit; & est, ut ait Aristoteles in Rhetor. θορυβωδέστερον: At quæ exemplis suadet multò lenior est & apertior, fluitque quadam cum suavitate, ac in intimos animi recessus illabitur. Quærit in Probl. Aristoteles, Cur homines exemplis magis gaudeant, quàm enthymematis, affertq; rationem, quæ illic facilè legi ac cognosci potest copiosius, nam ego brevitatis causa non profero. Quatenus autem ad philosophos & historicos pertinet, Si quis antè universalia à philosophis perceperit; postea eadem singillatim recognoscat apud Historicos in singularibus; hic quidé est primus discendi modus: si verò singularia primùm ab Historicis didicerit, eadem postea in universalibus agnoscat philosophorum præceptis, alter est & hic discendi modus. Vterq; igitur & Philosophus & Historicus optimus virtutis ac prudentiæ magister est: qui enim animum habuerit imbutum optimis præceptionibus; qui multa legerit, multa audierit, is prudens sit planè necesse est; non secus, ac qui multa fuerit expertus, tanquam alter Vlysses. nam & eo modo, sed illiterato (ut ita dicã) & indocto paratur prudentia. Iam verò

rò si poëtarum tragicorum ὑποκρίσεις movent, animosque inflectunt ad commiserationem, metum, religionem, mansuetudinem, & omnem deniq; virtutem incitant; quantam deniq; vim credendũ est inesse historiæ? nam si ὑποκρίσεις hoc haberit ab historia (homines enim cognoscentes ea, quæ vera sunt, facilius credunt similia vero) quanta demum ea censenda est utilitas, quæ ex historia percipitur, in qua rerũ humanarũ vicissitudo, fortunæ inconstantia, regnorũ eversiones, urbium vastationes, hominum cædes, eorundem ambitio, libido, avaritia, liberalitas, fortitudo, ingenium, prudentia, calliditas perspicitur? Adde quòd, qui historiam scribunt, si quando magna repentè morborum vis aliqua eruperit, non quidem ęgrotationes, quæ, cùm sanguis corruptus est, aut pituita redundat aut bilis in corpore, nascuntur, sed eos morbos, qui graves ac mortiferi sunt; quorum contagione, cùm latè serpant, sæpe infici solet tota civitas & regio aliqua, si quando eluviones, incendia, motus terræ, ignium eruptiones & aquarum, urbium subversiones, montium ruinæ, fluviorum inundationes acciderint, & eluvionum & incendiorum & pestilentiæ eventum simul omnem, & causas singillatim persequuntur, ut, quoniam certo temporũ intervallo aliquando propè infinito, ex siderum consensu, ut nonnulli putarunt, rursus ingruunt; posteri discant saluti suę diligentius, & cautius consulere. Id quod est prudentissimè à Thucydide factũ: nam in eo genere pestilentiæ recensendo, qua universa Græcia vastata fuit, tam diligens est, ut non doctius aut melius ab Hippocrate ipso recenseatur. Hæ sunt magnæ ac multę vtilitates, quas affert historica facultas. Nunc quoniam hactenus de illius fine satis multa à me dicta sunt, reliquum est, ut breviter cõsideremus, qualem habeat sibi materiem subiectam. Qualis historicæ facultati materies subijciatur, ex qua opus suum conficit, facilè intelligemus, si qualis ipsa sit, & quam sequatur, habuerimus antè perspectum. Subnectitur historica facultas Rhetoricę, estque una eius pars seu particula, quod antequam

probem, prius dicam hactenus, ut opinor, inaudita, neque ab aliis, quod equidē ſciam, prius dicta. Sext. Empiricus Græcus author, qui literis mandavit omnia Pyrrhoneorum dogmata, aſſerit, hiſtoricæ facultatis nullam eſſe μέθοδον certam; omniumque veterum de ea re conatur ſententias refellere. Tauriſcus Cratetis auditor, quemadmodum & alii Critici, eam ſubnectit Criticæ, id eſt, ei facultati iudicandi, quam vocant γραμματικήν. Criticæ autem partes eſſe tres, λογικὸν, τριβικὸν, ἱστορικὸν. λογικὸν στρέφεσθαι περὶ τὰς λέξεις, καὶ τρόπους γραμματικοὺς, τριβικὸν περὶ διαλέκτους: ἱστορικὸν περὶ προχειρότητα τῆς ἀμεθόδου ὕλης. Hæc ille, ex quibus ſatis intelligas, voluiſſe Tauriſcum Hiſtoriam ſubiungere Grammaticæ. Aſclepiades quoque eandem eſt ſententiam ſecutus. & Dionyſius Halicarnaſſeus; Ait enim τὸ ἱστορικὸν, τὸ περὶ τὰς γλώττας, καὶ διὰ τοῦτο γραμματικῆς εἶναι μέρος. Sed urget Sext. Empiricus his rationibus. Ait enim: Grammatice eſt ars, & methodo continetur; ſed hiſtoria eſt quiddam ἀμέθοδον; ideo non poteſt dici pars Grammatices. Sequitur alia ratio, quæ eſt huiuſmodi: Hiſtorica facultas οὐ λέγεται ἀπὸ καθολικῆς τινος μεθόδου, καὶ τέχνης δυνάμεως, ſicut medicus, qui non conſiderat τὸ ἐπὶ μέρους ὑγιεινὸν, καὶ νόσερον: ſicuti etiam muſicus, qui non reſpicit ad τὸ ἐπὶ μέρους ἡρμοσμένον, καὶ εὐάρμοστον, ſicut & ipſe Grammaticus, qui poteſt ἀπαγγέλλειν ἀπὸ τινὸς καθολικῆς μεθόδους, καὶ θεωρίας. Sed quoniam hiſtoria πάντων τῶν κατὰ μέρος ποιεῖται ἀνάληψιν αὐτοῖς κατὰ μέρος, nulla continetur artificioſa methodo. Probatur idem alia ratione magis firma in huncfermè modum: Hiſtoria alia eſt τοπική, alia περὶ τὰ πρόσωπα, alia περὶ τὰς πράξεις. Quòd ſi narratio & explicatio locorum & temporum non eſt μεθοδική, neque illa fuerit, quæ circa perſonas & actiones verſatur; ut ſi quis narret Hymettum montem in Attica eſſe: Platonem natum Olympiade XCII: eundem Platonem fuiſſe Philoſophum, & antè vocatum Ariſtoclem: cumque adhuc adoleſcens eſſet, in perforata auricula geſtaſſe τὸ ἐλλόβιον: Vel ſi quis recenſeat Pythiadem Ariſtotelis filiam tribus

alia χρονική

bus nupsisse viris, Nicanori primùm Stagiritæ: deinde Procleo, qui ex Demarato Lacedæmoniorũ rege fuit oriundus, qui ex ea liberos suscepit duos, Procleum & Damaratum, qui philosophiæ operam dedit: tertiò illam nupsisse Metrodoro medico Chrysippi Cnidij discipulo, Erasistrati explanatori, qui filium ex ea genuit Aristotelem. Talium quippe narratio nullam in se methodum habet, neque τεχνικὴν (ut Sextus Empiricus ait) ἐμφαίνει δύναμιν. Ex quo patet illud esse verissimum, Historiam nullo contineri artificio. Est & alia ratio. Eorum, quæ infinita sunt, neque certo numero possunt colligi; eorum quoque quæ ἄλλοτε ἄλλως γίνονται, non est ulla certa methodus οὐδὲ τεχνικὴ γνῶσις: Historiam verò patet esse eiusmodi, est enim ἄπειρος κατὰ πλῆθος, & non sibi consentiens propter variam de eadem re multorum narrationem. Sed velit, nolit Sext. Empiricus, cogitur fateri, hoc unum in historica facultate μεθοδικὸν esse & artificiosum, quomodo rectè scribatur; nam hoc habet à Rhetorica. Fatendum quidem est, si eo scribatur modo, quo à veteribus primùm cœpit scribi, Historiam esse prorsus ἀμέθοδον, neque referri ad Rhetoricen. Erat enim Historia nihil aliud (ut ait Cicero libro secundo de Oratore) nisi annalium confectio; nam res singulorum annorum memoriæ publicæ retinendæ causa, mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; Atque ij Annales maximi nominabantur; sed si copiosè, distinctèque & ornatè scribatur; si mores alicuius, & oratio effingantur, (quod in concionibus fieri solet, & primùm à Thucydide factum fuit, ex eo, quod verisimile est, & decens. Vnde est à Luciano politè dictũ: Licere Historico in concionibus ῥητορεῦσαι, id est Rhetorico more loqui,) planè est affirmandum, ex Rhetorice enasci historicam hanc facultatem. Rhetorice historicam parit atque alit tanquam mater; Ea rursùs Rhetoricæ tanquam optimæ matri, à qua fuit educata, parem gratiam refert, & ut Græci aiunt, ἀντιπελαργεῖ. nam sup-

peditat exempla, ex quibus suas argumẽtationes conficit Rhetorice. Verùm quoniam satis declaratum est, qualis sit historica facultas, & qua ratione pars dici debeat Rhetorices; revertor eò, unde sum digressus, explicoque quàm brevissimè; qualem habeat subiectam materiem. *Historiæ subiectum.* Subijciuntur tanquam materies historicæ facultati ipsi homines, sed non quatenus moventur, spirant, ratiocinantur; nam hæc ad philosophos spectant; sed quatenus agunt & loquuntur de publicis negocijs; nam privatas actiones non respicit Historicus, eas, inquam, quæ humiles fuerint, & quales in quotidiano convictu agi inter homines solent. Quòd si privatas considerat, insigniores solùm, & eas, quæ ad publicas pertinent. Neq; unam tantũ unius hominis persequitur actionem, sed plures. versatur quidem historia circa unum hominẽ, cuius fuerint plures actiones. Hinc in Problem. rationem explicat Aristoteles: Cur iucundius audimus, quæ ad unum spectant, quàm quæ ad plures, his verbis: ἢ διότι τοῖς γνωριμωτέροις μᾶλλον προσέχομεν, καὶ ἥδιον αὐτῶν ἀκούομεν, γνωριμώτερον δέ ἐστι τὸ ὡρισμένον τοῦ ἀορίστου. τὸ μὲν οὖν ἓν ὥρισται· τὰ δὲ πολλὰ τοῦ ἀπείρου μετέχει. Idẽ Aristoteles in libro Poët. ait: Epopœiam debere dissimilem esse ab historijs, quia illa unam tantùm actionẽ; hæc non unam tractat, sed plures. Quòd si actiones historia persequitur eius, à quo fuerint actæ, nomen quoque proferat necesse est. Ideo idem Aristoteles in eodem libello prudentissimè scriptum reliquit, φιλοσοφώτερον quiddã esse poësin, quàm historiam; quia poësis universale sectatur: historia verò singularibus inhæret; quid Alcibiades dixerit aut fecerit. Atque ideo fortasse vera nomina retinet historia, quia res gestas persequitur ab aliquo homine, uti gestæ fuerũt. Ideo scimus (nam docet Aristotel.) in Poësi licere unicuique nomina comminisci; quia non sectatur verum poësis; sed verisimile. In historijs igitur legendis multum diligentiæ adhibendum in nominibus hominum dijudicandis: nam sicuti nos aliquãdo in nostris explicationibus historiarum ostendemus; magne

gnæ ſæpe tenebræ offunduntur rebus ob nominis alicuius depravationem. Quòd ſi plures actiones hiſtoria perſequitur; aut eas, quæ diverſæ quidem ſunt, ſed iiſdem temporibus geſtæ (Ideo autem diverſæ à me dicuntur, quia non ſpectant ad eundem exitum) aut quæ diverſæ quidem non ſunt, ſed deinceps altera poſt alteram geſtæ; hæc quidem prius, illa autem poſterius. Ariſtoteles in Poëtice divinum appellat Homerum, vel ob hoc unum, quòd in Iliade, cùm tractaturus eſſet bellum Troianum; in Odyſſea, narraturus Vlyſſis labores & varias iactationes, antequam Ithacam appelleret; non à primo rerum initio exorſus eſt, & ab eo paulatim progreſſus deinceps ad media & extrema: ſed unam tantùm partē, & eam quidem à medio arripuit; unde exordiretur, reliqua epiſodijs plurimis explicavit. Quaſi innuat eo in loco Ariſtot. ordinem poëſeos multùm eſſe diſſimilem ab ordine, quo hiſtoria in rebus utitur explicandis: nam deinceps, uti geſtæ fuerint, ab initio ad extrema paulatim progrediens hiſtoricus res perſequitur omnes. Iam verò ſi in hiſtoria requiritur illud, ſicut diximus, quod Græci τὸ ἐφεξῆς vocant; patet, cùm aliud prius aliud poſterius ſit, ſubijci hiſtoriæ longam annorū ſeriem, quia perſequitur ea, quæ geſta fuerint ab hinc ſeculis penè innumerabilibus. Quòd ſi mundus, ut multi ex philoſophis exiſtimarunt, aliquādo ortus eſt, facilè eſt videre, unde principiū rerum narrandarū ſumere oportet; nam unà cū rebus ipſis narratio ipſa progreditur. Sed ſi (ut alij exiſtimarunt) ortum nūquam habuit, eiusq; perpetuitas quędā eſt animo cōcipienda; admirabitur fortaſſe quiſpiā, & ambiget, unde in hiſtoria ſit exordiendum, & cur cùm infinita ſemper fuerit hominū rerumq; propagatio, tam paucorum, vix bis mille annorū memoria ad nos pervenerit. ſed mirari deſinet, ſi ſciverit in rebus humanis viciſſitudinē eſſe quandā, & mutationem; ſæpeq; aut aquarum illuvione aut incendio, aut bello, aut peſtilētia homines extinctos interijſſe, & eā ob unā in primis cauſam oppida, & urbes fuiſſe vaſtatas, mox inſtauratas creſcente nova homi-

num prole. Ante Ianum, ante Aborigines quis credat Italiam celebrem non fuisse frequentia nobilissimorum populorum, & maximarum urbium. Si igitur certo quodam syderum circuitu, mūdi modò hanc, modò illam partem mutari ac corrumpi verissimum est; necesse fuit, ut pereūtibus hominibus, memoria quoque rerum, & artes ac scientiæ interirent: quæ subinde eædem rursus inventæ, & post multum temporis auctæ fuerunt: quia res eandem naturam semper retinent. Homines enim novi ab initio quidem rudem & agrestem degunt vitam, qualis sæpe à poetis describi solet, mox cœli faciem & circumvolutionem syderum, ac solis; terræ ubertatem, fructuum varietatem admirantes, causas perquirere incipiunt, donec ad sūmum scientiarum pervenerint. Huc respiciens in Poëticis Aristoteles ait, Ante Homerum nullum quidē tale poëma nos habere, sed plura extitisse credere par esse. Verùm illuc redeo unde digressus fui. Si seriem hanc annorum quàm longissimè debet respicere historicus, patet totius antiquitatis quæ ad mores, ad vitam antiquorum, ad urbium exædificationes, ad populorum commigrationes spectant, bene peritum esse debere. Thucydides nobis exemplo sit, qui libro sexto omnem antiquitatem urbium ac populorum totius Siciliæ diligentissimè ac verissimè explicat. Et quoniam ad hanc antiquitatem cognoscendum multū nos iuvant vetustorum ædificiorum reliquiæ, atque aut marmoribus, aut auro, aut ære & argēto incisæ literæ, hæc quoque teneat oportet. Idem Thucydides, (quid enim opus est, ab huius tam præclari historici authoritate discedere?) ex inscriptione marmoris, quod in arce fuerat positum, ut posteris esset monimentum, probat, quod multi aliter recensebant, Hippiam Atheniensium fuisse tyrannum, & liberos quinque suscepisse. Et quoniam, ut dictum est, actiones publicas & insignes hominum debet historicus persequi, videndum est, ne graviora quæ sunt prætermittat, & levioribus immoretur. Erit enim ridiculus, non secus ac qui Iovis Olympij templum ac simulacrum, quale à

Pausania in Eliacis describitur, volens laudare, aut culmen templi, aut basim simulacri laudet, ac reliqua prætermittat. Præterea, si historica facultas Rhetoricæ pars est quædam (ut antè probatum fuit) cõsequitur necessariò, ut præterquàm quòd ipsius imaginem refert, eorum quoque referat omnium naturam, ex quibus ipsa rhetorice cõflatur. Conflari autem eam docuit copiosè Aristoteles libro primo Rhet. ad Theodecten, ex his philosophiæ partibus, quæ de moribus, & civitatum administrandarum ratione pertractat, ideoque esse veluti quoddam germen, seu (ut ipsius utar verbo) παραφυὲς τῆς διαλεκτικῆς, (quanquam hæc parum ad historicam facultatem spectat) & ἠθικῆς, & πολιτικῆς. Has igitur quoque historica facultas refert. nam & in moribus hominum explicandis, & rerum publicarum forma, magistratuum sortitione, iudiciorum ratione describenda multum operæ ponit, quæ alioqui aut perperam describit, aut non satis verè, si quæ politice continentur, ignoraverit. Et quoniam ipsa quoque politice prægnans est, & multis fœtibus turgentem habet uterum, omnium horum particeps est historica facultas. Et politice (ut docet Aristoteles) ars quædam, cui multæ subserviunt tanquam pedissequæ, & (ut ipse vocat) κυριωτάτη, καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονική. ipsa imprimis militaris, quã Græci στρατηγικὴν appellant, & χωρογραφική. Has igitur dicimus omnino ad historicum pertinere: Sæpe enim est necesse, ut castra, agminis instructi formam, cuneos peditum, alas equitum, phalangis, quadrati agminis rationem explicet, amnes, lacus, paludes, montes, planiciem, urbis situm describat. Quis putasset, tam multis rebus instructam esse oportere historicam facultatem, tantarumque rerum, quæ pro se singulæ sunt magnæ, materiem ipsi subiectam? Atqui res ita sese habet. Addo etiam, cùm duplex, ut antè diximus, historicæ facultati materies subiecta sit, rerum de qua hactenus locuti fuimus, & verborum: quantus denique hic labor est? planè maximus, quo haud scio, an ullus maior; purè, politè, & emendatè loquendi. Obscura fuerit histo-

ria nisi clarissimis verborum luminibus & sententiarum fuerit illustrata. Cicero in eo libro qui inscribitur Orator, postquam docuit, qualis oratorum, philosophorum, sophistarum oratio esse debeat, historicis quoque quale dicendi genus conveniat, exponit, his verbis: Huic generi orationis, qua utuntur sophistæ, historia finitima est, in qua narrantur ornatè, & regio sæpe aliqua, aut pugna describitur. Interponuntur etiam conciones & hortationes: sed in his tracta quædam & fluens expetitur, nō hæc contorta & acris oratio. Huiusmodi orationis genus, huiusmodi inquam requirit historia, apertum, grave, politum, ornatum, splendidum. Narratur apud veteres Callimorphus medicus, cùm historiam scripsisset, in procœmio statim, dum vellet probare, medici quoque esse scribere historiā, his verbis usus esse: ὁ ἀσκληπιὸς υἱὸς ἀπόλλωνος ἐγένετο, ἀπόλλων δὲ μουσηγέτης, καὶ πάσας παιδείας ἄρχων: Spectare igitur etiam ad medicum historiam scribere. Alius quoque dialecticus, ut refert Lucianus, historiam scribens, omnia contexebat syllogismis, probans primùm, soli sapienti convenire historiam scribere, solum dialecticum esse sapientem. Inde alius subsequebatur syllogismus, mox alius: & sic deinceps omnia sub syllogismorum formis proferebantur. Ridiculè sanè. non hìc gryphis, aut sorite, aut ceratinis argumentationibus opus est. Illis utātur licet usq; ad satietatem, cùm inter suos loquuntur. Historia ornari vult & expoliri, planamq; & nitidam requirit orationem. Adnotanda ea quæ Cicero libro secundo de Orat. profert de Ephoro & Theopōpo: postea verò quasi ex clarissima Rhetoris officina, duo præstātes ingenio Theopompus & Ephorus ab Isocrate magistro impulsi se ad historiam contulerunt. Ibidem paulò pòst de Xenophonte & Callisthene: denique à philosophia profectus princeps Xenophon Socraticus ille, pòst ab Aristotele Callisthenes comes Alexandri, scripsit historiam: hic quidem rhetorico planè more: ille superior vehemens fortasse minus, sed aliquanto est, ut mihi videtur, dulcior. Auditu dignum quoque est, quod

de

de Timæo profert; Hic longè eruditissimus rerum copia,& sententiarum varietate abundantissimus,&ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit. Quid de Thucydide?de eo sanè hæc profert, quæ multò diligentius consideranda: Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facilè vincit, qui ita creber est rerũ frequentia,ut verborum propè numerum sententiarum numero consequatur: ita porrò verbis aptus & pressus,ut nescias,utrum res oratione,an verba sententijs illustrentur. Iam satis declaratum,opinor,est,quale dicendi genus historica requirat facultas, quod ut magis perspectum sit, profero Luciani dictum quoddam, quo omnis nostra continetur disputatio: In eo qui scripturus sit historiam,duo insint oportet,Σύνεσις πολιτικὴ & δύναμις ἑρμηνευτικὴ.Atq; hactenus à nobis dictum sit de fine & materie historicæ facultatis.

FINIS.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D. NICOLAO OLAHO,

ARCHIEPISCOPO ECCLESIAE MEtropolitanæ Strigoniensis, Legato nato, Primati Hungariæ, ac sacratiss. Cæsareæ Regiæq; Maiestatis summo Secretario, Cancellario ac Consiliario, &c.

Principi optimo atq; amplissimo,

ANDREAS DVDITIVS S. P. D.



Agnos viros in omni ætate, Antistes amplißime, ac nunc quoque non leviter de scribenda historia video dißetire. neque verò ulla mihi, totam rem accuratè perpendenti, aut in literis, aut ad omnem vitæ usum accommodatior inter eos disceptatio potuisse videtur excitari. nam, ut ex alijs hominum studijs ad privatas res sive honor, sive fructus emanet: nullam tamen artem, aut facultatem, si rem penitùs inspiciamus, cum historia conferendam, nullam, quæ se ad omnia vitæ genera æquè porrigat, inveniemus. hæc enim non privata solùm, verùm etiam publica spectat commoda: ex hac petitur moderatrix & magistra vitæ prudentia, cùm aliorum eventis, nullo nostro labore, nullo periculo, non modò sine molestia, verùm etiam iucundißimè, in ocio sedētes, erudimur, ut non immeritò eam viri præstātes lucem veritatis, vitæ ducem appellârint. nam cùm nihil oportunè, nihil

hil sapienter, neque privatim neque publicè, nisi à prudentibus viris, geri posse constet, cui perspicuum non est, ad vitam rectè instituendam, ad remp. ipsam rectè & ordine gubernandam, nihil utilius esse, nihil aptius historia? quod quidem & verum esse, & aliter esse nõ posse, nõ ego de multis unus, sed ita multi mecum sentiunt, itaque fatentur, ut, qui nesciat quid antè quàm natus sit, acciderit, eum puerũ semper esse, hoc est, omnis expertem prudentiæ ac penè rationis arbitrentur: qui verò ita versatur in historia, ut, quid alijs in omni rerum ac temporũ varietate contigerit, perattentè notet, ad usumque suum traducat, imperiorum ac maximarum rerum initia, progressus, finem denique ipsum observet, & hæc suas ad caussas omnia referat, nónne is tam accurata, tamque multiplici observatione non mediocrem sibi in omni genere sapientiam comparat? nónne, velut in quadam specula constitutus, actiones hominum prospicit, quoque modo, quóve tempore quidque fieri conveniat, unus optimè intelligit? Quocirca sapientissimos viros, qui sæpe aut labentem remp. sua prudentia confirmarunt, aut iacentem erexerunt, magnopere historiarum studia coluisse, proditum est. quo quidem ipso ex genere quò quisque rerum ante se gestarum cupidior fuit, eò se virũ fortiorem, eò meliorem patriæ civem præstitit. ex quo non minorem esse laudem, immò verò & longè maiorem eorũ, qui se ad scribendas historias cõtulerunt, quàm qui maximis pro patria se periculis obiecerunt, ac vitam denique ipsam profuderunt, facilè licet animadvertere. alteri enim duntaxat ei, pro qua decertarũt, reip. profuerunt, alteros & omnibus, quæ tunc essent, & ijs etiam, quæ postea fuere, aut quæ unquã erunt.

mirabilem attulisse fructum constat. Quod cùm a-
pud Græcos Thucydides, & Xenophon in primis ani-
madverteret, Annibal etiam apud barbaros, apud La-
tinos Cato, Sylla, Lucullus, Cæsar, & qui hos sunt con-
secuti, Augustus, Hadrianus & Gordianus, summi
viri, et principes eximij, tot civitatibus captis, tot pro-
vincijs debellatis, tot victorijs partis, tot triumphis a-
ctis minimè contenti, cùm his omnibus præstantius
quiddam esse ac divinius, historiam condere arbitra-
rentur, omnes cogitationes à bellis gerendis ad res ge-
stas, literarum monumentis atque hominum memo-
riæ consecrandas traduxerunt. quæ quidem res non,
ut omnium præstantißima, sic omnium facillima vi-
detur. argumento est eorum infrequentia, qui lauda-
biliter historiam scripsisse memorantur. apud Lati-
nos quidem vix unum eße, aut fortaße ne vix quidẽ,
qui laudem absolutã assequatur, neminẽ, qui culpam
omnem vitet, multis placeat. Græci pulcherrimarum
semper artium amantißimi, ideoque maiore etiam,
quàm cæteræ gẽtes, sapientia præditi, Latinis illi qui-
dem omnibus historiæ componendæ scientia præsti-
terunt, verùm nec ipsi, excellenti licet ingenio clari,
omnem in hoc certamine laudem tulerunt. Nam ut
alios omittam, ipsum historiæ principem Thucydidẽ
non omnes æquè celebrant. neq; verò Demosthenis, e-
loquentißimi viri, qui eius libros octies manu sua de-
scripsisse traditur, tanti esse potuit auctoritas, ne quid
ei vitio daretur ab ijs, qui aliena quoq; corrigere pul-
chrũ putârunt. cui sanè hominũ generi, gravißimorũ
virorum scripta ad rationẽ, & rectam scribendi nor-
mam exigenti, non multò minus profectò debere nos
fatendũ est: quàm illis ipsis, quos tantam humanæ vi-
tæ u-

tæ utilitatē conficiēdis historijs afferre iam diximus. perficiunt enim subtilitate, & acrimonia iudicij, ut eos quoq;, si quando usus veniat, ab indicata quasi fovea declinantes, laudabilis industriæ cursu ad propositā nobis in historia metā pervenire possimus. Has iudicandi partes inter Latinos nōnulli sumpserūt: sed feliciores aliquāto ab hac etiā laude Græci. quorū si nulla præterea nūc extarent summæ doctrinæ monumēta, quæ miserabili vetustatis naufragio plurima periere, unius nobis Dionysij Halicarnassei, ingenio simul & iudicio præstātis, cōfractæ ac decurtatæ tabulæ satis ostēdūt, quantū ingenij acumine, quantū doctrina, quantū etiā industria Græci omnib. gentib. antecellāt. Is, ut erat iudicio peracri, cùm decē summorū apud Græcos oratorū scriptis iudicandis prorsus admirabilē se præbuisset, ad Thucydidē quoq; cogitationes cōvertit. qui cū omnes, ut Cic. etiā testatus est, dicendi artificio facilè vicerit, cūq; ita creber sit rerū frequētia, ut verborum propè numerum sententiarum numero consequatur, ita porrò verbis aptus & pressus, ut nescias utrum res oratione, an verba sententijs illustrētur: mirum tamen est, quàm non huic nostro satisfaciat. perpendit omnia: pleraq; dānat. at quibus rationibus? mihi quidē ut videtur, omniū firmissimis. quæ si attendantur, non iam in historia summus Thucydides videbitur, sed omni tanquam honestate privatus, infimo loco, & postremo in ordine contemptus iacebit. Hac porrò censura dum utitur Dionys. præclaram omnibus texendæ historiæ normā proponit, & leges quasdam statuit: quas qui servet, non vulgarem à cunctis laudem ferat. Iam in verborum ponderib. examinandis quantus est? hoc equidem ausim af-

firma-

firmare, quod græcæ linguæ peritis non dubiè patet. Thucydidis scripta, si hoc libro careamus, neque quod ad sententias, neque quod ad verba attinet, prorsus intelligi posse. Hunc talem, tamq́ utilem Dionysij de Thucydidis historia commentarium, seu potius thesaurum veluti quendam, ex abditis tenebris nunc primùm erutum, Paulus Manutius, singulari vir eloquentia doctrinaq́ ornatus, ea mihi conditione donavit, ut eum Latinis hominibus latinè loquentem communicarem, quod ego mihi oneris imponi pro mutua benevolentia facilè sum passus. quanquam me non lateret, quàm difficili in loco versaretur eorũ industria, qui græca latinè interpretanda susciperent. Nam si græca cum latina lingua conferatur, quid, quæso, illa plenius, quid hac ieiunius inveniri queat? quod nos in quodam nostro libello, satis copiosè, satisq́, ut arbitramur, dilucidè ostendimus. Quare, si quæ græcè optimè intelligantur, ea latinum aliquando in sermonem ita sunt translata, ut conijcere potius, quid sibi interpres velit, quàm videre planè liceat, id non tam ipsius inscitia interpretis, quàm latinæ linguæ inopia accidere, iudex æquus existimabit. Nos in hoc libro tum perdifficili, tum etiam multis locis depravato summam adhibuimus diligentiam, quantum tamen unius mẽsis studio potuimus consequi, (neque enim plus huic est negotio tributum temporis) ut is non omnino inelegans atque incomptus in ora hominum prodiret, in quo quidem interpretando meum consilium hoc fuit, exemplo videlicet eruditissimorum vel nostræ, vel superioris ætatis hominum, non ut verba, vitandi laboris gratia, singula singulis reddens, annumerarem, sed ut sententias ipsas appenderem. quod quidem institu-

tum in alijs quoque eiusdem scriptoris libris, quos de arte rhetorica, deque apta inter se verborum collocatione scripsit, item in Longino, ac tribus postremis Diodori Siculi libris convertendis, quos omnes nunc in manibus habeo, servavi. quos quidem unà cum vetustissimo quodam in quatuor Evangelia commentario græco, quem mihi ex augustissima sua bibliotheca, ante septingentos annos descriptum, Michael Sophianus, philosophiæ peritissimus, græcæ linguæ scientia planè singularis, commodavit, in tuo nomine propediem divulgabo. Tu interim, sanctissime Antistes, hunc primum, qualiscunque est, ingenij nostri fœtum, tibi à me, pro tuis in me meritis veluti numini dicatum, benignè accipe; non ut aliquid à Dionysio discas; (quid enim te latet?) sed ut ocij mei, cuius Cato reddendam rationem putat, opus aliquod, dum alia comparantur, appareat. Nam quod ad priorem illam partem spectat, cùm tu quoque historiam rerum Hungaricarum mediteris, quam fore præclarissimã, atque omni laudum genere cumulatissimam omnes augurantur, & cum literarum cognitione rerum usum, administranda tot iam annos totius reip. summa, coniunxeris, ex quo sapientiam es maximam consecutus: nihil tibi extrinsecùs petendum: omnia sunt in te ipso, eaq; ut perpetuò sint, id est, ut quàm diutissimè tua virtute perfruamur, cum bonis omnibus exopto. Quod verò ad me attinet, ita tibi iampridem maximis tuis beneficijs sum devinctus, ut, quidquid in omni vita aut in litteris aut alijs in rebus nostra præstabit industria, id tu iure tuo optimo tibi vendicare possis. Nam ut illa prætercam, in quibus tua in me meosq; summa benignitas apparuit, arctiori quodam

tibi obstringar vinculo necesse est, quòd tu multis iam annis labores gravissimos pro communis patriæ salute & suscepisti & adhuc eximia cum laude sustines, cùm publicam rem non tam consilijs atque prudentia tua, quàm exemplo subleves innocentiæ. itaque meritò Ferdinandus ipse, summus Imperator, ita iudicat, meritò homines sic existimant, quasi lumen aliquod in magna rerum humanarum caligine, longinquis etiam gentibus elucere sanctitatem, cõsilium & dignitatem tuam. Illa verò omnium maxima quibus efferenda laudibus, quibus exornanda præconijs, quòd pro tuenda Christi religione semper excubat animus tuus? quòd Pannoniam miserabili diuturnoque iam bello attritam, atque ab immanissimo Christiani nominis hoste miserrimum in modum vexatam, firmissimo in eius finibus fortissimorum militum præsidio ac veluti propugnaculo collocato, ita defendis, ut eam labentem propeq; inclinatam contra tantam vim unus propemodũ sustineas ac tuearis? itaque, te custode, nullas insidias, nullos impetus, nullam ne fortunæ quidem vim Pannonia pertimescit. quid autem timeat, cùm ab eo pendeat, cuius consilia referuntur ad Deum, & à quo Deus optimè sentiente nunquam abest? Quæ cùm eiusmodi sint, non est cur quisquam miretur, quòd quotidie magis ex familia tua, tanquam ex virtutum omnium præclaro quodam amplissimoq; honestissimarum artium gymnasio, lectissimi homines prodeunt, qui secundis rebus moderati, adversis constantes, usum illius iustitiæ quæ omnes virtutes complectitur, ex tua disciplina consecuti, reip. gubernacula ita tractẽt, ut facilè summas tempestates summa tranquillitas consequatur.

Hoc

Hoc igitur abs te quasi quotidianum tributum accipit resp. nostra, viros egregios, tuis virtutibus, tua liberalitate ad omnem laudem instructos, qui alios deinde suo ipsi exemplo ad verum decus, & ad solidam gloriam impellant. Hæc ego sæpe mecum cogito, & ut spero, scriptis etiam meis aliquando persequar. Statutum est enim, si quos aut collegi iam, aut in posterum fructus colligam studiorum meorum, omnes ad tuum arbitrium conferre, omnes dicare tuæ laudi: licet ad eam accedere vel nihil possit, vel, si quid omnino, à te ipso tantùm possit, me tamē tuarū virtutum, ut ad earū imitationem ceteri excitentur, perpetua commemoratio delectabit. idque mihi per tuam incredibilem benignitatem, ut spero, vel potius, ut confido licebit: interim me, pro tua consuetudine singularique bonitate, ut suscipias, habeásque in numero tuorum, ac solita clementia prosequare, etiam atque etiam rogo. Deus te Max. Ecclesiæ suæ, quæ tuis maximè consilijs nititur, & nobis qui tuo patrocinio fovemur, quàm diutißimè incolumen fortunatumq́ servet. Patavij, III. Non. Mart. M. D. LX.

ſcopum quendam, referebam. quod equidem inſtitutum cùm de alijs etiam ſcriptoribus agerem, ſervavi. neque enim fieri poterat, ut, de quibus accuratè & copiosè agere ſtatuiſſem, eos ſtrictim ac leviter attingerem. Cùm verò cupere te animadvertiſſem, ut ſeparatim de Thucydidis hiſtoria commentarios conficerem, in quibus quæ in illo animadverſione digna ſunt, omnia perſequerer, eo libro, quem de Demoſthene tum in manibus habebam, reiecto, pollicitus ſum tuæ me voluntati obtemperaturum. nunc verò, re confecta, quod tunc promiſeram, tibi perſolvo. de ſingulis autem verba facturus, pauca quædam de me ipſo, déque huius tractationis genere, non tua ſanè, neque tui ſimilium cauſſa, qui nihil non optimè iudicatis, nihilque ducitis veritate præſtantius, ſed ad illos ſpectans, qui veterum ſcripta plus æquo admirantur, ſuam ætatem aſpernati: quo plerique homines vitio laborant. ſuſpicor autem fore nonnullos, qui cùm hæc legent, nos reprehendant, quòd Thucydidem omnium, qui unquam hiſtorias ſcripſerunt, facilè principem, tum in rebus deligendis aberraſſe, tum in narrando defeciſſe, audeamus oſtendere. neque verò illud nos fugit, ſi Thucydidis ſcripta notare aggrederemur, futurum, ut primi ac ſoli res novas atque ab hominum opinione abhorrentes tentare videremur, non ſolùm adverſantes communi atque à multis ſeculis receptæ opinioni, quæ vix ex hominum animis evelli poſſit, verùm etiam præſtantiſſimorum philoſophorum atque oratorum præclara de illo teſtimonia reijcientes: qui quidem illum veluti regulam quandam ſcribendæ hiſtoriæ proponunt, ac quaſi terminum quendam ſtatuunt, extra quem egredi non liceat ijs, qui dicendo in rep. volunt excellere. ad quorum equidem accuſationes refellendas, quæ theatrale neſcio quid habere, ac ad colligendam multitudinis gratiam peraccommodatæ videntur, illud ſatis fuerit, ſi dixero, ita me totam antè actam vitam ad hæc uſque tempora inſtituiſſe, ut me à maledicendi ac fruſtra oblatrandi ſtudio

quàm longissimè abducerem; neque ullum unquam scriptum ædidisse, quo quenquam insectarer, præter illud, quo civilem philosophiam contra eos, qui eam immeritò oppugnarent, defendi. quod cum ita sit, non ego nunc primùm indignam homine libero, à me verò longè alienam improbitatem, Thucydidis historicorum omnium clarissimi scripta insectando, hominibus patefacere sum aggressus. de quo quidem scribendi genere multò plura, quæ dicerem, habebam, sed ero contentus paucis. nam quàm sint vera, quæ attuli, quamq; mihi conveniant, & tu ipse, & qui elegantis doctrinæ studio tenentur, iudicabunt. In Thucydidis verò scriptis excutiendis non est nostri consilij, eius institutum ac dicendi facultatem oppugnare, eiusque scripta reprehendere: neque hoc animo adscribendum aggressus sum, ut vitia tantùm colligerē, aut eiusmodi aliquid facerem, neq; ut, quæ in eo præclarè dicta animadverterem, silentio præterirem; ea verò, quæ non optimè adhibita essent, invaderem: sed ut, quæ mea de eius oratione esset sententia, explicarem, atque omnia complectens, quid ille cum alijs commune haberet, qua in re differret, ostenderem. Quod mihi facere instituenti, non virtutes tantùm eius, sed, quæ virtutibus plerunque annexa solent esse, vitia quoque persequi necesse fuit, non enim id præstare potest cuiusquam hominis natura, nihil ut neq; verbo, neque re unquam peccet. illa verò optima est existimanda, quæ in plurimis scopum attingit, in paucissimis aberrat. ad hanc igitur rationem ea, quæ dicuntur, quisque examinet, neque meum institutum reprehendat, sed eorum, quæ de dicendi ratione allaturi sumus, æquus sit æstimator. Quòd verò non ego primus hoc scribendi genus aggrediar, sed multi ante me & nostra & veterum memoria, nulla malevolentia suffusi, sed veritatis studio ducti, in eadem se palæstra exercuerint, possum sexcentis propè testibus comprobare. duobus tamen ero contentus, Aristotele & Platone. atque Aristoteles quidem non optimè omnia à magistro suo Platone tradita existimat, qualia

ſunt, quę Plato de Ideis, de Ipſo bono, de Rep. diſſeruit. Plato etiã ipſe Parmenidis, Protagoræ, Zenonis atque aliorum, qui rerum natura conſtantium philoſophiam profiterentur, errores conatur indicare. neque tamen eſt quiſquã, qui hoc illi vitio vertat, cùm ſciat unam veritatis cognitionẽ rectè philoſophantibus eſſe propoſitam; quæ nobis optimam ineundę vitæ rationẽ oſtendit. Cùm igitur nemo illos, quorum ſententiæ diſcrepant, propterea reprehendat, quòd non omnia veterum dicta probent; quis eſt, qui eos reprehendendos exiſtimet, qui cuiuſque dicendi generis proprietates explicet? niſi ſi quis tantum veteribus tribuat, ut ijs etiã virtutibus eos ornet, quibus omnino caruerunt? Supereſt unum, quod à nobis refelli oporteat, invidioſum illud quidem & plauſibile in vulgus crimen, eiuſmodi tamen quod in ſe nihil boni continere, oſtendi facilè poſſit. Non enim ſi ea, qua Thucydides alijque viri polluerunt, ingenij vi ac præſtantia deficimur; iccirco fit, ut ea quoque, quæ illis fuit, conſiderandi & iudicandi facultate careamus. Nam neq; de Apellis, aut Zeuxidis, aut Protogenis, aut aliorum pictorum, qui fama claruerunt, artibus iudicare nõ licet ijs, quos earum artium ſcientia cum his ipſis minimè conferri potuiſſe conſtat: neque de Phidiæ, aut Polycleti, aut Myronis operibus cęteri opifices ſententiam minus ferre potuerunt, cùm ab eorũ tamen laude longè diſtarent. ut illam rationem prætermittam, quòd ſępe uſu cõtingit, ut homo inſcius atq; idiota, ſi quid ſit iudicandum ijs in rebus, quæ ſub ſenſum cadunt, nec artifice quidẽ ipſo ſit inferior. huc enim omnis ars intendit, hinc; iudicandi ſumit initium. Verùm ne longiorem hac in parte imprudens ſermonẽ conſumam, hęc procœmij loco ſufficiant. Sed antequã aggrediar ad ea, quæ de Thucydide ſum dicturus, pauca quædam libet commemorare de cęteris hiſtoricis, tum vetuſtioribus, tum ijs qui temporibus ijſdẽ, quibus ille, floruerunt. ex quo & illius in rebus deligendis conſilium, quo ſuperiores vicit; & in exponendis facultas dilucidè patebit. Veteres igitur hiſtorici ante

bellum in Peloponneso gestum, & multi, & multis in locis fuere; in his Eugeon Samius, & Deiochus Proconesius, & Eudemus Parius, & Democles Phygeleus, & Hecatæus Milesius, & Acusilaus Argivus & Charon Lampsacenus, & Melesagoras Chalcedonius. qui autem paulò antè Peloponnesiaca tempora vixerunt, & ad usque Thucydidem ætate processerunt, Hellanicus Lesbius, & Damastes Sigieus, & Xenomedes Chius & Xanthus Lydus, & alij complures, quorum & consilium in deligendo argumẽto non dissimilimũ fuit, & facultas pene par. historias porrò alij Græcas, alij barbaricas cõscripsere; neq; has ipsas mutuò inter se cõnectere, sed per nationes, & urbes dividere, & separatim placuit emittere; scopo scilicet eodẽ sibi proposito, ut quæ apud incolas monumenta rerum per nationes atque urbes, sive in sacris locis, sive in profanis asservata iacebant, ea ipsa, qualia planè accepissent, nulla re addita, nulla detracta, ad communem omnium scientiam emitterent. atque in ijs monumentis tum fabulæ quædam inerant, quibus à vetustate fides accesserat, tum theatrales nonnullæ casuum vicissitudines, quæ fatuitatis multum nostri temporis hominibus habere videantur. genus autem dicendi, qui eadem lingua scripserunt, omnes idem ferè secuti sunt, perspicuum, usitatum, purum, breve, ad rerum ipsarum naturam accommodatum, nullo prorsus, quod quidẽ emineat, artificio elaboratum. quorum quidem scripta species quædam exornat: & vetustatis quidem in alijs plus, in alijs minus elucet. quo fit, ut adhuc eorũ scripta vigeant. Herodotus autem Halicarnasseus, qui ad Peloponnesiaca tempora vitam perduxit, cùm paulò ante Persica natus esset, historiam paulò altius extulit, atque illustravit; neque unius urbis aut unius gentis, sed Europæ Asiæque res gestas & multas & varias, uno libro complexus est. qui cùm à Lydorum imperio esset exorsus, ad usq; bellum Persicum opere perducto, quæcunque per annos CCXL gesta à Græcis & à barbaris erant, ex ijs illustriora quæq; delegit, & in unum quasi corpus historiæ contulit: omis-

missasque à superioribus virtutes ad suam orationem adiunxit. Successit Thucydides. is neque ut Hellanicus, quasi desidem esse historiam, & in uno loco consistere passus est, neque Herodoti exemplo, Græcorum barbarorumque facta ex omni regione in unum esse colligenda existimavit: cùm quidem institutum illud Hellanici ob eam caussam contemneret, quòd abiectum & humile videretur, planeq; eiusmodi quod legentibus haud multũ utilitatis afferre posset: Herodoti autem rationem ideo non probaret, quòd latior ac fusior esset, quàm ut eum humana cogitatio perfectè posset universam comprehendere. unũ autem bellum, quod inter Athenienses & Peloponnenses gestũ est, animo cõplexus, in eo componendo, cùm & corpore & animo æquè valeret, suum studium industriamq; collocavit. cumq; ad exitum belli vita processisset, non quæcunq; in sermonibus audisset, sed quibus ipse affuisset, quæq; esset expertus, in sua scripta retulit: quę verò propter exiliũ suum nosse minus potuit, ea sumpsit ab ijs, qui optimè ipsi cognovissent. Ac superiores quidem historicos duab. rebus excelluit, una, quòd scribendi argumentum delegit, neque simplex omnino ex vno tantùm quasi membro formatum, neque valde permixtum, in multa atq; incongrua capita dissectum; altera, quòd fabulosum in suos libros nihil induxit, neque in eam partem deflexit, ut multitudini fraudem & tanquam imposturã faceret. quo in genere superiores omnes peccaverant, qui lamias commemorarunt nescio quas in sylvis & saltibus, è terra prodeuntes, & Naiadas in terra atq; aqua pariter degẽtes ab inferis profectas, pelago innatãtes, semiferas, cũ hominibus coëuntes, & ex mortali divinoq; concubitu semideam sobolem, & alia quædam, quæ nostra ætas, ut incredibilia, planeq; delira contemnat. neque verò, ut hæc dicerem, eò sum adductus, quòd illos viros accusem, quibus etiam venię multum tribuo, si, cũ in explicanda nationum & locorum historia versarentur, fabulosa figmenta receperunt: qaandoquidem apud omnes homines, tum communiter de locis, tum

propriè de urbib. monumenta quædã servabantur huiusmodi, quas dixi, rerum auditione perceptarũ: quas filij à patrib. acceptas suis deinde posteris ut traderẽt, elaborarunt. quòd si qui literis eas cõsignare vellent, ab his ut ita planè exponerentur, quo modo de veteribus acceperant, dignũ putabant. quapropter illos viros ut locorum descriptiones fabulosis additamentis variarent, atque distinguerent necessitas compulit. Thucydidem autem, qui materiẽ unam ad scribendũ cepisset earum rerum, quibus ipse affuerat, theatrales ludificationes in narrationem inducere non decebat; neq; se ad eum errorem, quẽ eiusmodi scripta sua spõte parere consueverunt, sed potius ad utilitatẽ legentium accommodare: quod ipse in historię procœmio testatũ reliquit: quo in procœmio hæc scripsit ad verbum: Et auditu quidem, ut quæq; pars fabularum expers in ipsis est, ita minus iucunda fortasse videbitur. quicunq; autẽ & præteritas res, &, quantum humano consilio licet, etiam futuras, præteritis similes, considerare, planeq; inspicere voluerint, his dum illa utilitatẽ pariant, satis erit, emolumentumq; potius, quod semper idem sit, quàm spectaculum, quod in præsenti tantùm oblectet, in scribendo cogitamus. Ac de ipso quidem & philosophi & oratores omnes, aut, si non omnes, pleriq; certè ita consentiunt, de retinenda veritate, cui consecratã esse historiam volumus, plurimũ laborasse; nihil addidisse rebus, quod iustum non esset; nihil detraxisse; nihil ad suam libidinẽ scripsisse; rationẽ & viam secutũ esse, quę ab omni prorsus invidia omniq; assentatione, præsertim ubi de insignibus ad laudem viris iudicat, longissimè abest. Nam cùm in primo libro de Themistocle loqueretur, virtutes, quibus ille floruit, copiosè admodũ commemoravit. Cũ verò de Pericle, deq; illius in administranda rep. consilijs mentionẽ in secundo libro faceret, laudes in eũ effudit maximas, eiusmodi scilicet, quas disseminata per orbẽ terrarũ tanti viri gloria postulabat. eodemq; modo cũ de Demosthene duce, cùm de Nicia Niceratu, de Alcibiade Cliniæ filio, deq; alijs, & ducib. & oratori-

toribus dicendū ei necessariò esset; quæ cuiq; conve-
niebant, exposuit. quæ probare exēplis non puto mihi opus esse apud eos, quibus illius historiæ ex consuetudine legendi satis notæ sunt. Hæc igitur, quæ Thucydides, quod ad res attinet, egregiè præstet, possit aliquis dicere, quæ cùm præclara sint, atq; imitatione digna, tamen hoc in illo summū est, atq; eximiū, quòd neq; mendacium voluntariò dicit, neq; suam ipse cōscientiam turpi labe contaminat. quod autem in eo minus absolutū videtur, & in quo carpitur à nonnullis, artificium est, quod in explicandis reb. requiritur, œconomiæ nomine appellatū, & ab omnib. sive quis philosophicam sive oratoriam materiē sumpserit, studiosè conquisitum. Atq; ad distributionem, ad ordinem, ad amplificandi studiū & industriam quæ pertineant, hæc sunt. ordiar autē ab ipsa divisione, præfatus illud, quòd cum superiores historici sua scripta vel locis, vel temporib. aptè continuatis distinxerint, un⁹ hic inventus est, qui ex his divisionib. neutrā probaret. narrationes enim ita disposuit, ut neq; loca persequeretur, ubi gestæ res erant, quod Herodot⁹ Hellanicusq; & alij nōnulli ante illi⁹ ætatē historici fecerant; neq; tēpora; quod eos, qui agētem de locis historiam edidere, secutos esse cōstat: quib⁹ vel ad regum aut sacerdotum successiones, vel ad Olympiadum ambitus, vel ad Archontum annuos principatus, suorum librorum divisionem placuit accōmodare. cumq; novam quandam neque ab alijs tritam viam inire voluisset, in æstates & hyemes historiam partitus est. cuius consilij non is, quē ipse putaverat, exitus est consecutus. factū est enim, non ut apertior fuerit tēporum distributio ad anni partes facta, sed eiusmodi, quæ cōtineri animo non facilè posset. qua in re licet illū iure mirari, qui nō viderit futurum, ut cū multæ simul res multis in locis gererentur, brevibus quasi segmentis concisa narratio, præclarum illud purumq; lumen capere nequiret, quod ipsis ex rebus perspicuè patet. in tertio enim libro (ut hoc uno exemplo cōtentus sim) de Mitylenæis aggressus scribere, narrationē pri⁹ quàm

universam absolveret, ad Lacedæmoniorum res gestas divertit quibus nondum imposito fine, Plateensium obsidionem commemorat: eamq; mox imperfectam dimittens, Mitylenensis belli mentionē infert. deinde sermonem eò convertit, ut, quemadmodum Corcyræ seditione facta, alij Lacedæmonios, alij Athenienses accersiverint, exponat. neq; verò perficit hanc partem, sed omittens inchoatam, de Atheniensium priore expeditione in Siciliam pauca narrat. postea, cùm Atheniensium in Peloponnesum navigationem, & Lacedæmoniorum adversus Dorienses expeditionem demonstrare esset exorsus, ad ea, quæ ad Leucadem à Demosthene duce gesta sunt, & ad Aetolorum bellum transit. inde Naupactū abit. nec Epiroticis bellis ad exitū perductis, Siciliam rursus attingit: postea, quemadmodū Delus expugnaretur, ostendit; Argósque Amphilochicos ab Ambraciotis oppugnatos, relinquit. Quid multis opus est? totus enim liber ita cōcisus perpetuam historiæ seriem amisit. Accidit autem id, quod cōsentaneum est, ut vagemur, nec facilè, quæ traduntur, studio consequamur: cum ex divulsione rerum perturbata mens, imperfectas, & quasi mutilatas notitias ipsa sibi commodè perfectéve referre non possit. historicā enim narrationem perpetuo veluti filo ductam & colligatam oportet esse, præsertim vbi res exponuntur, & multæ & eiusmodi, quæ cognosci ac percipi non facilè queant. non esse autē rectam, qua ille usus est, neque aptam historiæ regulam, satis constat: neq; de posterioribus historicis, qui sua scripta in æstates, aut hyemes distribueret, quisquam fuit: omnesque potius id consilium sequi maluerūt, ut ad perspicuas rerum intelligentias tritis itinerib. narrationem perducerent. sunt etiam, qui, quod ad ordinē spectat, illum accusent; quòd historiam, neq; , quo opus erat, principio sit ingressus, neq;, quo decebat, fine concluserit: cū ita dicant, disponendi laudem non esse minimā in eo sitam, si & principium, quo non aliquid sit prius capiatur; & eo fine, cui nihil videatur deesse, comprehensa narratio terminetur: quarum rerū ab ipso

pso

pſo neutram ſatis accuratè animadverſam, occaſionẽ porro illis huius accuſationis hiſtoricus præbuit, qui cum ita propoſuiſſet, omnium bellorum, & tẽporum diuturnitate & multarum calamitatũ eventis, illud fuiſſe maximum, quod in Peloponneſo geſtum eſt: in extremo procœmio cauſas primũ, unde principiũ duxit, aggreditur explicare: duasq; cum oſtendiſſet, unã veram, nec tamen vulgò notam, Athenienſium civitatis incrementum; alteram falſam, quã tamen Lacedæmonij fingerent, ſubſidium Corcyræis adverſus Corinthios ab Athenienſibus miſſum; non à vera cauſſa, neque ab ea quam ipſe probaret; ſed ab altera ſumpſit initium: ſcripſit enim hæc ad verbum. Origo autem ipſius ab Athenienſib. & Peloponneſijs, ſoluto, quod in annos triginta poſt captã Eubœam percuſſum erat, fœdere, manavit. qui cur initam fœderis ſocietatem diremerint, & cauſſas, & diſſenſiones primum oſtẽdi; ne quis, unde tantum inter Græcos bellum extiterit, aliquando poſſet exquirere. Veriſſimã enim cauſſam, licet in ſermonib. occultam, opinor hanc fuiſſe, quòd, Athenienſib. eas vires adeptis, ut Lacedæmonijs formidabiles eſſent, bellum neceſſariò ſit excitatum, quæ verò palàm iactabantur cauſſæ, quib. factum eſt ut fœdera rũperentur, & bellum inter eos gereretur, huiuſmodi erant: Epidamnus eſt urbs ad dextram ſita navigantib. in Ionium ſinum. incolunt autem ipſam Illyrica natio, barbari Talantij. Mox, quæ ad Epidamnũ, ad Corcyram, ad Potydæam geſta ſunt, & Peloponnẽſium cõventum in urbem Spartã, & orationes illic habitas adverſus Athenienſium civitatẽ, commemorat, atque hæc ita producit, ut ad verſuũ duó milia conſumat, quo demũ in loco altera de cauſſa, quæ & eſt, & ipſi videtur eſſe vera, differit, hinc exorſus: Decreverũt autem Lacedæmonij, ſolutum eſſe fœdus, atq; Athenienſib. inferri bellum oportere: non tam ſociorũ ſermonib. in eam mentẽ adducti, quàm metu ne nimiũ creſcerent vires Athenienſiũ, quorũ ditioni iam ſubiectam Græciæ maiorem partem viderent. Athenienſes enim ad eas res, quæ incrementũ illis attulerunt,

huiusmodi ratio perduxit. Deinde ea, quæ à Persico bello ad Peloponnesiacum civitas gessit, per capita subiungit, idq; strictim, usq; eò, ut ea ipsa capita paucioribus, quàm quingentis versibus comprehendat. rursus cum illa rebus Corcyræis anteire, neque ab illis, sed ab his manasse principiũ belli recordatus esset, scribit hæc ad verbum: Post hæc autem, quæ iam exposuimus, haud multorum annorum interiecto spatio, consecutæ sunt inter Corcyram & Potydæam dissensiones, & quæcunque hoc bellum suscitarunt. quæ simul omnia, & quæ inter ipsos, & quæ adversus barbarum Græci gesserunt, annis ferè quinquaginta perfecta sunt, quot à discessu Xerxis ad huius belli principium numerantur: cum interim Athenienses & principatum confirmarunt, & maiores opes ipsi sibi compararunt: quod Lacedæmonij cum intelligerent, non tamen, ut obsisterent, nisi ad breve spatium, adducebãtur, & maiorem temporis partem quiescebant; quippe qui nec anteà, nisi necessitas cogeret, facilè bella suscipere nt, & nunc domesticis etiam contentionibus distinerentur. Verùm enimverò cum Athenienses opibus manifestò crescerent, initamq; inter eos societatẽ læderent: tunc non iam esse ultrà ferendum censuerunt, sed omni studio conandũ, ut eorum potentiam, sumptis armis, si fieri posset, everterent. Oportebat autem illum, cum belli caussas indagare cœpisset, eam, quæ vera esset, quæq; ipsi probaretur, primo loco tradere: quãdoquidẽ & natura postulabat, ut priora posterioribus anteirent, vera prius quàm falsa dicerentur, & ipse narrationis ingressus, si eiusmodi ordine institutus esset, longè futurus erat præstantior. non enim, si quis partem illius tueri velit, ea ratione possit uti, quòd vel parvæ res essent, nec satis dignæ, quibus explicandis opera daretur; vel communes, & ab alijs anteà decursæ, ut nihil opus esset ab his initium ducere. ipse enim hunc locũ ut à veterib. prætermissum, historia dignũ existimavit, qui ad verbũ ita scripserit: Scripsi aũt ea, & ab instituto sermone propterea diverti, quòd superiores omnes hunc locũ omiserãt, & aut res Græcas

ante Medicas, aut Medicas duntaxat composuerunt. Eas autem res, quas & Hellanicus in Attica historia persecutus est, neq; copiosè, neq; temporib. satis accuratè distinctis, explicavit. simul ob eam causam, quòd, Atheniensium principatus qua ratione sit cõstitutus, harum rerum tractatione declarat. Satis igitur & hinc apertè colligitur, narrationẽ ab ipso nõ optimè, id est, non ut natura postulat, esse digestã. Huc accedit, quòd nec historiam quo debuit fine cõclusit. cũ enim annos septem & xx bellum comprehenderit; atq; hoc, quantum temporis est, usq; ad belli exitum ipse vixerit, tamen usq; ad annũ alterum & vigesimũ historia perducta, octavum librũ maritima illa pugna, quæ ad eum locum, quẽ Sepulchrum canis appellant, est commissa, terminavit. Adde, quòd, cùm in procœmio, quæcũq; hoc in bello gesta sunt, omnia se esse perscripturũ affirmasset; itemq; in quinto libro tempora collegisset, & unde ortũ bellum est, & quousq; processit, scripsit hæc ad verbũ: Hoc solum invenies exitu comprobatũ ex ijs, quæ futura esse ex oraculis affirmabantur. semper enim & initio belli, & usq; ad extrema tempora recordor à multis esse nunciatum, oportere ad annos ter novenos bellum perdurare. mihi autem per totum illud tempus vita suppeditavit: cùm & id ætatis essem, ut rerum sensum haberem; & in eam curã animum intenderem, ut singulas notitias optimè consequerer. cumque anno post Amphipolitanam expeditionem vigesimo patria mea exularem; & apud utrosque, dum res agerentur, nec minus apud Peloponnenses ob exilium meum, versatus essem; factum est, ut aliquid ego peritius, quã ipsi, potuerim in ocio cognoscere. dissensionẽ igitur post x annos exortã, & fœderũ perturbationẽ, & quę deinde in bello cõsecuta sũt, explicabo. Præterea nec in qua parte amplificationib. res persequitur, minus illũ esse diligentẽ, qui vel ea, quæ brevitatẽ postulãt, verbosius exponat; vel, quæ longiori sunt oratione pertractanda, leviter nimis attingat, multis equidẽ ijsq; minimè dubijs argumentis probare possim, sed paucis tamen utar, & à navali-

bus primùm Atheniensium Peloponnensiumq; pugnis, quæ in extremo secundi libri narrantur, initium capiam, cùm Athenienses contra naves Peloponnensium XLVII, sola XX navium classe adversus barbaros multis partib. plures ita maritimo prœlio decertarũt, ut, quot ad bellum naves emiserant, totidem planè alias depresserint, alias cum ipsis hominibus ceperint. qua de re ipsius verba subijciam: Postea simul cum socijs Atheniensiũ apud flumen Eurimedontẽ in Pamphylia, terrestri navaliq; certamine adversùs Medos pugnarunt: eodemq; die bis Athenienses, duce Conone, Miltiadis filio, victoria potiti sunt, captis ac depressis omnibus Phœnicũ navibus ad ducentas. Atq; his quidem nõ dissimilia sunt ea, quibus de terrestribus prœlijs agit. Nam aut longius, quàm par sit, oratione provehitur, aut rem præter modum in angustum contrahit. Cùm enim ea, quæ ab Atheniensibus circa Pylum & Sphacteriam insulam gesta sunt, cùm obsessos in ea Lacedæmonios Athenienses expugnârunt, in quarto libro narrare cœpisset, atq; interim pauca quædam leviter attigisset, ad ea tum demũ, quæ sunt pòst consecuta, sermonẽ convertit, omnesq; ex utraq; parte commissas pugnas, cùm neq; multi in illis cecidissent, & perpauci sese dedissent, diligenter & accuratè pluribus, quàm trecentis versibus est persecutus, quã quidem pugnã ipse summatim explicans, hæc ad verbum scribit: In insula quidem cæsi, aut vivi capti, tot fuerunt. armati in eam traiecerant quadringenti omnino supra viginti. ex his vivi capti sunt octo minus trecenti, reliqui occisi. ac ex illis quidem, qui vivi capti fuerant, Spartiani erant numero centũ viginti: ex Atheniensib. pauci sunt interempti. De Niciæ autem imperio illata mentione, qui sexaginta & bis millena vib. Athenienses gravis armaturæ milites in Peloponnesum ducebat, ac, Lacedæmonijs in castella cõclusis, Cytheros expugnavit, magnamq; Peloponnesi partẽ depopulatus, ingenti captivorũ multitudine abducta, Athenas renavigavit, sic breviter de reb. ad Cytheros gestis ait: Pugna cõmissa, Cytherij, cũ non diu restitissent,

ſent, fuga ſe in ſuperiorem civitatis partem recepe-runt, ac pòſt, cum Nicia ſalutem pacti, ſe cum rebus omnibus ei dediderunt. De Aeginetis verò captis, qui Thyreæ erant, ita ſcribit: Intereà Athenienſes cùm appuliſſent, ſtatim omni exercitu admoto, Thyream capiunt, civitatem incendunt, omnia diripiunt: Aeginetis autem, ſi qui à cæde ſervati erant, abductis, Athenas reverterunt. Cùm autem magnis utraque civitas in ipſo ſtatim belli initio calamitatibus conflictaretur, fiebat, ut pacis utraq; cupiditate teneretur. Iam de priore pace loquens, cùm Athenienſes omni ſua regione vaſtata, civitate verò propter peſtilentiam exhauſta, auxilium prorſus omne deſperantes, Spartam legatos miſerant, qui pacem, qua maximè egebant, poſcerent, non modò legatorum nomina prætermiſit, ſed illud ſimul, quam apud eos orationem habuerint, quiq; eorũ petitioni adverſantes, effecerint ut fœdus Lacedæmonij reijcerent. quæ leviter ac negligenter, quaſi contemnenda, his verbis expoſuit: Poſt ſecundam Peloponnenſium irruptionem, Athenienſes, quorum iam iterum vaſtata erat regio, quiq; & bello & morbo vexarentur, mutata voluntate, Periclem, quòd bellum ſuaſiſſet, accuſabant, illius effectũ opera exiſtimantes, ut in tot calamitates inciderent, ac, cùm cedere Lacedæmonijs ſtatuiſſent, miſſis hac de re legatis, nihil apud eos perfecerũt. De poſteriore verò pace ſcribens cum Lacedęmonijs captos ad Pylũ trecentos, miſſa Athenas legatione, recuperare vellét, eam orationem, quam Spartanus habuit, & cauſſas, cur pactionibus non ſteterint, percurrit. Quòd ſi ſatis officio ſuo ſe functum arbitratus eſt, ſi tantùm capita quædam rerum ab Athenienſiũ legatis geſtarũ perſequeretur, neq; adhortationibus, quibus uſi ſunt, commemorandis, neq; eorum, qui ſuaſerunt, neq; Lacedæmoniorum, qui fœderis ſocietatem admittendam cenſuerunt, nominibus indicandis operã ponendam exiſtimavit, cur non idem in ijs, qui Lacedæmone Athenas venerunt, inſtitutum ſervavit, cùm illi quoq; pace infecta diſceſſerint? ſin aũt in his cõmemorandis

magna diligentia opus esse non ignoravit, cur illa per negligentiam prætermisit? neq; enim existimandum est, eum facultatis imbecillitate prohibitũ, ne aut invenire, aut, quę utrobiq; rebus ipsis convenirent, eloqui posset. Quòd si suis quibusdã rationib. adductus alteram legationem exaggerare maluit: nequeo sanè conijcere, cur Laconicam Atticæ, hoc est, eã, quæ posterior esset, ei, quę præiret tempore, anteferret: cur propriam alienæ; cur eam deniq;, quæ minorum, quàm quæ maiorum calamitatum caussa missa fuerat. Cùm verò urbiũ expugnationes & eversiones, & homines in servitutem abductos, aliaq; eius generis scribere cogitur, ita interdum animos crudelium, gravissimarũ planeq; miserabilium rerũ commemoratione perturbât, ut nullã reliquis historicis, nullã poëtis rei altius extollendæ facultatẽ relinquat: interdum verò adeò pusilla adeoq; humilia nobis ostendit, ut eorũ cognitio ne leviter quidem animos afficiat. Cùm autem de Platæensiũ, cùm de Mitylenensium ac Myliensiũ civitatibus ageret, summã in illarũ calamitatibus describendis vim adhibuit, ac verba quidem, quibus rem totam explicavit, non puto necessariũ esse nunc in medium adducere. ea verò loca, in quibus hanc diligentiam vitavit, neq; valde lectoris animum commovet, quod in historia sua non rarò fecit, afferam. Iisdẽ temporibus Athenienses, Sicyonijs expugnatis, omnem iuventutem deleverunt, captisque pueris ac mulieribus, regionem ipsam Platæensibus utendã dederunt. ac rursum: Cùm in Eubœam duce Pericle pertransissent, passim agros vastarunt, ac reliqua eius regionis parte pactionibus in deditionem recepta, Estięos sedibus eijcientes, eorum terra sunt potiti. Aeginetas quoque eodem tempore Athenienses, unà cum uxoribus ac liberis Aegina eiecerunt, accusantes quòd belli caussam potissimùm præbuissent, atq; existimantes si ex suis incolas eò mitterent, propterea quòd Aegina Peloponneso adiaceret, minore cùm periculo se Aeginæ imperium habituros. Nec verò pauca præterea in illius historia liceat invenire, quorum alia summam

mam eum in scribendo amplificationem adhibuisse ostendunt, cui neq; addi quidquam, neq; detrahi possit: alia ita sunt negligenter decursa, ut eximiam illius in dicendo facultatem ne minima quidem ex parte præseferant. quod quidem cernere est potissimum in concionibus, in colloquijs atq; alijs eiusmodi elaboratis orationibus, quæ cũ omnia diligenter curasset, historiam ipsam reliquisse videtur imperfectã, quemadmodum Cratippus, qui & eius fuit æqualis, &, quæ ipse omiserat, in unum coëgit, scriptum reliquit: cùm eas orationes ita dicat adhibitas esse, ut non modò rebus ipsis sint impedimento, verùm etiã auditoribus permolestæ: idq; sentientem Thucydidem, nullam in ultima historiæ parte orationẽ adiunxisse, etsi multa in Ionia, multa Athenis evenissent, quæ sermonum & orationum interventu transigerentur. Quòd si quis primum cum octavo libro conferat, neq; idem in illis institutum, neq; eandẽ in explicando vim inesse iudicabit. alter enim, cùm paucas admodum nec magni momenti res habeat, totus concionibus ad artem factis abundat: in altero contrà & multis & magnis rebus referto, magna est concionum infrequentia. Iam verò & in ipsis concionibus lapsum illum in hunc errorem videor animadvertisse, ut in eodẽ argumento, eodemq; tempore, quę ad rem facerẽt, omiserit, quæ verò maximè aliena essent, in orationẽ induxerit. cuius generis illud in tertio libro, ubi de Mitylenensiũ civitate verba facit, videtur esse. Nam post urbẽ captã, ac post captivorũ adventũ, quos Paches dux miserat, cùm bis conventus Athenis ageretur, orationes ab ijs qui populi factionum principes erant, habitas, quasi minimè necessarias, omisit. in quo quidẽ cõventu populus decreverat, ut captivi atq; omnis Mitylenæorũ iuventus trucidaretur, ac mulieres cum pueris in captivitatẽ abducerentur. ea verò, quæ in secundo conventu ab ijsdẽ essent dicta, tanquã maximè necessaria, assumpsit. in quo quidẽ cõventu, populũ, qui eadẽ de re iterũ coactus erat, prioris decreti pœnituit. Illa verò tã celebris laudatio, quã in secũdo lib. collocavit, qua

factum est ratione, ut eum potius, quàm alium locum occupaverit? Nam sive id factum est propterea, quòd in magnis urbis calamitatibus, in quibus multi fortesq; ex Atheniensibus viri pugnantes occubuerunt, usitatos luctus commemorare necesse fuit; sive quòd eos, qui cecidissent, propter magnas res feliciter gestas, ex quibus civitati ipsi & vires accesserunt, & gloria est parta, laudationibus prosequēdos existimavit, hæc profectò laudatio cuivis alij potius, quàm huic loco convenire videatur. siquidem qui in prima Peloponnensiū irruptione cecidisse in hoc libro memorantur, perpauci numero Athenienses erant, neq; ita memorabile facinus ullum, ut ipse estatur Thucydides, ediderāt. nam cùm antea de Pericle dixisset, quòd nimirum is custodia civitatem contineret, ac quantum quidem posset, quietam conservaret, ita tamen, ut frequenter equites emitteret, qui hostium emissarios ab agris, qui vicini urbi erant, prohiberent, ne quid, ipsis agris damni inferretur, deinde brevem quandam pugnam ab Atheniensium equitibus in Phrygijs ait esse commissam, pòst Thessalos cum Bœotorū equitibus prœlio decertasse: in quo quidē nihilo fuerunt Thessali Atheniensib. inferiores, donec Bœoti gravis armaturę milites prętò fuerūt, quorū illi auxilio in fugam versi, qua in pugna Thessali atq; Athenienses occubuere pauci, quorū illi eodem die sine ulla pactione potiti sunt, sequenti verò Peloponnenses trophęum erexerunt. Porrò illi, quorum in quarto libro meminit, qui Demosthene duce circa Pylū & terra & mari contra Lacedæmoniorum exercitum dimicârunt, ac utriusq; pugnæ victoriam reportârunt, quæ magnam civitati lætitiam attulit, multò profectò illis & numero & virtute superiores erant. quid igitur venit in mentē Thucydidi, ut cùm paucis istis equitibus, qui neq; gloriam ullam, neq; potentiam civitati pepererunt, publica monumenta aperuerit, ac clarissimū oratorē Periclē arduam illam tragœdiam induxerit disponentem: illis verò qui & plures & fortiores erant, quorum opera factum est, ut qui bellum Atheniensib. intulerant, ij le

ij se ad illorum pedes abijcerent, quiq; longè, ut hoc honore afficerentur, digniores erant: qua, inquam, ratione est adductus Thucydides, nullã ut his viris laudationem scriberet? Ac, ut omnes alias & terrestres & navales pugnas prætercam, in quibus multi sunt interempti, quos quidem multò iustius funebribus illis laudationibus exornasset, quàm plebem illam, ex Attico agro collectam, qui vix decem aut quindecim equitum numerum explerent, nónne illi Athenienses eorumq; socij, qui in Sicilia cum Nicia & Demosthene in pugnis, quæ terra mariq; fierent, ac postremò in illa infelici fuga ceciderunt, nónne, inquam, hi, quib. ne sepultura quidem legitima contigit, cùm paulò essent quadraginta millibus pauciores, multò erant digniores, quos & luctu & ornamentis in funeribus adhiberi solitis prosequeretur? quos tamen viros ita ille contemptui habuit, ut ne hoc quidem diceret, civitatem publicè eos luxisse, ac, quæ in peregrina terra cadentibus iusta fieri solent, persolvisse. at in illis alijs talem laudationem fingit, ut, qui illam haberet, omniũ oratorum præstantissimum eligeret. Ac sanè non decebat Athenienses publicè xv hominũ casum lugere, ijs verò, quos vel ex tabulis, in quibus militum nomina scribebantur, amplius quinque millibus occisos constat, nullum honorẽ impertiri. Verùm cùm Periclis personam ad suum usum vellet accommodare (dicam enim quod sentio) videtur sibi necessariò faciendum existimasse, ut dignã Pericle laudationẽ componeret, ac, quoniã secũdo illius belli anno vita functus est, nec ullis alijs urbis calamitatib. superstes fuit, iccirco videtur Thucydides in res tam minutas, quęq; vix tanti essent, ut in illis explicandis opera sumi debúisset, tãtas, pręter illarũ rerũ dignitatẽ, laudes contulisse. Porrò quàm inæquali sit ratione usus in amplificando, facilè quis animadvertat, si cõsideret, multis cum magnisq; rebus prætermissis historiæ suę procemiũ ad quingentos versus protraxisse, ut, quę ante hoc bellũ gesta à Gręcis fuerãt, non magnũ habuisse momentum, neq; eiusmodi fuisse illa, ut cõferri cũ hoc debe-

ant, ostenderet. Nã prætcrquã quòd hæc veritatẽ non habét, ut ex multis rebus ostẽdi potest, nõ hęc est ratio ineunda ijs, qui ex arte rem aliquã exaggerare volũt. nõ enim, quæ res inter minimas excellit, sed quæ magnas exuperat, verè magna est iudicanda. ipsius verò procœmiũ ita est comparatũ, itaq; multas ad institutũ suũ demonstrandũ exaggerationes habet, ut ipsũ per se historia quædã esse videatur. at qui de arte dicendi præcepta tradiderũt, procœmia ipsa veluti notas quasdã volunt esse, quibus capita rerũ, de quib. est dicendũ, commonstremus. quod quidẽ & hic noster in extrema procœmij parte, cũ narrationẽ exordiri vellet, videtur paucioribus quàm quinquaginta versib. fecisse: ut satis appareat nihil opus fuisse, ut multa illa, quæ de Græciæ dignitate detraherent, in medium proferret: quòd scilicet Troiani belli tempore nondũ uno nomine universa Græcia appellaretur: quòd illi primũ, qui cibi inopia laborarent, navibus inter se ultrò citroque cõmeare cœperint: qui si in civitates nondũ muris septas, quæq; vicatim habitabantur, incidissent, eas diripiebant, hincq; maiorẽ sibi victus partem petebant. Quid autẽ hìc de Atheniensiũ luxu, quo illorum maiores diffluebãt, meminisse necesse fuit? quod nimirũ illi capillos cincinis intorquerent, quòd aurea quædã ornamenta, quæ cicadarũ speciem referrent, in capite gestarent: quòd primi Lacedæmonij in publicis, vestibus detractis, nudati in palęstra se oleo inunxerint: quòd Aminocles Corinthius, navium fabricator. primus Samijs quatuor triremes extruxerit: quòd Sami tyrannus Polycrates Rheniam ceperit, quòd Apollini Delio donaria suspẽderit: quòd Phocenses, qui Massiliam incolebãt, navali prœlio Chalcedonios superârint: atq; alia, quæ his sunt similia: quid, inquam, illi in mentem venit hæc ut ante narrationẽ commemoranda existimaret? Quòd si, quæ mea sit sententia, fas est dicere, optimè procœmium instituisset, si omnibus, quæ in medio sunt posita, sublatis, extremaq; eius parte cum propositione coniuncta, in hunc, qui sequitur, modum confecisset. Thucydides Atheniensis bellum,

quod

quod inter se Peloponnenses & Athenienses gesserunt,conscripsit,incipiens statim exorto eo,magnum, atque omnium,quæ unquam anteà gesta sint,memoratu dignissimum existimans,hac coniectura ductus, quòd utraq; pars rebus maximè florentib. omni cum apparatu id gesserit:cùm videret aliam quidem Græciæ partem statim alteri parti adhærere,aliam non sine deliberatione id facere.hic autem fuit Græcis maximus motus,neq; verò illis solùm, sed & barbaris,atque adeò plerisq; mortalibus.ac ea quidem,quę ante hæc gesta essent, quæq; his essent vetustiora,planè in apertum produci, propter vetustatem nulla ratione potuerunt.sed,quantum ex signis quibusdam colligere licet,equidem,cùm hæc à vetustissima origine repeto, non puto illorum res neque in bellis,neque alijs in rebus insignes fuisse. in his verò neque magnam poëtis, qui res plerunque extollunt, fidem adhibuit, neq; historicis, qui se totos in rebus non optimè examinatis ad demulcendas aures magis, quàm ad veritatem tradendam composuerunt, quarum quidem rerum maxima pars propter temporis diuturnitatem in fabularum naturam abijt.sed tamen,ut in rebus vetustatis obsoletis fieri potuit,satis ex clarissimis coniecturis rem sibi videtur in apertum produxisse. atque hoc quidem bellum, etsi homines,quibus ipsi bellis intersunt,atq; depugnant,ea omnium arbitrãtur esse maxima,absoluta verò cùm sunt,vetera admirãtur:tamen ostendet ijs, qui ex rebus gestis iudicabũt, longè maximũ extitisse.ac omnia quidé,quę dicerét singuli, qui aut gesturi bellũ erãt,aut iam gererẽt,quę aut ipse audivi,aut alijs narrantib. cognovi, difficile fuerit penitùs explicare. Verũ ut quisq; semper de reb.pręsentib.maximè cõsentanea dicere mihi videbatur,& proximè ad veritaté accedere,ita à me cõmemorata sunt. Res verò in bello gestas,nõ quas à quocũq;casu audivi,historia dignas existimavi,nec eas,quę mihi viderẽtur,sed eas,quib.ipse interfui,quasq; ex alijs quã potui diligẽtissimè perquisivi.nec facillima fuit invẽtio: propterea q qui singulis gerẽdis reb. affuerãt, nõ ea:

dem affirmabant, sed ut quis aut in alterutram partē studio propensior erat, aut reminiscebatur. & auditu quidem, ut quæq; pars fabularum expers in ipsis est, ita minus iucunda fortasse videbitur. quicunq; autē & præteritas res, &, quantum humano consilio licet, etiam futuras præteritis similes considerare, planeq; inspicere voluerint, his, cum illa utilitatem pariant satis erit, emolumentumq; potius, quod semper idem sit, quàm spectaculum, quod in pręsenti tantùm oblectet, in scribendo cogitamus. Ac earum quidē rerum, quæ superiori ætate gestæ sunt, maximæ erant Medicæ, quæ tamen duobus navalibus prœlijs, totidemq; pedestribus, ad exitum pervenerunt. huius verò belli tum longitudo in immensum processit, tum magnas in universam Græciam calamitates invexit, quales eodem spacio temporis nullę unquā contigerunt: nam neq; tot urbes expugnatæ vastatæq; sunt, vel barbarorum impetu, vel domesticis contentionibus. sunt etiā quæ incolas captæ mutaverunt: neq; tot auxilia, tótve neces audivit quispiam, vel belli, vel seditionum caussa. Atq; superiora illa, quæ auditione quidē percipiuntur, re autem ipsa rarissimè confirmantur, fidem tamen acceperunt: qualia narrantur de terræ motibus, qui hoc in bello plerisq; orbis terræ partibus extiterunt: quæ de Solis defectionibus, crebrioribus quàm unquā anteà: quæ de siccitatibus, unde fames ingens, ex fame verò pestilentia exorta, quæ nō mediocribus civitatē malis afflixit. quæ simul omnia cum hoc bello civitatem invaserunt. Origo autem ipsius ab Atheniensibus & Peloponnesijs, soluto, quod in annos triginta post captam Eubœam percussum erat, fœdere, manavit. qui cur initam fœderis societatem diremerint, & caussas, & dissensiones primùm ostendi, ne quis, unde tantū inter Gręcos bellū extiterit, aliquando posset exquirere. Hæc sunt, quę in Thucydidis scriptis rectè, quęq; malè, quod ad eā partē spectat quę res cōtinet, cōposita arbitramur. nūc eam partē, quę cōsumitur in verbis, aggrediamur: in qua quidē qualis sit eius dicēdi ratio, cōspicitur. quod antequā faciamus,

non

nō ab re fortasse fuerit, si hoc de genere nōnulla prius attingamus; quotque in partes ipsa distribuatur dictio, quas q; in se habeat virtutes, indicemus; tū qualis illa fuerit, quam à vetustioribus usurpatam assumpsit Thucydides, qualesq; ille partes aut in melius aut in deterius commutârit, nihil occultantes, ostendamus. Primùm illud perspicuum est, omnem dictionem in duas distribui partes, in verborum delectum, per quæ ipsæ res communicantur; atque in partium, quæ maiores, quæve sint breviores, compositionem. Iam horum unumquodque rursus in alias particulas dispertitur. defectus enim particularum, ut ita dicam, elementarium, hoc est, ut vocant, nominalium, verbalium & coniunctivarum, duabus est in rebus occupatus: aut in propria elocutione, aut in figurata. compositio verò tribus in rebus cernitur, incisis, membris, circuitibus. atque huic quidem utrique parti, hoc est, tam simplicibus, insectilibusque, quàm ex his compositis nominibus, insunt figuræ quædam, quæ Schemata vocantur. Observandum est etiam, earum quæ Virtutes appellantur, alias esse necessarias, quas quidem in omnibus adhiberi sermonibus oporteat: alias verò esse adscititias, quæ tum primùm vires assumūt. cùm primæ illæ subsistunt, de quibus uberius anteà disseruimus, ut nihil sit necesse nunc de illis denuò orationem instituere. Neque verò, quibus ex præceptis aut rebus harum virtutum quælibet enascatur, cùm multæ illæ sint, meminisse oportet: cùm hęc iam à nobis omnia sint quàm diligentissimè pertractata. quo verò dicendi genere sunt usi, qui ante Thucydidem Historias scripsere, quasque ex his leviter attigerint partes, ab initio, ut eram pollicitus, rem repetens summatim percurram. sic enim proprium huius viri characterem pernoscere cuivis licebit. Ac veteres quidem illi, qui multò anteà fuerunt, quiq; nonnisi ex ipsis sunt nominibus noti, quam sint dicendi rationem secuti, non satis queo conijcere, simpléx ne illa fuerit & inornata, ac nihil supervacaneum, nihil non utile non necessarium habuerit, aut contrà magnifi-

ca fuerit, & referta dignitatis & opificij Rhetorici, varioque ornamentorum fuco depicta. maximæ enim partis scripta ad nostra tempora non pervenerunt, aut si quæ ad hanc diem servata sunt, non omnia esse illorum, quibus tribuuntur, existimant. ut sunt illa, quę Cadmo Milesio, quæque Aristęo Proconnesio adscribuntur. scriptores autem, qui ante Peloponnesiacum bellum fuerunt, atque ad Thucydidis usque ætatem pervenerunt, omnes propemodum idem consilium secuti sunt. quos quidem aut Ionica lingua, ut quæ illis temporibus maximè omnium floreret, aut Attica illa vetus, non admodum ei dissimilis, oblectavit. Hi sanè omnes, ut est antè dictū, sermonis proprietatem magis, quàm dicendi tropos adamaverunt: tropos autem, ut condimenta orationi insperserunt: verborum autem compositionem omnes eandem ferè affectarunt, simplicem, minimeq; accuratam. neque verò in sententijs figura aliqua exornandis tantum diligentiæ posuerunt, ut supra communem vulgoq; tritam atque ab omnibus usurpatam dicendi rationem efferrent. Itaque eas virtutes, quas necessarias vocavimus, illorum omnium habet dictio. est enim & pura & perspicua & brevis, satis proprium cuiusq; dialecti characterem servans, eas autem dicendi virtutes, quas adscititias nominavimus: quibus omnis oratoria vis maximè fit perspicua, neq; omnes, neq; summa diligentia conquisitas, sed paucas admodum breviterq; adhibuerunt. intelligo autem sublime illud orationis genus, magniloquentiam, venustatem, maiestatem. neque quispiam est, uno excepto Herodoto, qui in orationem induxerit illud, quòd Græci rhetores τόνον & βάρος, nos intentionē aut contentionem & pondus possumus appellare; neq; πάθος ullum, quo animi affectiones excitarentur; neq; spiritus illos magnos & certaminibus aptos, ex quibus illa dicendi species conformatur, quæ Græcè δεινότης dicitur, Latinè Vim in dicendo possis nominare. Herodotus autem & in verborum delectu, & in compositione, atq; in ipsa figurarum varietate longè cæteris excelluit, & ita suam ora-

tio-

tionem instituit, ut vel optimæ poësi solutam orationem similé faciat propter suadelam illam & venustatem ac ad summum usq; perductam voluptaté. qui ne illas quidé maximas, quas diximus, & præclarissimas dicendi virtutes omisit, præter genus illud certaminibus aptum: idq; sive quòd natura ab eo dicendi genere abhorrebat, sive quòd suis quibusdã rationibus adductus, spontè illud, tanquã historijs minimè accommodatum contempsit. is enim neq; concionibus multis, neq; alijs ad contentionem accommodatis orationibus utitur, neq; ullam ad concitandos animorũ motus, & res augendas amplificandasq; vim habet. huic atq; alijs, quorum superius est facta mentio, superveniens Thucydides, cùm, quas quisque dicendi virtutes haberet, vidisset, ipse propriam quandam dicendi formam ab alijs non animadversam primus in historiam induxit, in electione quidem verborum, cuique genti peculiarem & obsoletam ac peregrinam dictionem, communi, suoque tempore usitatæ linguæ anteponens: in iungendis auté, inter seq; aptandis maiorum aut minorũ vocum particulis, grandem, austeram, gravem, & literarũ asperitate aures ferienté compositionem, pro suavi, molli & concinna, nihilq; in se asperitatis habente consectatus est. In figuris autem adhibédis, quibus in primis vetustiores superare contendebat, nimiam diligentiam posuit. Totos auté viginti septem annos in illis octo libris, quos solos reliquit, immutandis cõsumpsit. quos assiduè pervolutãs & singulas locutionũ particulas limabat. nunc ex uno nomine orationé conficiens, rursusq; in nomé orationem contrahens: interdũ verò, quod verbum est, prõ nomine usurpans, ac rursus nomen verbum faciens, atq; omnium eorũ usum pervertens: ita ut, quod proprium est, eo pro appellativo abutatur, quod verò est appellativum, pro nomine proprio usurpet. insuper verba patiendi activa facit: quæ verò actioné notant, ijs ipse passionem attribuit. porrò eorum, quæ multitudinis, quæve unius numero efferri debét, naturam commutat, atq; alia de alijs dici cogit; maré significan

na fœmineo sexui coniungit; ea verò, quæ sub fœminæ genere comprehenduntur, maribus attribuit: quæ autem neutrius sunt generis, ita his connectit, ut tota naturalis illa coaptatio & cõsecutio divagetur. nominum & participiorum casus ab eo, quod significare debet, ad id, quod iam est significatum: & contrà quod iam est significatum, ad significans transfert. In coniunctivis autem ac præpositivis particulis, ijs præsertim, quæ vocabulorũ vires distinguũt, poëtica prorsus utitur licentia. Iam in eo facilè figuras reperire licet personarũ aversiones, & temporũ cõmutationes, & differentias localium notationũ, quæ sunt præter consuetudinem usurpata, & præ se ferunt solœcismum. Prætereà, quot in ipso res videas pro corporibus, & corpora vicissim pro rebus sumi? in enthymematibus verò, in quibus interpositiones, cùm multæ sint, longo intervallo suam consecutionem referunt, quàm sunt omnia tortuosa, quàm perplexa, & ad explicandum difficilia, atq; alia his similia? non paucas autem figuras, etiam theatrales ab eo usurpatas invenias, ut paria paribus relata, adnominationes, oppositiones, quibus nimis frequenter usi sunt Gorgias Leontinus, Polus, Lycimnius, & multi alij, qui eodem tempore floruerunt. illa verò huic nostro nimis sunt familiaria, quæ facilè in eo licet animadvertere, studiũ scilicet in ea re, ut paucissimis verbis quàm plurimas res comprehendat, multasq; in unum sententias cogat, ac tum maximè auditorem, cùm expectat adhuc aliquid, relinquat. quo fit ut brevitas obscuritatem pariat. sed ut hęc paucis comprehẽdam, quatuor esse in Thucydide animadverti veluti instrumenta eius generis dicendi, quo ille potissimum delectatur, poëticam quandam in vocabulis licentiam; in figuris multiplicem veritatem; harmoniæ & concentus asperitatem quandam; figurarum τάχος, quæ à nonnullis Acceleratio vocatur. In coloribus autem, orationisq; ornamentis, durus est & acerbus, densus, austerus, vehemens, gravis, terribilis, atque in primis affectionibus movendis peraccommodatus. Talis quidem est Thu-

Thucydides in suo illo charactere, & forma dicendi, quo cæteros anteivit. Cùm autem & institutum eius & facultas unà decurrunt, perfectam absolutamque, atque adeò divinam orationem efficit. cùm verò non est par viribus propter dicendi celeritatem; quam ubique non præstat; oratio fit obscura, vitia quædã, quæ minimè deceant secum afferens. Nam præclara illa, rebusq; in omnibus necessaria præcepta, quibus traditur, qua ratione sit peregrinis ac novatis utendum, ac quatenus illa sint assumenda, non per omnes historiæ partes servavit. Iam, cùm hæc veluti per capita attigerimus, superest, ut iam ad ea demonstrãda nostra delabatur oratio. Neq; verò est consilium, ita de singulis separatim Thucydidis dicendi formis sermonem facere, ut illius verba subiungam, sed diversis varijsque ex locis particulas quasdam sumere narrationis & orationum, hisque causas apponere, ex quibus facilè cognosci queat, quibus in locis tam in rebus ipsis quàm in verbis bene maléve se gesserit. sed illud iterum abs te, Q. Aeli, atque ab alijs elegantis doctrinæ sectatoribus, si qui fortè hæc legent, maiorem in modum peto, ut susceptum à nobis consilium perpendant. nihil enim nos aliud conamur, quàm ut characterem Thucydidis ostendamus, ac simul omnia animadversione digna, quæ illi contigerint, comprehendamus. quæ omnia cùm facimus, nihil omnino, præter eorum, qui ad huius se viri imitationem componere volunt, utilitatem, propositum habemus. Itaque in ipso statim procemij exordio hac utens propositione, Bellum scilicet Peloponnesiacum, de quo scripturus erat, omnium, quæ antè gesta essent, fuisse maximum, hæc ad verbum scribit: Ac bella quidem antè gesta, atque his vetustiora, planè in apertum produci, temporis longinquitas vetuit. sed quantum ex signis quibusdam colligere licet, equidem hæc à vetustissima origine repetens, magnas fuisse illorum res, neque in bello, neque alijs in rebus, existimo. nam in ea, quæ nunc Græcia appellatur, perpetuum olim incolas domicilium habuisse non videtur. nam cùm à

maiore aliquá multitudine coactus suam quisq; patriam facilè relinqueret, persæpe migrationes fiebãt. quippe cùm nulla adhuc inter eos negociatio esset, neque ullum citra formidinem vel terra vel mari commercium haberent: sed eò usq; suis rebus uterentur, quatenus ad vitam satis esse existimarent, pecuniæ copiam non habentes, neque terram serentes.

DESVNT NON PAVCA.

δεδουλωμένοι ὡς ἐπὶ λακεδαιμονίους. καταφρονήσαντες οὖν αὐτῶν καὶ ἐμβοήσαντες ἀθρόοι ὥρμησαν ἐπ' αὐτούς. Hoc est: abiecto servilique animo, ut qui contra Lacedæmonios proficiscerentur. eos igitur contemnentes, sublato clamore confertim impetũ in eos fecere.

Multò autem hæc circuitio erat utilior futura, si ipse, nõ hoc, quo fecit, pacto eam comprehendisset, sed communiorem & utiliorem secutus fuisset rationem; atque ita hæc verba collocasset, ut extremam cum prima parte coniungeret, quæ verò in medio iacent, ea reijcerentur in sequentem locum. hoc sanè pacto contorta, & gravior est oratio; multò verò fuisset clarior & iucundior, hoc ordine collocata:

τῶν δὲ λακεδαιμονίων οὐκ ἔτι ἀπελθεῖν, ἢ προσπίπτειν δυναμένων, γνόντες αὐτοὺς οἱ ψιλοὶ βραδυτέρους ἤδη, ξυστραφέντες καὶ ἐμβοήσαντες ὥρμησαν ἐπ' αὐτοὺς ἀθρόοι. ἔκ τε τῆς ὄψεως, τὸ θαρρεῖν προσειληφότες, ὅτι πολλαπλάσιοι ἦσαν, καὶ ἐκ τοῦ μηκέτι δεινοὺς αὐτοὺς ὁμοίως σφίσιν φαίνεσθαι, καταφρονήσαντες, ἐπειδὴ οὐκ εὐθὺς ἄξια τῆς προσδοκίας ἐπεπόνθεσαν, ἣν εἶχον ὑπόληψιν ὅτε πρῶτον ἀπέβαινον, τῇ γνώμῃ δεδουλωμένοι ὡς ἐπὶ λακεδαιμονίους:

Hoc est: Cùm Lacedæmonij non iam amplius abire, aut irruere in illos possent, gravis armaturæ milites tardiores eos esse factos animadvertẽtes, collectis viribus, ac clamore sublato, confertim in illos impetum fecerunt. ex quo fiebat, ut cùm se plurimos esse

cer-

cernerent, animus etiam accederet, & cùm non æquè, ac ipsi essent, fortes illos arbitrarentur, contemptui haberent. quandoquidem non statim, quæ expectaverant, experti sunt, ut, cùm primùm in terram descenderent, putabant, deiecti animo, tanquam adversus Lacedæmonios pugnaturi.

Detracta hac tota circumscriptione, reliqua omnia nominibus ac figuris maximè accommodatis comprehendit; neque ullam, propè dixerim, aut ad orationem, aut ad res spectantem virtutē prætermisit. quas quidem virtutes denuò enumerare nihil necesse est. in septimo autem libro extremam Atheniensium & Syracusanorum navalem pugnam narrans, sic & verbis & figuris in explicandis rebus usus est:

ὁ δὲ Δημοσθένης, καὶ Μένανδρος, καὶ Εὐθύδημος. οὗτοι γὰρ ἐπὶ τὰς ναῦς τῶν Ἀθηναίων στρατηγοὶ ἐπέβησαν, ἄραντες ἀπὸ τοῦ ἑαυτῶν στρατοπέδου εὐθὺς, ἔπλεον πρὸς τὸ ζεῦγμα τοῦ λιμένος, καὶ τὸν καταληφθέντα διέκπλουν βουλόμενοι βιάσασθαι εἰς τὸ ἔξω. προεξαγαγόμενοι δὲ οἱ Συρακούσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι ναυσὶ παραπλησίαις τὸν ἀριθμὸν, καὶ πρότερον κατά τε τὸν ἔκπλουν μέρει αὐτῶν ἐφύλασσον, καὶ κατὰ τὸν ἄλλον κύκλῳ λιμένα, ὅπως πανταχόθεν ἅμα προσπίπτοιεν τοῖς Ἀθηναίοις. καὶ ὁ πεζὸς αὐτοῖς, ἅμα παραβοηθῇ, ᾗπερ καὶ αἱ νῆες κατίσχοιεν. ἦρχον δὲ τοῦ ναυτικοῦ τοῖς Συρακουσίοις Σικανὸς μὲν καὶ Ἀγάθαρχος, κέρας ἑκάτερος τοῦ παντὸς ἔχων. Πυθὴν δὲ οἱ Κορίνθιοι τὸ μέσον. ἐπειδὴ δὲ οἱ Ἀθηναῖοι προσέμισγον τῷ ζεύγματι, τῇ μὲν πρώτῃ ῥύμῃ ἐπιπλέοντες, ἐκράτουν τῶν τεταγμένων νεῶν πρὸς αὐτῷ. καὶ ἐπειρῶντο λύειν τὰς κλῄσεις. μετὰ δὲ τοῦτο, πανταχόθεν σφίσι τῶν Συρακουσίων καὶ ξυμμάχων ἐπιφερομένων, οὐ πρὸς τῷ ζεύγματι ἔτι μόνον ἡ ναυμαχία, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν λιμένα ἐγίγνετο.

καὶ ἦν καρτερὰ, καὶ οἵα οὐχ ἑτέρα τῶν πρότερον. πολλὴ μὲν γὰρ ἑκατέροις προθυμία ἀπὸ τῶν ναυτῶν ἐς τὸ ἐπιπλεῖν, ὁπότε κελευσθείη, ἐγίγνετο. πολλὴ δὲ ἡ ἀντιτέχνησις τῶν κυβερνητῶν, καὶ ἀγωνισμὸς πρὸς ἀλλήλοις. οἵ τε ἐπιβάται ἐθεράπευον, ὅτε προσπέσοι ναῦς νηῒ, μὴ λείπεσθαι τὰ ἀπὸ τοῦ καταστρώματος τῆς ἄλλης τέχνης, πᾶς τέ τις ἐν ᾧ προσετέτακτο, αὐτὸς ἕκαστος ἠπείγετο πρῶτος φαίνεσθαι. ξυμπεσουσῶν δὲ ἐν ὀλίγῳ πολλῶν νεῶν, πλεῖσται γὰρ δὴ αὗται ἐν ἐλαχίστῳ ἐναυμάχησαν. βραχὺ γὰρ ἀπέλιπον ξυναμφότεραι διακόσιαι γενέσθαι, αἱ μὲν ἐκβολαὶ, διὰ τὸ μὴ εἶναι τὰς ἀνακρούσεις, καὶ διέκπλοις, ὀλίγαι ἐγίγνοντο. αἱ δὲ προσβολαὶ, ὡς τύχοι ναῦς νηῒ προσπεσοῦσα, ἢ διὰ τὸ φεύγειν, ἢ ἄλλῃ ἐπιπλέουσα, πυκνότεραι ἦσαν. καὶ ὅσον μὲν χρόνον προσφέροιτο ναῦς οἱ ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων τοῖς ἀκοντίοις, καὶ τοξεύμασι, καὶ λίθοις, ἀφθόνως ἐπ' αὐτὴν ἐχρῶντο. ἐπειδὴ δὲ προσμίξειαν, οἱ ἐπιβάται εἰς χεῖρας ἰόντες, ἐπειρῶντο ταῖς ἀλλήλων ναυσὶν ἐπιβαίνειν. ξυνετύγχανέ τε πολλαχοῦ διὰ τὴν στενοχωρίαν, τὰ μὲν, ἄλλοις ἐμβεβληκέναι, τὰ δὲ αὐτοὺς ἐμβεβλῆσθαι. δύο τε περὶ μίαν. καὶ ἔστιν, ᾗ καὶ πλείους ναῦς κατ' ἀνάγκην ξυνηρτῆσθαι. καὶ τοῖς κυβερνήταις, τῶν μὲν φυλακὴν, τῶν δ' ἐπιβουλὴν, μὴ καθ' ἓν ἕκαστον, κατὰ πολλὰ δὲ πανταχόθεν περιεστάναι. καὶ τὸν κτύπον μέγαν ἀπὸ πολλῶν νεῶν ξυμπιπτουσῶν, ἔκπληξίν τε ἅμα, καὶ ἀποστέρησιν τῆς ἀκοῆς, ὧν οἱ κελευσταὶ φθέγγοιντο, παρέχειν. πολλὴ δὴ ἡ παρακέλευσις, καὶ ἀκοὴ ἀφ' ἑκατέρων τοῖς κελευσταῖς κατὰ τὴν τέχνην, καὶ πρὸς τὴν αὐτίκα φιλονεικίαν ἐγίγνετο. τοῖς μὲν Ἀθηναίοις,

βιά-

βιάζεσθαί τε τὸν ἔκπλουν ἐπιβοῶντες, καὶ περὶ τῆς ἐς τὴν πατρίδα σωτηρίας, νῦν εἴ ποτε καὶ αὖθις προθύμως ἀντιλαβέσθαι: τοῖς δὲ Συρακουσίοις καὶ ξυμμάχοις, καλὸν εἶναι, κωλῦσαί τε αὐτοὺς διαφυγεῖν, καὶ τὴν οἰκείαν ἑκάστοις πατρίδα νικήσαντας ἐπαυξῆσαι. καὶ οἱ στρατηγοὶ προσέτι ἑκατέρων, εἴ τινά που ὁρῷεν μὴ κατ' ἀνάγκην πρύμναν κρουόμενον, ἀνακαλοῦντες ὀνομαστὶ τὸν τριήραρχον, ἠρώτων. οἱ μὲν ἀθηναῖοι, ἐς τὴν πολεμιωτάτην γῆν, οἰκειοτέραν ἤδη τῆς οὐ δι' ὀλίγου κεκτημένης θαλάσσης ἡγούμενοι ὑποχωροῦσιν. οἱ δὲ Συρακούσιοι, εἰ οὓς σαφῶς ἴσασι προθυμουμένους ἀθηναίους παντὶ τρόπῳ διαφυγεῖν, τούτους αὐτοὶ φεύγοντας φεύγουσιν, ὅ, τε ἐκ τῆς γῆς πεζὸς ἀμφοτέρων, ἰσορρόπου τῆς ναυμαχίας καθεστηκυίας, πολὺν τὸν ἀγῶνα καὶ ξύστασιν τῆς γνώμης εἶχε. φιλονικῶν μὲν, ὁ αὐτόθεν περὶ τοῦ πλείονος ἤδη καλοῦ. δεδιότες δὲ οἱ ἐπελθόντες, μὴ τῶν παρόντων ἔτι χείρω πράξωσι. πάντων γὰρ δὴ ἀνακειμένων τοῖς ἀθηναίοις ἐς τὰς ναῦς, ὅ, τε φόβος ἦν ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος, οὐδενὶ ἐοικώς. καὶ διὰ τὸ ἀνώμαλον καὶ τὴν ἔποψιν τῆς ναυμαχίας ἐκ τῆς γῆς ἠναγκάζοντο ἔχειν. δι' ὀλίγου γὰρ οὔσης τῆς θέας, καὶ οὐ πάντων ἅμα ἐς τὸ αὐτὸ σκοπούντων, εἰ μέν τινες ἴδοιέν πῃ τοὺς σφετέρους ἐπικρατοῦντας, ἀνεθάρσησάν τε ἂν, καὶ πρὸς ἀνάκλησιν θεῶν, μὴ στερῆσαι σφᾶς τῆς σωτηρίας, ἐτρέποντο. οἱ δ' ἐπὶ τὸ ἡσσώμενον βλέψαντες, ὀλοφυρμῷ τε ἅμα μετὰ βοῆς ἐχρῶντο. καὶ ἀπὸ τῶν δρωμένων τῆς ὄψεως, καὶ τὴν γνώμην μᾶλλον, τῶν ἐν τῷ ἔργῳ ἐδουλοῦντο. ἄλλοι δὲ καὶ πρὸς ἀντίπαλόν τι τῆς ναυμαχίας

ἀπιδόντες διὰ τὸ ἀκρίτως ξυνεχὲς τῆς ἁμίλλης. καὶ τοῖς σώμασιν αὐτοῖς ἴσα τῇ δόξῃ περιδεῶς ξυναπονεύοντες, ἐν τοῖς χαλεπώτατα διῆγον. ἀεὶ γὰρ παρ' ὀλίγον, ἢ διέφευγον, ἢ ἀπώλλυντο. ἦν τε ἐν τῷ αὐτῷ στρατεύματι τῶν ἀθηναίων, ἕως ἀγχώμαλα ἐναυμάχουν, πάντα ὁμοῦ ἀκοῦσαι ὀλοφυρμὸς, βοὴ, νικῶντες, κρατούμενοι, ἄλλα ὅσα ἐν μεγάλῳ κινδύνῳ μέγα στρατόπεδον, πολυειδῆ ἀναγκάζοιτο φθέγγεσθαι. παραπλήσια δὲ καὶ ἐπὶ τῶν νεῶν αὐτοῖς ἔπασχον. πρίν γε δὴ οἱ Συρακούσιοι, καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐπὶ πολὺ ἀντισχούσης τῆς ναυμαχίας, ἔτρεψάν τε τοὺς ἀθηναίους, καὶ ἐπικείμενοι λαμπρῶς, πολλῇ κραυγῇ, καὶ διακελευσμῷ χρώμενοι, κατεδίωκον ἐς τὴν γῆν. τότε δὲ, ὁ μὲν ναυτικὸς στρατὸς, ἄλλος ἄλλῃ, ὅσοι μὴ μετέωροι ἑάλωσαν, κατενεχθέντες, ἐξέπεσον ἐς τὸ στρατόπεδον. ὁ δὲ πεζὸς οὐκέτι διαφόρως, ἀλλ' ἀπὸ μιᾶς ὁρμῆς, οἰμωγῇ τε καὶ στόνῳ πάντες δυσανασχετοῦντες τὰ γιγνόμενα, οἱ μὲν ἐπὶ τὰς ναῦς παρεβοήθουν, οἱ δὲ πρὸς τὸ λοιπὸν τοῦ τείχους, ἐς φυλακήν. ἄλλοι δὲ οἱ πλεῖστοι ἤδη περὶ σφᾶς αὐτοὺς καὶ ὅπῃ σωθήσονται, διεσκόπουν. ἦν τε ἐν τῷ παραυτίκα, οὐδεμιᾶς δὴ τῶν ξυμπασῶν ἐλάσσων ἔκπληξις. παραπλήσιά τε ἐπεπόνθεσαν καὶ ἔδρασαν αὐτοὶ ἐν πύλῳ. διαφθαρεισῶν γὰρ τῶν νεῶν τοῖς λακεδαιμονίοις, προσαπώλλυντο αὐτοῖς, καὶ οἱ ἐν τῇ νήσῳ ἄνδρες διαβεβηκότες. καὶ τότε τοῖς ἀθηναίοις ἀνέλπιστον ἦν τὸ κατὰ γῆν σωθήσεσθαι, ἢν μή τι παράλογον γίγνηται. γενομένης δ' ἰσχυρᾶς τῆς ναυμαχίας, καὶ πολλῶν νεῶν ἀμφοτέροις, καὶ ἀνθρώπων ἀπολομένων, οἱ Συρακούσιοι καὶ οἱ ξύμ-

μα-

μαχοι, ἐπικρατήσαντες, τά τε ναυάγια, καὶ τοὺς νεκροὺς ἀνείλοντο, καὶ ἀποπλεύσαντες πρὸς τὴν πόλιν, τροπαῖον ἔστησαν.

Hoc eſt, Demoſthenes autem, & Menander, & Euthydemus, qui duces in Athenienſium naves conſcenderant, cùm ſe loco moviſſent, ſine mora ad portus fauces, captas iam & occupatas, adnavigarunt, ut per vim ſibi exitum pararent. quibus Syracuſani, eorùmque ſocij, cum totidem navibus occurrerunt. ac primùm quidem partem illarū ad exitum cuſtodiendum collocarunt, altera totum undiq; portū tutabantur, quod eò faciebant, ut omni ex parte à peditatu adiuti, quocunque in loco naves conſtitiſſent, in Athenienſes irruerent. Præerant autem claſſi apud Syracuſanos Sicanus, & Agatharchus, alterum uterque totius exercitus cornu tenens. Pythen, & Corinthij medium habēbant. Atq; Athenienſes quidem alij, poſtquam ad fauces ſubiere, primo impetu navium, quæ ad eum locum erant, potiti, clauſtra conabantur aperire. ſed mox, invectis in eos undique Syracuſanis, ac ſocijs. non iam pro anguſtijs exitus tantùm, ſed etiam intra portum navale prœlium gerebatur; quod quidem omnium, quę antè facta eſſent, atrociſſimum fuit. Magnum enim erat utriuſque partis nautarum ſtudium ad naves in hoſtes impellendas, cùm iuberentur. magna gubernatorum artis æmulatio, mutuáque contentio. eorum autem, qui naves conſcenderant, hæc erat cura, ut, ſi navis in navem ſuccurreret, ne ij, qui in tabulatis inſiſtebant, reliquorum deſtituerentur artificio: ac quiſque in eo, quem ſortitus erat, loco primus eſſe contendebat. Cæterùm, multis non magno in ſpatio navibus inter ſe concurſantibus, ac prœlio decertantibus, cùm paulò ducentis eſſent pauciores, rari fiebant excurſus: propterea quòd neque progredi, neque inhiberi naves poſſent, ſed frequentiores implicationes, ut quæque, ſive fugiendo, ſive alteri occurſando, in alteram incidiſſet. Interea verò dum naves mutuò ſibi occurrerent, ij, qui in tabula-

tis erant, missilium, sagittarum, saxorum ingentem in illos vim conijciebant. cùm verò conserebantur, milites, commissa pugna in adversariorum naves insilire conabantur. fiebat autem locorum angustijs, ut, dum alterutri una ex parte hostes adorirentur, ipsi altera ex parte invaderentur, ac duæ interdum naves alicubi etiam plures, necessariò inter se conplicarentur, cùm gubernatores partim adoriendis alijs, partim sibi cavendo non una in parte, sed multis in locis circumsisterent. magnus autem erat multarum inter se concursantium navium strepitus, qui & terrorem nautis incutiebat, & earum rerum, quæ à præfectis iuberentur, auditum auferebat. Multa enim utraque ex parte adhortatio, & ingens præfectorum clamor exaudiebatur, tum ex arte gubernatoria, tum ex præsenti contentione vincendi: cùm Athenienses quidem suos, ut exitum sibi per vim pararent, magno clamore incitarent, utque, si unquam aliàs, nunc maiore studio ac contentione pro incolumi in patriam reditu elaborarent: Syracusanis verò ac socijs pulchrum videbatur prohibere, ne sui fugam caperent, sed vincendo suam quisque patriam honestaret. Præterea verò duces ipsi utriusque partis, si quam navem nulla necessitate coactam cedere animadvertissent, trierarchum nomine appellabant. atque Athenienses quidem ita percunctabantur, num terram inimicissimam magis hospitalem, quàm mare non exiguo labore partum, arbitrarẽtur; Syracusani verò, num Athenienses, quos certò scirent de fuga omnino cogitare, hos fugientes ipsi fugerent. Interea, dum isti equo Marte navali pugna decertant, utrorumque peditatum ingens certamen, & animi contentio tenebat; Syracusanis quidem maioris cõparandæ gloriæ cupiditate incensis; Atheniensibus verò ne secum peius, quàm anteà ageretur, mediocriter timentibus. Nam cùm omnes in navibus Atheniensium spes esset, tantus illorum animos, quantus nunquam fuit, futuri timor occupabat. quoniamq; certaminis exitus anceps videbatur, ideo pugnam è terra spectare cogebantur. Nam cùm esset

pro-

propinquum spectaculum, & omnes pariter eodem intuerentur, si qui suos alicubi vincentes aspexissent, animos attollebant, & ad Deorum opem implorandam, ne se desererent, convertebantur: qui verò suos superari videbant, ij magno cum eiulatu lugebant, adeò ut magis ex earum rerum aspectu, quàm illi ipsi, qui in opere versarentur, animum abijcerent. Erant, qui, cùm anceps certamen viderent, adversarijs acriter resistentibus, ipso corporum motu animi affectionē imitarentur, præque metu modò huc modò illuc corpore nutarent; ut ærumnam ex eo maximam sustinerent. assiduè enim exiguum intra spacium aut fugiebant, aut trucidabantur. Licebat autem ex Atheniensium exercitu, quàm diu æquo Marte pugnabatur, omnia simul exaudire, lamentationes, clamores, victores, victos, & alia eiusmodi, quæ magno in periculo magnus exercitus multis modis clamare cogitur. his æqualia & ijs eveniebant, qui in navibus erant. Cæterùm Syracusani, ac socij, cùm inter eos diu pugnatum esset, Atheniensium classem in fugam vertunt, strenueque invecti magno clamore & adhortatione terram versus persequuntur. tunc ex nautico exercitu, alia atque alia parte, quicunque in alto capti non erant, in castra se receperunt. pedites autem non iam diversi, sed uno eodemque impetu, ea, quæ iam evenerant, & luctu & gemitu prosequentes, partim ad subveniendum navibus, partim ad reliquam murorum partem tuendam contendunt. alij, quorum maxima erat pars, iam, qua sibi salutem parent, pro se ipsis circumspectant. Fuit autem eo tempore tantus pavor, ut maior nunquam extiterit. Ac tale quiddam passi sunt, quale ipsi fecerunt ad Pylum, ubi Lacedæmonij, amissa classe, perierunt. nam cùm Lacedæmonij naves amisissent, homines etiam ipsos, qui in insulam descenderant, una perdiderunt. ac tum quidem Athenienses, nisi quid inopinatum accidisset, omnē in terra salutem desperabant. Post gestam acerrimè hanc navalem pugnam, in qua multæ naves ex utraque parte, multi viri perierunt, Syracusani, eorumq;

socij victoria potiti, naves etiam fractas & cælorũ corpora obtinuerunt, revectique ad urbem, trophæum erexerunt.

Hæc quidem, hisque similia digna mihi imitatione in hoc scriptore visa sunt, in quibus & magnificentiam, & venustatem, & gravitatem, atque alias virtutes, hisce rebus accommodatas, perfectissimè adhibitas iudicavi, coniectura inde ducta, quòd omnium hominum mentes hoc dicendi genus maximè afficit. neq; verò expers illud rationis iudicium, quo iucunda, molestáve percipimus, hoc aversatur; neq; rationis particeps, qua, quid in quaque sit arte pulchrum, dignoscimus. neq; est quisquam, aut ex ijs, qui non admodum sunt in civilibus orationibus exercitati, qui dicere possit, quibus aut verbis, aut figuris offendatur; aut ex ijs, qui sunt exquisiti, qui q; multorũ inscitiam contemnunt, qui dictionis huius apparatum accusare queant. sed eadem erit & multitudinis, & peritorum sententia. ille enim ex imperita multitudine homo idiota, & inscius, modesto illo, & gravi, & obscuro dicendi genere non offendetur. ille autem, qui rarò invenitur ac nō ex vulgari aliqua disciplina factus artifex, humile illud, minimeq; generosum, & inconcinnum genus non damnabit. quo fit, ut tam illud quod rationis est expers, quàm quod particeps, iudicium consentiat. à quorum utroque omnia, quæ ad artes attinent, iudicari volumus. *

Ego verò non video, quo pacto illa, quæ magna atq; admirabilia quibusdam videntur, laudibus afficiam; quæ, tantum abest, ut primas illas, maximeq; communes habeant virtutes, ut, cùm & nimiam diligentiam præseferant, neque iucunditatem, neque fructum afferant. ex quibus pauca quædam exempla afferam, simul & caussas, cur à virtutibus ad vitia declinârint, commonstrabo. Atque in tertio quidem libro, ubi crudelia illa, atque infanda facinora, quæ in Corcyrensi seditione contra potentissimos quosque à populo commissa sunt, enarrans, quousque intra communis usitatæque linguæ terminos mansit, perspicuè

cuè omnia, breviter, pleneque dixit: ſed ſimul atque tragico more communes Græcorum calamitates exaggerare atque amplificare incipit, animoq; extra res conſuetas vagatur, longè ſeipſo fit deterior. ſunt autem de illo priore genere hęc, quę vix errata eſſe quiſquam opinetur:

Κερκυραῖοι δὲ αἰσθόμενοι τάς τε ἀττικὰς ναῦς προσπλεούσας, τάς τε τῶν πολεμίων οἰχομένας, λαβόντες τούς τε μεσσηνίους, ἐς τὴν πόλιν ἤγαγον, πρότερον ἔξω ὄντας. καὶ τὰς ναῦς περιπλεῦσαι κελεύσαντες, ἃς ἐπλήρωσαν ἐς τὸν ὑλλαϊκὸν λιμένα. ἐν ὅσῳ δὲ περιεκομίζοντο, τῶν ἐχθρῶν εἴ τινα λάβοιεν, ἀπέκτεινον. καὶ ἐκ τῶν νεῶν ὅσους ἔπεισαν ἐσβῆναι ἐκβιβάζοντες, ἀπεχώρησαν. ἐς τὸ ἡραῖόν τε ἐλθόντες, τῶν ἱκετῶν ὡς πεντήκοντα ἄνδρας δίκην ὑποσχεῖν ἔπεισαν, καὶ κατέγνωσαν πάντων θάνατον. οἱ δὲ πολλοὶ τῶν ἱκετῶν, ὅσοι οὐκ ἐπείσθησαν, ὡς ἑώρων τὰ γιγνόμενα, διέφθειραν αὐτοῦ ἐν τῷ ἱερῷ ἀλλήλους, καὶ ἐκ τῶν δένδρων τινὲς ἀπήγχοντο. οἱ δ᾽ ὡς ἕκαστοι ἐδύναντο, ἀνηλοῦντο. ἡμέρας τε ἑπτά, ἃς ἀφικόμενος Εὐρυμέδων ταῖς ἑξήκοντα ναυσὶ παρέμεινε, οἱ κερκυραῖοι σφῶν αὐτῶν τοὺς ἐχθροὺς δοκοῦντας εἶναι, ἐφόνευον, τὴν μὲν αἰτίαν ἐπιφέροντες τοῖς τὸν δῆμον καταλύουσιν. ἀπέθανον δέ τινες καὶ ἰδίας ἔχθρας ἕνεκα, καὶ ἄλλοι χρημάτων σφίσιν ὀφειλομένων ὑπὸ τῶν λαβόντων. πᾶσά τε ἰδέα κατέστη θανάτου, καὶ οἷον φιλεῖ ἐν τῷ τοιούτῳ γίγνεσθαι, οὐδὲν ὅ,τι οὐ ξυνέβη καὶ ἔτι περαιτέρω. καὶ γὰρ πατὴρ παῖδα ἀπέκτεινε, καὶ ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἀπεσπῶντο, καὶ πρὸς αὐτοῖς ἐκτείνοντο. οἱ δέ τινες καὶ περιοικοδομηθέντες ἐν τοῦ Διονύσου τῷ ἱερῷ, ἀπέθανον. οὕτως ὠμὴ στάσις προυχώρησε. καὶ

ἔδοξε μᾶλλον, διότι ἐν τοῖς πρώτη ἐγένετο, ἐπεὶ ὕστερόν γε καὶ πᾶν, ὡς εἰπεῖν, τὸ ἑλληνικὸν ἐκινήθη, διαφορῶν οὐσῶν ἑκασταχοῦ, τοῖς τε τῶν δήμων προστάταις τοὺς ἀθηναίους ἐπάγεσθαι, καὶ τοῖς ὀλίγοις τοὺς λακεδαιμονίους.

Hoc eſt: Corcyrenſes verò, ubi inimicas diſcedentes, & Atticas naves adventantes ſenſere, in urbem Meſſenios, qui prius extrà erant, inducunt; navibusq;, quas expleverant, iuſſis Hyllaicum adire portum, dum circumvehuntur, ſi quem hoſtium nacti eſſent, occidebant. illis verò, quibus, ut in naves ingrederentur, perſuaſerant, eiectis, abierunt; atq; in Iunonis templum delati, cùm ex ſupplicibus circiter triginta, ut iudiciũ ſubirent, perſuaſiſſent, omnes morte damnarunt. quę cùm cæteri ſupplices vidiſſent, qui perſuaſi non fuerant, in eodem ſe fano mutuò interemerunt: quidam ſe ex arboribus laqueis ſuſpenderunt: omnes, ut cuique licuit, ſibi mortem conſciverunt: Corcyrenſes autem ſeptem intra dies, quibus Eurymedon cum ſexaginta navibus eſt commoratus, illos inimicos rati, occiderunt, crimini dantes, quòd ſtatum popularem diſſoluerent. quidam etiam ob privatas inimicitias, quidam & à debitoribus, creditarum pecuniarum cauſſa, interfecti. nullum denique mortis genus non viſebatur: nec fieri quidquam in huiuſmodi caſu ſolet, quod tum non evenerit; immò verò maiora etiam contigerunt. nam pater filium trucidabat: homines à templis ad necem abſtrahebantur: atque adeò intra ipſa necabantur. alij ſe in Bacchi delubro cũ muniijſſent, obiere. eò uſque cruenta hæc ſeditio proceſſit; ob id quoque viſa maior, quòd prima hæc apud eos extitit. nam poſtea in omni propè Græcia graſſata eſt, ubique factionibus exortis, cùm ij, qui principes in populo eſſent, Athenienſes, optimates verò Lacedæmonios accerſerent.

Quæ verò his adiungit, perplexa ſunt, atque eiuſmodi, quæ non facilè percipi poſſint, quæque figu-

rarum

rarum nexus quosdam solœcismis similes, aliaque eius generis non pauca habent: quorum nec illa ætate, neque verò pòst, cùm maximè civilis floreret eloquentia, & dicendi vis, ullus erat usus. atque ea nunc ostendam.

ἐστασίαζετο οὖν τὰ τῶν πόλεων, καὶ τὰ ἐφυστερίζοντά που, πύστει τῶν προγενομένων, πολὺ ἐπέφερε τὴν ὑπερβολὴν τοῦ καινοῦσθαι τὰς διανοίας, τῶν τ' ἐπιχειρήσεων περιτεχνήσει, καὶ τῶν τιμωριῶν ἀτοπίᾳ.

Hoc est: Agitati sunt itaque seditionibus status civitatum, & ea, quæ pòst fuerunt, eorum, quæ acta essent, auditione magna in animis accessio facta est ad novas res moliendas, vel aggrediendi solertia, atque artificio, vel ultionis insolentia.

In his in prima illa membri parte, nulla necessitate coactus, circumlocutione usus est, cùm dixit, ἐστασίαζετο οὖν τὰ τῶν πόλεων: quod perinde est, ac si Latinè dicas: ea igitur, quæ urbium erant, tumultuabantur. quod multò sanè melius erat hoc modo: ἐστασίαζον αἱ πόλεις, civitates tumultuabantur. quod deinde sequitur, & τὰ ἐφυστερίζοντά που, non potest conijci, quid sibi velit. sic verò magis fuisset perspicuum, αἱ δ' ὑστεροῦσαι πόλεις: civitates, quæ pòst fuerunt. quibus subiungit,

ὅτι πύστει τῶν προγενομένων πολλὴν ἐπέφερε τὴν ὑπερβολὴν ἐς τὸ καινοῦσθαι τὰς διανοίας.

Vult enim ita dicere: Ii verò, qui posteriores fuerunt, cùm res ab alijs gestas audiebant, magis ad res novas excogitandas incitabantur. in his, si structuram demas, ne nominum quidem figuræ audientibus iucundę sunt. His postea aliud caput adiungit, quod poetico, aut potius Dithyrambico apparatui magis, quàm huic loco, videtur convenire.

τῶν τ' ἐπιχειρήσεων περιτεχνήσει, καὶ τῶν τιμωριῶν ἀτοπίᾳ, καὶ τὴν εἰωθυῖαν τῶν ὀνομάτων ἀξίωσιν ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει.

Hoc est: & aggressionum artificio, & ultionis insolen-

tia usitatis rerum vocabulis ad excusationem immutatis. Quod autem in hoc perplexo atque implicato nexu intelligi vult, tale est. multa illis facta accessio ad cognoscendam rem aliquã novam, quæ ad aggressionum artes, & ad exquisitas pœnas valeret. quæ verò vulgò rebus vocabula tribuebantur, ea ipsi, cũ alia ratione res ipsas appellare vellent, immutabant. nam hæc verba,

ἐπιτεχνήσεις καὶ ἡ τῶν τιμωρειῶν ἀτοπία. &, ἡ εἰωθυῖα τῶν ὀνομάτων ἀξίωσις, καὶ ἡ εἰς τὰ ἔργα ἀντηλλαγμένη δικαίωσις,

periphrasi cuidam poeticæ sunt accommodatiora. quibus addit etiam figuras istas theatrales,

τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος, ἀνδρία φιλέταιρος ἐνομίσθη, μέλλησις δὲ προμηθὴς, δειλία εὐπρεπής:

Hoc est: temeritas enim irrationalis, fortitudo amicorum amans vocabatur; considerata cunctatio, honesta formido.

Hæc utraque eas figuras habent, quę paria paribus, similia similibus referunt, quibus epitheta ornatus caussa accedunt. talis autem fuisset necessaria, minimeque theatrica figura:

τὴν μὲν γὰρ τόλμαν ἀνδρίαν ἐκάλουν, τὴν δὲ μέλλησιν δειλίαν.

Hoc est, temeritatem illi quidem fortitudinem, cunctationem autem timiditatem ignaviamque nominabant. atque his quidem ea etiam, quæ subsequuntur, similia sunt.

τὸ δὲ σῶφρον, τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα: καὶ τὸ πρὸς ἅπαν ξυνετὸν, ἐπὶ πᾶν ἀργόν.

Quasi dixeris: quod sapiens, invirilitatis prætextus; & quod ad omnia prudens, omnino ignavum. magis autem propriè sic dixisset:

οἱ δὲ σώφρονες, ἄνανδροι; καὶ οἱ συνετοὶ πρὸς ἅπαντα, ἐν ἅπασιν ἀργοί.

Hoc est: qui autem prudentes essent, ij parum viriles; qui verò ad omnia se sapienter compararent, omnibus in rebus ignavi, timidíque vocabantur. Quòd si hucusque, quædam exornans, quædam verò duriter tractans, neque ulterius oratione progressus fuisset, non ita molestum se fortasse prębuisset. sed alia etiam his adiungit.

ἀσφάλεια δὲ τὸ ἐπιβουλεύσασθαι, ἀποτροπῆς πρόφασις εὔλογος. καὶ ὁ μὲν χαλεπαίνων, πιστὸς αἰεί, ὁ δ' ἀντιλέγων αὐτῷ, ὕποπτος.

Hoc est: tutò consultare, rationalis cuiusdam fugæ prætextus: qui verò irascebatur, is fidelis semper: qui huic contradiceret, is suspectus habebatur.

In his rursus illud incertum est, cui vocabulum *χαλεπαίνων* accommodare velit; ita illud *ἀντιλέγων*, ad quem referatur, & qua de re sit dictum. Deinde ait:

ἐπιβουλεύσας δέ τις τυχὼν, ξυνετός: καὶ ὑπονοήσας, ἔτι δεινότερος. προβουλεύσας δὲ, ὅπως μηδὲν αὐτῶν δεήσοι, τῆς τε ἑταιρίας διαλυτὴς, καὶ τοὺς ἐναντίους ἐκπεπληγμένος.

Hoc est: cui insidiæ succedebant, hic erat prudens, & eò prudentior, si alterius insidias providisset. qui verò providebat, ut nihil eorum opus haberet; societatis dissolutor, & adversarios timens.

Hìc quid sibi illud, *τυχὼν*, velit, non apparet, neque cognoscitur, an ad ipsum hæc duo verba, *τυχὼν* & *ὑπονοήσας*, sint referenda. Quòd si, *τυχὼν*, ad eum referri debeat, qui, re bene gesta, quod speraverat, est consecutus; illud autem, *ὑπονοήσας*, de eo dici vult, qui rem nondum effectam antè præsenserit: res adhuc peius habebit. purus autem, atq; undiq; conspicuus horum verborum talis esse poterat intellectus.

οἵ τε ἐπιβουλεύοντες ἑτέροις, εἰ κατορθώσειαν, δεινοί: καὶ οἱ τὰς ἐπιβουλὰς προεπινοοῦντες, εἰ φυλάξαιντο, ἔτι δεινότεροι. ὁ δὲ προειδόμενος ὅπως μηδὲν αὐ-

τῷ δεῆσαι, μήτ' ἐπιβουλῆς, μήτε φυλακῆς, τάς τε ἑταιρίας διαλύειν ἐδόκει, καὶ τοὺς ἐναντίους ἐκπεπλῆχθαι.

Hoc eſt: qui verò ſocijs inſidiabantur, ſi rem ex ſententia geſſiſſent, ingenio præditi; qui verò inſidias præſentientes ab illis ſibi cauiſſent, adhuc ingenioſiores dicebantur. qui ita ſibi proſpiciebat, ut neque ulla cautione opus haberet; is amicitias diſſolvere, atq; inimicos perhorreſcere videbatur.

His unam contortè, potenter, perſpicueque prolatam periodum adiungit.

ἁπλῶς δὲ, ὁ φθάσας τὸν μέλλοντα κακόν τι δρᾶν, ἐπῃνεῖτο: καὶ ὁ ἐπικελεύσας τὸν μὴ διανοούμενον.

Id eſt: omnino qui in nocendo alterum præveniſſet, laudabatur; & qui ad hoc non cogitantem hortatus eſſet.

Mox poetica illa figura uſus eſt, quam μετάληψιν vocant:

καὶ μὴν καὶ τὸ ξυγγενὲς τοῦ ἑταιρικοῦ ἀλλοτριώτερον ἐγένετο, διὰ τὸ ἑτοιμότερον εἶναι ἀπροφασίστως τολμᾶν.

Id eſt: Quinetiam propinquitas ſodalitio alienior erat, quòd promptius ſine excuſatione audebat.

Hoc in exemplo ξυγγενὲς & ἑταιρικὸν, cõmutata inter ſe ſunt. illud autem ἀπροφασίστως τολμᾶν, incertum eſt, ad ξυγγενὲς, an ad ἑταιρικὸν referri debeat. Nam, cùm cauſſam afferat, cur propinquos ac neceſſarios amicis iudicarent eſſe alieniores, addit; quoniam audaciam, nulla allata excuſatione, afferebant. Omnis autem hæc perſpicua fuiſſet oratio, ſi ſic eam protuliſſet, ſuis, quibuſcunq; libuiſſet, figuris eam exornans:

καὶ μὴν καὶ τὸ ἑταιρικὸν οἰκειότερον ἐγένετο τοῦ συγγενοῦς, διὰ τὸ ἑτοιμότερον εἶναι ἀπροφασίστως τολμᾶν.

Hoc eſt: atqui & ſocij propinquis erant familiariores, propterea quòd promptius ſe, nulla excuſatione adhibita, periculis offerebant.

Illud etiam, quod hæc conſequitur, per circuitionem

nem enunciatum, neq; vim ullam, neque perspicuitatem habet.

οὐ γὰρ μετὰ τῶν κειμένων νόμων ὠφελείας αἱ τοιαῦται ξύνοδοι, ἀλλὰ παρὰ τοὺς καθεστῶτας πλεονεξίᾳ.

Hoc est: Non enim huiusmodi conventus per leges latas ob utilitatem, sed contra leges ob avaritiam fiebant.

Sententia verò est huiusmodi. neque verò ad utilitates legibus constitutas societatum fiebant coitiones, sed eò, ut quisque aliquid contra legum præscriptum posset adipisci. Deinde ait:

καὶ ὅρκοι εἴ που ἄρα ἐγίγνοντο ξυναλλαγῆς ἐν τῷ αὐτίκα πρὸς τὸ ἄπορον ἑκατέρῳ διδόμενοι, ἴσχυον, οὐκ ἐχόντων ἄλλοθεν δύναμιν.

Hoc est: iusiurandum si quod interponebatur de fide reconciliationis, tam diu valebat, quàm diu nihil aliunde virium accedebat.

In his inest & hyperbatum, & periphrasis, sive circumlocutio. nam ὅρκοι τῆς ξυναλλαγῆς hoc significant: οἱ δὲ περὶ τῆς φιλίας ὅρκοι εἴ που ἄρα γένοιντο. hoc est: si quod fiebat ad firmandam amicitiam iusiurandum. Illud autem, ἴσχυον, quod cum αὐτίκα coniungi debet, per hyperbaton dictum est. hoc enim vult significare, ἐν τῷ παραυτίκα ἴσχυον: hoc est: interea valebant. Illud autem,

πρὸς τὸ ἄπορον ἑκατέρῳ διδόμενοι οὐκ ἐχόντων ἄλλοθεν δύναμιν.

clarius sic prolatum fuisset:

διὰ τὸ μηδεμίαν ἄλλην ἔχειν δύναμιν, κατὰ τὸ ἄπορον ἑκατέρῳ διδόμενοι.

Hoc est: quoniam nullam aliam vim habebant, ob penuriam iusiurandum utrinque fiebat. Quod autem sententiæ optimè respondisset, tale erat:

οἱ δὲ περὶ τῆς φιλίας ὅρκοι εἴ που ἄρα γένοιντο, ἀπορίᾳ πίστεως ἄλλης ἑκατέρῳ διδόμενοι, ἐν τῷ παραχρῆμα ἴσχυον.

Hoc eſt: Iuſiurandum ſi quod inter utroſque de amicitia fiebat, quòd omni alia fide carerent, eo tempore vim obtinebat. His autem duriora etiam ſunt, quę ſequuntur,

ἐν δὲ τῷ παρατυχόν τι ὁ φθάσας θαρσῆσαι, εἰ ἴδοι ἄφρακτον, ἥδιον διὰ τὴν πίστιν ἐτιμωρεῖτο, ἢ ἀπὸ τοῦ προφανοῦς. καὶ τό, τε ἀσφαλὲς ἐλογίζετο, καὶ ὅτι ἀπάτῃ περιγενόμενος, ξυνέσεως ἀγώνισμα προσελάμβανε.

Hoc eſt: Quantulacunque in re quis audendo alterum occupaſſet, quem ſecurum vidiſſet, hòc iucundius ob fidem puniebat, quàm aperta vi ſi id faceret: quod & tutum arbitrabatur; &, quia fraude viciſſet, prudentia ſe certaſſe exiſtimabat.

Hìc, παρατυχὸν, pro παραχρῆμα, poſitum eſt, ἄφρακτον, pro ἀφύλακτον: atque illud ἥδιον τιμωρεῖσθαι διὰ τὴν πίστιν μᾶλλον ἢ ἀπὸ τοῦ προφανοῦς, circuitione eſt obſcuratum, ſimulq; aliqua ad ſententiam abſolvendam particula deeſt. quantum autem conijcere licet, hoc voluit dicere. quòd ſi cui talis occaſio obijciebatur, ut inimicum nihil ſibi caventem animadverteret, maiori cum voluptate pœnas ab eo ſumebat, quòd fidenté, minimeque ſibi caventem inſidijs circumveniſſet. ac propterea etiam prudentiæ opinionem conſequebatur, quòd ſuam animo ſecuritaté providiſſet, quodq; adverſarium per dolum viciſſet. Deinde ita ait:

ῥᾷον δ' οἱ πολλοὶ κακοῦργοι ὄντες δεξιοὶ κέκληνται, ἢ ἀμαθεῖς ἀγαθοί. καὶ τῷ μὲν, αἰσχύνονται: ἐπὶ δὲ τῷ ἀγάλλονται.

Hoc eſt: facilius improbi, quorum magnus eſt numerus, induſtrij, quàm imperiti boni vocantur. & in hoc quidem homines erubeſcunt, illo verò etiam gaudent.

Hæc contortè, ac breviter dicta cùm ſint, in obſcuro latentem habent ſententiam. non enim facilè eſt intelligere, quos indoctos, quosq; bonos eſſe ſignificet. nam ſi imperitos malis opponit, certè, qui probi non ſunt, minimè erunt imperiti. quòd ſi pro amentibus,

at-

atque in insipientibus indoctos ponit: quænam est caussa, cur hos ipsos bonos vocet? inquit autem: τῷ μὲν αἰσχύνονται: hoc est: in hoc quidem erubescunt. qui, quæso, sunt isti, qui erubescunt? dubium est enim, utrique ne, an indocti tantùm. ἐπὶ δὲ τῷ, ἀγάλλονται. id est, in hoc verò gaudent. hìc quoque, qui sint isti, qui gaudeant, incertum est. Nam, si hæc pro utrisque posita sunt; nullum illius verba habebunt sensum. neque enim improbis boni lætantur: neque pro imperitis mali erubescunt. Atque hic quidem obscuræ ac perplexæ dictionis est character, & forma, in qua magna est toti sententiæ tenebras offundens orationis perturbatio, quæ quidem ad centum usque versus porrigitur. apponam autem & ea, quæ sequuntur, nihil iam de meo adijciens.

πάντων δ' αὐτῶν αἴτιον ἡ ἀρχὴ διὰ πλεονεξίαν καὶ φιλοτιμίαν: ἐκ δ' αὐτῶν, καὶ ἐς τὸ φιλονεικεῖν καθισταμένων τὸ πρόθυμον. οἱ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσι προστάντες μετὰ ὀνόματος ἑκάτεροι εὐπρεποῦς, πλήθους τε ἰσονομίας πολιτικῆς, καὶ ἀριστοκρατίας σώφρονος προτιμήσει. τὰ μὲν κοινὰ λόγῳ θεραπεύοντες, ἆθλα ἐποιοῦντο. παντὶ δὲ τρόπῳ ἀγωνιζόμενοι ἀλλήλων περιγίγνεσθαι, ἐτόλμησάν τε τὰ δεινότατα, ἐπεξῄεσάν τε, τὰς τιμωρίας ἔτι μείζους οὐ μέχρι τοῦ δικαίου καὶ τῇ πόλει ξυμφόρου προτιθέντες. ἐς δὲ τὸ ἑκατέροις που αἰεὶ ἡδονὴν ἔχον ὁρίζοντες, καὶ ἢ μετὰ ψήφου ἀδίκου καταγνώσεως, ἢ χειρὶ κτώμενοι τὸ κρατεῖν, ἑτοῖμοι ἦσαν τὴν αὐτίκα φιλονεικίαν ἐκπιμπλάναι. ὥστε εὐσεβείᾳ μὲν, οὐδέτεροι ἐνόμιζον, εὐπρεπείᾳ δὲ λόγου, οἷς ξυμβαίη ἐπιφθόνως τι διαπράξασθαι, ἄμεινον ἤκουον. τὰ δὲ μέσα τῶν πολιτῶν ὑπ' ἀμφοτέρων, ἢ ὅτι οὐ ξυνηγωνίζοντο, ἢ φθόνῳ τοῦ περιεῖναι διεφθείροντο. οὕτω πᾶ-

σα ἰδέα κατέστη κακοτροπίας διὰ τὰς στάσεις τῷ ἑλληνικῷ. καὶ τὸ εὔηθες, οὗ τὸ γενναῖον πλεῖστον μετέχει, καταγελασθὲν, ἠφανίσθη. τὸ δὲ ἀντιτετάχθαι ἀλλήλοις τῇ γνώμῃ, ἀπίστως ἐπιπολὺ διήνεγκεν. οὐ γὰρ ἦν ὁ διαλύσων, οὔτε λόγος ἰσχυρὸς, οὔτε ὅρκος φοβερός. κρείσσους δὲ ὄντες ἅπαντες λογισμῷ ἐς τὸ ἀνέλπιστον τοῦ βεβαίου, μὴ παθεῖν μᾶλλον προεσκόπουν, ἢ πιστεῦσαι ἐδύναντο. καὶ οἱ φαυλότεροι γνώμην, ὡς τὰ πλείω περιεγίγνοντο. τῷ γὰρ δεδιέναι τό, τε αὐτῶν ἐνδεὲς, καὶ τὸ τῶν ἐναντίων ξυνετὸν μὴ λόγοις τε ἥσσους ὦσι, καὶ ἐκ τοῦ πολυτρόπου αὐτῶν τῆς γνώμης φθάσωσι προεπιβουλευόμενοι, τολμηρῶς πρὸς τὰ ἔργα ἐχώρουν. οἱ δὲ καταφρονοῦντες κἂν προαισθέσθαι καὶ ἔργῳ οὐδὲν σφᾶς δεῖν λαμβάνειν ἃ γνώμῃ ἔξεστιν, ἄφρακτοι μᾶλλον διεφθείροντο.

Hoc est, Quarum rerum omnium caussa est principatus ob avaritiam & ambitionem: quæ duo faciunt, ut homines ad contentionem reddantur alacriores. Nam qui in civitatibus erant principes, honesto utrique nomine, alteri statum popularem, æqualitatem civilem, alteri paucorum imperium, optimatum appellantes, præferebant, cùm populum quidem verbis pascerent, ipsi verò inter se contenderent. Et cùm omni, qua posset, ratione, alter alterum superare contenderet, gravissima quæque audebant, ac pœnas atrociores irrogabant, non illas quidem ex modo iustitiæ, aut ex utilitate civitatis, sed sua semper voluptate metientes. atque illam quidem voluptatem, sive per iniqua suffragia condemnatis, sive vi oppressis suis civibus, in hoc certamine explere cupiebant. neutri pietatem in contrahendo adhibebant: sed, qui aliquid, colore verborum, cum alterius iniuria transigebant, ij maiorem laudem merebantur. si quis autem ex civibus alterutram ad partem non accessisset, is ab

utra-

utraque factione, vel quòd ab altera parte non staret, vel quòd malorum esset immunis, ob invidiam occidebatur. ita propter seditiones omne facinoris genus in Græcia extitit. & simplicitas quidem, cuius plurimum generositas participat, cum ludibrio exterminabatur. mutuò verò inter se sententijs pugnare, præclarum quiddam putabatur. nulla enim res erat, neque oratio, nullum, neque quamvis horribile iusiurandum, quod ullam inter eos vim haberet. cumque omnes cogitatione ad diffidendum potius, quàm ad fidendum essent propensiores, omnes eò intendebant, ut cavere potius, ne quid detrimenti caperent, quàm credere cuiquam mallent. fiebat autem, ut, qui consilio inferiores essent, ut plurimũ vincerent: quippe qui & suæ imbecillitatis sibi conscij, & adversariorum prudentiam intelligentes; veriti ne illorum & disertæ orationi essent impares, & ingenij præstantia superarentur, audacter ad res gerendas aggrediebantur. At illi, tum præ horum contemptu, quòd longius providerent, tum quia non oportebat ea, quæ consilio agere licet, facto aggredi, incauti magis opprimebantur.

Possem equidem multis præterea exemplis perspicuum facere, hunc nostrum, cùm communem usitatamque dicendi formam in narrationibus retinet, maiorem laudem mereri; tum vero, cùm abducit à consuetudine sermonem, ac ad peregrina quædam vocabula, & quasi per vim figuras fertur, quarũ nonnullæ etiam soloecismi præbent speciem, multò deteriorem fieri. sed, ne nostra longius labatur oratio, his ero contentus.

Quoniam verò polliciti sumus, etiam quod nostrũ de illius concionibus esset iudicium, ostendere, in quibus summam quandam inesse vim nonnulli opinantur; totam hanc tractationem in duas partes distribuentes, in eam scilicet, quæ ad res, & eam, quæ ad verba pertinet; de ijs utrisque separatim agemus, ab ea parte, quam ad res pertinere diximus, initium sumentes. Cuius quidem pars prima est, enthymemata.

tum & sententiarum inventio: secunda verò in usu rerum, quæ inventæ sunt, consumitur. atq; illa quidem prior omnem à natura vim habet; hæc accipit ab arte harum in altera, quæ scilicet plus habet à natura, quàm ab arte, quæq; minus eget disciplina. admirabilis sanè fuit Thucydides. affert enim, ac, velut ex uberrimo quodam fonte, ingentem, ac propè infinitũ sententiarum & enthymematum acervum secum trahit. quæ quidem & ampla, exquisitaque apud illum, & peregrina, atq; admirabilia sunt. Illa verò pars altera, quam plus artis habere diximus, quæque efficit, ut illa altera etiam præstantior esse videatur, multis in rebus in eo minor est, quàm par sit. quicunq; autem eum plus æquo admirantur, atq, ita stupent, ut nihil ab eis, qui divino aliquo sunt numine afflati, differãt, ij omnes propter enthymematum copiam id videntur facere. quos si quis ita admoneat ac doceat, ut rationem caussamq; afferat, cur hoc non suo loco sit positum, illud verò non ijs personis, quibus opus erat, accommodatum: item, non hæc hisce rebus convenire, neq; eò usq; progressum fieri debuisse: si quis, inquã, hæc ita notet, etsi cum ratione id faciat, magnam tamen illis molestiam afferat. qui mihi sanè ijs persimiles videntur esse, qui incredibili alicuius rei aspiciendę cupiditate flagrant: quæ quidem cupiditas videtur à furore non multùm abesse. Illi enim rei, cuius amore capti sunt, eas pulchritudines, quas egregię habent formæ, omnes inesse arbitrãtur. ac, si quis est, qui aliquod in ea vitium reprehendere conetur, ab eo, tanquam ab invido & calumniatore, sibi cavent. Atq; hi quidẽ hac una orationis virtute decepti, omnia etiam ea, quibus caret, huic scriptori attribuunt. neque id mirum. nam quod ei, quod quisque amat, & admiratur, evenire cupit, re ipsa inesse arbitratur. At qui iudicio sunt minimè depravato, & rationes ad rectas regulas examinant; sive id naturali quodam iudicio faciunt; sive quòd, firmam stabilemque iudicandi rationem secuti, ita sunt disciplinis exculti; neq; omnia ex æquo laudibus prosequuntur, neq; ex omnibus of

fensio-

ſenſionem modeſtiamque capiunt. ſed rebus bene,& cum ratione adhibitis meritas laudes tribuunt:ea verò,in quibus peccatum eſt, commendatione indigna arbitrantur. Quapropter,quod anteà feci,ut omnibus meis commentationibus regulas quaſdam ſubijcerem;idem nunc faciam,ut,quæ mihi videntur,in medium proferam. Quemadmodũ igitur in prima illa parte,de qua initiò dixi,quę in inventione rerum conſpicitur,præclarè hunc noſtrum ſcriptorem verſatum eſſe conceſſerim:ita altera in parte,quæ in collocationis ac diſtributionis arte conſumitur,eum excelluiſſe non facilè dederim,niſi in perpaucis quibuſdã concionibus, quarum in verbis quoq; vitia, de quibus anteà dixi,plurima,& maxima animadverto.ſiquidē inſunt in illis plurima cuiuſq; linguæ propria, & peregrina,ac facta vocabula.figuræ verò perplexæ,contortæ,coactæq; non paucæ. Quàm verò hæc,quæ attuli, rationi ſint conſentanea, tu,& quilibet alius, qui hæc ad rerũ ipſarum examinationem accõmodabit, iudicare poterit.exempla verò ita mihi apponenda ſtatui, ut,quę ego optima iudico, cũ ijs conferam,quæ neq; quod ad ipſam diſpoſitionem,neq; quod ad elocutionem attinet,culpa vacent. In ſecundo igitur libro,Lacedæmoniorum,& ſociorum contra Platæenſes bellum ſcripturus, ſubiungit, miſſam à Platæenſibus ad Archidamum, Lacedæmoniorum regem, legationem,cùm ille regionem vaſtaret,ac diripere vellet. quo in loco orationem,quam veriſimile eſt ab utriſq; habitam, perſonis illis, & rebus accommodatam, ac neq; modum excedentem,neque infra modum ſubſiſtentem affingit.ibi tum locutione pura admodum, perſpicua, ac brevi, adhibitis alijs, quæ in hoc genere requiruntur, virtutibus,uſus eſt; tum qui ex his enaſcitur, concentum, rectè temperatum effecit, qui iucunditatem omnem æquare poſſit.

τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους οἱ πελοποννήσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐς μὲν τὴν ἀττικὴν οὐκ ἐσέβαλον. ἐστράτευσαν δ' ἐπὶ πλάταιαν. &c.

Ineunte æstate Peloponnenses, socijque non in Atticam, sed adversus Platæam cum exercitu venerunt, duce Archidamo, Zeuxidami filio, Lacedæmoniorum rege; quem castra iam metatum, ac regionem vastare cogitantem, missi protinus à Platæensibus legati adiere, hisque verbis allocuti. Archidame vosque Lacedæmonij, neque iustè, neque è dignitate vestra, patrumque vestrorum facitis, quòd in agrum platæensem copias inducitis. Nam Pausanias Lacedæmonius, Cleombroti filius, qui Græciam Medorum dominatu liberavit, cum ijs Græcis, qui pugnæ apud nos commissæ ultrò subiere discrimen, victimis in foro Platæensi Iovi liberatori immolatis, convocatisque omnibus socijs, & urbem & agrum Platæensibus reddidit, ubi suis legibus viverent, ne quis iniustè, néve dominandi caussa arma illis inferret: alioqui eos, qui aderant, socios pro viribus auxilio futuros. Hæc patres vestri, virtutis ergo, operæque strenuè navatæ, dedere nobis. At vos contrà, quàm illi, agitis, qui cum Thebanis nobis infestissimis, ad redigendos nos in servitutem venistis. itaq; & deos illos, qui iurijurando præsunt, & vestros patrios, & nostros indigenas testati, dicimus vobis, ne quod agro Platæensi damnum inferatis, néve iusiurandum violetis, sed nostro nos iure, quemadmodum Pausanias statuit, vivere permittatis. Hæc tantùm locutis Platæensibus excepit Archidamus. Aequa dicitis, viri Platæenses, si verbis facta respondebunt. Quemadmodum enim Pausanias vobis, ut vestris legibus vivatis, concessit: ita vos eorum libertatem, qui & periculorum, & iurisiurandi vobis ea tempestate participes fuerunt, nunc verò Atheniensibus serviunt, adiuvate. quorum caussa, & ut cæterorum libertati consulatur, tantus est apparatus, tantumque bellum excitatum. Cuius liberationis si simul curam susceperitis, ita maximè iusiurandum servaveritis: sin minus, eadem, quæ iam antea, hortamur, ocium agite, colentes quæ vestra sunt, neque ab altera parte stetis, & tamen utrosque pro amicis recipite. hæc sat vobis erunt. Quæ cùm esset locutus, tum

lega-

legati Platæenses, ingressi in urbem, re cum multitudine communicata, Archidamo responderunt, facere se non posse, quæ suaderentur, sine Atheniensibus, apud quos ipsorum liberi atque uxores essent. Timere quoq; se toti civitati; ne scilicet aut, illis digressis, Athenienses venirent, talia non permissuri; aut Thebani, qui & ipsi iureiurando continebantur, dum utraque pars recipitur, rursus urbem occupare conarentur. Ille, bene eos sperare iubens, respondit: Vos verò urbem, ac domos nobis Lacedæmonijs tradite; fines agri demonstrate; arbores, & quicquid aliud potest sub numerum cadere, numerate: ipsi, quocunque libuerit, abscedite, quoad bellum fuerit: quo confecto, reddemus vobis, quæcunque accepimus, habebimusque ea interim pro deposito, colemus; vobisque fructus, qui ad usum vitæ suppetant, reddemus. Ea cùm audissent, legati ingressi iterum, habito cum multitudine consilio, dixerunt, ea, quæ suaderentur, velle se prius communicare cum Atheniensibus, accepturosque conditionem, si illis persuaserint. interea iusserunt sibi fidem dari, in ipsorum regione nihil eos hostiliter acturos. atq; ita, interposita fide, intra quot dies credibile fuit acceptum iri responsum, à regionis vastatione temperarunt. Aditis Atheniensibus legati Platæenses, agitatoque cum eis consilio, reversi hæc civitati renunciant. Neque in superiori tempore, viri Platæenses, ex quo societatem inivimus, inquiunt Athenienses, se permisisse vobis iniuriam fieri, neque nunc esse neglecturos, sed pro viribus adiuturos: vosque iurisiurandi, quo vestri se patres obstrinxere, admonent, nihil novi se, quod ad societatem attineat, tentaturos. Hæc cùm legati renunciassent, Platæenses statuerunt: non prodere Athenienses, sed resistere, &, si etiam res ferat, ut vel ante ipsorum oculos agri vastentur, atque alia, quæcunq; accidant, pati, neq; ullum emittere, sed de muro respondere, ea, quæ Lacedæmonij vellent, se facere nullo modo posse. Qui cùm respondissent, tum verò Archidamus rex astitit, Deos atque Heroes indigenas his verbis conte-

ſtatus. Dij, quicunque terram Platæenſem tenetis, vosq; Heroes, teſtes eſtote, iureiurando prius ab iſtis violato non incipere à nobis iniuriam, quòd in hanc terram venimus, in qua patres noſtri, votis apud vos nuncupatis, Medos ſuperaverunt, quamq; vos propitij adiutricem Græcis in prœlio præſtitiſtis; neq; nunc nos, ſi quid faciemus, iniuſtè facturos, nam multis eos iuſtisq; rationibus adhortati, nihil profecimus. itaq; concedite, ut & ij, qui iniuriã facere cœperunt, pœnas luant; & qui meritò punire parãt, pœnas ſumere queant. His Deos precatus, militi bellum permittit.

Iam huic, tam præclarè, tamq; exquiſitè conſcripto dialogo, alium quendam, quem iſti eius characteris admiratores maximè extollunt, conferamus. is autem eſt eo in loco, ubi, miſſo ab Athenienſibus contra Melios, Lacedæmoniorum coloniam, exercitu, ante initium belli ducem Athenienſium ait, ad colloquium cum Meliorum ſenatoribus veniſſe, in quo de belli ſolutione ageretur: cumq; ab ipſo ſtatim initio, quę ab utriſq; dicta ſunt, ex ſua perſona indicaſſet, in uno tantùm reſponſo narratione uſus continua, pòſt toto dialogo perſonas inducit loquẽtes, & veluti drama quoddam efficit. ita autem Athenienſis exorditur.

ἐπειδὴ οὐ πρὸς τὸ πλῆθος οἱ λόγοι γίγνονται, ὅπως δὴ μὴ ξυνεχεῖ ῥήσει οἱ πολλοὶ ἐπαγωγὰ, καὶ ἀνέλεγκτα ἐσάπαξ ἀκούσαντες ἡμῶν ἀπατηθῶσι, γιγνώσκομεν γὰρ ὅτι τοῦτο φρονεῖ ὑμῶν ἡ ἐς τοὺς ὀλίγους ἀγωγὴ, ὑμεῖς οἱ καθήμενοι, ἔτι ἀσφαλέστερον ποιήσατε. καθ' ἕκαστον γὰρ καὶ μηδ' ὑμεῖς ἐν ὀλίγῳ, ἀλλὰ πρὸς τὸ μὴ δοκοῦν ἐπιτηδείως λέγεσθαι, εὐθὺς ὑπολαμβάνοντες, κρίνετε. καὶ πρῶτον εἰ ἀρέσκοι, ὡς λέγομεν, εἴπατε. Οἱ δὲ τῶν Μηλίων ξύνεδροι, ἀπεκρίναντο, Ἡ μὲν ἐπιείκεια τοῦ διδάσκειν καθ' ἡσυχίαν ἀλλήλους, οὐ ψέγεται: τὰ δὲ τοῦ πολέμου παρόντα ἤδη, καὶ οὐ μέλλοντα, διαφέροντα αὐτοῦ φαίνεται.

Quo-

Quoniam nos non apud multos verba facimus, ne multitudo ſemel audiens ex perpetuo ſermone ea, quæ allicere, nec refelli facilé poſſint, in errorem à nobis inducatur: (ideo enim nos eſſe à vobis ad paucorũ aures inductos intelligimus) vos, qui aſſidetis, tutius etiam quiddam facite singula enim, non paullò pòſt, ſed quæcunque parum aptè dicta videbuntur, ſtatim excipientes, iudicate, atque hoc ipſum, quod dicimus, ſi placet, ſignificate. Ad hęc Meliorum primarij ita reſponderunt. Humanitas in docendo mutua, placidè adhibita, non illa quidem vituperatur, ſed ab hac re non nihil videtur differre, quod bellum à vobis non impendet, ſed iam adeſt.

Atque hoc poſtremum ſi quis inter figuras numerare velit, is profectò, nihil obſtat, quin omnes etiam ſolœciſmos, qui vel in numeris, vel in caſibus admittuntur, figuras dicendi vocet. Nam cùm præpoſuiſſet, ἡ μὲν ἐπιείκεια τοῦ διδάσκειν καθ' ἡσυχίαν οὐ ψέγεται, deinde ad ſingulare & nominandi caſu prolatum, accommodaſſet ea, quæ multitudinis numero efferuntur, τὰ δὲ τοῦ πολέμου παρόντα ἤδη, καὶ οὐ μέλλοντα, his in ſingulari numero, & gignendi caſu, αὐτοῦ, coniungit; ſive quis articulũ vocet eius generis, quo in demonſtrando utimur, ſive pronomen malit dicere. nam neque ſi cũ illo, quod in fœminæ ſexu, unius numero, ac nominandi caſu prolatum eſt, neque ſi cum illo iungatur quod multitudinis numerũ, ac neutrius generis accuſandi caſum habet, aptam efficiet compoſitionem, & ordinem. Quòd ſi ita dixiſſet, aptam & cohærentẽ, atque congruam orationem effeciſſet.

ἡ μὲν ἐπιείκεια τῶν διδάσκειν καθ' ἡσυχίαν ἀλλήλους, οὐ ψέγεται. τὰ δὲ τῶν πολέμου παρόντα ἤδη, καὶ οὐ μέλλοντα, διαφέροντα αὐτοῖς φαίνεται.

His ſubiungit enthymema, non ineptè excogitatum illud quidem, ſed obſcurè explicatum.

εἰ μὲν τοίνυν ὑπονοίας τῶν μελλόντων λογιούμενοι, ἢ ἄλλο τι ξυνήκετε, ἢ ἐκ τῶν παρόντων, καὶ ὧν ὁρᾶτε, περὶ σω-

τηρίας βουλεύσοντες τῇ πόλει, παυοίμεθ' ἄν. εἰ δ' ἐπὶ τοῦτο, λέγοιμεν ἄν.
Hoc est: Si de futuris igitur rebus coniecturam facturi, aut aliud quidpiam de salute civitatis deliberaturi convenistis, diversum ab eo, quod adest, quodque cernitis; silebimus: sin autem ad hoc venistis; loquemur. Postea, narratione sublata, hunc dialogum scenicis collocutionibus similem efficit, Atheniensem hoc modo respondentem inducens,
εἰκὸς μὲν, καὶ ξυγγνώμη, ἐν τῷ τοιῷδε καθεστῶτας, ἐπὶ πολλὰ, καὶ λέγοντας, καὶ δοκοῦντας, τρέπεσθαι.
Hoc est: Consentaneum est, ac venia dignum, homines in tali conditione cõstitutos multa dicere, & multa etiam consilia mutare.
Post hæc, speciosam esse illam propositionem opinatus, ita inquit,
ἡ μέν τοι ξύνοδος, καὶ περὶ σωτηρίας ἥδε πάρεστι: καὶ ὁ λόγος ᾧ προκαλεῖσθε, τρόπῳ, εἰ δοκεῖ, γιγνέσθω.
Hoc est: Et conventus quidem hic de salute nostra institutus est; & eo modo, si videtur, verba fiant, quo iam statuistis.
Ac primùm quidem argumentationem adhibuit, quæ neque Atheniensium civitate erat digna, neque præsentibus rebus accommodata,
ἡμεῖς τοίνυν οὔτε αὐτοὶ μεθ' ὀνομάτων καλῶν, ὡς ἢ δικαίως τὸν Μῆδον καταλύσαντες ἄρχομεν, ἢ ἀδικούμενοι νῦν ἐπεξερχόμεθα, λόγων μῆκος ἄπιστον παρέξομεν.
Hoc est: Neque nobis igitur ipsis verborum elegantia, longaque oratione, cui fides non habeatur, utendum arbitramur, ut ostendamus, vel iure penes nos, qui Medum eiecimus, imperium esse, vel nulla iniuria nos lacessitos nunc ad bellum exire.
Hæc oratio confitentis est bellum nihil merentibus illatum, cùm tamen neutra de re rationem reddere instituit. His deinde addit:

οὐθ' ὑμᾶς ἀξιοῦμεν, ἢ ὅτι Λακεδαιμονίων ἄποικοι ὄντες, οὐ ξυνεστρατεύσατε, ἢ ὡς ἡμᾶς οὐδὲν ἠδικήκατε λέγοντας, οἴεσθε πείσειν. τὰ δυνατὰ δ' ἐξ ὧν ἑκάτεροι ἀληθῶς φρονοῦμεν διαπράσσεσθαι ἐπισταμένοις πρὸς εἰδότας, ὅτι δίκαια μὲν ἐν τῷ ἀνθρωπείῳ λόγῳ ἀπὸ τῆς ἴσης ἀνάγκης κρίνεται. δυνατὰ δὲ οἱ προὔχοντες πράσσουσι. καὶ οἱ ἀσθενεῖς ξυγχωροῦσι.

Hoc eſt: Neque vos arbitramur cogitare, ſi dicatis Lacedæmoniorum vos eſſe coloniam, ac propterea in belli ſocietatem nobiſcum non coïviſſe, neque ullam nobis iniuriam feciſſe, nobis perſuaſuros. ſed ea ab utriſque dicenda iudicamus, quibus effici poſſit, ut inter nos tranſigatur: cùm ſciatis, loqui vos apud intelligentes, ea quidem humana ratione iudicari iuſta eſſe, quæ ex æquali neceſſitate proficiſcuntur: quæ verò vi fiunt, ea à ſuperioribus fiunt, ab inferioribus verò feruntur.

Hoc ſanè idem eſt, ac ſi dicat. Vos quidem cùm certò ſciatis iniuria vos affici, neceſſitatem perferte, ac cedite. nos contrà cùm non ignoremus iniuriam nos inferre imbecillitati veſtræ, per vim erimus ſuperiores. Hæc enim utrique noſtrûm poſſunt evenire. Deinde cauſſam afferre volens hoc addit,

ὅτι δίκαια μὲν ἐν τῷ ἀνθρωπείῳ λόγῳ ἀπὸ τῆς ἴσης ἀνάγκης κρίνεται: δυνατὰ δὲ οἱ προὔχοντες πράσσουσι, καὶ οἱ ἀσθενεῖς συγχωροῦσι.

Hoc eſt: Iuſta quidem humana ratione ea iudicantur eſſe, quæ à pari neceſſitate proficiſcuntur. violentia verò fiunt à potentioribus, quæ imbecilliores patiuntur. Hæc ad Græcos oratio barbaris regibus fortaſſe conveniebat: Athenienſes ſanè ad Græcos, quorum auxilio è Medorum manibus erepti eſſent, minimè talia dicere decebat, nimirum iuſta quæ ſunt, æqualium inter ſe eſſe; quæ verò per vim fiant, ea adverſus imbecilles fieri à potentioribus debere. Quibus quidem verbis cùm paucis Melij reſpondiſſent,

rectè Athenienses facere, qui eorum, quę iusta essent, curam gererent, ne, si quando ipsi quoque lapsi, in aliorum potestatem venirent, eadem quæ nunc ipsi, à potentioribus pati cogerentur, his verbis Atheniensem facit respondentem.

ἡμεῖς δὲ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς, ἢν καὶ παυθῇ, οὐκ ἀθυμοῦμεν τὴν τελευτήν.

Hoc est: Nos quidem nostri imperij etiamsi finem conspiciamus, illius interitu animum non despondebimus.

Huius autem rei caussam afferens, etsi imperium ipsorum à Lacedæmonijs dissolvatur, veniam tamen se, qui anteà multa eiusmodi fecissent, habituros esse. Ipsius autem verba apponam:

οὐ γὰρ οἱ ἄρχοντες ἄλλων, ὥσπερ καὶ λακεδαιμόνιοι οὗτοι, δεινοὶ τοῖς νικηθεῖσιν.

Hoc est: Neq; enim qui alijs imperant, ut Lacedęmonij, duriores sunt in victos. Hoc nó absimile est ab eo, ac si quis dicat, tyrannos tyrannis odio non esse. Deinde addit:

καὶ περὶ μὲν τούτου ἡμῖν ἀφείσθω κινδυνεύεσθαι.

Hoc est: Sed de his nostrum erit periculum. Hoc vix pyrata aliquis aut prędo dixisset, qui modò in pręsentia animo obsequatur suo, de futuro nihil laborat. Deinde paucis ultrò citroq; dictis, cùm Melij ęquas conditiones admitterent, cùm inquiunt,

ὥστε δὲ ἡσυχίαν ἄγοντας ἡμᾶς, φίλους μὲν εἶναι ἀντὶ πολεμίων. ξυμμάχους δὲ μηδετέρων, οὐκ ἂν δέξοισθε;

Hoc est: Itaque si nos quiescamus, & vobis pro inimicis amici simus, neque ad alteram partem accedamus, non ne nos recipietis?

Atheniensem ita facit respondentem:

οὐ γὰρ τοσοῦτον ἡμᾶς βλάπτει ἡ ἔχθρα ὑμῶν, ὅσον ἡ φιλία μὲν, ἀσθενείας, τὸ δὲ μῖσος, δυνάμεως παράδειγμα τοῖς ἀρχομένοις δηλούμενον.

Hoc est: Inimicitia quidem vestra plus nobis incommodi

modi affert, quàm boni amicitia. ſiquidem amicitia veſtra, imbecillitatis, odium verò, potentiæ noſtræ, qui præſumus, argumentum præbet.

Hæc ſanè argumentatio pravè atque implicitè eſt prolata. quòd ſi quis eius ſententiam exquirat, talis erit: Si vobis amici ſimus, efficietis, ut alijs imbecilles eſſe videamur: ſin inimicos vobis nos præbeamus, potentes ab omnibus iudicabimur: Non enim, ut diligentibus nos, ſed ut metuentibus imperemus, quærimus. His iterũ quædam acerba, & affectata Melij reſpondent, communem eſſe inimicis belli fortunã, ei verò, qui ceſſerit, nullam iam ſpem ſupereſſe; inter agendum autem adhuc melioris fortunæ ſpem eſſe.

Ad hæc Athenienſis reſpondet quędam ipſis labyrinthis intricatiora de ſpe, quæ plerunque homines fallere ſoleat, ita ad verbum.

ἐλπὶς δὲ κινδύνῳ παραμύθιον οὖσα, τοὺς μὲν ἀπὸ περιουσίας χρωμένους αὐτῇ, κἂν βλάψῃ, οὐ καθεῖλε: τοῖς δ' ἐς ἅπαν τὸ ὑπάρχον ἀναῤῥιπτοῦσι, (δάπανος γὰρ φύσει) ἅμα τε γιγνώσκεται σφαλέντων, καὶ ἐν ὅτῳ ἔτι φυλάξεταί τις αὐτὴν γνωρισθεῖσαν, οὐκ ἐλλείπει. ὃ ὑμεῖς ἀσθενεῖς τε, καὶ ἐπὶ ῥοπῆς μιᾶς ὄντες, μὴ βούλεσθε παθεῖν, μηδὲ ὁμοιωθῆναι τοῖς πολλοῖς: οἷς παρὸν ἀνθρωπείως ἔτι σώζεσθαι, ἐπειδὰν πιεζομένους αὐτοὺς ἐπιλείπωσιν αἱ φανεραὶ ἐλπίδες, ἐπὶ τὰς ἀφανεῖς καθίστανται, μαντικήν τε καὶ χρησμοὺς, καὶ ὅσα τοιαῦτα μετ' ἐλπίδων λυμαίνεται.

Hoc eſt: Spes, periculi ſolatium, etiamſi damno afficit, nõ tamen evertit eos, qui illa ſupra modum utuntur, ſed ab eis, qui omnia in fortunę aleam proijciunt, (infert enim detrimentũ è ſua natura) cognoſcitur, poſtquam decepti ſunt: à qua qui ſibi cavet in quo iam eſt eam expertus, non errat. Quod vobis, qui imbecilles eſtis, quorumque nunc ſalus eſt in extremum adducta diſcrimẽ, ne velitis evenire: neq; ijs ſimiles eſſe,

qui, cùm adsit facultas, quatenus homini licet, evadendi, omni aperta spe destituti, ad obscura se conferunt, veluti ad divinationem, ad oracula, et si quę sunt huius generis, quæ homines spe illectos perdunt.

Hæc sanè nescio qua ratione quis ita laudet: ut ea ab Atheniensium ducibus dici oportuisse putet; homines nimirum, quã in Deis spem collocant, ea persæpe frustrari, neque eos aut oraculis, aut vaticinijs opus habere, qui vitam piam, ac iustam delegerint. Nam si quæ alia est Atheniensium laus, hæc sanè in primis est maxima, quòd omnibus in rebus, atque adeò temporibus omnibus Deos duces secuti sunt, neque sine vaticinijs, aut oraculis quidquam perficere voluerint. cùm verò Melij dicerent, se, Dijs adiuvantibus Lacedæmonijs confidere, quos si nullam aliam ob rem, certè ob verecundiam affuturos crederent, neque passuros, ut qui propinqui essent, perirent; ita Atheniensem impudenter admodum inducit respondentem:

τῆς μὲν τοίνυν πρὸς τὸ θεῖον εὐμενείας, οὐδ' ἡμεῖς οἰόμεθα, λελείψεσθαι, οὐδὲν γὰρ ἔξω τῆς ἀνθρωπείας, τῶν μὲν, ἐς τὸ θεῖον νομίσεως, τῶν δ' ἐς σφᾶς αὐτοὺς βουλήσεως, δικαιοῦμεν ἢ πράσσομεν. ἡγούμεθα γὰρ τό, τε θεῖον δόξῃ, τὸ ἀνθρώπειόν τε σαφῶς διαπαντὸς ὑπὸ φύσεως ἀναγκαίας, οὗ ἂν κρατῇ, ἄρχειν.

Hoc est: Quod igitur ad benevolentiam erga Deos attinet, neutiquam existimamus nos alijs inferiores esse. nihil enim extra humanum institutum, vel quod spectat ad opinionem de dijs, vel quod ad voluntatem erga nos ipsos, aut sentimus, aut agimus. Nam, quod ad numina pertinet, de illis, quod opinione receptum est, sentimus: de hominibns autem ita naturæ necessitate comparatum, ut haud dubiè is semper victo dominetur, qui vicerit. Horum quidem verborum sententia perdifficilis, quam ne ij quidem, qui non mediocrem in huius viri scriptis usum habent, coniectura assequuntur. huc tamen eius oratio vide-

tur

tur ſpectare, numen quidem ipſum opinione omnes cognoſcere, quæ verò inter homines iuſta ſint, communi naturæ lege iudicari: quæ quidem lex eam vim habet, ut ijs aliquis imperet, quos ſubijcere poteſt.

Sunt & iſta à primis illis diverſa: quæ quidem neque Athenienſes, neque verò Græcos ipſos dicere decebat. Multa præterea afferre poſſem, quæ ſententias ita depravatas habent: ſed ne præter modum nobis excreſcat oratio, ultimam tantùm partem additamenti loco aſſumam, quam Athenienſis à conventu diſcedens dixit:

ἀλλ' ὑμῶν τὰ μὲν ἰσχυρότατα ἐλπιζόμενα, μέλλεται. τὰ δ' ὑπάρχοντα βραχέα πρὸς τὰ ἤδη ἀντιτεταγμένα περιγίγνεσθαι. πολλὴν τε ἀλογίαν τῆς διανοίας παρέχετε, εἰ μὴ μεταστησάμενοι ἔτι, ἄλλό τι τῶνδε σωφρονέστερον γνώσεσθε.

Hoc eſt: Cæterùm quæ vos vehementiſſimè ſperatis, futura ſunt; at præſens quidem tempus breve eſt, ad ea ſuperanda, quæ iam præſtò ſunt. Quapropter magnam declaratis amentiam, niſi, nobis iterum ſemotis, aliquid aliud prudentius decernatis. Quibus ſubiungit:

οὐ γὰρ δὴ ἐπί γε τὴν ἐν τοῖς αἰσχροῖς καὶ προύπτοις κινδύνοις, πλεῖστα διαφθείρουσαν ἀνθρώποις αἰσχύνην, τρέψεσθε. πολλοῖς γὰρ προορωμένοις ἔτι ἐς οἷα φέρονται, τὸ αἰσχρὸν καλούμενον, ὀνόματος ἐπαγωγοῦ δυνάμει, ἐπεσπάσατο ἡσσηθεῖσι τοῦ ῥήματος ἔργῳ ξυμφοραῖς ἀνηκέστοις ἑκόντας περιπεσεῖν.

Hoc eſt: Nam ſic nequaquã vos ad verecundiam, quę hominibus in fœdis & apertis periculis extitit plerunque pernicioſa, convertetis. Multos enim proſpicientes quo ferantur, id, quod turpe vocatur, nominis allicientis vi adduxit, ut, victi verbo, re in calamitates graviſſimas ſponte prolaberentur.

Quod verò horum ſermonum minimè fuerit particeps Thucydides, cùm neque ipſi conventui interfuerit, neque, quæ ab Athenienſibus, aut Melijs dice-

rentur,audiverit, ex ijs,quæ ipse proximè superiore libro commemorat,facilè possumus cognoscere. Nam postquam in urbe Amphipoli dux fuisset,eiectus ex patria,per omne reliquum belli tempus in Thracia vixit.

Restat,ut consideremus, an vel rebus ipsis, vel personis ad id colloquium convenientibus aptum dialogum scripserit,cùm eius fuerit muneris, quemadmodum in ipso quoq; libri proœmio se facturũ profitetur,ut quæ vera essent, diceret Num igitur,quemadmodũ illa Melijs de libertate oratio conveniebat, qua Athenienses admonebant,ne civitatem Græcam,quę nihil mali admisisset, servire cogerent; ita & illa alia Atheniensium ducibus erat accommodata,qui de rebus iustis nec quærere, nec dicere permittebant, sed violentiæ atq; avaritiæ legem invehentes, ea demum iusta esse dicebant in imbecilliores, quæ potentioribus viderentur? Equidem ducibus ab optimè constituta rep.ad exteras civitates missis,hanc orationé minimè dignam arbitror.neq; verò placet,ut Melij,parvæ civitatis incolæ, qui nihil illustre unquam præstiterunt, maiorem dignitatis quàm securitatis suæ rationem habuisse,ac,ne quid indignũ facere cogerentur, ad omnia gravissima perferenda prompti fuisse videantur: Athenienses verò,qui Persico bello & civitaté, & regionem omnem relinquere, quàm turpi alicui Persarũ mandato obtemperare malebant, Meliorum stultitiam reprehendant, quòd idem, quod ipsi antè fecissent,sibi proponerét. Existimo equidem, si quis hæc corã Atheniensibus, qui cõmunem hominum vitam ad elegantiorem vitæ cultũ traduxerunt, dicere aggressus esset, eius orationé ipsis futuram fuisse permolestam.His sanè caussis adductus hanc orationem cũ illa altera conferens, minimè laudo. in illa enim Archidamus Lacedęmonius ad ea facienda, quę iusta essent, Platæenses hortatur, dictione usus pura, & dilucida,quęq; nullam dicendi figuram habeat vel coactam,vel insequentem: in hac verò Græcorum omnium sapientissimi turpissimas sententias maximè in-

iniucunda oratione comprehendunt: nisi fortè Thucydidem odio ac malevolentia propterea, quòd eum eiecissent, hac ignominiæ labe civitatem suam aspersisse dicamus, ut omnibus eam invisam redderet. quę enim civitatum principes, quibus tantarum rerum erat concredita summa, & sentire, & dicere de sua patria apud alias civitates consueverunt, ea omnes communia arbitrantur esse eius civitatis, quæ eos legasset. Sed de dialogis quidem hactenus. Ex cōcionibus verò illam magnopere sum admiratus in primo libro Athenis habitam à Pericle, in qua agitur, ne Lacedæmonijs Athenienses cedant: cuius hoc est initium;

τῆς μὲν γνώμης, ὦ ἀθηναῖοι, ἀεὶ τῆς αὐτῆς ἔχομαι, μὴ εἴκειν πελοποννησίοις.

Id est: sententiam equidem eandem semper retineo, Athenienses, ne Lacedæmonijs cedamus. quæ quidem oratio, & quod ad sententias attinet, divinè est enunciata; &, quod ad compositionem partium, & figurarum non cohærentium, & coactarum mutationes spectat, minimè auribus est molesta. in qua omnes eas virtutes, quæ in concionibus usurpantur, adhibitas videmus. in hac sunt & illæ virtutes, quæ spectantur in illa Niciæ concione Athenis habita, qua de mittenda in Siciliam expeditione, & epistola ad Athenienses à se missa agit: in qua epistola, cùm morbo laboraret, auxilium & successorem sibi darî postulat; item in illa alia, quæ consolationem continet, cùm, navibus amissis, exercitum terrestri itinere vellent adducere; ac si quæ sunt aliæ eius generis conciones, puræ ac dilucidæ, & ad veras pugnas accommodatæ. Illam profectò Platæensium responsionem præter omnes, quæ septem libris continentur, admiratus sum, nullam aliam ob caussam magis, quàm quòd nullis fucatis, & curiosè conquisitis, sed veris & naturalibus coloribus sit depicta. Sententiæ in ipsa sunt commiserationibus plenæ, ipsa verò dictio minimè aures offendit: compositio iucunda, figuræ rebus in primis aptæ. Atque hæc

quidem sunt è Thucydide ad imitationem assumenda, quæ historiam scribentibus proposita esse debent. Illam verò Periclis orationem in II. libro, qua respondet Atheniensibus ad iracundiam commotis, quòd eis, ut bellum susciperent, persuasisset, non planè totam probo. neque verò illas, quæ tertio libro habentur, à Theone & Diodoto de Mitylenæorum civitate habitas; neque Hermocratis Syracusani ad Camarinæos; neque Euphemi Atheniensis legati, quæ huic est adversaria; neque alias, quæ his sunt consimiles, conciones laudo. alias præterea, quæ ad eandem dicendi formam sunt elaboratæ, nunc enumerare non placet. sed ne cui videar res dicere eiusmodi, quas demonstrare nequeam, cùm multa alia, quibus fidem orationi meæ facerem, afferre queam; ne tamen longius excurrat oratio, duabus concionibus ero contentus, Periclis responsione, & Hermocratis ad Camarinæos Atheniensium urbis accusatione. ac Pericles quidem hæc:

καὶ προσδεχομένῳ μοι τὰ τῆς ὀργῆς ὑμῶν εἰς ἐμὲ γεγένηται, αἰσθάνομαι γὰρ τὰς αἰτίας, καὶ ἐκκλησίαν τούτου ἕνεκα ξυνήγαγον, ὅπως ὑπομνήσω καὶ μέμψωμαι εἴ τι μὴ ὀρθῶς ἐμοὶ χαλεπαίνετε, ἢ ταῖς ξυμφοραῖς εἴκετε.

Id est: Vestra quidem in me indignatio, cùm caussas minimè ignorarem, non fuit inexpectata. atque ea etiam gratia concionem convocavi, ut in memoriam revocem, ac reprehendam etiam, si qua in re immeritò mihi succensetis, aut calamitatibus, rebusque ceditis adversis. Hæc quidem Thucydidi, de hoc viro scribenti, ab historica dicendi figura minimè abhorrent, sed Pericli ad iracundia permotum populum verba facienti, seque purganti, minimè conveniunt, præsertim in ipso statim responsionis exordio, antè quàm alijs sermonibus eorum animos demulceret, qui non iniuria ob calamitates molestia afficiebantur, ut quorum regionis pars optima à Lacedæmonijs vastata esset,

ſet, ac peſtilentia non exigua multitudo interijſſet; quique harum calamitatum cauſſam, quòd ipſe belli ſuſcipiendi auctor extitiſſet, in eum conferebant. præterea non hac dicendi figura, quæ reprehenſioné habet, ſed illa, qua deprecatio continetur, utendum erat. non enim multitudinis Iacesſere atque irritare iracundiam, ſed placare ac mitigare, oratoris eſt munus. Deinde adiungit his ſententiam quandam; veram illam quidem, graviterque prolatam, ſed præſenti tempori minimè utilem:

ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι πόλιν πλείω ξύμπασαν ὀρθουμένην, ὠφελεῖν τοὺς ἰδιώτας, ἢ καθ' ἕκαστον τῶν πολιτῶν εὐπραγοῦσαν, ἀθρόαν δὲ σφαλλομένην. καλῶς μὲν γὰρ φερόμενος ἀνὴρ τὸ καθ' ἑαυτὸν διαφθειρομένης τῆς πατρίδος, οὐδὲν ἧσσον ξυναπόλλυται: κακοτυχῶν δὲ ἐν εὐτυχούσῃ, πολλῷ μᾶλλον διασώζεται.

Hoc eſt: Exiſtimo equidem, ſi tota civitas rectè ſe habeat, multò cum civibus melius agi privatim, quàm ſi contrà cives ipſi ſinguli bene habeant, civitas verò universa malè ſit affecta. Nam cum patria evertitur, is, cui privatim bene eſt, non minus tamen & ipſe unà cum ea interit; qui autem fortuna non optima utitur, is in patria fortunata multò magis incolumis ſervatur. ſi qui cives privatim detrimenta caperent; ipſa verò reſpub. præclarè ſe haberet; hæc bene dixiſſet: ſed, cùm omnes in extremis calamitatibus eſſent, non iam bene eum dixiſſe conſtat. neque verò de rebus futuris ulla ſpes, quæ has calamitates in melius commutaret, quidquam firmi habebat. ignotum enim eſt hominibus id, quod futurum eſt. ac fortuna quidem ſententias noſtras, quæ de futuris ſunt, ad præſentium rerum ſtatum convertit.

His ſententiam multò etiam moleſtiorem addit, minimeque præſenti negocio congruentem.

καίτοι ἐμοὶ τοιούτῳ ἀνδρὶ ὀργίζεσθε, ὃς οὐδενὸς οἴομαι ἥσσων εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα.

Hoc est: Atqui mihi, tali viro, succensetis, qui nulli me inferiorem arbitror, vel in pernoscendis, vel in explicandis rebus oportunis, vel in amanda patria, vel in pecunia contemnenda. Mirum mihi sanè videatur, Periclem omnium, qui tunc essent, oratorum maximum ignorasse, quod mediocribus etiam ingenijs satis est exploratum, eorum qui se præter modum laudant, orationem auditoribus esse permolestam: idque in illis præsertim concionibus, quæ vel in iudicijs, vel ad populum habentur: in quibus non de præmijs, sed de pœnis est periculum. tum enim non solùm alijs molestiam, verùm etiam cùm multitudinis invidiam concitant, infortunium sibi parant. Nam qui eosdem & iudices habet, & accusatores; in hoc ipso, ut eos ad audiendum sibi benevolos reddat, infinitis lacrymis ei opus est. sed hic noster orator hisce rebus minimè cōtentus, curiosius etiam rem persequitur, &, quæ dicta sunt, latius explicat:

ὅ, τε γὰρ γνοὺς, καὶ μὴ σαφῶς διδάξας, ἐν ἴσῳ εἰ καὶ μὴ ἐνεθυμήθη, ὅ, τ' ἔχων ἀμφότερα, τῇ δὲ πόλει δύσνους, οὐκ ἂν ὁμοίως τι οἰκείως φράζοι. προσόντος δὲ καὶ τοῦδε, χρήμασι δὲ νικωμένου, τὰ ξύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν πωλοῖτο

Hoc est: Nam qui rem intelligit, neque tamen clarè docet, perinde est, ac si nesciret. qui verò utrunq; habet, nec est reip. studiosus, is eodem pacto nihil è re dicet. cui autem hoc etiam inest, si is à pecunia vincatur, pro hac una cuncta habebit venalia.

Nescio equidem, an aliquis, ut hæc vera esse fatebitur, ita Pericli convenire existimabit, præsertim ad irascentes Athenienses verba facienti. Neque enim sententiarum, aut optimorum argumentorum inventio ipsa per se multo studio digna videtur, nisi etiam rebus, & personis, ac temporibus, cæterisque rebus omnibus conveniant. sed quemadmodum initio quoque dicebam, quæ sua esset de Periclis virtutibus sententia, ostendere cupiens Thucydides, hanc illi in-

tam-

tempestivam orationem affingit. Oportebat autem ipsum prius, quid de hoc viro sentiret, declarare, deinde verò eidem in periculo versanti orationem, qua à se iracundiam deprecaretur, humilem adiungere: Hoc sanè facere decebat eum historicum, qui veritatem imitari vellet. Illa verò permolesta sunt, quæ puerilia dictionis ornamenta, & nomina quædam in sententijs valde perplexa & intricata habent.

ἰέναι δὲ τοῖς ἐχθροῖς ὁμόσε, καὶ ἀμύνεσθαι μὴ φρονήματι μόνον, ἀλλὰ καὶ καταφρονήματι. φρόνημα μὲν γὰρ καὶ ἀπὸ ἀμαθίας εὐτυχοῦς καὶ δειλῷ τινι ἐγγίνεται: καταφρόνησις δὲ, ὃς ἂν καὶ γνώμῃ πιστεύῃ τῶν ἐναντίων προέχειν, ὃ ἡμῖν ὑπάρχει. καὶ τὴν τόλμαν ἀπὸ τῆς ὁμοίας τύχης ἡ σύνεσις ἐκ τοῦ ὑπέρφρονος ὀχυρωτέραν παρέχεται. ἐλπίδι τε ἧσσον πιστεύει, ἧς ἐν τῷ ἀπόρῳ ἡ ἰσχύς. γνώμῃ δὲ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων, ἧς βεβαιοτέρα ἡ πρόνοια.

Hoc est: Ita nos comparare decet, ut hostibus, non modò fiducia pleni, sed etiam confidentes occurramus. siquidem fiducia ex improvisa aliqua prosperaque fortuna etiam in ignavum aliquem cadit: confidentia eius est unius, qui suo se consilio adversarium superare credit. quod quidem nobis inest, & prudentia, quæ ab animi magnitudine oritur, in pari fortuna tutiorem reddit audaciam, in spe verò minorem fidem habet, cuius omnis est vis in dubio. sed in consilio, quod è rebus præsentibus sumitur, cuiusque providentia firmior est.

Hic vides & ipsas sententias frigidiores esse, & eiusmodi, quæ Gorgiæ potius instituto convenire videantur. nominum expositio planè sophistica, ac prorsus inepta est. hæc verò:

ἥ τε τόλμαν ἀπὸ τῆς ὁμοίας τύχης ἡ σύνεσις ἐκ τοῦ ὑπέρφρονος ὀχυρωτέραν παρέχεται.

obscuriora sunt Heracliti tenebris. Illa verò,

ἤτε τῆς ἐλπίδος ἐν τῷ ἀπόρῳ ἰσχύς: & γνώμη δὲ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων, ἧς βεβαιοτέρα ἡ πρόνοια,

poëtico quodam vitio ſunt per circuitionem, perque ambages prolata. Vult enim ſignificare, nos ei opinioni magis aſſentiri oportere, quam ex rebus præſentibus colligimus, quàm ſpei, cuius tota vis in rebus futuris eſt poſita. Iam verò illud etiam conſideravi, cùm illorum in ſe iracundiam, propter præſentes calamitates excitatam, mitigare vellet, quarum quidem calamitatum partem maximã præter opinionem, præterque expectationem ſubibant; ac hortaretur, ut fortiter, atque ita ea mala ferrent, ne civitatis dignitatem labefactarent; ac, rerum privatarum dolore depoſito, de communi ſalute eſſent ſolliciti; deinde oratione percurrens, illos, cùm tam firmum in mari imperium tenerent, neque à Perſarum rege, neque à Lacedæmonijs, neque ab ullo præterea hominum genere regno ſpoliari poſſe, quarum rerum fides non præſens, ſed futura erat, non in providentia, ſed in ſpe vim ſuam obtinens; horum omnium poſtea oblitus, non iam eos ullam in ſpe, cuius in dubio vis eſt poſita, fidem vult habere. Hæc ſanè pugnant inter ſe: ſiquidem, quod dolorem illis faciebat, id præſentem iam ſenſum habebat; utilitatis verò ſignificatio adhuc aberat. ſed quemadmodum hæc, neque quod ad res ipſas, neque quod ad verba attinet, laudo, ita illa, ut acutè excogitata, & excellenter expoſita, iucundeque coagmentata, admiror.

καὶ γὰρ οἷς μὲν αἵρεσις γίγνηται τὰ ἄλλα εὐτυχοῦσι, πολλοὶ ἄνοια πολεμῆσαι. εἰ δ᾽ ἀναγκαῖον ἦν, ἢ εἴξαντας εὐθὺς τοῖς πέλας ὑπακοῦσαι, ἢ κινδυνεύσαντας, περιγενέσθαι, ὁ φυγὼν τὸν κίνδυνον, ὑποστάντος μεμπτότερος. καὶ ἐγὼ μὲν ὁ αὐτὸς εἰμὶ καὶ οὐκ ἐξίσαμαι. ὑμεῖς δὲ μεταβάλλετε, ἐπειδὴ ξυνέβη ὑμῖν πεισθῆναι μὲν ἀκεραίοις, μεταβάλλειν δὲ κακουμένοις.

Hoc eſt: Etenim quibus optio datur, ſi ij pacem, quàm bel-

bellum, malunt, cùm secunda fortuna utuntur, amentissimi sunt: sin verò necesse sit, aut finitimis cedentes imperata facere, aut pro victoria belli adire discrimen; profectò, qui cedunt, ijs, qui resistunt reprehensione sunt digniores. equidem idem, qui anteà, sum, neque à mea sententia discedo: Vos verò inconstantes, qui, antequam detrimentum ullum sustineretis, mihi assentiebamini, nunc verò, calamitate accepta, consilium mutastis. Præterea illa etiam.

δουλοῖ γὰρ φρόνημα, τὸ αἰφνίδιον, καὶ ἀπροσδόκητον καὶ τὸ πλείστῳ παραλόγῳ ξυμβαῖνον, ὃ ὑμῖν πρὸς τοῖς ἄλλοις οὐχ ἥκιστα καὶ κατὰ τὴν νόσον γεγένηται. ὅμως δὲ πόλιν μεγάλην οἰκοῦντας, καὶ ἐν ἤθεσιν ἀντιπάλοις αὐτῇ τεθραμμένους, χρεὼν καὶ ξυμφοραῖς ταῖς μεγίσταις ἐθέλειν ὑφίστασθαι, καὶ τὴν ἀξίωσιν μὴ ἀφανίζειν. ἐν ἴσῳ γὰρ οἱ ἄνθρωποι δικαιοῦσι τῆς τε ὑπαρχούσης δόξης αἰτιᾶσθαι, ὅστις μαλακίᾳ ἐλλείπῃ, καὶ τῆς μὴ προσηκούσης μισεῖν τὸν θρασύτητι ὀρεγόμενον.

Hoc est: Repentina, minimeque expectata, quæque præter opinionem eveniunt, fastum deijciunt. quod quidem vobis præter alia in hoc potissimùm morbo usu venit. Veruntamen cùm in magna civitate vivamus; ijsque institutis imbuti, quæ illius amplitudini conveniant, in ea simus educati: decet nos, calamitatibus etiam maximis nolle succumbere, neque nostram delere dignitatem. Nam qui per ignaviam, gloriæ, quam obtinet, desertor est, is non immeritò ab omnibus reprehensione dignus iudicatur; is verò malevolentia, qui temerè gloriam, ad se non pertinentem, appetit. Deinde illa addit, quæ Atheniensium animos ad majorem fastum excitent.

τῆς τε πόλεως ὑμᾶς εἰκὸς τῷ τιμωμένῳ ἀπὸ τοῦ ἄρχειν, ᾧπερ ἅπαντες ἀγάλλεσθε, βοηθεῖν: καὶ μὴ φεύγειν τοὺς πόνους, ἢ μηδὲ τὰς τιμὰς διώκειν, μηδὲ νομίσαι περὶ ἑνὸς μόνου, δουλείας ἀντ᾽ ἐλευθερίας ἀγωνίζεσθαι, ἀλ-

λὰ καὶ ἀρχῆς στερήσεως, καὶ κινδύνου, ὧν ἐν τῇ ἀρχῇ ἀπήχθεσθε, ἧς οὐδ' ἐκστῆναι ἔτι ὑμῖν ἐστιν, εἴ τις καὶ τόδε ἐν τῷ παρόντι δεδιὼς ἀπραγμοσύνῃ ἀνδραγαθίζεται. ὡς τυραννίδα γὰρ ἤδη ἔχετε αὐτήν, ἣν λαβεῖν μὲν ἄδικον δοκεῖ εἶναι, ἀφεῖναι δὲ, ἐπικίνδυνον.

Hoc eſt: Decet item vos publicę ob imperium dignitati, qua omnes lætamini, conſulere, neque ullum laborem recuſare. aut, ſi hoc non vultis, honores ne quæratis, neç exiſtimate una tantùm dę re, hoc eſt, de libertate in ſervitutem commutanda, ſed de imperij privatione, deq; periculo, ob offenſas, in imperio contractas, impendente, certamen eſſe, quod quidem vobis imperium iam non eſt integrũ deponere, etiamſi quis veſtrûm, hoc veritus, quietam vitam agere inſtitueret: ſiquidem imperium iam veluti tyrannidem adminiſtraſtis: quam ſumere quidem videtur iniurium eſſe, relinquere verò periculoſum.

Atque alia, his ſimilia, quæcunque & nominum, & figurarum mediocres immutationes, neque affectatas, neque difficiles, habent. In Hermocratis verò concione illa præclara videntur laudanda, in quibus hic noſter ſe præclarè geſſit.

ἀλλ' οὐ γὰρ δὴ τὴν τῶν ἀθηναίων εὐκατηγόρητον οὖσαν πόλιν, νῦν ἥκομεν ἀποφανοῦντες ἐν εἰδόσιν ὅσα ἀδικεῖ. πολὺ δὲ μᾶλλον ἡμᾶς αὐτοὺς αἰτιασόμενοι ὅτι ἔχοντες παραδείγματα τῶν τ' ἐκεῖσ' ἑλλήνων, ὡς ἐδουλώθησαν, οὐκ ἀμύνονται σφίσιν αὐτοῖς. καὶ νῦν ἐφ' ἡμᾶς ταῦτα παρόντα σοφίσματα, λεοντίνων τε ξυγγενῶν κατοικίσεις, καὶ ἐγεσταίων ξυμμάχων ἐπικουρίας, οὐ ξυστραφέντες βουλόμεθα προθυμότερον δεῖξαι αὐτοῖς, ὅτι οὐκ ἴωνες τάδε εἰσὶν, οὐδ' ἑλλησπόντιοι, καὶ νησιῶται, οἳ δεσπότην, ἢ μῆδον, ἢ ἕνα γέ τινα αἰεὶ μεταβάλλοντες, δουλοῦνται, ἀλλὰ δωριεῖς ἐλεύθεροι ἀπ' αὐτονό-

νήμων τῆς Πελοποννήσου τὴν Σικελίαν οἰκοῦντες, ἢ μένομεν ἕως ἂν ἕκαστοι κατὰ πόλεις ληφθῶμεν, εἰδότες ὅτι ταύτῃ μόνον ἁλωτοί;

Hoc eſt: Neque verò huc venimus, ut, quantam Athenienſes, qui reprehenſione vacare non debent, iniuriam faciant, apud vos, qui hæc optimè intelligitis, oſtendamus, ſed multò magis ut nos accuſemus, quòd, cùm multa Græcarum urbium exempla nobis obverſentur, quemadmodum illæ in ſervitutem ſint redactæ, non tamen nobis ipſis ſubvenimus, nec præſentes fallacias in nos confictas, diſſolvimus, Leontinorum ſcilicet propinquorum reſtitutiones, atque Egeſtanorum ſociorum auxilium; ac non potius, viribus collectis, conamur oſtendere illis, non eſſe nos Iones, neque Helleſpontios, neque Inſulanos, qui dominũ aut Medum, aut quemlibet alium commutantes, ſerviunt; ſed Dores, liberos homines, è libera Peloponneſo, Siciliam habitantes, an expectamus, quoad omnes oppidatim capiamur, cùm ſciamus hac una nos ratione in poteſtatem venire poſſe.

Hæc cùm in perſpicuo & puro rationis genere ſint prolata, fulmina quædam verborum, & pulchritudinem, & vim, & magnificentiam, & acrimoniam habent, ſuntque commiſerationibus ad pugnas accommodatis referta, quibus quidem & in foro, & in amicorum collocutionibus locus eſſe poteſt. Præterea ad hæc illa quoque accedunt.

εἰ δέ τις φθονεῖ μὲν, ἢ καὶ φοβεῖται. ἀμφότερα γὰρ τάδε πάσχει τὰ μείζω, διὰ δὲ αὐτὰ τὰς Συρακούσας κακωθῆναι μὲν, ἵνα σωφρονισθῶμεν βούλεται, περιγενέσθαι δὲ, ἕνεκα τῆς αὑτοῦ ἀσφαλείας. οὐκ ἀνθρωπίνης δυνάμεως βούλησιν ἐλπίζει. οὐ γὰρ οἷόν τε ἅμα τῆς τε ἐπιθυμίας, καὶ τῆς τύχης, τὸν αὐτὸν ὁμοίως ταμίαν γενέσθαι.

Hoc eſt: Verùm, ſi quis aut invidet nobis, aut nos metuit, (hæc enim utraq; faciunt inferiores) & ob id Syracuſas vult damno affici, ut nos modeſtiores fiamus, ac

ſupereſſe ut tutius degat; is non ea, quæ in humana ſunt poteſtate, ſperat. non enim poſſunt homines & deſiderium,& fortunam in ſuo arbitrio habere.

Deinde, quæ in extrema oratione ſunt collocata.
δεόμεθα, καὶ μαρτυρόμεθα ἅμα, εἰ μὴ πείσομεν, ὅτι ἐπιϐουλευόμεθα μὲν ὑπὸ ἰώνων ἀεὶ πολεμίων, προδιδόμεθα δὲ ὑφ' ὑμῶν δωριεῖς δωριέων. καὶ εἰ καταστρέψονται ἡμᾶς ἀθηναῖοι, ταῖς μὲν ὑμετέραις γνώμαις κρατήσουσι, τῷ δ' αὐτῶν ὀνόματι τιμηθήσονται. καὶ τῆς νίκης οὐκ ἄλλον τινὰ ἆθλον ἢ τὸν τὴν νίκην παρασχόντα λήψονται.

Hoc eſt: Oramus vos, atque obteſtamur,niſi perſuadebimus, nos ab Ionibus, perpetuis noſtris hoſtibus, & à vobis Dorienſibus, cùm & ipſi Dorienſes ſimus, prodi. qui ſi ab Athenienſibus ſuperemur, propter veſtra conſilia ſuperabimur. ſed victoriæ laus tamen penes illos tantum erit, qui nullum aliud huius certaminis præmium conſequentur,quàm vos ipſos,qui illis huius victoriæ auctores extitiſtis. Hæc equidem, hisque ſimilia tum pulchra, tum etiam imitatione digna exiſtimo; illa verò non video cur laudari debeant.

ἥκουσι γὰρ ἐς τὴν Σικελίαν, προφάσει μὲν, ᾗ πυνθάνεσθε· διανοίᾳ δὲ, ἣν πάντες ὑπονοοῦμεν. καί μοι δοκοῦσιν οὐ λεοντίνους βούλεσθαι κατοικίσαι, ἀλλ' ἡμᾶς μᾶλλον ἐξοικίσαι.

Hoc eſt: In Siciliam eo quidem nomine,quod audiſtis,veniunt, animo autem eo, quem omnes ſuſpicamur:ac, ut mihi quidem videtur, nõ ob eam cauſſam, ut Leontinos in ſedem ſuam reducant,ſed ut nos potius è ſede noſtra abducant. Frigida hæc adnominatio eſt,neque ullum movet affectum, ſed affectationem potius oſtendit. Hæc præterea perplexa,quæ figuras habent intricatas.

καὶ οὐ περὶ τῆς ἐλευθερίας ἄρα, οὔτε οὗτοι τῶν ἑλλήνων,

οὐδ'

οὐδ' οἱ Ἕλληνες τῆς ἑαυτῶν, τῷ Μήδῳ ἀντέστησαν. περὶ δὲ, οἱ μὲν σφίσιν, ἀλλὰ μὴ ἐκείνῳ καταδουλώσεως, οἱ δ' ἐπὶ δεσπότου μεταβολῇ οὐκ ἀξυνετωτέρου, κακοξυνετωτέρου δέ.

Hoc eſt: Neque verò aut iſti pro Græcorum, aut Græci pro ſua libertate Medo reſtiterunt; ſed hi, ut ſibi, non Medo, ſerviretur; illi, ut dominum commutarent non expertem prudentiæ, ſed prudentia malè utentem. Ac præterea illud, quod ſatietatem affert, tum à plurali ad ſingularem numerum, ex eo verò ſermone, qui eſt de perſona, ad dicentis perſonam fit tranſitio.

καὶ εἴ τῳ ἄρα παρέστηκε, τὸν μὲν Συρακούσιον, ἑαυτὸν δ' οὐ πολέμιον εἶναι τῷ Ἀθηναίῳ, καὶ δεινὸν ἡγεῖται ὑπέρ γε τῆς ἐμῆς κινδυνεύειν, ἐνθυμηθήτω οὐ περὶ τῆς ἐμῆς μᾶλλον, ἐν ἴσῳ δὲ, καὶ τῆς ἑαυτοῦ ἅμα, ἐν τῇ ἐμῇ μαχούμενος. τοσούτῳ δὲ καὶ ἀσφαλέστερον, ὅσῳ οὐ προδιεφθαρμένου ἐμοῦ, ἔχων δὲ ξύμμαχον ἐμὲ, καὶ οὐκ ἔρημον ἀγωνιεῖται. τόν τε Ἀθηναῖον, μὴ τὴν τοῦ Συρακουσίου ἔχθραν κολάσασθαι.

Hoc eſt: Quòd ſi quis ſtatuit, non ſe, ſed Syracuſanũ, Athenienſi inimicum eſſe, & grave ſibi eſſe putet pro mea patria periclitari, is cogitet, dum pugnat in mea, non magis pro mea ſe, quàm pro ſua ipſius pugnare. idque eò tutius, quòd me non iam perditum, ſed ſocium habens, non deſtitutus pugnabit. Cogitet item, Athenienſem nolle ulciſci inimicitiam Syracuſanorum. Hæc ſanè & puerilia, & nimium ſtudiosè conquiſita, & ijs, quæ ænigmata vocantur, obſcuriora ſunt. Illa præterea,

καὶ εἰ γνώμῃ ἁμάρτοι, τοῖς αὐτοῦ κακοῖς ὀλοφυρθεὶς, τάχ' ἂν ἴσως καὶ τοῖς ἐμοῖς ἀγαθοῖς ποτε βουληθείη αὖθις φθονῆσαι. ἀδύνατον δὲ προεμένῳ, καὶ μὴ τοὺς αὐτοὺς κινδύνους οὐ περὶ τῶν ὀνομάτων, ἀλλὰ πε-

εἰ τῶν ἔργων ἐθελήσαντι περιλαβεῖν.

Hoc eſt: Nam ſi aliter, quàm expectavit, eveniat, tum calamitatem ſuam deflens, forſitan velit rurſus, ut anteà, fortunæ meæ poſſe invidere: quod ab eo, qui deſertor extitit, quiq; eadem non de hominibus, ſed de rebus pericula ſuſcipere recuſavit, prorſus iam fieri nequit. Quibus epiphonema addit, quod ne puero quidem conveniat.

λόγῳ μὲν γὰρ, τὴν ἡμετέραν δύναμιν σώζοι ἄν τις· ἔργῳ δὲ, τὴν αὐτοῦ σωτηρίαν.

Id eſt: qui enim noſtram potentiam tutatur, is verbo quidem noſtram, re autem ipſa ſuam ſalutem ſervat. Sunt alia etiam in hac concione, reprehenſione digna, quæ nihil opus eſſe arbitror in medium producere, cùm iam ſatis explicatum ſit, Thucydidis dictionem tum maximé, ut optimam, laudandam eſſe, cùm verbis à conſuetudine remotis modicè utitur, primasque ac neceſſarias virtutes retinet; tum verò peſſimá iudicandam, cùm à communi verborum ac figurarum uſu plurimùm recedit, & peregrina quædam, & minimè cohærentia conſectatur. quo fit, ut nulla aliarũ virtutum ſuam in dicendo vim queat oſtendere. quod genus orationis, neq; in concionibus utilitatem habet, in quibus de pace, de bello, de legum latione, de rep. ordinanda, deq; alijs rebus magnis, & ad remp. ſpectantibus, à civitatibus deliberatio ſumitur; neque in foro, ubi de morte, de exilio, de infamia, de vinculis, de pecunia abrepta, ad eos verba fiunt, penes quos harum eſt rerum poteſtas. nullus, inquam, his in locis eiuſmodi orationis eſt uſus, quæ multitudini, rarò hæc audienti, magnam potius affert moleſtiam: neq; verò in ſermonibus familiaribus, in quibus de rebus ad vitam ſpectantibus agimus, aut cum civibus, aut amicis, aut propinquis noſtris: quibus cum aut de rebus, quæ ipſis evenerunt, diſſerimus; aut neceſſaria aliqua de re conſilium capimus; aut admonemus; aut hortamur; aut bonis illorum gratulamur; aut rebus adverſis unà dolore afficimur. Vt interim illud taceam,

ceam, sermones eiusmodi, propterea quòd sint iniucundi, ne patres quidem, aut ipsas matres pati posse; sed illos quoque non secus, quàm si exteram aliquam gentem aliena lingua utentem, interprete opus habituros. Atque hæc quidem sunt, quæ quantum ego ingenio assequi possum, de Thucydide dici posse existimem. Nunc non ab re fuerit, ea etiam persequi, quæ de ipso nonnulli dixerunt, ne quid prætermittere voluisse videamur. Ac neq; civilibus certaminibus, neque familiaribus collocutionibus hanc illius dicendi formam convenire, omnes, sana mente præditi, fatentur. Sunt autem sophistæ quidem haud obscuri, qui ad populares quidem se congressus parantibus, & de rebus iustis disserere volentibus, minimè accommodatam esse hanc dicendi formã, sed ijs, qui ad historicas res tractandas accedunt, quæ magnifico quodam, ac sublimi dicendi genere, quod admirabilitatem faciat, opus habent, omnino aptum esse dicant: quibus quidẽ maximè omnium convenire, ut in hoc se dictionis genere exerceant, in quam non usitata, & obsoleta vocabula, & tropi ac figuræ à communi consuetudine abhorrentes, & peregrinæ, & magnificum quiddam habentes, inducuntur. Non enim hæc forensibus, aut eiusmodi hominibus, qui sedentarias, ut vocant, & manuarias artes exercent, aut alijs, qui nulla liberali doctrina sint exculti: sed viris in omni disciplinarum genere, tum in rhetorica ac philosophia exercitatis, quibus nihil novum, nihil peregrinũ videri potest, scripta esse affirmant.

Sunt etiam qui dicant, hunc historicũ, cùm hac ratione suam historiam conscriberet, non ad eos, qui post se futuri essent, spectasse, sed eorũ habuisse rationem, qui suo tempore viverent, quibus hęc dicendi ratio in usu erat. quæ neque ad ea certamina, in quibus aut cõsilia capiuntur, aut iudicia exercentur, utilitatẽ ullam affert. ad quę quidem certamina neq; senatores, neque iudices eiusmodi convenire solent, quales vult Thucydides. Ad eos quidem, qui Thucydidis orationẽ ab eruditis tantùm viris & legi, & intel

ligi debere arbitrantur, hæc habeo, quæ dicam: eos, qui res necessarias, atque omnibus utiles (nihil autem his est aut utilius, aut magis necessarium) è communi vita tollunt, ac paucis tantùm quibusdam hominibus tanquam propria attribuunt, illud imitari, quod in civitatibus, quæ aut paucorum dominatu, aut tyrannide premuntur, fieri consuevit. Qui omnia, quæ in Thucydide habentur, coniectura assequi possint, ij facilè ob paucitatem numerari queunt. in quo sunt quædam, quæ ne illi quidem pauci sine grammatica explicatione consequantur. Ad eos autem, qui Thucydidis orationem ad veterem, atque illis temporibus usitatam dicendi rationem referunt, neque obscuro, neque prolixo mihi sermone opus erit. quibus illud dici potest; cùm multi essent Athenis & oratores, & philosophi, quo tempore bellum inter Peloponnenses, atque Athenienses gerebatur, neminem tamen repertum esse, qui hunc dicendi modum usurpârit, neque Andocidem, neque Antiphontem, neque Lysiam, qui oratores erant, neque Critiam, neque Antisthenem, neque Xenophontem, Socraticam philosophandi rationem sectantes. Ex his omnibus hunc primùm extitisse satis constat, qui hanc sit dicendi formam secutus. quod quidem eò fecit, ut omnibus alijs historicis in dicendo præstaret. quam quidem rationem cùm mediocriter ac parcè adhibet, ita se admirabilem præstat, ut nemo cum eo conferri posse videatur. cùm verò eam ineptè, & ad satietatem usque assumit, ut ne temporis quidem rationem ducat; tum verò reprehensione carere non debet. Equidem neque squalidam, & incomptam, aut rudem in historia tractanda orationem probo, sed talem, quæ poeticum quiddam habeat, neque verò omnino sit poetica, sed tamen paullò extra communem usum evagetur. nihil enim est molestius, nihil satietate iniucundius. modus autem rebus in omnibus utilis est. Superest adhuc, ut de ijs oratoribus, & historicis, qui hunc nostrum sunt imitati, aliquid dicam: quod ad huius operis nostri absolutionem vel maximè requiri vi-

ri videtur. quæ quidem res cavendum nobis esse monet, ne quam reprehensionis occasionem ijs præbeamus, qui omnia calumniari solent; qui talem postea aliquam de nobis accusationem proponant, quæ à nostra modestia, quam & in moribus, & in sermonibus semper secuti sumus, longissimè absit. quibus quidem statim odio ac malevolentia facere videbimur, si quos in medium proferamus, qui rectam Thucydidis imitandi viam ignorârunt: illorumque scripta producamus, quibus illi magnopere gloriantur, ac magnas etiam divitias cumularunt, immortalemque sunt gloriam consecuti. sed, ne qua de nobis eiusmodi in animis hominum suspicio hæreat, ab omni reprehensione abstinebimus, nulla omnino de cuiusquam erratis mentione facta. de ijs tantùm paucula cùm dixerimus, rectè ad eius imitationem expressa, orationi nostræ finem imponemus. Historicorum quidem veterum nullus, quod equidem sciam, Thucydidem est imitatus in ijs, in quibus ille maximè differre ab alijs videtur: quæ quidem hæc sunt. Vocabulorum, quæ non ab omnibus passim, sed propriè ab aliqua gente usurpantur; item vetustarum, & poeticarum peregrinarumque dictionum usus; hyperbata, & perplexitates quædam; sententiæ breves, quæ paucis plurimarum rerum significationem comprehendant, in quibus redditiones, quæ priori particulæ respondeant, longè petuntur: præterea rudes, atque à naturali connexione abhorrentes quædam figuræ, quæ vix in ipsa arte poëtica ullum reperiant locum: ex quibus illa in oratione obscuritas existit, quę tum omnes venustates corrumpit, tum tenebras virtutibus orationis offundit. Ex oratoribus verò Demosthenes repertus est unus, qui ut alios quoque, qui magnũ aliquid atq; illustre in oratione habere viderentur, ita & Thucydidē in multis est rebus imitatus, ac civilibus orationibus eas ab illo sumptas virtutes adiunxit, quas neque Antipho habuit, neque Lysias, neque Isocrates, oratorum sui temporis principes: illa, inquam, quæ veluti fulmina quædam sunt in ora-

tione, & maximam quandam vim obtinent; atq; illa, quæ acerbum quiddam & austerum, & acrimoniam illam habent, quæ ad motus animi concitandos plurimùm valent. Illam autem obscuram, quæ unius alicuius gentis est peculiaris, peregrinam, ac poëticam dictionem, veris certaminibus minimè aptam ratus, omisit. neque, quod in figuris vagum est, & à consequentia naturali aberrat, ac solœcismi speciem præsefert, id adamavit: sed, quæ à consuetudine recepta essent, in orationem suam induxit, commutationibus ac varietate eam exornans, cùm nullam sententiam simpliciter, ac sine aliqua figura proferat. perplexas verò, & intricatas illas sententias, quæ brevibus multa significant, quæque in longum protenduntur, atq; admirabilia enthymemata habent, & imitatus est, & in forensem ac civilem orationem intulit. quę quidem parcius in familiaribus, copiosius in publicis ac popularibus orationibus adhibuit. Ex multis autem pauca quædam exempla proferam, quæ tamen ijs, qui in eius scriptis versati sunt, satis esse queant. Est autem apud illum concio quædam, cuius argumentum est de bello adversus regem; in qua hortatur Athenienses, ne temerè illud suscipiant, quippe qui neque pares copias habeant, neq; socijs fideliter ac firmiter periculum subituris uti possint. hortatur autem eos, ut comparato exercitu, Græcis ostendant, si quis adversus Greciam bellum suscipiat, se periculum pro cõmuni libertate adituros. antequã autem res compàrétur, legationẽ ad cæteros Græcos, quæ eos ad bellũ cohortetur, quòd scilicet illi nõ sint obtemperaturi, mittendã non arbitratur. quo quidẽ sumpto argumento, ita hanc sententiã disposuit, ac figuris ornavit.

οὐδεὶς δή που τῶν ἁπάντων ἑλλήνων τηλικοῦτον ἐφ' ἑαυτῷ φρονήσει, ὅστις ὁρῶν ὑμῖν χιλίους μὲν ἱππέας, ὁπλίτας δὲ ὅσους ἂν ἐθέλῃ τις, ναῦς δὲ τριακοσίας, οὐχ ἥξει καὶ δεήσεται, μετὰ τούτων ἀσφαλέστατ' ἂν ἡγούμενος σωθῆναι. οὐκοῦν ἐκ μὲν τοῦ καλεῖν ἤδη τὸ δεῖσθαι, κἂν μὴ

πό-

τύχῃ τι, ἀφαμαρτεῖν· ἐὰν δὲ τοῦ, μετὰ τῆς παρασκευάσαντες, τὰ ὑμέτερα αὐτῶν ἐπέχειν, δεομένους σώζειν, καὶ δεῖ εἰδέναι πάντας ἥξοντάς ἐστι.

Hoc eſt: Nemo Græcorum omnino ita fretus erit ſuis opibus; quin, ubi viderit vobis præſtò eſſe mille equites, & armatos pedites quot voletis, & naves trecentas, venturus & ſupplicaturus ſit, illis adiutoribus tutiſſimè ſe putans incolumem fore. proinde ſi vos vocabitis, rogandi erunt: quòd ſi preces non valebunt, ſpe decidetis; ſin autem, copijs inſtructis, veſtra continueritis, rogantes ſervabitis: neq; dubium eſt, quin omnes ad vos venturi ſint.

Hæc quidem à communi & uſitata dicendi forma abhorrent, atque ijs meliora ſunt, quibus multitudo uti conſuevit, neque tamen ita ſunt obſcurata, ut enarratione egeant. ab ipſo autem belli apparatu exorſus, hæc ſubiungit:

ἔστι τοίνυν πρῶτον μὲν τῆς παρασκευῆς, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, καὶ μέγιστον, οὕτω διακεῖσθαι τὰς γνώμας ὑμᾶς, ὡς ἕκαστον ἑκόντα προθύμως, ὅ,τι ἂν δέῃ, ποιήσοντα. ὁρᾶτε γὰρ, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ὅτι ὅσα μὲν πώποτ' ἅπαντες ἐβουλήθητε, καὶ μετὰ ταῦτα τὸ πράττειν αὐτὸς ἕκαστος ἑαυτῷ προσήκειν ἡγήσατο, οὐδὲν πώποθ' ὑμᾶς ἐξέφυγεν. ὅσα δ' ἐβουλήθητε μὲν, μετὰ ταῦτα δ' ἀπεβλέψατε εἰς ἀλλήλους, ὡς αὐτὸς μὲν ἕκαστος οὐ ποιήσων, τὸν δὲ πλησίον τὰ δέοντα πράξοντα, οὐδὲν πώποθ' ὑμῖν ἐγένετο.

Hoc eſt: Prima itaque & maxima inſtructionis pars, Athenienſes, hæc eſt, ut quiſque ultrò alacriter omni officio fungi velit. illud enim videtis, Athenienſes, quæcunque unquam univerſi vos voluiſtis, & poſteà quiſque pro ſe gerenda exiſtimavit, nihil à vobis prætermiſſum eſt. quæ verò voluiſtis, poſt autem alius alium reſpexiſtis, tanquam ipſe nihil, proximus omnia facturus eſſet, in ijs nihil unquam præſtitiſtis.

Hæc ſententia multis eſt modis involuta, ita tamen explicata, ut à communi uſu loquendi ad inſolitum dicendi genus tranſierit. ſervata eſt tamen in perſpicuitate nimis accurata diligentia. In maxima autem illa adverſus Philippũ oratione, ſtatim initium quoque hoc pacto eſt comparatum.

πολλῶν, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, λόγων γιγνομένων, ὀλίγου δεῖν καθ᾽ ἑκάστην ἐκκλησίαν, περὶ ὧν φίλιππος, ἀφ᾽ οὗ τὴν εἰρήνην ἐποιήσατο, οὐ μόνον ὑμᾶς, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους ἀδικεῖ, καὶ πάντων οἶδ᾽ ὅτι φησάντων γ᾽ ἄν, εἰ καὶ μὴ ποιοῦσι τοῦτο, καὶ λέγειν καὶ πράττειν ἅπασι προσήκειν, ὅπως ἐκεῖνος παύσεται τῆς ὕβρεως, καὶ δίκην δώσει. εἰς τοῦτο ὑπηγμένα πάντα τὰ πράγματα, καὶ προηγμένα ὁρῶ, ὥστε δέδοικα μὴ βλάσφημον μὲν εἰπεῖν, ἀληθὲς δὲ ᾖ, εἰ καὶ λέγειν ἅπαντες ἐβούλονθ᾽ οἱ παρόντες, καὶ χειροτονεῖν ὑμεῖς, ἐξ ὧν ὡς φαυλότατα ἔμελλε τὰ πράγμαθ᾽ ἕξειν, οὐκ ἂν ἡγοῦμαι δύνασθαι χεῖρον, ἢ νῦν διατεθῆναι.

Hoc eſt: Cùm multæ, Athenienſes, orationes in omni ferè conſilio de ijs iniurijs habeantur, quæ non vobis modò, ſed reliquis etiam Græcis à Philippo, ex quo pacem fecit, inferuntur; cumque certum mihi planè ſit, dicturos eſſe omnes, etſi re non idem præſtent, oportere tum verbis, tum verò rebus ipſis proſpicere, ut ille abſtineat iniuria, meritaſque pœnas pendat: eò deducta, progreſſaque omnia cerno, ut verear, ne, quod dicam, minus piè illud quidem, ſed verè tamen dici poſſit. Ego, ſi, quod maximè cõtra remp. publicam foret, oratores omnes ſuadere, vosque ſuffragijs veſtris comprobare voluiſſetis, nihilo deteriore loco, quàm nunc eſt, fuiſſe rempublicam futuram arbitror. His ſimilia ſunt & illa:

εἶτ᾽ οἴεσθε οἱ μὲν οὐδὲν ἂν αὐτὸν ἐδυνήθησαν ποιῆσαι κακὸν, μὴ παθεῖν δ᾽ ἐφυλάξαντο ἂν ἴσως, τούτοις μὲν

ἐξα-

ἐξαπατᾷν αἱρεῖσθαι μᾶλλον, ἢ προλέγοντα βιάζεσθαι, ὑμῖν δ᾽ ἐκ προρρήσεως πολεμήσειν. καὶ ταῦθ᾽ ἕως ἂν ἑκόντες ἐξαπατᾶσθε.

Hoc eſt: An exiſtimatis, cùm ille eos, qui nihil ei nocere, fortaſſe autem, ne quod ipſi detrimentum acciperent, cauere potuerunt, per fraudem opprimere, quàm indicto bello aggredi maluerit; prædicturum vobis bellum eſſe, ac denuntiaturum, ante quàm inferat; præſertim dum ad illius fraudes ita conniuetis, vt voluntariò decipi videamini?

In illa autem omnium iudicialium optima oratione, quæ de corona ſcripta eſt, de Philippi calliditate, qua ciuitates deuicit, mentione illata, ſic ſententiam figuris exornauit.

καὶ οὐκ ἔτι προστίθημι, ὅτι τῆς μὲν ὠμότητος, ἣν ἐν οἷς καθάπαξ τινῶν κατέστη κύριος ὁ Φίλιππος, ἔστιν ἰδεῖν, ἑτέροις πειραθῆναι συνέβη, τῆς δὲ φιλανθρωπίας, ἣν τὰ λοιπὰ τῶν πραγμάτων ἐκεῖνος περιβαλόμενος, πρὸς ὑμᾶς ἐπλάττετο, ὑμεῖς, καλῶς ποιοῦντες, τοὺς καρποὺς ἐκομίσασθε.

Hoc eſt: Sed nihil præterea addo de crudelitate, qua Philippus contra eos, quos vnà omnes ſuperauerit, vſus eſt, quamque alij etiam experti ſunt; humanitatis aũt, quam ille apud vos ſimulabat: qua reliquas ſibi res ſubiecit, vos, quod fauſtũ felixque ſit fructum tuliſtis.

Præterea vbi eos, qui res Philippo prodidiſſent, omnium Græciæ calamitatum auctores fuiſſe oſtendit; hæc ad verbum ſcribens.

καὶ τὸ νὴ τὸν ἡρακλέα καὶ πάντας τοὺς θεούς, εἴγ᾽ ἐπ᾽ ἀληθείας δέοι σκοπεῖσθαι, εἰς τὸ καταψεύδεσθαι, καὶ δι᾽ ἔχθραν τι λέγειν, ἀνελόντας ἐκ μέσου, τίνες, ὡς ἀληθῶς, ἦσαν, οἷς ἂν εἰκότως καὶ δικαίως τὴν τῶν γεγενημένων αἰτίαν, ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἀναθεῖεν, ἅπαντες, τοὺς ὁμοίους τούτῳ παρ᾽ ἑκάστῃ τῶν πόλεων εὕροιτ᾽ ἂν-

οὐχὶ τοὺς ἐμοί. οἵ, ὅτ' ἦν ἀσθενῆ τὰ Φιλίππου πράγματα καὶ κομιδῆ μικρά, πολλάκις προλεγόντων ἡμῶν καὶ παρακαλούντων τὰ βέλτιστα, τῆς ἰδίας ἕνεκα αἰσχροκερδείας, τὰ κοινῇ συμφέροντα προΐεντο τοὺς ὑπάρχοντας ἕκαστοι πολίτας ἐξαπατῶντες, καὶ διαφθείροντες, ἕως δούλους ἐποίησαν.

Hoc est: Atque hoc quidem, per Herculem, atq; omnes Deos, si, mendacijs remotis, atq; omni in dicendo maleuolentia è medio sublata, ex veritate considerari oporteat, qui fuerint illi, ad quos meritò ac iure eorum, quæ euenerunt, caussa referri debeat; ij sanè in omnibus ciuitatibus, isti, non mihi, similes esse reperiētur. qui, cum adhuc paruę, nec satis firmę essent Philippi vires, etsi vos, quæ optima essent, & doceretis, & ad ea hortaremini, ipsi tamen, priuati ac turpis lucri caussa, singulis decipiendis ac suis ciuibus corrumpendis, communem vtilitatem perdiderunt; donec eos seruos effecerint.

Possem equidem sexcenta ex ijs Demosthenis orationibus, quæ vel in deliberatiuo, vel in iudiciali genere scriptæ sunt, exempla proferre; quæ à communi atque vsitato dicendi genere abducta, ad Thucydidis imitationē sunt expressa: sed ne lōgior, quàm par sit habeatur oratio; ijs ero contentus, quibus rem à nobis propositam satis confirmatam putamus. Illud interim eos, qui publicis in orationibus exercentur, quiq; iudicio sunt integro, admonere non pigebit, vt Demosthene, quem omnium oratorum optimum fuisse scimus, consiliario vsi, ea tantùm ab eo petant, in quibus & breuitas, & acrimonia, & vis, & robur, & magnificentia, aliæq; his affines virtutes insunt: ænigmatica autem illa, & intellectu difficilia, ac grammaticis enarrationibus indigentia, quæq; figuras nimis curiosè cōquisitas, & solœcismi similes habent, neque admirentur, neque imitanda sibi proponant. atq;, (vt paucis dicam) si quis & ea, quæ obscuritatem habent, & quæ cùm alijs virtutibus etiam per-

perſpicuitate ſunt prædita, pariter imitanda ſtatuat; id rectum non eſt. neceſſe eſt enim fateri, perfectiora imperfectis, clariora obſcuris eſſe meliora. Quo igitur argumento Thucydidis vniuerſam dicendi formam laudamus; quæúe nos ratio cogit, vt illum ſuæ tempeſtatis hominibus, quibus nimirum illa & nota eſſet, & vſitata, conſcripſiſſe, noſtri verò, qui pòſt eramus futuri, nullam rationem habuiſſe dicamus? at non potius omnem Thucydidis orationem, tanquam inutilem è foro, atque iudicijs eijciamus, eam quidem partem, quæ in narrationibus conſumitur, præter pauca quædam, mirabiliter adhibitam, atque ad omnes vſus accõmodatam, confitentes? eam verò, quæ conciones habet; non planè omnem ad imitandum idoneam eſſe, quæ quidem licet ad intelligendum facilis, non tamen prorſus eſt imitatione digna. His ego tibi, Q. Aeli Tubero, vir optime, iucundiora quidem de Thucydide, poſſem ſcribere, non tamen veriora.

FINIS.

ELENCHVS RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.

Adria-

Ami-

ar=

Con-

flo-

felic-

Vu

Iam

Ludo-

Mors

apud

vnde

The-

FINIS.

